3958 Lei. Aprile

TRACTATVS
DE
CASIBVS RESERVATIS
IN DIOECESI MEDIOLANENSI

AVCTORE

OLIVERIO MAZVCHELLO

OBLATO S.T.&I.V.D.

Protonotario Apostolico, & in Collegio Vrbano de propaganda Fide Christiana fidei Controuersiarum Professore.

CVM NOVA ADITIONE.

SANCTISSIMO ET BEATISSIMO PATRI
ET DOMINO NOSTRO
ALEXANDRO SEPTIMO
PONTIFICI MAXIMO.



MEDIOLANI,

Apud Impressores Archiepiscopales. M. DC. LV.

SANCTISSIMO ET BEATISSIMO PATRI ET DOMINO NOSTRO ALEXANDRO SEPTIMO PONTIFICI MAXIMO

OLIVERIVS MAZVCHELLVS

Ad humilima pedum oſcula.

IN hoc ſcripturienti, atq; ipſa librorum multitudine nauſeanti iam ferè ſeculo, non modico ſuffuſus rubore liber, cenſuram, ſpongiam, quinimò etiam cachinnos pertimeſcens, in publicum prodire verebatur; cum Tuo inſcribendus Nomini, metu omni depulſo, & voluit euulgari, & in ſpem magnam venit, fore vt Amplitudini Tuæ non contemnendus videretur. Ita eſt, BEATISSIME PATER. Cum tot, tantiq; Viri moralem

theologiam illuſtrarint, labore hoc, vt pote ſuperuacaneo ſuperſedendum mihi ipſi penè ſuadebam; ſed hærentem me ea vicit cogitatio, Theologicum hoc mare tot habere ſyrtes, & Charybdes, vt difficilimum planè ſit eas omnes explorare. Vitia erunt donec homines, nouaq; ſuccreſcent hominibus ſuccedentibus. Quidni ijs & explorandis, & perſequendis alij poſt alios ſcriptores ſuccedant? Si grammaticos, philoſophos, mathematicos meritò commendamus in ſuo quemq; occupatum ſtudio, atq; induſtriæ aliquid ponentem: quantò magis moralem theologum in altiori, ſanctioriq; occupatione defixum. Hæ de Caſibus Reſeruatis lucubrationes eorum ſtudiorum ſunt pars, quæ Clero erudiendo Mediolanenſi in Seminario poſui. Donet mihi Deus immortalis eam mentem, ac vires, vt aliquam earum Controuerſiarum partem elucubrare poſſim, quas Tuo in Collegio de propaganda fide in traditæ mihi iuuentutis diſciplinam pertracto: quod præſtare me poſſe ſatis confido, ſi eius ſyderis aſpectu & fouere me volueris, & ſplendore illuſtrare, quo gentilitia tua ſtemmata collucent.

AD LECTOREM.

VT Tractatum hunc de Caſibus Reſeruatis in lucem darem, Amicorum me preces coegere. Debuerat ille latere in tenebris; licèt enim magnis ſudoribus hæ peractæ lucubrationes ſint: vix tamen eas dignas reputabam, quæ in conſpectum tuum venirent: ſed cum altera iam vice hæc eadem diſcipulis meis tradidiſſem, haud ægrè ſum paſſus euulgari. Tu verò, ſi quam gratiam referre voles, attentè perleges; nihil enim habes, quod vel Conciliorum noſtrorum auctoritate (quorum lectioni ſummopere inſudaui) vel doctiſſimorum Virorum ſententijs, vel ratione ipſa non ſit probè munitum. Vnam, & alteram earum Cenſurarum, quæ in Concilijs noſtris continentur, explicatas trado. Si placuerint, fuerintq; eæ ad tuum guſtum; reliquarum etiam explicationem propediem daturum me tibi polliceor, quas paro. Viue, vale, & fruere.

TABVLA

Eorum Casuum, qui in secunda Disputatione huius Voluminis explicantur.

Numerus autem, qui Casum signat, ille idem designat Caput, in quo Casus ipse explicatur.

14 Qui

14 *Qui ieiunij diebus, alijsuè cùm ab Ecclesia vetitum est, nulla legitima causa, aut facultate non impetrata, carne vescuntur.*

15 *Confessores, quemadmodum à Sacra Tridentina Synodo iussum est, publicè peccantibus publicam pœnitentiam imponant, neq; illud publicæ pœnitentiæ genus, nisi data ab Illustrissimo Archiepiscopo facultate secreta alia pœna commutare audeant.*

16 *Qui Deum, aut Sanctissimam eius Matrem blasphemauerit.*

17 *Pater, aut Mater, aut Vir, qui consenserit vt filia, aut vxor se prostituat.*

18 *Qui falsa instrumenta, aut falsas syngraphas, apochasuè in damnum alterius confecerit, vel conficienda mandauerit, consiliumuè dederit.* 570

19 *Qui in iudicio falsum deposuerit.*

20 *Qui solutionem ex legato pio debitam diutiùs biennio distulerit.*

21 *Qui in secundo, vel propinquiore gradu incestum, etiam in cognatione spirituali commiserint.*

22 *Qui sodomiam commiserint.*

23 *Qui Virginem deflorauerint.*

De excommunicatione lata contra detinentes infantes in lecto, anno ætatis non impleto, sine præscripta cautione cunarum.

De excommunicatione lata contra Confessarios absoluentes socios criminis.

TRA-

Reimprimatur.

Fr. Petrus Hyacinthus Donellius Magister, & Inquisitor Mediolani.

Io: Paulus Mazuchellus pro Illustris. & Reuerendiss. D. D. Archiepiscopo.

Comes Maioragius pro Excellentissimo Senatu.

TRACTATVS
DE
CASIBVS RESERVATIS
In Diœcesi Mediolanensi.

PRæsens hæc tractatio de casibus reseruatis; de ijs tantummodò est instituta, qui sunt reseruati in nostra hac Diœcesi Mediolanensi: vtilemq; illam existimauimus, cum plerumq; aliquorum Confessariorum eò procedat inscitia, vt inualidè absolutos pœnitentes illos dimittant, quibus se putant absolutionis beneficium impendisse: ita vt ad Curam Animarum sit cognitio hæc maximè necessaria, ex qua percipiant Confessarij, ac Parochi, à quibus nam peccatis absolui pœnitentes valeant. In duas ergo disputationes Tractatum hunc secabimus. Prima de casibus reseruatis in communi erit. Altera de ijsdem in particulari; hancq; in tot capita subdiuidemus, quot sunt casus.

DISPVTATIO PRIMA.

DE CASIBVS RESERVATIS In communi.

DIsputatio hæc quatuor quæstionibus concludetur. Prima erit de definitione causa, & materia circa quam reseruationis, quærendo, videlicet, quomodo definiatur casus reseruatus: pęnes quos sit potestas reseruandi: & quænam peccata possint reseruari. Altera de subiecto reseruationis, idest, de ijs, qui reseruatione casuum ligantur. Tertia de facultate tam ordinaria, quàm delegata extra Iubileum. Quarta de facultate delegata in Iubilco.

QVÆSTIO PRIMA. De definitione, causa, & materia casus reseruati.

1 *Multiplex acceptio huius nominis casus.*
2 *Quomodo in præsēti materia accipiatur.*

1 DE casibus reseruatis acturus varias huius nominis, casus, significationes, seu explicationes præmittere operæ pretium existimauerim. Vt enim Imperator in principio libri Digest. [Iuri, inquit, operā daturus prius nosce oportet vnde nomen iuris descēdat:] Sic nos ipsi de casibus reseruatis acturi, vnde nomen, casus, descendat præmittamus necesse est. Casus igitur à cadendo dicitur, & si nomen hoc secundùm primam significationem, & communem vsurpemus, lapsum, & ruinam significat iuxta illud Ouidij.

Omnia sunt hominū tenui pędētia filo,
Et subito casu, quæ valuere ruunt.

Et in hoc sēsu à Scholasticis Theologis vsurpatur, dum in illorum scholis frequens est mentio de casu, & ruina Angelorū, & de casu primi parentis Adami. Hinc est, vt per methaphoram ad diuersa significanda translatum sit, & multiplices ac variæ illius significationes sint. Aliç Grammaticorum, dum casum nominatiuum rectum, alios verò obliquos appellant, eò quòd à recto cadere dicantur. Aliæ Poetarum, & Oratorum, dum casus infelices appellant calamitates, per quas ab eo statu felicitatis, in quo quis erat cadere dicitur, iuxta illud Virgilij Æneidos 2.

Sed si tātus amor casus cognoscere nostros.

Aliæ Iureconsultorum sumentium casum pro inopinato euentu, vt in l. qui ædes §. 1. de incen. rui. & nau. Aliæ Philosophorum, dum casum à fortuna seiungunt: quomodò Aristoteles 2. physicorum c 3. habet, id quod à fortuna euenit, à casu euenire; Sed non è contra; ita vt magis latè pateat casus, quā fortuna. Aliæ moralium sapientum, dum casum pro euentu accipiunt, per quem quis à regula prudentię deflectit, iuxta tritum illud, ac sermone vulgatum Adagium.

Non de ponte cadit, qui cum prudentia vadit.

Demum verò apud Theologos morales nomen hoc, casus, dupliciter sumitur. Primò generaliter, & minùs propriè; itaut casus nihil aliud sit, quam quæstio: & casus conscientiæ dicatur omnis quæstio de moribus facta, siue pertineat ad peccata, siue ad censuras, siue ad contractus, siue ad vota,

ſiue ad iuramenta, ſiue ad ſacramenta, ſiue demum ad quodcunq; aliud, quod ad mores, aut ad conſcientiam ſpectet: quomodo caſuũ cõſcientię ſumma dicitur ea, in qua breuiter de his diſputatur.

Secundò ſpecialiter, & magis propriè, & ſic caſus dicitur ſolùm peccatum, quo quis, à rectitudine virtutis cadit: quomodò nec cenſuræ, nec irregularitas, nec vota, nec iuramenta venire poſſunt nomine, caſus: cenſuræ .n. non ſunt peccata, ſed pęnę peccatorum: neque irregularitas eſt peccatum, ſed impedimentum quoddam iure canonico inductum, quo vel ab Ordinum ſuſceptione, vel ab eorundem exercitio prohibemur. Vota verò, aut iuramenta, tantùm abeſt, vt peccata ſint, vt inter actus virtutis religionis numerentur.

2 In hoc ergo poſtremo ſenſu in præſentia ſumitur nomen, caſus, pro peccato videlicet. Dicitur enim caſus à cadẽdo, itaut peccatum caſus ſit, quia per peccatum à rectitudine virtutis in ſeruitutem peccati cadimus. Et dicitur reſeruatus, quia non cuicunquè permiſſa eſt facultas ab his peccatis abſoluendi, ſed Superiori tãtùm, qui illa reſeruauit, ideſt inferioribus Sacerdotibus ab illis abſoluendi facultatem ademit: reſeruare enim nihil aliud eſt, quàm minuere, vel negare facultatẽ ab aliquo peccato abſoluendi. Quare idẽ eſt quærere de caſibus reſeruatis, ac quęrere de peccatis ijs, quorum remittendorum facultas eſt tantùm apud Superiorem. Et hęc ſufficiant ad nominis ethymologiam.

DIFFICVLTAS I.
Quomodo definiatur Caſus Reſeruatus.

3 *Definitio caſus reſeruati.*

Si Epiſcopus concedat facultatem abſoluendi à reſeruatis, vtrum facultas hæc extendatur ad cenſuras nu. eodẽ.

Quid ſi facultas hæc haberetur à Papa ibidem.

3 Caſus reſeruatus ſic definitur, quòd ſit peccatum, cuius abſolutio iure humano eſt prohibita Presbytero. Quę deſcriptio colligitur ex Trid. ſeſs. 14. cap. 7. de caſuum reſeruatione & DD. communiter, qui de caſibus reſeruatis diſputarunt. In particulari verò ex Nau. in man. cap. 27. num. 254. Suar. tomo 4. in 3. p. diſp. 29. ſect. 1. Henriq. lib. 6. de pęn. cap. 18. Graffio in ſua practica lib. 1. cap. 1. nu. 9. Bellochio de caſibus reſeruatis p. 1. quæſt. 1. nu. 13. licet definitionem hanc damnet Comitol. lib. 1. q. 23. num. 3.

Dicitur peccatum: hoc enim Theologi morales pro caſu intelligunt. Hoc loco autem non definio mortale ne ſit, an veniale, quia videbimus inferiùs, vtrum etiam peccata venialia poſſint reſeruari. Neq; definio ſit ne externum tãtùm, an internum, quia hoc etiam in Scholis eſt cõtrouerſum, an peccata interna poſſint reſeruari. Quare nomine caſuum reſeruatorum non venire cenſuras habent DD citati. Et Epiſcopum concedendo facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis ſibi, non concedere facultatem à cenſuris, habet Graffius cit. nu 15. Secus autem ſi Pontifex hanc facultatem daret. Et ratio eſt, quia nullus eſt caſus Papæ reſeruatus, cui non ſit adnexa cenſura: vt proindè quoties in Bulla ſua cõcedat facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis papalibus, illam etiam concedat abſoluendi à cenſuris, niſi fortè cenſuram aliquam ſibi peculiariter Pontifex reſeruaſſet; ad hanc enim non extenderetur facultas ſuperiore modo cõceſſa, vt habet idem Graffius. Vnde eſt, vt ad dubium omne tollendum Bullæ Pontificiæ, quoties velint facultatem generalem concedere, vt poſſit quis a reſeruatis, & cenſuris

absolui, semper dicant dare pœnitenti facultatem, vt possit eligere Confessarium, qui illũ absoluat ab omnibus casibus reseruatis, & a censuris, quia hæc duo inter se distinguantur. Ita Floronus de casibus reseruatis cap. 1. nu. 11. Sed de hac re iterũ redibit sermo suo loco.

Dicitur, cuius absolutio est prohibita Presbytero, vt appareat quare dicatur reseruatus; ideo enim reseruatus dicitur, quia Cõfessario fuit à Superiore denegata, vel ablata iurisdictio à tali peccato absoluendi. Quare nulla semper est absolutio, quoties à tali peccato inferior absoluit, vt bene monet Suar. citatus n. 8. dum habet posse quidẽ Superiorẽ imprudenter reseruare, sed tamen validè, in quo casu ob defectum iurisdictionis nulla erit absolutio inferioris.

Dicitur demum iure humano, ex qua particula infertur, cum in ministro cõfessionis duplex potestas requiratur, ordinis videlicet, & iurisdictionis, reseruationem tollere quidem facultatem iurisdictionis, quæ est ab homine; non sic autem ordinis, quæ est à Deo.

DIFFICVLTAS II.
An sit in Ecclesia Dei Potestas Reseruandi.

4 *De fide est Ecclesiam posse reseruare peccata.*

4 Certissimum hoc est de fide adesse in Ecclesia Catholica potestatem aliqua peccata superioribus iudicibus reseruandi. Definitum hoc est in Concilio Trid. sess. 14. de Sacramento pœnitentiæ cap. 7. & can. 11. his verbis. [Si quis dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externã politiam, atq; adeò casuum reseruationem non prohibere quominus Sacerdos à reseruatis verè absoluat, anathema sit.] Patet hoc item ex vsu antiquissimo, ac praxi Ecclesiæ, & ex ijs locis Conciliorum, & auctoritatibus Patrum, quos ad hoc probandum cumulat Suar. de pęn. disp. 29. sectione 1. num. 2. Vasq. de pęn. quæst. 91. art. 3. dubio 1. Eminentiss. de Lugo disp. 20. sect. 1. de pęnit. Quidquid in contrarium senserit improbus ille Vuicleph, dum hanc reseruationem dixit repugnare charitati: tantùm .n. abest, vt charitati obstet hæc reseruatio, vt potiùs conducat ad commune bonum, & ad priuatam singulorum etiam pęnitentum vtilitatem. Ratio verò est, quia licet omnes Sacerdotes in potestate ordinis sint æquales, tamen sunt inęquales in potestate iurisdictionis, & hæc à Superioribus Ecclesiæ manat in ministros inferiores, quibus illam cõcedere possunt, vel magis, vel minùs limitatam, prout ipsi voluerint. Congruentia verò ea est, quam affert Concilium Trid. cap. 7. citato, quia hoc videtur exigere Ecclesiasticæ disciplinæ ratio, vt fideles magis cõtineãtur a peccatis propter difficultatem absolutionis; retrahuntur enim à peccatis dum ab ijs commissis, si velint absolui, sciunt se debere adire Superiores suos; deteriores enim nos ipsi licentia sumus. Et vt D. Bernardus ait, [impunitas ausum parit, ausus excessum.] Vnde eloquentiæ Princeps in sua Oratione pro Milone sic habet, [magna est peccandi illecebra spes impunitatis:] Aureũq; Catonis illud vulgatur eloquium, [se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio perpetrato non pęnam dare.

DIFFICVLTAS III.
Quinam possint reseruare.

5 *Summus Pontifex potest reseruare peccata.*

6 *Episcopi item.*

7 *Demum omnes, qui respectu suorũ subditorum vicem habent Episcoporum.*

RESp. eos, qui habent iurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ posse reseruare peccata, etiam respectu inferioris habentis ordinariam potestatem. Et probatur, quia cum hi omnes possint suam iurisdictionem alijs delegare, inde est, vt vel in totũ, vel in partem illam possint delegare; libera enim est hæc collatio, seu communicatio iurisdictionis. Ita Suar. disp. 29. de pœn. sect. 1. nu. 5. Filliuc tomo 1. tractat. 15. cap. 10. n. 220. Reg. lib. 1. cap. 11. n. 124.

5 Ex quibus sequitur I. Summum Pontificem posse sibi reseruare casus in toto Orbe: & quidem respectu omnium, siue sint Episcopi, siue quicunque alij Prælati; hoc enim de fide certum est: patet item ex vsu, & ex suprema illius potestate. Addo etiam facultatem hanc reseruandi casus conuenire illi de iure Diuino; est enim veluti quidam actus, seu quædam pars supremæ potestatis ipsi à Deo concessæ.

6 Secundò, Episcopos possę reseruare casus in sua Diœcesi respectu Parochorum, aliorumq; Confessariorum sibi subditorum, vt colligitur ex Ecclesiæ vsu, & Concilio Triden.

Dubiũ esse potest, quomodo Episcopi possint sibi casus aliquos reseruare, à quibus Parochi nõ valeant absoluere Et ratio est quia Parochi eo ipso, quod sunt Parochi, sũt Pastores, & in subditos suos habent iurisdictionem ordinariam, quã iurisdictionem nõ videntur omnino habere ab Episcopis, sed ex institutione Sũmi Pontificis, a quo procedit Parochiarũ diuisio. Et licet regulariter accipiant Parochi suum beneficium ab Episcopo, & ab illo dependeant in fieri, non tamen ab eo pendent in conseruari; vnde est vt non possit Episcopus beneficium semel collatum pro libito auferre. Quare hoc ipso quod quis est Parochus, habet iurisdictionem in suas oues, & quidem ordinariam ex vi officij. Quomodo ergo poterit Episcopus facere, quòd nõ possit illas à suis peccatis absoluere?

Respondent Nauar. in sum. cap. 27. nu. 263. Suar. cit. nu 6. Vasq. q. 91. art. 3. dub. 1. num. 10. Facultatem reseruandi casus competere Episcopis ex concessione Summi Pontificis, & in hac parte posse ex vi huius facultatis Parochorũ iurisdictionem ab ipsis Episcopis limitari; quare licet iurisdictio Parochorũ ordinaria sit, & ab institutione Summorum Pontificum tantùm pendeat; tamen ab eadem institutione manare potuit, vt Parochi in hoc essent Episcopis subordinati, quia hoc ad debitam Ecclesiæ gubernationẽ esset necessariũ.

Sic licet Episcoporum institutio sit de iure diuino, neque Papa possit extinguere illorum officium, potest tamen limitare illorum iurisdictionem, reseruando sibi plura peccata, à quibus Episcopi non possint absoluere. Et sicut Papa potest aliquos eximere à potestate Episcoporum, & facere illos sibi immediatos, prout de facto exemit Regulares; ita etiam Episcopus non solum potest aliqua peccata eximere à Parochorum iurisdictione, sed etiam Parochianum aliquem potest ab eius cura eximere, vt dicemus in diffic. sequente. Vnde patet ad dubium propositum. Sed de casu hoc redibit sermo in diffic. 12.

7 Demum verò, eos omnes posse reseruare, qui respectu suorum subditorum vicẽ habent Episcoporum, vt Abbates, & omnes habentes vtrumq; forum exterius, & interius. Hinc est, vt de Parochis loquẽs Homobonus de casibus reseruatis p. 1. c. 2. dicat eos non posse reseruare, quia nec Prælati sint, nec Iudices inferiores in foro animę habeãt: cui fortè consentit Chapeauil. p. 1. c. 1. q. 2. de casib. reseruatis dicẽs eos posse reseruare, si sub se habeant alios Sacerdotes.

DIFFICVLTAS IV.

Quæ nam sint ea, quæ per Pontificem, Episcopos, vel alios gerentes, vicem Episcoporum possunt reseruari.

8 *Quæ nam possint esse materia reseruationis.*

8 Resp. tria esse, quę per huiusmodi Prælatos possunt reseruari. Primò reseruari possūt certę personæ: vt si Episcopus reseruaret sibi Campsores, Mercatores: licet autem reseruatio hęc nō sit in vsu, tamen potest fieri: vt enim Superiores Sacerdotibus inferioribus possunt non subijcere omnia peccata suorum subditorum, ita etiam possunt non subijcere omnes suos subditos. Sic limitationes eæ de laicis tantùm audiendis, non verò Clericis; de masculis tantùm, non verò de fęminis, reseruationes quædam dici possunt.

Secundò reseruari possunt certa tempora, exceptuando videlicet aliquas festiuitates, vt Resurrectionis Domini, Pentecostes, Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.

Tertiò reseruari possunt peccata ipsa, ex quibus tot subtrahere possunt, quot nouerint sufficere ad consulendū saluti fidelium, ad bene regendam, ac moderandam Ecclesiam. Priorum tamen duorum modorum reseruationibus affici non posse Parochos habet Graffius in sua practica lib. 1. cap. 2. num. 4. & 5.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum peccata non solum possint reseruari quoad Censuram; sed etiam quoad culpam.

9 *Papa, alijq; Prælati non solùm censuras, sed etiam peccatorum culpas possunt sibi reseruare.*

10 *De facto quid reseruet Papa.*

CVM quædam peccata sint, quæ adnexam habent censuram, qualia sunt hæresis externa, procuratio abortus, si fętus sit animatus, ac demum ea omnia, quæ Papæ sunt reseruata: Quędam verò, quę nullam habent censuram adnexam: In præsenti difficultate quærimus, vtrum directè tantùm reseruari possit absolutio à censura, indirectè verò, & consequenter à peccato ipso, cum peccatum non possit absolui, nisi pręmissa absolutione ab excommunicatione: an verò directè etiam reseruari possit absolutio culpæ, itaut ab alio fieri non possit, quàm ab eo, qui reseruauit.

Huic dubitationi occasionem præbet Durandus in 4. dist. 17. quæst. 15., quo loco ait consuetudinem Romanæ Ecclesiæ esse reseruare censuram, non culpam, nisi ratione censuræ; alios verò Episcopos non tantùm censuras, sed etiam ipsorum peccatorum absolutionem sæpissime sibi reseruare, in quo ait illos non imitari EcclesiamRomanam.

9 Resp. certum hoc esse, tam Summum Pontificem, quàm alios Prælatos, quos diximus habere potestatem reseruandi, posse sibi non tantùm censuras, sed etiā culpas peccatorum reseruare, nec tantùm eas, quę censuram habent adnexā; sed etiam eas, quæ nullam habent. Probatur hoc ex ipso vsu Episcoporum, ac Religionum reseruantium sibi casus plerosq; quibus nulla est adnexa censura. Tum verò etiam probatur ijs rationibus, & auctoritatibus, quibus superiùs probauimus adesse in Ecclesia Dei potestatem reseruandi.

10 Vtrum verò de facto Summus Pontifex reseruet sibi tantùm censuras, non

verò peccata, ita vt eius reseruatio sit tantùm pro exteriori foro, non verò pro interiori. Resp. si consideretur Ecclesia Romana quatenus est particularis Diœcesis, cuius proprius, & immediatus Episcopus est Papa, fortasse adesse etiam ibi aliqua peccata specialia illius Episcopatus, quæ sunt reseruata absque vlla censura. Quod si Ecclesia Romana cōsideretur quatenus est vniuersalis, in qua supremus ouium Pastor est Papa, dico de facto quidem verum esse, quòd nullius criminis absolutio sit reseruata Papæ, quæ non habeat adnexam excommunicationem, vt docet Caiet. in summa v. casus Nau. in summa cap. 27. titulo de casibus reseruatis nu. 254. tamen per reseruationes Pontificias non tantùm censuras ipsas, sed etiam culpas peccatorum reseruari. Ita communior sententia Theologorum ex Suar. disp. 29. de pœn. sect. 2. num. 8. Vasq. quæst. 91. art. 3. dubio 1. num. 15. De Lugo disp. 20. de pœn. sect. 2. n 26. & de Sacram. Euchar. disp. 14. sect. 5. nu. 105. qui bene infert Sacerdotem affectum casu Papali, supposita necessitate celebrandi (idemq; dicendum de laico in casu necessitatis cōmunicandi) nec teneri, nec posse inferiori Sacerdoti casum illum confiteri in ordine ad directam absolutionem, eo quòd reseruatio cadat immediate supra censuram, & supra peccatum. Quoties autem diceremus solam censuram esse reseruatam, teneremur dicere, Sacerdotem hunc, lapsum in peccatum hæresis v. g. in casu necessitatis ad celebrandam, nec habentem copiam Superioris, teneri inferiori peccatum illud hæresis aperire; quia licet ab excommunicatione non posset absolui, absolueretur tamen directe ab ipso peccato, quod secundum se non esset reseruatum, & sic pro absolutione à peccato non teneretur amplius recurrere ad Superiorem, sed solùm pro absolutione à censura, eo quod si non censura, saltem peccatum ipsum hæresis fuisset materia directa huius confessionis, quod est falsum.

Verum tamen est, quòd Papa concedendo facultatem absoluendi à censuris, dicitur etiam concedere facultatem absoluendi à culpa, & ė conuerso, cum facultas ea vnico verbo dici soleat facultas absoluendi à casibus reseruatis Pontifici. Quinimmò ex Caiet. in summa v. casus addit Nau. cit. post sublationem legitimam censuræ, peccatum desinere esse reseruatum, & consequenter posse à simplici Confessario absolui; nisi fortè cum reseruatione censuræ Papalis concurreret etiam Episcopalis, qua Episcopus reseruaret sibi peccatū, ob quod illa censura esset apposita.

DIFFICVLTAS VI.
De quibus nam peccatis sit reseruatio.

11 *Reseruatio propriè est de solis peccatis mortalibus.*
12 *Si furtum sit reseruatum de quo nam furto sit intelligenda reseruatio.*
13 *Si sit reseruata simonia.*
14 *Si locutio cum Moniali sit reseruata, vtrum qualibet etiam modica, & quæ nam talis esset dicenda.*
15 *Vtrum quæ causa excusat à culpa mortali, eadem etiam excuset à reseruatione.*
16 *Si inobedientia sit reseruata, de qua inobedientia intelligenda sit reseruatio.*

11 RESp. reseruationem propriè esse tantùm de peccatis mortalibus. Hoc patet ex Concilio Trid. Sess. 14. cap. 7. cit. dum habet [magnopere ad Christiani Populi disciplinam spectare, si atrociora, & grauiora crimina

 non

non ad quosuis, sed ad summos dumtaxat Sacerdotes deferantur.] Et hoc verum est: nam periculosiores morbi peritiore medico indigent;& difficiliores causæ versatissimum Patronum requirunt: Et Hyppocratis aphorismus est, extremis morbis, extrema etiam,& exquisita remedia esse adhibenda. Vnde dixit Deus Exodi 18.[maiores, & difficiliores quæstiones referetis ad Moysen.] Quare si Concilium Trid. dicit atrociora crimina ea esse, quæ reseruanda sunt: porrò patet mortalia tantùm esse, quæ reseruantur, cùm grauiora delicta sint mortalia. Tum verò patet ex fine: nam hæc reseruatio fuit inuecta ob commune bonum fidelium: Si autem reseruarentur alia, quàm mortalia, ea cederet in grauamen intolerabile, & perniciosum. Ita Suar. disp. sup. cit. sect. 3. Graffius lib. 1. cap. 2. num. 2. Bellochius p. 1. quæst. 1. num. 25. Floronus p. 1. cap. 1. num. 15.

Dices, sequeretur Ecclesiam posse reseruare omnia peccata mortalia: sed omnia mortalia non potest, vt habet Reg. lib. 1. de pœn. num. 127., ergo ea tantùm peccata mortalia possunt reseruari, quæ specialem malitiam,& grauitatem continent. Minor probatur, quia reseruatio hæc non cederet in ædificationem, sed in destructionem Ecclesiæ: nec esset vsus, sed abusus potestatis.

Resp. verè reseruanda tantū ea peccata esse quę includunt specialem malitiam, & grauitatem; non tamen ex hoc sequi, quòd omnia possint reseruari, quia hoc non esset reseruare, sed negare iurisdictionem, quo modo Ecclesia se habet circa simplices Sacerdotes, quibus iurisdictionem tantùm concedit à venialibus absoluendi, & a mortalibus alias confessis; reseruatio enim supponit aliquam iurisdictionem, licet limitatam. Ad argumentum ergo in forma, resp. negando maiorem: vel enim Pontifex reseruando omnia mortalia, ita illa reseruat, vt aliquibus tantùm concedat iurisdictionem ab ijs absoluendi: & hoc non est propriè reseruare, vt diximus, sed alteri iurisdictionem dare, alteri verò negare: vel ita reseruat omnia mortalia, vt nulli concedat facultatem absoluendi: & hoc item nō est propriè reseruare, sed non facultatem dare: quod facere quidem potest Pontifex, si respiciamus eius absolutam potestatem; si tamen faceret, hoc esset contra rationem sui muneris, & contra voluntatem, immò in perniciem animarum. Diuisiuè ergo omnia mortalia reseruari possunt, si propriè loquamur, non tamen collectiuè; idest singula seorsim, non tamen omnia simul.

12 Ex quibus sequitur primò. Si Episcopus reseruaret furtum, talem reseruationem intelligendam esse de furto mortali,& in tanta quantitate, quæ ad grauem culpam perueniret. Vnde, qui rem minimam furaretur, non incideret in casum reseruatum. Ita Bellochius loco cit. num. 26. Graffius in sua practica lib. 1. cap. 4. num. 17.

Quoniam autem de casibus reseruatis hæc tractatio est, addam hoc loco pauca, quæ ex doctissimo de Lugo hausi to. 1. de iust. & iure disp. 16 sect. 1. nu. 4. Si reseruatum furtum esset, prout inter casus, qui ab omnibus Regularibus Prælatis reseruari possunt, continetur in decreto Clementis VIII. de casibus reseruatis pro Regularibus, sub hac eadem reseruatione comprehendi raptum, seu rei alienæ vsurpationem, palam, & cum violentia factam. Et ratio est, quia vsurpatio hæc retinet veram, & propriā malitiam furti, licet superaddat malitiam rapinæ. Sicuti iniusta vsurpatio rei Sacræ est proprie furtum, licet superaddat malitiam sacrilegij.

Pariter

Pariter ligari hac reseruatione furti detentorem iniustum rei alienæ, v. g. si vestem alienam bona fide accepisti, & postea superueniente mala fide, adhuc illam iniuste retines, retinendo diceris illã furari, & retentio hæc iniusta dicitur furtum, & sic incidis in reseruationẽ.

Dices. Ergo si vestem bona fide quis accepisset, & consumpsisset, & in aliquo factus esset ditior, superueniente mala fide, & restitutionem differendo eius in quo factus esset ditior, incideret in hunc casum, verè enim diceretur iniustus detentor.

Resp. tamen cum eodem de Lugo, hunc non ligatum iri hac reseruatione. Et ratio est quia omissio hæc restitutionis debitæ non videtur esse furtum, neque enim alienum aliquid sibi iniustè vsurpasset, neq; aliquid furtiuum retineret, quorum alterum requiritur ad denominationem furti; sed iste diceretur tantum omittere solutionem debiti. Ac sicuti omittens solutionem rei debitæ ex contractu non incidit in reseruationem furti: sic neq; dicendus est incidere ille, qui omittit soluere id quod debet ex delicto.

Sic nomine furti reseruati non veniret sola damnificatio. v. g. combussit quis segetes alienas, aut alienam syluam, libros, aut vestes. Et ratio est, quia actio hęc non esset furtum, sed mera damnificatio: Neq; enim hic interueniret vsurpatio, aut iniusta detentio rei alienæ. Hinc est, vt bene doceat Less. cap. 12. dub. 6. num. 34. Si talis ferretur excommunicatio, Quicumq; rem notabilem furatus fuerit, ipso facto sit excommunicatus, non ligatum iri hac censura eum, qui sutori surripiat secas, vel sartori acum, vnde illis damnum notabile sequatur. Et rationem affert, quia actio hæc non esset mortalis in specie furti.

Secus tamen esset, si quis cibos alienos comederet in notabili quantitate; hic enim verè diceretur fur, & incideret in casum, quia hic verè interueniret iniusta vsurpatio rei alienæ, & applicatio ad proprium vsum, quod non accideret, si cibos alienos non comederet, sed tantùm combureret.

Pari modo incideret in casum, qui rem alienam, puta gemmam, aut librũ acciperet, & postmodum in flumẽ projiceret; aut qui alienum equum è stabulo eriperet, & postmodum occideret, quia in his & similibus casibus non adesset mera damnificatio, sed priùs interueniret acceptio, & vsurpatio rei alienæ, & postea destructio.

Similiter incideret in casum is, qui rem alienam acciperet, licet ille à quo eam acciperet non haberet verum dominium, sed solam legitimam possessionem. Et ratio est, quia actio hæc esset verè furtum. Sic qui furatur pignus à creditore; qui furatur librum Commodatario; Religiosus furans librum ab altero Religioso, qui eum ex voluntate Prælati habebat, verum furtum dicitur committere.

13 Secundò sequitur, si reseruata sit simonia, diuersimodè pro diuersa Doctorum opinione esse sentiendum. Si enim cum veriore sententia, quam sustinent Suar. to. 1. de relig. lib. 4. de simonia cap. 3. nu. 5. Filliucius in appendice posthuma tract. 45. cap. 1. quæsito 6. Graffius sup. cit. nu. 18. Sanch. in sum. to. 1. lib. 1. cap. 4. nu. 1. Castrus Palaus to. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 7. & alij, dicamus non dari minimum in simonia, eo modo quo nõ datur in blasphemia: dicendum nobis erit, eum, qui vendat parum aquæ benedictæ; vel minimum cereum Agnum; vel Orationem angelicam, ligatum iri hac reseruatione. Quod si in peccato simoniæ concedamus materiæ paruitatem,

tem,

tem, vt probabiliter putat Antoninus Diana par.5.tract.5.resol.2.qui pro hac sententia citat Molinam, Reginaldum, & Iacobum Gordonum, tunc sub hac reseruatione non nisi ea simonia comprehendetur, quæ sit mortalis.

14 Tertiò, si reseruata esset locutio cum Moniali sine licentia, & quis per viam transeundo Monialem aliquam tantùm salutaret, vel salutanti responderet: vel certè illam de statu suo interrogaret, vel interrogatus breuiter responderet, non incurrere in casum reseruatum, neq; in excommunicationem, si quæ esset lata contra alloquentes Moniales. Ita Graffius lib.4. decisionum cap.8. num. 5. Finellius de casibus reseruatis cap.5. num. 10. Floronus loco sup.cit.num.19. & cap.eodem §.1. num. 5.

15 Quartò, etiamsi peccatum aliquod mortale, puta homicidium sit reseruatum, quoties tamen ab illius commissione quis excusetur, excusari etiam à reseruatione. Vnde si nullam dedisset homicidio causam, & ebrius quispiam, vel dormiens aliquem inculpabiliter occidisset: quia in tali casu excusaretur à culpa ob defectum integri iudicij, quod requiritur ad culpam mortalem, inde est vt excusaretur etiam à reseruatione: nullum enim peccatum reseruatum alicubi est, si illud mortale non sit. Idemq; dicendum de blasphemia, vel alio peccato simili, videlicet si reseruata sit blasphemia Episcopo, & aliquis animo perturbatus, absq; eò quòd aduerteret ad verba prolata prorupisset in blasphemiam, hunc excusari à reseruatione, ex eò quòd inaduertentia illum liberet à culpa. Ità Bellochius cit. Graffius cit. num. 20.

16 Quintò, si in aliqua Religione reseruatum sit peccatum inobedientiæ, reseruationem hanc intelligendam de inobedientia, quæ sit peccatum mortale. Quinimo addit Sanchez lib.6. in Decalog. cap.4. nu. 72. reseruationem hanc intelligendam tantum esse de ea inobedientia, quæ sit mortàlis contra virtutem obedientiæ; secus vero si esset mortalis ex alia causa, puta propter contemptum, vel propter aliam circumstantiam extrinsecam mali finis. Ad clariorem autem intelligentiam apponam ipsissima verba Doctoris [*Quando in aliqua Religione reseruatur peccatum inobedientiæ, aut peccatum contra votum obedientiæ, non censetur reseruata inobedientia, quæ non est mortalis contra virtutem obedientiæ, aut contra votum, quæ respiciunt præceptum Superioris obligantis ad mortale, vt quando præcipit in virtute obedientię, vel alio simili modo: quod si esset peccatum mortale per accidens, nempe propter contemptum, vel propter aliam circumstantiam extrinsecam mali finis, non censeretur peccatum illud comprehensum in reseruatione, quia non est inobedientia, nec directè repugnat voto obedientiæ*] Hucusq; Sanch.

Ex qua doctrina inferre possemus, si superior præcipiat aliquid subdito, sed non sub præcepto obedientiæ, etiãsi subditus non obediat, quinimo clare dicat, Nolo parere, adhuc tamen non incidere in reseruationem & ratio est quia esto peccatum hoc esset mortale, non tamen esset mortale contra virtutem obedientiæ, quia non præcederet pręceptum obedientię. Hoc ergo peccatum mortale quidem esse posset ratione contemptus, & irreuerentię contra Superiorem, vt Superior est, & per consequens contra eius dignitatem; non tamen esset mortale contra virtutem obedientiæ. Et hòc veriùs sustineri posset in casu quo præcipiens non posset obligare sub mortali, tunc enim licet subditus peccaret grauiter respondendo

dendo, Nolo parere, peccatum tamen hoc non esset mortale ex inobedientia, sed ob contemptum ipsius Superioris: ac si in hoc casu peccatum hoc non esset reseruatum, quia non esset formaliter contra virtutem obedientiæ, idem sustineri posse videtur in casu, quo Superior posit quidem suo pręcepto obedientiæ obligare, sub mortali, sed de facto ita non præcipiat; quia Superior iste dum obedientiæ præceptum non iniungit, quod tamen iniungere posset, videtur eodem modo se habere, ac si nullam haberet auctoritatem obligandi sub mortali.

Sic si Monialibus esset reseruata inobedientia, & Abbatissæ aliquid præcipienti responderet Monialis, Nolo parere, retenta sententia, quam docent Sanch. in sum. tom. 2. lib. 6. cap. 1. n. 21. Pellizarius de Monialibus cap. 4. sect. 3. n. 109. Antonin. Diana p. 5. tract. 9. resol. 16. & alij apud ipsos, quod, videlicet, Abbatissa non posit suis Monialibus facere præcepta in virtute obedientiæ obligantia sub mortali, ex eo quod pręcepta prædicta imponere spectet ad solos Prælatos Ecclesiasticos spirituali potestate præditos, quæ fęminę nullo modo potest competere: retenta inquam hac sententia, si Abbatissæ etiam præcipienti in virtutæ Sanctæ obedientiæ Monialis responderet, Nolo parere, non incideret in reseruationem, quia inobedientia hæc dato etiam, quod esset mortalis, non tamen talis esset ex oppositione ad virtutem obedientiæ; intelligenda ergo hæc reseruatio esset de inobedientia erga illarum Prælatum. Contrarium tamen in casu superiore de Religioso docet doctissimus & Eminentis. de Lugo de Sacram. pœnit. disp. 20. sect. 4. num. 49. quo loco explicans casum hunc, Vtrum quando in Religione reseruatur peccatum inobedientiæ expressæ, qua quis dicit, se nolle parere, requiratur præceptum obedientiæ ad incurrendam reseruationem, apertè docet, actum formalis, & lęthalis inobedientię committi à subdito, qui tali modò superiori respondeat, etiamsi sub præcepto non imperet. Verum mihi sententia Sanchez videtur satis probabilis, ex regula illa generali, quod reseruatio est strictè interpretanda, ac sicut filius, si Patri imperanti ita respondeat, Nolo parere, potius peccat contra virtutem reuerentiæ Patri debitam, quàm contra virtutem obedientiæ; ita subditus quando superiori imperanti absq; præcepto obedientiæ ita respondet, videtur potius peccare contra reuerentiam & honorem superiori debitum, quàm contra obedientiam: & sicuti contemptus Patris non est formaliter inobedientia contra Patrem; ita contemptus superioris præcipientis non est formaliter inobedientia contra superiorem. Quod si dicas, Patrem non posse obligare sub mortali ad actum obedientiæ; Superiorem verò posse; respondeo Superiorem non censeri obligare sub mortali, quando non addit præceptum obedientiæ.

DIFFICVLTAS VII.

An peccata mortalia interna possint reseruari.

17 *De facto reseruatio est de solis externis.*
18 *Interna per potentiam absolutam possunt reseruari.*
19 *Si hæresis sit reseruata, intelligi debet reseruatio de externa, nisi expressis verbis contrarium declaretur.*
20 *Qualis actio externa requiratur ad reseruationem.*
21 *Ad censuram latam contra hæreticos non satis est hæresis interna.*

Reseruatio

21 *Reseruatio lata contra peccatum carnis an comprahendat visum venereum.*

23 *Ad censuram latam contra percussores Clerici an sufficiat percussio venialis.*

17 RESp. 1. ea peccata, quæ consueuerunt reseruari, sicuti sunt mortalia, ita etiam esse externa. Ita Graffius in sua practica lib. 1. c. 4. reg. 3. num. 6. Suar. de pœn. disp. 29. sect. 3. nu. 3. Bellochius p. 1. q. 1. nu. 4. Floronus p. 1. cap. 1. nu. 25. Reg. lib. 1. nu. 128. Conincus disp. 8. dubio 11., & alij plures, quos ipsi citant. Ratio autem est, quia reseruatio hæc potiùs vergeret in graue damnum, ac detrimentum, quàm in vtilitatem; in maximis enim ponerentur angustijs Fideles si peccata etiã interna reseruarentur, ac singulis pene momentis accedere deberent ad Superiores. Tum quia multa dubia inde orirentur, eaque grauissima, & inextricabilia, facta hac internorum peccatorum reseruatione.

Vnde est, vt si adulterium sit reseruatum intelligatur de externo, & consummato. Pariter cum hæresis sit Papæ reseruata, reseruatio hæc sit intelligenda de hæresi, quæ verbo, vel signo, vel scripto, vel aliquo modo manifestetur, non autem de ea, quæ sit mere mentalis, à qua per quemlibet Sacerdotem absolui posse pœnitentem asserunt Ang. in summa v. hęreticus nu. 2. Caiet. in summa v. hæresis in fine Nau. in summa cap. 11. num. 22. Iulius Clar. in sua practica lib. 5. §. hæresis num. 23. Henrinq. lib. 6. de pœn. cap. 14. num. 6. Azor tomo 1. institutionum moralium lib. 8. cap. 10. quæst. 3. Sanch. in summa lib. 2. cap. 8. num. 2. Flor. de casibus reseruatis p. 1. cap. 1. §. 3. num. 4., & alji apud ipsos.

18 Resp. 2. si loquamur de potentia absoluta, etiam peccata interna posse reseruari. Ita Suar. Conin. Reg. Graff. Flor. pro prima resp. citati Sanch. in sum. lib. 2. cap. 8 n. 4. Cardinalis de Lugo disp. 20. de pœn. sect. 2. n. 13. quibus addo Vasq. quæst. 91. de pœn. dubio 3. ac demum eos omnes, qui concedunt Ecclesiam posse præcipere actus omninò internos: ij enim à fortiori tenentur hanc sententiã concedere, quales sunt Adrianus quodlibeto 8. articulo 1. littera H. & I. Med. cod. de Oratione quæst. 15. Albertus Pighius lib. 6. Hyerarchię Ecclesiasticæ cap. 16. circa medium. Ratio verò est, quia iurisdictio hæc tam supra externa, quàm supra interna communicatur inferioribus per Superiores; ergo sicuti possunt illam cõcedere, ita etiam limitare. Quare si Summus Pontifex vellet sibi reseruare consensum voluntatis in hæresim, reseruatio teneret, si diceret, nolo vt quispiam absoluere possit ab hæresi, etiam si mente tantùm sit concepta; per hæc enim verba ex eo quòd intelligeretur inferioribus Sacerdotibus limitata iurisdictio, ita vt ad mentalem hæresim non extenderetur, porrò hæc intelligeretur reseruata. Addit verò cum Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Reg. cit. Superiorem eum, qui interna peccata reseruaret peccaturum mortaliter, ex eò quò peccata cordis sint, & frequentissima, & occultissima, ita vt homo vix posit aliquãdo discernere, vtrum consenserit, nec ne: vt proinde cogere pęnitentem, vt in talibus dubijs semper ad Superiorem recurrat, videatur onus intolerabile.

19 Verùm, hoc non obstante, nonnulli Prælati teste Suario cæperunt sibi reseruare peccata interna, maximè verò hæresim mentalem. Quod factum licet aliqui viri docti non probent, quia videatur alienum ab Ecclesiæ consuetudine: Ego tamen expressè non damnauerim,

nauerim, sed dixerim tantùm, reseruationem hanc non esse consulendam, vt bene Sanch. in sum. lib. 2. cap. 8. num. 4. quo loco addit, licet peccatum hęresis, aut alia quæcunque enormissima a Pręlato reseruentur, nullo modo censeri reseruata peccata mere interna, nisi expræmissis verbis declaretur peccata huiusmodi interna sub reseruatione compræhendi.

Obijcies 1. Ecclesia non potest propter peccata interna censuras imponere; ergo non potest illa reseruare.

Resp. cum Suario loco cit. concesso antecedente negandam esse consequentiam; Ecclesia enim non potest imponere censuras propter interna peccata, quia censura est pęna pertinens ad iurisdictionem fori contentiosi, quæ nullo modo extenditur ad actus internos; reseruatio verò non est pęna, sed tantùm limitatio iurisdictionis fori pęnitentialis, quę per se cadit etiam in actus internos.

Obijcies 2. Ecclesia non iudicat de peccatis internis; ergo non potest ea reseruare.

Resp. verum quidem esse, quod Ecclesia in foro exteriore nihil potest circa peccata interna; vnde nec potest illa specialiter prohibere, nec punire; tamē in foro interno habet iurisdictionem, vt de illis iudicium ferat: eò etiam maximè, quòd pænitens teneatur iure Diuino illa deferre ad hoc iudicium, & in eo esse accusator sui ipsius, & testis cōtra se. Vnde est, vt Ecclesia possit iudicium de his peccatis internis committere designatis quibusdam iudicibus, ita vt hi tantùm possint ab ijs absoluere, & non alij.

20 Aduertendum tamen non quamcunq; actionem externam sufficere sed talem requiri, quæ etiam ipsa habeat suam grauitatem. Sic si reseruata esset percussio, non incideret in casum is, qui leuiter, licet ex intentione mala, & grauissimo odio alterum percuteret, & ratio est, quia sicut sola voluntas interna non reseruatur, ita nec quando non procedit in actum externum habentem ex se grauem malitiam & indecentiam. Pariter si reseruatum esset peccatum contra castitatem, non illico incideret is, qui ex intentione mortali, & graui contra castitatem mulierem vellicaret, aut illi verbum aliquod turpe ex se leue diceret, vel aliquam aliam actionem externam ex se leuem exerceret. Et ratio est allata, quia cū actio vel materia exterior est leuis, quamuis ex prauitate intentionis sit mortalis non sufficit ad reseruationem. Ita Cardinalis de Lugo cit. nu. 15.

21 Sic ad incurrendam excommunicationem latam contra hæreticos non satis esse hæresim internam docet verior opinio, sed per actum aliquem exteriorem, puta verbo, signo, aut facto debere esse manifestam; ita tamen vt actus ille exterior, qui hæresim manifestat sit de se malus & mortalis non per solam relationem ad actum internum, sed etiā secundum operis externi quantitatem, vt bene Sanch. in sum. lib. 2. cap. 8. n. 7.

22 Sic si reseruatum esset peccatum carnis contra castitatem, sub hac reseruatione non compræhenditur visus, ornatus &c. procedentes ex affectu interno venereo, eo quod censuræ, & reseruationes de ijs peccatis intelligantur, quæ non sola relatione ad consensum internum, sed secundum quantitatem operis externi certò constet esse mortalia. Ita cum Henriq. Diana p. 4. tract. 4. resol. 163. incusans Turrianum, qui sententiam nostram neque probabilem, neque tutam appellat.

23 Sic ad incurrendam excommunicationem

tionem percussionis Clerici non sufficere percussionem leuem, quæ in se venialis sit, licet mortalis ob prauum percutientis animum, docet idem Sanch. cit. noster Bonac. disp. 2. de censuris extra Bullam Cœnę q. 3. p. 6. §. 1. nu. 4. Antonin. Diana p. 5. tract. 5. de paruitate materiæ resol. 65. qui pro hac sententia citat Portel in dubijs Regular. v. excommunicatio num. 11.

DIFFICVLTAS VIII.
An peccata venialia possint reseruari.

24 *Quotupliciter peccata venialia possint reseruari.*
25 *Venialia possunt reseruari.*
26 *Vtrum reseruatio hæc induceret obligationem illa confitendi.*
27 *Vtrum expediat venialia reseruare.*
28 *Vtrum mortalia aliàs confessa possint reseruari.*

HVic difficultati respondent aliqui dicendo peccata venialia non esse materiam aptã reseruationis, proindeq; nec posse reseruari. Ita Vasq. quæst. 91. de pęn. dubio 2. Reg. lib. 1. num. 126. Graff. in sua practica lib. 1. cap. 4. num. 17. & hanc sententiam sustinere tenentur ij, qui sentiunt ad absoluendum ab his peccatis non esse necessariam iurisdictionem, vt Soto dist. 18. quæst. 4. art. 2. ad secundum, & alij asserentes facultatem absoluendi à peccatis venialibus esse datam omnibus Sacerdotibus iure Diuino, quos retuli in tractatu de pęn. dubit. 25. quæsito 5. Multiplex autem horũ Doctorum fundamentum est. Alij enim existimant venialia ideo non posse reseruari, quia non sunt materia necessaria confessionis. Vasq. verò ea potissimum ratione nititur, quòd nimirum putet Sacerdotem quemlibet in ipsa Ordinatione accipere potestatem, vi cuius possit absq; vlla alia potestate illico absoluere à venialibus, vt proinde ea nõ possint à Superiore reseruari, cum ordinis potestas ab eo non pendeat. Quinimmò addit, etiamsi concedatur præter potestatem ordinis, necessariam etiam esse potestatem iurisdictionis; adhuc tamen dicendum esse, quòd venialia non possint reseruari, quia, vt inquit ipse, non quælibet negatio iurisdictionis dicẽda est reseruatio, sed ea tantùm, per quam Superior sibi reseruat iudicium de aliquo peccato, vt vi illius teneatur pęnitens coram reseruante comparere. Atqui Superior non potest ita reseruare sibi iudicium de venialibus, vt pro eorum absolutione teneatur pęnitens coram illo comparere, cum ad eorum confessionem non possit obligari; Ergo non potest illa reseruare.

24 Pro responsione notandum primò, dupliciter posse peccata venialia reseruari. Primò, itaut non solùm sint reseruata, sed etiam prohibita, & quidem sub graui pęna, quomodo prohibetur locutio cum Monialibus. Regularibus verò quandoquè prohibetur scriptio litterarum inscio Superiore, ingressus in cubiculum alterius, fractio silentij, & similia. Secundò, ita vt tantùm sint reseruata, & reseruationi nulla sit sub graui peccato addita prohibitio.

Notandum 2. peccata venialia, quæ hoc posteriore modo iam dicto reseruantur dupliciter adhuc posse reseruari. Primò, ita vt reseruatio inducat obligationem illa confitendi tali, vel tali Confessori, & sic non possit absolui pęnitens, nisi illa confiteatur. Secundò, ita vt non inducat obligationem absolutam, sed tantùm condicionatam, idest obligationem suppositionis, quòd nimirùm, si illa velit confiteri, teneatur eadem

dem confiteri huic, vel illi Confessario tantùm.

25 Resp. ergo primò, si loquamur de primo modo in primo notando posito, certum esse peccata venialia posse reseruari. Hoc patet ex allatis exemplis, & similibus. Quinimmò etiam reseruari hoc modo possunt ea, quę non sunt peccata, vt patet in citatis exemplis: non enim locutio cum Moniali de se est peccatum, neque veniale, & tamen ea potest reseruari ex iusta causa, & ob periculum emergens quod potest esse graue. Sed in hoc sensu non dicitur propriè peccatum veniale reseruari, sed reseruari id quod de se est materia venialis, quæ fit mortalis addita prohibitione; quædam enim ideò peccata sunt quia prohibita. Ita Flor. p. 1. de casibus reseruatis cap. 1. § 1. num. 2.

Resp. 2. si nulla reseruationi sit addita prohibitio, quæ obliget sub mortali, non posse peccata venialia reseruari cũ obligatione illa confitendi. Hoc sentiunt Auctores sup. cit. quibus accedit Suar. disp. 29. de pœn. sect. 3. Miranda tomo 2. q. 34 art. 4. Marcellus Megalus in instruct. Confessorum p. 1. lib. 1. c. 11. num. 11. Bellochius de casibus reseruatis p. 1. quæst. 1. num. 36. & hoc pendet ex dictis à nobis in tractatu de pœn. quo loco vna cum Paludano dist. 17. q. 2. art. 4. Siluestro v. confessio 1. quæsito 13. Soto dist. 18. p. 1. art. 3. circa finem. Suar. de pœn. disp. 22. sect. 8. num. 2. asseruimus Ecclesiam non posse directè obligare fideles quò ad specificationē actus ad confessionem venialium, ita vt eam exigat, vt confessio integrè, & perfectè fiat, etiamsi fortè pœnitens haberet conscientiam peccatorum mortalium, de quibus posset confiteri.

26 Resp. 3. posse à Superiore peccata venialia reseruari, itaut reseruatio hæc nõ iam inducat obligationem absolutam illa confitendi, sed tantùm condicionatam, & suppositionis: quòd nimirum quoties illa voluerit confiteri, ea confiteatur Sacerdoti ad id approbato. Et ratio est, quia ad sacramentalem absolutionem, etiam à venialibus, requiritur iurisdictio, quam esse delegatam, & ab Ecclesia concessam sustineo cũ Suar. de pœn. disp. 26. sect. 5. num. 9. Conin. disp. 8. dubio 2. num. 17. Ergo eam potest pro libito, vel concedere, vel negare, vel etiam limitare prout voluerit; nulla enim afferri potest ratio, quare hoc non possit fieri, cum iurisdictionis huiusce collatio tota pendeat à voluntate concedentis. Sic posset Superior reseruare excõmunicationem minorē, quæ tamen contrahitur per participationem, quæ potest esse tantùm peccatum veniale, puta quando quis communicat cum excommunicato vitando in cibo, potu, osculo salutatione, aut alijs negotijs ciuilibus. Ita Suar. disp. 29. de pœn. sect. 3. num. 1. Conin. disp. 8. dubio 11. num. 80. asserens hoc saltem verum esse de Pontifice, qui cum possit efficere, vt aliquis Sacerdos à nullo omnino peccato possit absoluere, poterit etiam efficere, vt non possit ab aliquibus absoluere. Cęterùm si de alijs Prælatis loquamur, porro ij videntur non posse sibi reseruare peccata venialia. Et ratio est, quia cum quilibet Sacerdos nulla censura impeditus ex generali concessione Ecclesiæ habeat iurisdictionem in omnia peccata venialia, potestas hæc videtur non posse restringi à particularibus Prælatis, qui communem Ecclesiæ concessionem non possunt limitare.

Ex quibus manet solutum argumentum aduersariorum asserentium materiam reseruationis esse non posse, quæ non est materia necessaria Cõfessionis. Si enim ita intelligant, quòd eò vsq; nõ possint reseruari venialia, vt ea teneamur

mur cōfiteri; hoc verum est; Cùm enim per venialia à gratia Dei non excludamur, vt ait Concilium Trid. Sess. 14. c. 5. inde est, vt semper taceri citra culpam possint. Sin autem illud sentiant, quòd nullo modo possint ea reseruari, neque indirectè, & ex suppositione, ita vt ex suppositione, quòd illa velimus confiteri, illa tantùm confiteri possimus huic, vel illi Sacerdoti; hoc est falsum: cùm enim ad illorum Sacramentalem absolutionem requiratur iurisdictio, vt suppono, potest Ecclesia iurisdictionem hanc alteri concedere, alteri verò denegare. Quare licet illorum confessionem non possit Ecclesia reseruare, potest tamen illorum Sacramentalem absolutionem. Et ex his patet responsio ad fundamentum Vasq.

27 Verum quidem est, inutilem futurā hanc reseruationem, quia à pœnitentibus posset eludi venialia non confitendo: vel certè, etiamsi pœnitens cum peccatis mortalibus aliqua venialia fuisset confessus: adhuc tamen cogere posset Confessarium ad absolutionem impendendam pro mortalibus, quod satis illi esset, cùm non teneatur venialia confiteri: cęterùm hinc non sequitur Ecclesiam non posse hæc peccata reseruare: aliud enim est quærere, vtrum licita foret talis reseruatio; aliud verò vtrum valida.

28 Quòd autem diximus de peccatis venialibus, idem planè dicendum est de mortalibus alias confessis: hæc enim sicuti non tenemur de nouo confiteri, dato quòd fuerint absolutè, & per se remissa, ita nec reseruari possunt, ita vt ad ea de nouo confitenda obligemur; proinde ergo reseruari tantùm poterunt modo dicto de venialibus. Ita Suar. proximè citatus. Cardinalis de Lugo disp. 20. de Sacram. pœnit. sect. 2. nu. 12. & 13.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrum qui dubitat aliquod peccatum esse reseruatum teneatur superiorem adire, vt ab illo absoluatur.

29 *Confessarius dubitans de sua iurisdictione non potest à reseruatis absoluere.*
30 *Peccatum in dubio nō est reseruatum.*
31 *Reijcitur quædam limitatio Sanchez.*
32 *Dubitans de homicidio commisso non incidit in casum reseruatum.*
33 *In dubio vtrum percussio Clerici sit leuis, vel grauis, an sit reseruata, & qualis sit iudicanda.*
34 *Cui sit commissum hoc iudicium.*
35 *Quando dubitatur an casus egeat dispensatione, an hæc sit petenda.*
36 *In dubio reseruationis voti, an votum sit reseruatum.*

DVo in hac difficultate quærentur, Primum erit ex parte Confessarij, puta an Confessarius, qui dubitat de iurisdictione supra reseruata, possit ab illis absoluere. Alterum verò ex parte Pœnitentis, nimirum an Pœnitens, qui dubitat se habere peccatum aliquod reseruatum, teneatur illud cōfiteri approbato pro reseruatis: vt si quispiam dubitet, an Deum blasphemauerit [blasphemia enim in Deum in nostra Diœcesi est reseruata] vel si dubitet, an compleuerit actum externum sodomiæ, aut incestus in secundo, vel primo gradu, in quem est lata reseruatio.

29 Quoad primum, respondeo Confessarium illum, qui verè dubitet de sua iurisdictione non posse à reseruatis absoluere. Et ratio est, quia exponit se periculo impendendi inualidam absolutionem; fieri enim potest, vt verè careat

reat iurisdictione. Tum quia possessio stat pro peccato, quod constat esse reseruatum. Quare Confessarius ille, qui verè ita anxius maneret & anceps, vt semper dubitaret, an facultatem absoluendi a reseruatis haberet, toties peccaret, quoties absolueret: nisi fortè adesset iusta causa, qua concurrente posset indirectè ab illis absoluere. Sic in simili casu docet Nau. in cap. si quis autem, de pœn. dist. 7. nu 270. peccare Iudicem, qui in dubio fert sententiam, antequam dubietatem animi deponat. Chapeau. de cas. reseru. cap. 6. q. vnica in fine. Belloch. de cas. reseru. p. 1. quęst. 2. num. 11.

Dixi, qui verè dubitat. Nam si Sacerdos opinetur tantùm, idest opinionem sequatur probabilem, quod sufficientem habeat iurisdictionem: tunc potest absoluere, etiamsi pro contraria parte opinionem item probabilem habeat. Et ratio est, quia in Casu opinionis probabilis Ecclesia supplet iurisdictionem; sicuti eandem supplet in casu tituli colorati, & erroris communis. Vt bene Conin. disp. 8. dub. 3. n. 22 Less. lib. 2. cap. 29. dub. 8. Sanch. lib. 3. de matrim. per totam disputationem 22. Regin. lib. 1. num 102. & 103. Henriq. lib. 2. cap. 14. num 3. & 4. & alij apud ipsos. Quod verum est, etiamsi probabilius putaret se debita iurisdictione carere; licitum enim est sequi opinionem probabilem, relicta etiam probabiliore. Vt bene Sanch. in sum. lib. 1 cap. 9. nu. 13. & sequent.

Quoad secundum, respondent aliqui dicentes casum reseruatum in dubio habendum esse pro reseruato, & sic adeundum esse superiorem gratia absolutionis obtinendæ. Ita Armil. enim casus nu. 13. Frias tract. de modo audiendi confessiones p. 2. cap. 8. casu 2.

30 Ego verò respondeo peccatum in dubio non esse reseruatum, & consequenter Confessarium inferiorem dubitantem de reseruatione posse ab illo absoluere. Et ratio est, quia cum reseruatio sit odiosa strictè est accipienda & restringenda ad casus certos, non verò ad dubios. Ita Suar. tom. 5. de censuris disp. 40. sect. 6. nu. 5. & to. 2. de relig. lib. 4. cap. 15. num 15. Sanch. in sum. to. 1. lib. 1. cap. 10. nu. 74. Henriq lib. de pœnit. cap. 26. num. 7. Antonin Diana p. 4. tract. 3. de conscientia dubia, resol. 4. apud quem alij plures, doctissimus de Lugo de Sacram. pœnit. disp. 20. num. 18. Bonacina disp. 5. de pœnit. quæst. 7. pun. 5. §. 4. num. 1.

Limitaueram aliàs cum hæc scripta Discipulis meis traderem cum Sanch. & Bonacina citatis, nisi fortè in aliquo casu forum externum præsumeret pro peccati reseruati veritate & certitudine. Vt si quis externam hæresim protulisset, postmodùm verò dubitaret, vtrum habuisset animum illam proferendi; in hoc enim casu præsumptio militaret contra Pœnitentem, qui præsumeretur excommunicatus, quandoquidem possessio staret pro hæresi, quā constaret esse prolatam: & forum exterius iudicaret hunc hæreticum præsumens protulisse hæresim animo consentiente, cum nullus præsumatur dicere quod in corde non habet; ergo idem esset dicendum in foro interno, cum idem sit iudicium vtriusq; fori, quando forum externum non nititur falsa præsumptione.

31 Sed vt bene aduertit Cardinalis de Lugo cit. hæc non videntur cohęrere ijs, quæ docet idem Sanch. in sum. lib 4. cap 40. nu. 26. & cap. 44. nu. 3. quo loco docet, votum reseruatum in dubio non esse reseruatum, non obstante quacumque præsumptione in contrarium, quæ stet pro voto; v. g. Scit vouens se ali-

B quid

quid ad castitatem pertinens vouisse, sed dubitat an absolutam castitatē vouerit, cuius votum est reseruatum; an verò partialem tantùm, cuius votum non est reseruatum, non obstante præsumptione, quæ videtur stare pro voto reseruato, in dubio tamen de intentione, votum non esse reseruatum. Et rationem affert, quia cum dispensationis reseruatio sit odiosa, ea est restringenda ad casus certos. Quare sic liceret argumentari. Licet præsumptio stet pro voto reseruato, puta castitatis absolutæ, tamen ea non obstante votum non est reseruatum; ergo etiam licet præsumptio stet pro peccato reseruato, puta hæresis, tamen ea non obstante peccatum non erit reseruatum. Vel certè clariùs sic. Reseruatio voti, quia odiosa restringitur ad vota cum omnimoda certitudine; ergo etiam reseruatio absolutionis, quæ fortasse est magis odiosa, restringenda est ad peccata omnino certa. Hinc est, vt limitationem Sanchez reijciant de Lugo cit. Thomas Merolla, quem refert, & sequitur Diana loco cit. Quare absq; vlla limitatione, & distinctione assero, in dubio reseruationis peccatum nullo modo esse reseruatum: nisi fortè in lege comprehendatur etiam casus dubius, vt dicitur de irregularitate, quæ extenditur etiam ad homicidium dubium, vt expresè deciditur cap. ad audientiam, & cap. significasti de homicidio.

32 Ex quibus inferre possumus primò eum, qui dubitat an homicidium commiserit; vel peccatum cōpleuerit quod constat esse reseruatum; vel sufficienter compleuerit actum externum; vel an mortaliter peccauerit, posse a quolibet Confessario approbato in confessione audiri, & absolui, etiamsi Confessarius non habeat facultatem absoluendi à reseruatis. Ita Bonac. cit. num. 2.

33 Secundò si percussio sit reseruata, & dubitetur vtrum percussio fuerit grauis, percussionem hanc nō esse reseruatam. Et rationem affert Sanch. cit. num. 74. quia casus delicti dubij, vt dubiæ percussionis grauis, non est delicti simpliciter, sed secundum quid. Quare cùm percussio Clerici tripliciter distinguatur, itaut alia leuis; alia mediocris; alia grauis, seu enormis dicatur: Leuis quidem, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, ita tamen vt nulla macula; vel suggillatio carnium relinquatur; vel quæ fit absq; abscissione membri, sine effractione dentis, sine euulsione multorū capillorum, sine effusione multi sanguinis: Mediocris, qua suggillatio carnis relinquitur, capillorum copia euellitur, dens extrahitur, aut sanguinis copia effunditur: Grauis verò, seù enormis, quæ coniuncta est cum graui iniuria, puta cum membri mutilatione, cum magno vulnere, aut ictu, licet parum sanguinis exeat: & in percussione leui absoluere possit Episcopus; mediocris verò, & enormis sit Papę reseruata: in dubio, vtrum sit leuis, aut mediocris, aut grauis, existimarem illā esse iudicandam leuem, & sic Episcopum posse in excommunicatione ob ipsam contracta absolutionem impendere; quicquid incontrarium sentiant Nauar. cap. 27. num 91. Sayr. lib. 3. cap. 28. nu. 8. Molina, Philiarchus, quos citat & sequitur noster Bonac. disp 2. de cens. q. 4. pun. 5. nu 2. & to. 3. de censuris in Bulla Cœnę disp. 1. quæst. 11. num. 4. innixi auctoritate cuiusdam extrauagantis, quæ incipit, Perlectis, quam refert Nauar. cit. Sed primò si verba illius extrauagantis bene perpendantur, Pontifex nō decernit, vt in dubio iudicetur grauis, sed Episcopi iudicio relinquit, vt iddeclaret, monetq; vt in dubio potius declaret esse percussionem grauem; vnde

dicere

dicere possumus Pontificem locutum esse non præceptiuè, sed consultiuè. Verba illius extrauagantis sunt hæc [& quia conditio non patitur integram determinationem huius rei, relinquimus tuo arbitrio, vt declares, quæ sit leuis, & quæ enormis iniuria, admonentes, vt potius declares in dubio esse percussionem grauem &c.] verbum autem illud, *admonentes*, non est ita præceptiuum, vt dicere cogamur, in iure esse definitum, quod in dubio, leuis ne sit, an grauis percussio; ea potius iudicanda sit grauis, quam leuis. Addo, cum Nauar. cit. dicat extragantem hanc malè a quibusdam adscribi Papæ Ioan. 22. ex eo quod ante illius tempus eam allegauerit Hostien. in C. Peruenit, de sent. excom. sub finem; ac pariter irrideat quosdam, qui illam tribuunt Pio 2. ipseq; nullum adstruat Auctorem, existimo cum Suar. disp. 22. de cens. sect. 1. nu. 92. Extrauagantem hanc parum auctoritatis habere, cum ignoti Auctoris sit, & in iure non contineatur. Et non obstante hac extrauagante, in dubio an percussio Clerici fuerit leuis, an grauis; eam existimandam esse leuem; & sic Episcopum posse ab ea absoluere, docet Diana 1. to. tract. 16. 2. Miscellan. resol. 23.

34 Cui autem commissum sit hoc arbitrium iudicandi, an percussio sit leuis, vel grauis, bene monet Suarez cit. pro foro externo, Episcopo, vel Iudici esse commissum; cęterum pro foro interno, cuilibet Viro prudenti, & docto, cum hoc magis pendeat ex doctrina, & prudentia, quàm ex iurisdictione; & quemlibet Confessarium vtendo ea claue scientiæ, quam habet posse hoc iudicium ferre.

35 Tertiò, quid dicendum ad casum controuersum in tractatu de legibus, vtrû, videlicet, Episcopus possit dispensare in lege superioris, quando dubitatur, an res egeat dispensatione. Cui difficultati respondet noster Bonacina de legibus disp. 1. quæst. 2 pun. 1. num. 18. cum hac distinctione. Vel probabiliter opinamur casum non indigere dispensatione: & tunc cum licitum sit deposito practicè dubio sequi opinionem probabilem, nulla est necessitas petendi dispensationem à Summo Pontifice, vel Episcopo. Si verò ancipites hæremus, & practicè dubitamus, an opus sit dispensatione, tunc existimat illam esse petendam a Sede Apostolica. Et rationem affert, quia non debemus nos exponere periculo delinquendi contra legem Superioris, in qua Episcopus, exceptis quibusdam casibus, non potest dispensare. Tum quia in contrarium videtur extare praxis, quoties adhibita debita diligentia perseueret dubium de necessitate dispensationis.

His tamen non obstantibus contrarium existimat probabilius Antonin. Diana par. 4. tract. 3. de conscientia dubia resol. 46. cum Castro Palao tom. 1. tract. 3. disp. 6. pun. 5. nu. 10. Barbosa de potest. Episcopi par. 2. alleg. 35. nu. 19. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 4. Et ratio est, quia quando dubitatur, an casus indigeat dispensatione, dubitatur de lege; legi autem nullus censendus est adstrictus, quoties de lege certò moraliter non constet. Addo cum casus iste sit dubius, non est censendus Pontifici reseruatus; quare, gratis etiam concesso, quod in illo dubio esset necessaria dispensatio, Episcopalis sufficeret. Et cum hic intercedat quędam reseruatio, ea est restringenda, vt diximus, ad casus certos; e contra verò potestas dispensandi, quæ est fauorabilis, latè est interpretanda. Idque verum esse addit Castrus Palaus cit. etiamsi dubitans inclinaret se indigere dispensatione.

36 Quartò, in dubio reseruationis vo-

ti, votum non esse reseruatum, & sic Episcopum posse dispensare, vt bene Sanch. cit. in sum. lib. 4. cap. 40. num. 36. vbi sic habet [quoties de voti valore sit morale dubium, siue sit dubium iuris, siue facti: & siue sit negatiuum propter coniecturas, quæ non sufficiunt ad determinandum iudicium: siue sit positiuum ex opinionibus probabilibus contrarijs; id votum cuiuscumque materiæ reseruatæ; non est reseruatum; sed potest Episcopus dispensare. Et hoc est verum, quamuis id dubium non sufficiat ad excusandum vouentem a voti obligatione; quando enim excusat, nulla opus est dispensatione.] Rationem autem subdit, quia cum dispensationis reseruatio sit odiosa, ea est restringenda ad casus certos.

Obijcies primò Sacerdos dubitans de casu reseruato Pœnitentis, dubitat etiã, an habeat iurisdictionem supra peccata Pęnitentis: sed dubitans de iurisdictione non potest ministrare Sacramentum pęnitentiæ; ergo etiam dubitans de casu reseruato; ergo peccatum reseruatum dubium erit verè reseruatum.

Respondeo negando maiorem: dubitans enim tantùm de peccato reseruato, est certus de iurisdictione. Et ratio est, quia in dubio, casus non præsumitur reseruatus propter rationes dictas. Sicuti, qui dubitat de voto, vel iuramento emisso, certus est se non teneri ad votum, vel iuramentum.

Obijcies secundò, qui dubitat an aliquod peccatum mortale commiserit, tenetur ad illius confessionem faciendam approbato pro mortalibus; ergo etiam, qui dubitat de peccato reseruato, tenebitur ad illius confessionem approbato pro reseruatis.

Respondeo negando cõsequentiam. Ratio disparitatis in eo est, quia in casu de peccato mortali dubio, possessio stat pro peccato, quod constat esse commissum, & dubitatur tantùm de excusatione, vtrùm videlicet mortale sit, an tantùm veniale. Vnde est, vt tunc sit confitendum. At verò in casu de peccato reseruato dubio, possessio stat pro Pœnitente, cùm non constet de peccato reseruato. Vnde est, vt non teneatur Superiorem adire, cùm in dubijs melior sit conditio possidentis. Tum quia peccata mortalia dubia ideo tenemur confiteri, quia de ijs lata lex est, vt confessioni subijciantur: peccata enim dubia, vt patet ex dictis de pœnitentia, licèt non sint certa materia, sunt tamen certò confitenda: reseruata verò dubia nulla lege compræhenduntur sub reseruatione: vnde est, vt non sint necessariò subijcienda Confessario approbato pro reseruatis.

Obijcies tertiò in dubio tutior pars est eligenda; ergo reseruatum dubium erit Superiori confitendum.

Respondeo nõ semper tutiorem partem esse nobis eligendam, sed sufficere si tutam eligamus.

Si tamen quis certus esset de casu reseruato commisso, sed dubitaret vtrùm illud alias fuisset confessus, in tali casu, pro illius absolutione teneretur Superiorem adire; possessio enim non staret pro Pœnitente, sed pro reseruatione, in quam constaret Pœnitentem incidisse. Sic certum de voti emissione, aut præcepto, sed dubium de illius impletione, teneri ad votum, aut præceptum, docent communiter Doctores.

Aduertam hoc loco, ex Synodo 32. tit. De ijs quæ pertinent ad Pœnitentię Sacramentum, extare, vt si quis in generali suorum peccatorum confessione ita dubitet, reseruatio intelligatur omnino sublata: verba autem Synodi hęc sunt. [Qui eluentes totius vitæ sordes in generali Confessione audiunt, recordentur,

dentur, quòd sublata semel reseruatione non alia opus sit facultate, cùm eadem peccata Confessioni subijciuntur. Quod habere locum decernimus, etiãsi Pœnitens dubitet, an peccatum aliquod confessus, dequè illo absolutus fuerit: tunc enim omnem reseruationem sublatam esse declaramus.]

DIFFICVLTAS X.

An absolutus per inferiorem Confessarium à casu reseruato dubio, si postmodum comperiat fuisse reseruatum teneatur recurrere ad Superiorem.

37 *Responsio est negatiua.*

38 *Dispensatus ab Episcopo in voto reseruato dubio, an habita certitudine debeat recurrere ad Papam.*

DIximus in superiore difficultate peccatum reseruatum in dubio non esse reseruatum; quare si quis certus de peccato blasphemiæ commisso dubitet an blasphemiam protulerit in Deum aut Sanctissimam eius Matrem, quæ est reseruata; an verò in Sanctos, quæ non est reseruata, potest ab hoc peccato per quemcunque Confessarium absolui. Præsens difficultas illud petit, an dato quod propter dubium pœnitens fuerit ab inferiore Confessario absolutus, si postmodum re melius examinata deponat dubium, & recordetur blasphemiæ in Deum prolatæ & peccati reseruati, censeatur legitimè absolutus, an verò teneatur recurrere ad Superiorem. Ac dubium hoc maius esse videtur, si sermo sit de peccato habente adnexam excommunicationem; Verbi gratia, protulit quis hæresim, & ratione huius peccati incidit in censuram reseruatam Papæ: quamdiu pœnitens dubitat de hæresi prolata, potest ab inferiore Confessario absolui; si verò post absolutionem certò illi constet de censura incursa, quæritur an pro ea teneatur Superiorem adire, licet iam à peccato ipso hæresis fuerit absolutus, dum illud tanquam dubium inferiori Confessario manifestauit.

37 Resp. probabile esse, quod in his, & alijs similibus casibus pœnitens non teneatur adire Superiorem, licet post absolutionem ab inferiore obtentam constaret de veritate reseruationis, & censuræ incursæ. Et ratio est, quia stante illo dubio cessauit reseruatio, & sic inferior Confessarius potuit validè absoluere à peccato: & quod dico de peccato cui sit adnexa sola reseruatio, idem dico de eo, cui sit adnexa censura, puta de hæresi: quamdiù enim pœnitens est dubius, vtrum protulerit hæresim, cum hæresis dubia non sit casus Papalis, potest per inferiorem absolui, & si absoluatur, validè absoluitur; vnde si post absolutionem certò constet de hæresi prolata, non tenetur ad Superiorem recurrere, quia absolutio non fuit ad reincidentiam collata, sed absoluta; quinimo neq; dari potuit ad reincidentiam, quia sic non datur nisi in casibus expressis in iure, qualis non est iste. Ita Cardinalis de Lugo de pœnit. disp.20. sect.2. n.20.

38 Casum huic similem optimè eruit Cardinalis cit. ex Sanch. in sum cap.44. num. 10. vbi habet dubium de voto reseruato, v.g. an perpetuam castitatem vouerit, an verò tantum temporalem; an totalem vouerit, an verò partialem; si petat dispensationem ab Episcopo, vel ab alio potente dispensare in votis non reseruatis (idemq; dic de commutatione, quam tempore iubilęi procuret) ac ratione illius dubij dispensetur, non teneri post compertam veritatem, & post

& post habitam certitudinem voti reseruati recurrere ad Papam pro eius dispensatione, & rationem affert, quia cum ratione illius dubij cessauerit reseruatio, optime potuit Episcopus dispensare, qui legitimè vsus est potestate quam habebat dispensandi in votis reseruatis dubijs; neq; dispensatio ea fuit conditionalis, sed absoluta. Et recta Ecclesiæ gubernatio hoc exigit; nec enim aliter vitarentur innumeri scrupuli, qui alias suboriri possent.

Ex qua doctrina erui potest hoc argumentum. Quia votum reseruatum in dubio non est reseruatum, si in eo dispenset Episcopus, dispensatio tenet, licet postea constet de voti certitudine; ergo à pari, quia hęresis dubia non est reseruata, si quispiam ab ea absoluat, absolutio tenet, licet postea constet de certitudine censuræ incursæ. Et quod dico de peccato, cui sit adnexa censura, multo magis de eo, cui sit adnexa sola reseruatio.

Dices primò peccatum illud verè erat reseruatum; ergo non potuit ab eo inferior Confessarius absoluere. Resp. vere fuisse reseruatum, sed cessasse reseruationē propter dubium adueniens; sicuti ea suspenditur & tollitur tempore iubilei, ita tamen vt sicuti transacto iubileo redit reseruatio pro ijs, qui noluerunt lucrari iubileum; ita cessante dubio redeat reseruatio, si forte durante illo dubio pęnitens non absoluatur: & quia pro tempore dubij cessat reseruatio, inde est vt pro eo tempore possit inferior Confessarius ab eo peccato valide, & directè absoluere.

Dices secundò, esto pro tempore dubij suspendatur reseruatio, tamen vbi constabit de certitudine peccati ea reuiuiscet, & sic etiamsi pęnitens fuerit durante illo dubio absolutus, tenebitur Superiori se præsentare. Resp. hoc totum benedici si pro tempore dubij pœnitens non absoluatur, vbi enim constabit de certitudine peccati commissi, quod verè est reseruatum, ablato eo dubio intelligetur reuiuiscere reseruatio, quæ fuerat suspensa propter dubium adueniens. At si durante dubio pęnitens absoluatur, quia absolutio ea est valida, inde est, vt nulla possit reuiuiscere reseruatio, quæ culpam supponit.

Dices tertiò, esto posito dubio cesset reseruatio, tamen non cessat censura excommunicationis, in quam incidit per prolationem hæresis, a qua censura inferior Confessarius non potest absoluere, tum propter reseruationem Pontificis, cum etiam, quia in nostra Dięcesi censuræ omnes sunt reseruatæ.

Resp. pœnitentem illum esse affectum censura, in quam incidit per prolationem hęresis; sed sicuti adueniente dubio cessat reseruatio peccati, ita cessare reseruationem censuræ, & sic durante dubio potuisse ab ea censura inferiorem Confessarium absoluere, iuxta communem sententiam, quod censuræ non reseruatæ per sententiam generalem latæ iure communi tolli, & auferri possint à quocunque habente facultatem absoluendi à mortalibus.

Dices quartò, peccatum mortale dubium, licet semel confessum, posita tamen illius certitudine est denuo manifestandum; ergo etiam reseruatum dubium, licet semel confessum inferiori Confessario, ablato dubio reseruationis denuo erit manifestandum Superiori. Pro cuius obiectionis solutione sit.

DIFFICVLTAS XI.

An sit obligatio confitendi peccata dubia.

39 *Responsio est affirmatiua.*

40 *Ea tamen non nisi vt dubia sunt confitenda.*
41 *Etiam circumstantia peccati dubij.*
42 *Dubitans de peccato mortali in genere quomodo teneatur confiteri.*
43 *An qui confessus est peccatum dubiũ, teneatur denuo illud confiteri habita certitudine.*

CAsus hic esse potest, dubitat quis an blasphemiam protulerit; an consenserit delectationi morosæ; vel certus de blasphemia, & de consensu, dubitat an peccatum sit mortale; quæritur an teneatur peccatum hoc ita dubium confiteri. Sermo autem est de dubio proprio & negatiuo, quando scilicet pœnitens hæret anceps, nec habet rationes ad probabilem assensum huius, vel alterius partis.

In hac difficultate conueniunt omnes, pœnitentem certum de peccato mortali commisso, sed dubitantem de confessione facta, vel de validitate confessionis factæ, teneri ad illud confitendum. Et ratio est quia constat de peccato commisso, & de obligatione confitendi; non autem constat de confessione: & sic possessio est pro peccato, & contra pœnitentem. Controuersia ergo tota est de peccato, de quo dubium sit, an fuerit commissum, vel an fuerit mortale.

39 Resp. peccata mortalia dubia esse necessariò confitenda. Ita vsus & praxis Ecclesiæ cuius initium cum non agnoscamus, credendum est ab ipsis Apostolis promanasse, qui vim & obligationem inclusam in huius Sacramẽti institutione meliùs potuerunt intelligere. Ita vnanimis in hac re Doctorum omnium sensus. Ratione verò probari potest, quia pœnitens de tali peccato tenetur dolere & conteri; ergo etiam tenetur illud confiteri: id enim quod in homine baptizato est necessarium obiectum contritionis, est etiam necessarium obiectũ confessionis. Quare sicuti ante legem gratiæ, & ante institutionem Sacramentorum qui habebat peccata dubia, tenebatur procurare illorum veniam per remedium contritionis: & hoc non solum in mortis articulo, ne se exponeret periculo ęternæ damnationis; sed etiam in vita, eo modo quo is, qui habebat peccata mortalia certa tenebatur aliquando in vita de illis conteri, vt in gratiam & amicitiam Dei rediret; ita post institutionem Sacramentorum tenetur eandem veniam peccatorum dubiorum procurare per remedium confessionis; hoc enim confessionis remedium loco remedij contritionis successit. Tum quia Concil. Trid. sess. 14. in decreto de Sacram. pœnit. cap. 5. & Can. 7. agens de materia Sacramenti pęnit. sola venialia à confitendi necessitate excepit; ergo non sunt excipienda peccata, de quibus dubitatur an sint mortalia. Ita Sanchez in sum. lib. 1. cap. 10. num. 66. qui longum Doctorum numerum pro hac sententia refert, quibus ego addo doctissimum de Lugo de Sacram. pęnit. disp. 16. nu. 67. Antonin. Dianam par. 4. tract. 3. resol. 5.

Obijcies primò, qui dubitat de voto, aut præcepto, non tenetur ad votum, aut præceptum; ergo qui dubitat de peccato commisso, non tenetur ad pręceptum confessionis: nam qui dubitat de peccato commisso, dubitat de præcepto confessionis, quod est de confitendis peccatis commissis. Resp. dubitantem de peccato commisso certum esse de præcepto illud confitendi quia præceptum confessionis comprehendit peccata certa, & dubia.

Obijcies secundò Conc. Tridentinum in cit. sess. dum explicat materiam ne-

cessariam confessionis, nullam facit mētionem de peccatis dubijs; ergo nullum extat pręceptum de ijs confitendis. Resp. sufficienter à Concil. Trid. fuisse expressam hanc obligationem confitendi peccata dubia, dum ab obligatione confessionis sola venialia excepit; tum quia Concilium eo loco exigit cōfessionem eorum omnium peccatorū, quorum post diligentem conscientiæ excusionem homo *meminit*. Et subdit, *reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur*. per quæ verba videntur solum exclusa peccata oblita, non verò dubia, de quibus cum pœnitens dubitat, aliquo modo dicuntur occurrere memorię, & esse in conscientia pęnitentis. Vnde est vt Theologi quadruplicem faciant conscientiam, certam, dubiam, erroneam, probabilem. Conscientia igitur dubia, conscientia est; & qui de peccato dubitat, dicitur habere remorsum conscientiæ.

Obijcies 3. peccatum reseruatum dubium non est deferendum Superiori; ergo peccatum mortale dubium non est deferendum Confessario. Resp concesso antecedente negandam esse consequentiam. Et ratio est, quia pęnitens dubius de peccato mortali, certus est de materia necessaria confessionis, quam tenetur ad Confessarium deferre. E contra quamdiù dubitat de casu reseruato, certus est, quod casus ille non comprehenditur sub lege Superioris, quæ quia pœnalis est, strictè intelligitur de casibus non nisi certis. Vnde est vt primum teneatur Confessario deferre: secundum verò satis sit si deferat inferiori. At si modus iste argumentandi valeret, posset etiam quis in sententia aduersariorum simile argumentum conficere. Peccatum mortale dubium nullo modo obligat pęnitentem; ergo votum reseruatum dubium nullo modo obligat vouentem; & sic qui dubitaret, an vouisset totalem castitatem, an verò partialem tantum, ad nihil teneretur, quod est falsissimum.

40 Ex quibus inferre possumus cum Sanch. cit. num. 68. peccata dubia verè esse confitenda, sed non nisi, vt dubia, & non tanquam certa. Et ratio est, quia eo modo sunt confitenda, quo modo sunt in conscientia. Tum quia confiteri peccatum dubium tanquam certum, esset mentiri: & quia mendacium esset circa materiam necessariam confessionis, non posset à mortali excusari. Bene tamen ex Nauarro, & Suar. aduertit idem Sanch. pęnitentes, & maximè rudiores sæpè excusari à peccato, dum peccata dubia pro certis confitentur, eo quod bona fide, & ex quadam simplicitate id faciant, existimantes hoc modo se bene confiteri peccata sua, & consultius esse conscientiam suam grauare, quam exonerare.

41 Secundò fatendas etiam esse circumstantias peccati dubij. Et ratio est, quia eæ etiam pertinent ad peccatum dubium, & ijs tacitis non plene explicaretur peccatum dubium prout in se est. Quare si quis dubitaret an consensisset desiderio cuiusdam mulieris, teneretur illius mulieris statum manifestare.

42 Tertiò pœnitentem qui dubitet an peccatum mortale commiserit, sed non meminerit cuius speciei sit peccatum illud, de quo dubitet, teneri in genere fateri, se dubium esse de quodam peccato mortali, sed speciem ignorare. Sicuti qui certus est de peccato mortali commisso, sed speciei non meminit, tenetur in genere fateri, se mortalis culpæ reum esse. Et ratio est,

quia pœnitens tenetur statum suum omnino & plene Confessario manifestare, & peccata sua detegere eo modo, quo sunt in conscientia. Ita Sanch. cit. num. 69.

43 Restat hoc loco difficultas, an pœnitens qui confessus est peccatum dubium, si postmodum veniat in cognitionem, se certò illud commisisse, teneatur denuo illud fateri tanquam certum, an verò satis sit cōfessio præterita.

Resp. teneri de nouo ad illud confitendum tanquam certum. Et ratio est, quia peccatum explicandum est prout est in conscientia pœnitentis: prædictum autem peccatum iam est in conscientia pœnitentis, vt certum; qua ratione non fuit subiectum clauibus, sed tantùm vt dubium; ergo adest obligatio manifestandi illud in confessione. Tum quia, si pęnitens ab initio fuisset certus de peccato commisso, debuisset illud tanquam certum confiteri; obligatio autem hæc cessauit non nisi ratione dubij, & ignorantiæ; ergo cessante illo dubio redibit obligatio illud confitendi tanquam certum, quæ prius fuerat suspensa ratione illius impedimenti. Ita Sanch. cit. Turrianus de pœnit. quæst. 9. art. 2. disp. 29. dub. 6. Cardinalis de Lugo loco superius cit. num. 77. Antonin. Diana cit. resol. in fine, qui citat Hurtadum.

Obijcies primò illud directè tollitur in confessione, quod pro materia confessionis exprimitur; sed peccatum dubium semel fuit in confessione expressum pro materia necessaria; ergo directè & vi clauium fuit semel ablatum; ergo non est denuo subijciendum.

Resp. peccatum prædictum fuisse semel expressum, sed non eo modo, quo erat in conscientia, proindeq; denuo esse subijciendum. Sic si quis memor peccati mortalis commissi, & ignarus speciei, peccatum mortale in genere confiteatur, tenetur de nouo illud confiteri, vbi speciei meminit. Sic si pęnitens oblitus sit alicuius circumstantiæ, & hęc talis sit, vt sine peccato ipso non possit manifestari, tenetur de nouo totum peccatum confiteri. Non ergo mirum, quod pęnitens teneatur exprimere peccatum semel confessum, quoties illud non sit expressum eo modo, quo erat in conscientia. Quare ad argumētum, nego secundam illationem, & dico peccatum illud fuisse directè ablatum, sed non nisi vt dubium.

Obijcies 2. Si pęnitens non valens determinare certum numerum peccatorum, confiteatur verisimilem, puta sic, blasphemaui decies, plus, vel minus; non tenetur denuo confiteri, si post absolutionem recordetur se duodecies blasphemasse, & hoc suppono cum communi Doctorum sententia; ergo si vnicum peccatum blasphemiæ in dubio confessus sit, non tenetur postea certior factus illud de nouo confiteri. Consequentia probatur, quia qui ita confitetur, decies blasphemaui, plus, vel minus, decem peccata blasphemiæ confitetur quidem tanquam certa, sed vndecimum, & duodecimum confitetur solum, vt dubium, & tamen hoc non obstante, si comperiat se duodecies blasphemasse, non tenetur ad nouam confessionem. Ergo si in hoc casu non tenetur ad nouam confessionem; neq; tenebitur, si vnicum peccatum blasphemiæ in dubio confessus, comperiat se certò illud commisisse.

Difficultatem hanc sicuti proponit Cardinalis de Lugo cit. ita illam sentire se adeo, & tanti ponderis apud se esse fatetur, vt retenta sententia, quod peccata confessa vt dubia, sint denuo confitenda vt certa, quando iam certa sunt, ad hoc, vt Christi præcepto satisfiat,

fiat; sentiendum etiam omnino existimet, si cohærenter loqui velimus, si quispiam confiteatur se decies, plus, minusuè blasphemasse, si postmodum certò comperiat se duodecies blasphemasse, teneri denuo confiteri illa duo peccata blasphemiæ, vndecimum, videlicet, & duodecimum, tanquam certa, quæ sub illa formula, plus, minusuè, fuerat confessus tanquam dubia: vel certè si hoc postremum neges, tenearis etiam negare, quod peccatum dictum, vt dubium, debeat postmodum iterum dici, quando comperimus fuisse certum, quam sententiam non improbabilem putat Franciscus Pellizarius in suo tract. de monialibus cap. 10. sect. 3. num. 198.

Ego verò ad argumentum resp. concesso antecedente, negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia qui confitetur peccatum, vt dubium, non confitetur illud prout est in conscientia, vnde habita certitudine tenetur ad nouam confessionem. Qui verò dicit, blasphemaui decies, plus, minusuè, quoad substantiam peccatum iam est expressum; dubitat ergo pœnitens de solo numero, quem sufficienter exprimit, dum vtitur ea formula, plus, minusuè, cuius hic est sensus, blasphemaui decies; sed probabile est me etiam duodecies blasphemasse; Vnde est vt cum peccatum cōmissum, quoad speciem bene sit expressum; quoad numerum etiam sufficienter sit indicatum, ob communem illus formulæ intelligentiam, habita certitudine numeri duodenarij, ad nihil sit obligandus pœnitens cuius statum optime nouit Confessarius. At verò quando confitetur vnicum peccatum, vt dubium, ipsam peccati substantiam, & speciem fatetur dubiam; vnde non mirum est, si habita certitudine teneatur ad nouam confessionem; alioqui si quis memor peccati mortalis cōmissi, & ignarus speciei, peccatum mortale in genere confiteatur, postquam speciei meminerit, ad nihil erit obligandus, quod putarim à nemine concedendum.

Ex quibus patet ad vltimam obiectionem difficultatis superioris, qua Aduersarij contendunt, ex eo quod peccatum confessum vt dubium, posita illius certitudine sit denuo confitendum, denuo etiam habita certitudine reseruationis, confitendum sit peccatum reseruatum dubium quod durante dubio fuit semel inferiori Confessario manifestatum: clarissima enim disparitas in eo est, quod peccatum dubium, licet semel dictum vt dubium, ideo posita illius certitudine est de nouo manifestandum, quia ex præcepto diuino adest obligatio confitendi peccata prout sunt in conscientia: cum autem fuerit non nisi dictum, vt dubium, non fuit dictum prout erat in conscientia, in qua erat, vt certum. At vero in peccato reseruato dubio, cum ratione illius dubij ita cesset reseruatio, vt per confessionem factam cum eo dubio, ea omnino tollatur, inde est, vt quacunque adueniente certitudine casus reseruati, nulla adsit obligatio recurrendi ad Superiorem. Ac sicuti post iubileum non tenetur pœnitens pro reseruatis oblitis in iubileo se præsentare Superiori, quia illorum reseruatio fuit ablata in confessione facta tempore iubilei, vt constabit ex dicendis inferius; ita pro reseruatis dubijs semel confessis inferiori Confessario, non tenetur pœnitens, quacunque certitudine adueniente se præsentare Superiori, quia per cōfessionem factam pro tempore dubij ablata fuit omnis reseruatio, non quidem formaliter ex vi confessionis, quæ facta fuit inferiori Confessario, sed vi illius dubij, in quo

infe-

inferior Confessarius potuit absoluere, & per absolutionem ablata fuit culpa, qua ablata per quamcunque certitudinem casus reseruati subsequentem non potest reuiuiscere reseruatio, quæ culpam supponit.

Vel certè clariùs responderi potest sic: peccatum dubium, licet semel confessum, tamen habita illius certitudine denuo esse subijciendum, quia non fuit directè ablatum prout est in conscientia pœnitentis; reseruatum verò dubium, habita reseruationis certitudine, non esse ad Superiorem deferendum, quia per confessionem factam pro tempore dubij ablata fuit omnis reseruatio. Quare si quis dubitet, an Deum blasphemauerit, ratione huius dubij, licet blasphemia in Deum sit in nostra Diœcesi casus reseruatus, tamen poterit ab inferiore Confessario absolui: & sic absolutus, si veniat in cognitionem blasphemiæ certò prolatæ, tenebitur quidem peccatum hoc blasphemiæ tanquam certum confiteri de nouo, cum illud non nisi, vt dubium, sit confessus; sed tamen non tenebitur ad Superiorem recurrere, quia per primam confessionem ablata fuit reseruatio, vt dixi de peccatis reseruatis oblitis in iubileo, quorum confitendorum, licet remaneat obligatio post iubileum, vt directè tollantur; non tamen tenetur Pœnitens ea ad Superiorem deferre.

DIFFICVLTAS XII.

An peccata possint reseruari pro arbitrio Superioris.

44 *Ad licitam reseruationem requiritur iusta causa.*

45 *Vtrum teneat reseruatio facta sine iusta causa.*

46 *Vtrum hæc teneat, etiamsi fiat respectu inferioris habentis facultatem ordinariam.*

44 Certum hoc loco est, Superiores non licitè reseruare peccata, nisi iusta causa concurrat. Et ratio est, quia talis reseruatio semper est onerosa pœnitentibus, & reddit difficilem vsum Sacramenti. Quod licitè fieri à legitimo Superiore nõ potest, nisi aliqua vtilitas subditorum id exigat, ad quam hæc potestas ordinatur. Vnde est, vt grauiora tantùm peccata reseruentur. Difficultas ergo in eo est, vtrum si absq; iusta causa fiat reseruatio, ea validè fiat.

In huius casus solutione communiter Auctores distinguũt iurisdictionem delegatam ab ordinaria. Vnde respectu inferioris habentis tantùm iurisdictionem delegatam concedunt Superiorem posse etiam absq; iusta causa quæcunq; peccata sibi reseruare. Ratio esse potest, quia commissio hæc iurisdictionis non oritur ex iustitia, tanquàm radice, ita vt illam Superior teneatur cõmittere, sed pendet ex sola voluntate illius; ergo poterit pro suo arbitrio, vel totam, vel partem tantùm delegare; etiamsi nulla iusta causa concurrat.

Dices, esto, possit Superior antequã iurisdictionem hanc deleget, illam vel restringere, vel dilatare prout velit; delegatam tamen absolutè non poterit postmodũ sine iusta causa restringere, reseruando sibi quædam peccata.

Resp. si loquamur de potentia absoluta, inanem esse distinctionem hanc; semel enim delegatam iurisdictionem, sicuti potest Superior absque iusta causa reuocare, ita etiam potest limitare. Et ratio est, quia concessio hæc non est absoluta donatio, sed quædam concessio, seu gratia, quæ pendet à voluntate delegantis. Quare verum quidem est, quòd ex parte subditorum potest esse talis reseruatio illicita, quia potest vergere in nimis graue onus, & detrimentum illorum, atq; in destructionem

tionem potiùs, quàm in ędificationem, cum tamen Prelatis potestas hęc concessa tantùm sit, vt tanquam boni Pastores ouium suarum bono consulant. Verùm, aliud est quaerere, vtrum licita foret talis reseruatio, aliud, vtrum valida; validam enim futuram suadet absoluta potestas, quam habet in hac re Superior, ratione cuius sicuti validè illam negare potuit, & nulli delegare, licet illicitè propter damnum animarum; ita etiam validè semel delegatam potest limitare, licet non tam licitè propter rationes allatas.

Maior difficultas est, vtrũ reseruatio haec sine iusta causa possit fieri respectu inferioris habentis iurisdictionem ordinariam, ita vt Superior possit pro suo arbitrio Parocho, & alijs, quibus ex officio competit iurisdictio, eam restringere, & limitare.

45 Prima sententia est, quae asserit quoties talis reseruatio fiat sine iusta causa respectu inferioris habentis iurisdictionem ordinariam, eam nullam esse nec tenere. Ratio esse potest, quia Pastores ex suppositione officij habent ius intrinsecum, & naturale ad suam iurisdictionem; ergo nec licitè, nec validè possunt illa priuari. Tum quia si sine causa vellet Superior illos priuare, vel suspendere ab officio, talis suspensio esset nulla; ergo idem dicendum in casu huius reseruationis. Quam sententiam Soto & Ricardo tribuit Suar. disp. 29. de poen. sect. 4. num. 3.

Secunda sententia limitat priorem iã allatam; itaut dicat, si talis reseruatio procedat à Summo Pontifice, tunc eam esse validam, etiamsi nulla adsit causa, eò quòd Summus Pontifex plenam habeat potestatem supra Parochos, & ab illo in hos manet omnis iurisdictio. Secus verò, si talis reseruatio fiat ab Episcopis, quia hi si in Parochos habent potestatem, illam tantùm habent ex delegatione Papae. Quam sententiam sustinent Maior dist. 17. quaest. 5. Ang. v. casus. Et cum hac limitatione idem videtur sentire Reg. lib. 1. num. 127.

Tertia sententia est, quae absolutè asserit talem reseruationem esse validam, siue illicita sit, siue licita. Ita Silu. v. confessor 3. quaesito 1. Conin. disp. 8. de ministro Sacramenti poen. dubio 11. n. 78.

Ego verò respondeo primam sententiam videri improbabilem: secundam probabilem: tertiam probabiliorem, & tenendam.

De improbabilitate primę sententię patet, quia de hac iurisdictione nos non debemus ità ferrè iudicium, sicut de re, quae transeat in dominium alterius, quo nullo modo possit priuari, sed potiùs, tanquam de re, quae ita communicetur inferiori, vt maneat adhuc sub potestate Superioris. Sic Pontifex concedit Episcopis iurisdictionem in homines illius Episcopatus: Si tamen aliquem eximat, talis exemptio est valida. Sic si abroget legem ab Episcopo latã, talis abrogatio est valida. Sic in foro etiam contentioso, si Papa sibi reseruet alicuius causae iudicium, talis reseruatio valida est, etiamsi sine iusta causa illam sibi reseruet; ergo pari modo dicendũ, quamcunq; reseruationem Summi Pontificis in foro poenitentiae esse validam ob plenam illius potestatem, quàm ipse semper retinet tanquam Supremus Pastor, & iudex.

De probabilitate item secundae sententiae patet ex rationibus allatis, quia nimirum probabile sit iurisdictionem Parochorum non esse ab Episcopis, sed à Papa, vt proindè ad illum tantùm spectet eam limitare. Et hanc sententiam probabilem esse sustinent Suar. loco cit. num. 8. Filliuc. de poen. cap. 10. de ministro quoad casus reseruatos nu. 279.

46 De maiore verò probabilitate tertiæ sententiæ patet, quia eæ rationes, quæ probant Pontificem posse, probant etiam Episcopum posse; quia semper Episcopus manet ita Superior, vt possit sibi aliquam causam reseruare. Et hoc videtur expedire ad scandala, & schismata tollenda, & ad cauenda pericula animarum si semel facta reseruatio rata, & valida habeatur, etiamsi nulla iusta causa intercedat. Quare quando aliqua reseruatio videbitur intolerabilis, optimum quidem erit ad Superiorem recurrere, vt illi prouideat: de reliquo siue licitè, siue illicitè facta nunquam est contemnenda; est enim vsus potestatis Superioris, quam in suos subditos potest semper exercere. Et hanc sententiam probabiliorem, & in praxi securiorem esse habent Suar., & Filliuc. cit.

Obijcies cum Eminentiss. Cardinali de Lugo, posset fieri talis reseruatio ita excedens, & exorbitans, vt Parochum redderet inhabilem ad exercendum suum munus; ergo hæc saltem esset inualida. Consequentia probatur, quia si Episcopus posset sua reseruatione pro libito tollere eam iurisdictionem, quæ Parochis debetur, posset etiam pro libito illos ab officio amouere, quod tamen non nisi ex iusta causa potest; ergo sicuti inualide amoueret ab officio, ita etiam inualide tolleret illam iurisdictionem. Antecedens probatur, dato casu quod Episcopus aliquis reseruaret sibi grauiora crimina, ac præterea furta omnia, & peccata carnis; reseruatio enim hæc redderet quasi inhabilem Parochum ad exercendum suum munus. Ita Cardinalis cit. de Sacram. pœnit. disp. 20. sect. 3. nu. 36. quo loco priorem sententiam à nobis relatam ita limitat, vt aliqua quidem reseruatio, quæ per excessum illicitè fiat ab Episcopo sit inualida, sed non omnis: ac limitationem hanc ingeniose excogitatam ita explicat. Verum est Episcopos posse sibi casus reseruare, vt patet ex Tridentino, sed cum reseruatio in edificationem esse debeat, non in destructionem, potestas hæc suos habet limites, quos ita possunt excedere, vt illicitè tantum reseruent, aliquando verò, vt etiam inualide. Affert casum de eo qui habeat facultatem commutandi decem vota; hic enim si decem commutet, & ijs commutatis alia decem commutet; prior commutatio valida; posterior verò nulla erit; neque posterior hæc reddet inualidam priorem legitime factam; quia vtile per inutile non vitiatur. At si simul, & vnico actu commutet viginti vota, quia exceditur facultas commutandi, nec est maior ratio, cur potius hæc dicantur valide commutata, quàm illa, tota cõmutatio est inualida. A pari ergo idem sentit de Episcopo reseruante; potest enim Episcopus aliquis mensuram suæ potestatis, quam habet reseruandi peccata ita excedere, vt Parochorum iurisdictionem faciat inanem: vt si vnica reseruatione reseruet sibi grauiora quædam crimina, furta omnia, & peccata carnis: in quo casu, cum non sit maior ratio, cur hæc potius peccata, quàm illa reseruata maneant, tota reseruatio irrita, & inualida est, vt pote quasi destruens Parochorum iurisdictionem; Secus verò si grauioribus peccatis reseruatis, alia denuò reseruet, ex quibus iam fiat nimia, & excessiua reseruatio; tunc enim per reseruationem posteriorem non redditur inualida prior legitimè facta: & posterior ipsa potest aliquando esse illicita tantùm; aliquando verò etiam inualida: illicita quidem eo ipso quod in ędificationem non tendat, & nimia sit; inualida verò, si talis

sit,

sit, & ita excedens vt Parochorum iurisdictionem ridendam faciat & nullam. Quod si quispiam subdat, in hac sent entia stabiliendum esse certum numerum peccatorum, qui validè reseruari possit; respondet id non esse necessarium, sed satis esse illum in confuso assignare, quomodo neque certam quantitatem assignare possumus in qua ieiunium frangatur, aut peccatũ mortale furti committatur; sicuti etiam non nisi in confuso assignare possumus terminum & numerum peccatorum, qui illicitam faciat reseruationem: fateorque sententiam hanc ita explicatam illico mihi probabilissimam esse visam ducto rationibus, & auctoritate tanti Doctoris, in cuius scripta nunquam oculos conijcio, quin doctior euadam.

Resp. tamen cum ex Trident. sess. 14. cap. 7. constet de facultate reseruandi Episcopis concessa, ac quidem absque vlla limitatione, quę inualidum reddat vsum talis facultatis, reseruationem omnem, licet excedentem & nimiam, adhuc tamen validam futuram; quia esto nimis restringeretur facultas Parochorum, ea tamen non omnino auferretur: ac sicuti habens facultatem illimitatam commutandi vota, temere commutans, peccat quidem, sed tamen validè commutat; ita habens facultatem reseruandi peccata, temerè reseruans, peccabit quidem, sed tamen validè reseruabit. Ex quibus patet ad argumentum; Episcopus enim nec amouere potest Parochum à suo munere, neq; ab illo iurisdictionem omnem auferre; restringere tamen, & illam strictissimam facere potest validè, licet illicitè. Sed de casus huius explicatione nimio plus fuimus soliciti, vtpote quæ parum ad praxim possit deseruire.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Subiecto Reseruationis.

QVæremus in hac quęstione per varias difficultates, qui nam sunt ij, qui casuum reseruatione ligentur: quibus generalem regulam præmitto, dicendo, eos omnes ligari casuum reseruatione, qui sunt subditi eorum, qui possunt sibi casus reseruare, de quibus egimus in difficultate tertia superiore.

Ex hac autem regula infertur primò, si reseruatio lata sit à Summo Pontifice, fideles omnes ligari ea reseruatione. Et ratio est, quia omnes fideles sunt subditi Papæ, & totus mundus est illius Diœcesis, vt bene Vgol. in tractatu de officio, & potestate Episcopi c. 35. §. 1. n. 2.

Secundò, si sit casus reseruatus Archiepiscopo, aut Episcopo, subditos omnes illius Diœcesis ligari ea reseruatione. Et ratio est, quia super omnes quoad spiritualia in sua Diœcesi habet iurisdictionem.

DIFFICVLTAS I.

An Episcopus ipse incidat in eam reseruationem, quam tulit.

1 *Episcopus, & alius Superior reseruans non afficitur reseruatione à se lata.*

2 *Si Papa percutiat clericum, non ligatur censura.*

3 *Episcopus aleis ludens non ligatur censura à se lata contra ludentes aleis: ligaretur tamen is, qui cum illo luderet.*

CAsus hic esse potest. Episcopus quidam reseruauit sibi homicidium, quæritur vtrum si ille committat homicidium, incidat in casum reseruatum:

tum: ita vt is, cui confitetur suum peccatum, debeat habere facultatem absoluendi à reseruatis.

Huic casui responderet fortè quispiã affirmatiuè, nixus communi Doctorum opinione, quæ asserit legislatorem non esse omnino liberum ab obseruatione legis suæ, vt videre est apud D. Tho. 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad tertium Caiet. & Med. ibi Silu. v. Lex quæst. 14. Sotum lib. 1. de iust. & iure qu. est. 6. art. 7. Sayr. in Cla. Reg lib. 13. cap. 14. num. 3. vers. communis tamen.

1 Ego verò resp. Episcopum, & alium Superiorem reseruantem sibi casus, non ligari ea reseruatione; proindeque posse absolui à quocunq; Confessario approbato. Ita Graf. de cas. reser. lib. 2. cap. 20. num. 30. vbi explicans casum reseruatum de ijs, qui non confitentur semel in anno, asserit Episcopũ ipsum reseruantem non ligari hac reseruatione. Et in proprijs terminis Floron. de cas. reser. p. 1. cap. 3. §. 1. num. 5. Cardinalis de Lugo disp. 20. de Sacram. penit. sect. 5. & ratio est, quia ipse non potest se ipsum ligare, ne possit confiteri cui voluerit. Tum verò probatur ex communi illo dicto, quod legislator tenetur tantùm suis legibus quoad vim directiuam, non verò quoad vim coactiuam. Tum quia cessante causa legis, lex etiam ipsa cessare debet: sed causa, ob quam fertur reseruatio, est, vt grauiores causę ad superiores Iudices deferantur, & vt ex difficultate veniæ impetrandæ scelesti homines à peccatis retrahantur; Ergo cum hæc ratio in totum cesset respectu Superiorum, cessabit etiam lex.

2 Sic si Papa percutiat Clericum, non incidit in excommunicationem, vt ex Sayro habet Floron. loco cit. Nec vllam iuris pęnam incurrit, si cum certa scientia participet cum excommunicato denunciato in Diuinis, vel Humanis, vt habet Sayr. tomo 1. lib. 2. ca. 11. n. 29.

3 Sic si Episcopus ferat excommunicationem in eum, qui aleis luserit, & ipse aleis ludat, non incidit in excommunicationem, vt habet idem Sayr. tomo 1. lib. 1 cap. 5. num. 22.

Hoc tamen verum est, quòd si alter committeret peccatum cum Episcopo, quod ab ipso fuisset reseruatum: licet Episcopus ipse non incideret in reseruationem; in eam tamen incideret alter, qui peccati fuisset complex. Sic, si Episcopus tulisset excommunicationẽ in ludentes aleis, licet Episcopus ipse ludendo non afficeretur excommunicatione, ea tamen afficeretur is, qui cũ ipso luderet, vt habet Graf. tomo 1. decis. lib. 2. cap 96. num. 15. Naldus v. excommunicatio nu. 10. & ex Sayro docet Floron. cit. nu. 8.

DIFFICVLTAS II.

An Vicarius Generalis eius Episcopi, qui reseruationem tulit, ligetur ea reseruatione, & à quo nam possit absolui.

4 *An Vicarius generalis incidat in reseruationem latam à suo Episcopo.*
5 *An possit absolui, dato quòd incidat.*
6 *Delegatus ad dispensandum pro aliqua Communitate, an idem possit circa se ipsum, quod potest circa alios.*
7 *Si Episcopus incidat in casum Papæ reseruatum, à quo possit alios absoluere, potest tali facultate pro se vti.*
Potest item alteri committere, vt cum eo dispenset in ijs omnibus, in quibus potest cum suis subditis dispensare, ibidem.
8 *Quis petit ab Episcopo omnem illius auctoritatem pro vna vice, & pro vna persona*

persona subiecta, an comprehendatur ipse petens.

4 AD primùm resp. Vicarium Generalem eius Episcopi, qui tulit reseruationem, incidere in casum reseruatum. Et ratio est, quia quando Vicarius malè agit tanquam priuatus, non gerit vices Episcopi, & consequenter est illi subiectus, & illius legibus ligatur. Ita Vgol. in tractatu de officio, & potestate Episcopi cap. 39. num. 2. Anton. Nald. v. casus num. 6. vers. 3. Floron. p. 1. de cas. reser. cap. 2. §. 2. num. 12

5 Ad secundum. Vtrum, videlicet, si Vicarius Episcopi incidat in casum reseruatum, dato quòd habeat potestatem subdelegandi, possit in propriam personam vti illa facultate, vt possit alteri confiteri, dando illi auctoritatem, vt absoluat.

Respondet negatiuè Graf. in appendice ad decisiones aureas lib. 3. cap. 8. num. 22. Pobat primò ex præsumpta intentione Episcopi, quæ magis est attendenda, quam verba. l. de quibus ff. de legibus. Sed Episcopus interrogatus à suo Vicario, an auctoritate illa subdelegandi posset vti pro se ipso, responderet quòd non; quia si secus esset, perniciosum esset concedenti, qui diceretur dare occasionem peccandi: qui autem occasionem peccandi dat, ipse peccasse dicitur. Vnde ne hoc absurdum accidat, dicendum est verba generalia arctari, vt nõ comprehendatur perniciosum concedenti. l. si cui ff. de seruit. Secundò, verba generalia arctantur semper ad solita concedi ex. l. si finita ff. de damno infec. & ad id, quod est de iure, vt notat Glossa in cap. fin vers. negotijs de officio delegati: Atqui semper potestas absoluendi cum potestate subdelegandi intelligitur data in personam aliorum, & nemo potest auctorizare sibi ipsi, ex cap. qualiter de elect. & in generali sermone excipitur persona, cui loquimur l. si mandauero §. si tibi centum. Quæ omnia verbatim habet Graf. cit. contendens probare Vicarium Episcopi non posse pro sua persona vti facultate subdelegandi, adhoc vt absoluatur ab aliquo casu reseruato, in quem inciderit. Et quod de Vicario Episcopi asserit, idem dicit de Priore habente facultatem à Prælato absoluendi à casibus reseruatis, & præterea subdelegandi. Idemq; in eius sententia dicendum est de quocunque alio habente à Superiore hanc vtramque potestatem.

Ego verò resp. Vicarium, Priorem, vel alium quemcunquè, qui a suo Superiore habeat facultatem absoluendi à casibus reseruatis vna cum potestate subdelegandi, dato quòd ipse incidat in casum reseruatum à suo Episcopo, vel Superiore, posse de illo casu absolui ab eo, quem ipsemet Vicarius, vel Prior delegauerit. Ita Vgol. in tractatu de Officio, & potestate Episcopi cap. 39. nu. 2. vers. contrariam opinionem. Anton. Naldus v. casus num. 6. Floron. de cas. reseruatis par. 1. cap. 3 § 1. num. 3. Cardinalis de Lugo disp. 20. de pęnit. sect. 5. num. 58. Diana par. 3. tract. 4. de Sacramentis resol. 142. Probatur, quia facultas concessa Vicario est generalis, ita vt possit subdelegare quemcunq; voluerit pro absolutione a casibus reseruatis: & Vicario ipsi dicitur communicata per illam delegationem omnis potestas Episcopi; ergo poterit vti tali facultate, etiam pro sua persona. Tum quia vigore illius facultatis quam Vicarius generalis habet deputandi Confessarios pro peccatis non reseruatis, potest Confessarium aliquem deputare, cui ipsemet confiteatur peccata non reseruata; ergo vigore illius facul-

tatis quam habet deputandi Confessarios pro reseruatis, poterit Confessarium aliquem deputare, cui ipse met peccata reseruata confiteatur: ac si prior facultas non excludit ipsum met Vicarium, nec posterior excludet; cum eodem modo habeat vtramque potestatem pro tota Diœcesi.

6 Sic delegatus ad dispensandum pro aliqua Communitate potest idem circa se ipsum, quod potest circa alios, cum ipse sit pars eiusdem Communitatis, vt bene Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 3. num. 10.

7 Sic Episcopus si incidat in casum reseruatum Papæ, à quo ipse possit alios absoluere, potest delegando alteri facultatem ab eo absolui, vt habet Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 3. nu. 3., & in summa tomo 1. lib. 2. cap. 11. num. 11. Suar. tomo 5. disp. 41. sect. 2. num. 9. Ricard. in praxi par. 1. resolut. 445. num. 2. Henriq. lib. 14. cap. 18. nu. 3. Sayr. de cen. lib. 7. cap. 9. nu. 5. Nald. in sum. v. casus num. 6., & alij plures. Atque hoc idem Sayr. Suar. Sanch. cit. & alij extendunt ad dispensationem, ita ut Episcopus possit suo Confessario committere, vt cum ipso dispenset in ijs omnibus, in quibus Episcopus ipse potest cum suis subditis dispensare. Quinimmò loquentes de casibus occultis concessis Episcopo in Trid. sess. 24. cap. 6. de reformatione, subdunt id decreuisse Congregationem Cardinaliū, vt videlicet si Episcopus in illos incidat, possit vti absolutione sui Confessoris ab ipso ad id delegati; ergo pari modo idem erit dicendum de Vicario, Priore in Religione, vel alio habente facultatem subdelegandi pro absolutione à casibus reseruatis, eum videlicet posse tali facultate vti pro sua persona, cōmittendo illam alicui Confessario approbato, vt ab eo absoluatur; dato quòd in casum aliquem reseruatum inciderit.

8 Hoc loco emergit dubium. Quid dicendum in hoc casu. Titius petit ab Episcopo omnem eius auctoritatem pro vna vice, & pro vna persona ei subiecta, quæritur vtrum in hac facultate obtenta includatur ipse petens, ita vt per quemcũq; Confessarium absolui possit à reseruatis. Casum hunc proponit Graff. cit. num. 27. & licèt ipse sustineat, quòd non possit vti tali facultate; tamen pro parte affirmatiua rationes aliquot adducit. Primò quia nemo tenetur se ipsum prodere, Capite quis aliquando, de pœn. dist. 1. Tum quia in generali sermone comprehenditur etiam persona ipsa, quando loquens concipit in persona alterius. l. Paulus resp. §. fin. ff. de pign. vt si diceret, est quædam persona, quæ indiget vestra auctoritate, placet ne vobis illam dare? Secus verò si diceret, rogo te, vt des facultatem pro vna persona. Addo sententiam hanc sustineri à Florono loco cit. Villalobos in summa to. 1 tract. 9. diffic. 64. num. 4. vbi sic asserit. [Quando el Prelado concede à vno la autoridad sin restrincion ninguna, es visto concederla actiua y passiua &c.] Leone de Officio & potestate Confessoris tomo 2. recollectione 6. nu. 131. vbi habet, quòd quando subditus petit facultatem à Superiore pro vna persona pro casibus reseruatis, potest vti pro sua persona. Diana 3. par. tract. 4. de Sacram. resol. 142. Ex modo tamen loquendi, quoties petens sit Sacerdos, videtur concessio intelligenda tantum de absolutione actiua. Quod si petitio fiat sub forma tertiæ personæ, dicendo, v. g. Vnus subditus petit facultatem pro vna vice, vt faciat se absoluere ab aliquo Confessario; tunc non videtur dubium quod ipse petens

posset vti hac facultate, vt bene de Lugo cit. sect. 8. nu. 119. quo loco monet, quod is, qui à Sacra Pœnitentiaria facultatem peteret pro vno indigente, vi cuius pro vna vice posset absolui à certo peccato, ex vi horum verborum reputandus esset inclusus.

DIFFICVLTAS III.

An Vagi, & Peregrini incidant in casus reseruatos illi Ordinario, in cuius Diœcesi sunt, ita vt non possint absolui à quocunq; Confessario.

9 *Qui nam dicatur vagus.*
10 *Qui nam dicatur peregrinus.*
11 *Qui nam sit proprius Parochus vagorum.*
12 *Cui nam possint confiteri iter agentes, & peregrinantes.*
13 *Vagi & Peregrini ligantur reseruatione loci, in quo confitentur.*
14 *Vagus, aut Peregrinus, qui virginem defloret in Diœcesi Bergomensi, in qua peccatum hoc non sit reseruatum: si Mediolani confiteatur, tenetur illud confiteri approbato pro reseruatis.*

9 PRO responsione supponendum primò, Vagos dici eos, qui nullibi certam, & constantem sedem, ac domicilium habent, sed hinc inde vagantur. Ita habetur. l. qui manumisit. Vnde meritò eorum sententiam reprobat Clar. lib. 5. receptarum in practica criminali §. fin. quæst. 39. vers. Sed hic quæro quis dicatur Vagabundus &c. qui asserunt, ad hoc vt aliquis dicatur Vagus, requiri etiam, vt careat domicilio originis; satis enim est si careat domicilio habitationis.

Pariter vagos dici eos, qui pristinum domicilium omnino deserentes nauigant, vel iter faciunt, quærentes vbi se collocent. Hi enim verè sine domicilio sunt, & ob id vagi sunt dicendi. Ita expresse habetur. l. eius qui manumisit cit. §. Celsus ff. ad municipia. Ita demum Sylu. v. Confessor 1. quæsito 6. versiculo 4. Nauar. cap. placuit de pœn. dist. 6. num. 77. & 82. D. Anton. 3. par. titulo 17. cap. 4. casu 4. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 3. nu. 3. Quinimò addo, etiam dici vagum, qui relicto priori domicilio iter facit ad locum, in quo destinauit constituere domicilium. Et ratio est, quia si vagus dicitur ille, qui nullibi certam sedem, & domicilium habet; porrò is, qui relicto priore domicilio pergit ad locum, in quo destinauit figere domicilium, pro eo tempore, quo est in itinere domicilium nullum habet: cùm prius, & animo & facto ipso deseruerit, posterius verò necdum acquisiuerit; Ergo pro eo tempore est vagus, & ita expresse sustinet Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 25. nu. 4. vbi numero sequente infert eum dici vagum, qui relicta priori Parochia ad aliam se transfert, & dum domus ea, ad quam se transfert expeditur habitatore, pro eo tempore hospitatur in aliqua domo alterius Parochiæ. Et ratio est, quia verum est dicere, hunc nullam habere Parochiam, cùm illam deseruerit, & nouam necdum incœperit habitare.

10 Supponendum 2. Peregrinos, si propriè, & ex vi verbi loquamur, dici eos, qui à sua Patria peregrè eunt, ducto nomine à peregrè, & eò, quod significat foras vado. Cæterùm, quia verba secundùm communem loquendi vsum accipienda sunt, vt habetur in cap. ex litteris, de sponsalibus, ideo dico Peregrinos communi loquendi vsu dici

dici eos, qui extra suam Patriam deuotionis causa huc, illucuè eunt: puta Romam, aut ad Sanctissimas ædes Diuæ Mariæ Lauretanæ, aut ad sepulchrum Christi Domini, vel ad sepulchrum Diui Caroli.

11 Supponendum 3. in sententia, quæ meo iudicio verior videtur, eum esse proprium Parochum vagorum, in cuius Parochia reperiuntur, proindèq; actualem illorum habitationem succedere loco domicilij, ita vt quod in alijs facit domicilium, in vagis facit actualis habitatio: Et sic mutata habitatione mutari Parochum. Cuius rei optimum signum est, quòd Parochus ille, in cuius Parochia reperiuntur, tenetur ex Officio illis ministrare Sacramenta, eosquè potest ad præceptum implendum compellere. Ita Sylu. v. Confessor 1. quæsito 1 Soto dist. 18. quæst. 4 art. 2. Med. cod. de Conf. quæst. 35. Suar. disp. 25. de pœn. sect. 2. num. 7. Conin. disp. 8 dubio 8. num. 67. Reg. lib. 1. nu. 64. Vasq. quæst. 93. art. 1. dubio 4. nu. 4. Quidquid in contrarium afferat Nau. in cap. placuit 79. dicens eos posse eligere quemcunq; Confessarium voluerint, & Palud. in 4. distinct. 17. quæst. 3. D. Anton. 3. p. tit. 11. cap. 4. Caiet. v. absolutio 2. existimantes vagos, seu vagabundos nullum habere proprium Sacerdotem, & ideo Ecclesiam fecisse illis facultatem eligendi quemcunque Confessarium voluerint: hęc enim omnia minùs vera sunt, primò, quia nullibi constat de hac facultate illis concessa. Secundò, quia hoc illis esset valdè perniciosum: nullus enim esset, qui ex officio propriam, & particularem curam illorum gereret: nequè ipsi tenerentur alicui rationem reddere, vtrum impleuissent pręceptum annuæ confessionis. Demum, quia ij omnes, qui domicilium haberent deterioris essent conditionis. Quæ rationes satis ostendunt sententiam Gabrielis in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 3. dubio 2. esse minùs veram, asserentis vagos nullum alium habere Sacerdotem proprium præter Episcopum illius Diœcesis, in qua versantur, & ab illo habere ex cōsuetudine facultatem eligendi Confessarium quem voluerint: de hac enim facultate, nec constat, nequè ea videtur rationi consentanea.

Addo etiam vagos non solùm posse peccata sua confiteri Parocho loci, in reperiuntur, vt pote qui sit proprius illorum Sacerdos; sed etiam posse illa confiteri alteri Sacerdoti approbato ad excipiendas confessiones in eo loco, in quo ipsi reperiuntur: sicut enim habentes domicilium, vel quasi domicilium in eo loco, non solùm possunt confiteri Parocho illius loci, sed etiam alteri Sacerdoti approbato ad excipiendas confessiones in eo loco: ita etiam eidem Sacerdoti poterunt vagi peccata sua confiteri. Ita DD. cit. Aduertam tamen pro praxi, cautum in nostris Concilijs esse, vt in Diœcesi possit quidem Parochus ille, in cuius Parochia vagus reperitur, eum audire, eiq; ministrare Sacramenta confessionis, & Eucharistiæ, etiam tempore Paschatis, dummodò illuc non accesserit gratia vitandi proprium Parochum: in Vrbe tamen hac nostra Mediolani tempore Paschatis vagos omnes, & aduenas habentes domicilium extra Diœcesim remittendos esse ad Parochos Ecclesiæ Metropolitanæ. Ita habetur actorum, p. 4. in instruct. Confessorum pag. mihi 771 ijs verbis [, Mà nella Città nel tempo Paschale il Curato solo della nostra Chiesa Metropolitana ministrarà in essa Chiesa li Santi Sacramenti alli forastieri, che saranno in Milano per passagio, ò per

altra occasione, che non habbino domicilio fermo sotto altra Parochia della Città.]

Ex quibus patet, attenta nostra sententia, & multo magis attentis particularibus decretis, minùs veram esse sententiam Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 23. nu. 17. Fagundez in primo precepto lib. 1. cap. 8. nu. 5. Ascanij Tambur. de iure Abbatum tomo 2. disp. 5. quest 3. nu. 6. Laurentij Portel in dubijs Regularium v. Sacramentorum administratio num. 6. qui citat Rodriquez asserentium Regulares virtute suorum Priuilegiorum posse ministrare Eucharistiam vagis in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ Communionis: cùm enim illorum Parochus sit is, in cuius Parochia reperiuntur, ab eo etiam tenentur suscipere Sacramenta.

12 Supponendum 4. iter agentes, seu peregrinantes, licèt suum retineant Parochum, adhuc tamen posse confiteri Parocho loci, ad quem perueniunt, vel Sacerdotibus ibi habentibus iurisdictionem delegatam ab Episcopo loci, vt optimè tradunt Sylu. v. Confessio 1. quæst. 11. Soto dist. 18. quæst. 4. art. 2. Suar. cit. nu. 8. Vnde est, vt actorum p. 2. Synodo 11. pag. mihi 409. meritò cautum sit, licere cuicunq; Parocho audire aduenas, & peregrinos, quos intra Parochiæ suę fines breui tempore in Diœcesi morari contigerit, etiam tempore Paschali; nisi fortè de industria eò accesserint, ne in Parochiali Ecclesia Sacramenta sumerent. His ergo pro clariore solutione suppositis.

13 Resp. ad difficultatem propositam, dicendo vagos, & peregrinos obligari casibus illius Episcopi, in cuius Diœcesi peccata sua confitentur, & ratio est, quia in foro Sacramentali quilibet est iudicandus secundùm peccata, quæ confitetur: & absolui etiam potest tantùm secundùm iurisdictionem non impeditam, quam habet Cõfessarius pro eo tempore, quo illius confessionem audit; ergo obligabitur reseruatione casuum illius Diœcesis, in qua sua peccata confitetur. Quæ omnia tam vera sunt de vagis, & peregrinis, quàm de Scholaribus, Mercatoribus, Militibus, seruis, & alijs iter agentibus. Videte Floron. p. 1. c. 3. §. 4. & 5. Cardinalem de Lugo disp. 20. de Sacram. pęnit. sect. 5. num. 72.

Quare, si peccatum sit reseruatum Episcopo Confessarij, non poterunt absolui à Confessarijs eius Diœcesis, in qua peccata sua confitentur, nisi Confessarij ipsi habeant facultatem absoluendi à reseruatis: qui enim habet commodum, debet etiam sentire incommodum, vt habetur l. secundùm naturam ff. de reg. iuris. At vagi, & peregrini hoc habent commodum, vt possint absolui à Confessarijs illius Episcopi, in cuius Diœcesi reperiuntur; ergo etiam hoc incommodo sunt grauandi, vt non possint ab ijs peccatis absolui, quæ in illa Diœcesi sunt reseruata. Quinimò addo, si ipsi hoc commodum sentiunt, vt possint absolui ab ijs peccatis, quæ erant reseruata in loco, in quo ea commiserunt, sed tamen reseruata non sunt in loco, in quo ea confitentur, vt videbimus inferiùs: æquum etiam esse, eos pati hoc incommodum, vt nimirum non possint absolui ab ijs peccatis, quæ licet non essent reseruata in loco, in quo fuerunt cõmissa, ea tamen reseruata sunt in loco, in quo ea confitentur.

Dices si Parochus proprius veniret cum peregrino suo subdito in nostram Diœcesim, posset hic illum absoluere ab eo peccato, quod in eius Diœcesi

non est reseruatum, licet esset reseruatum in nostra; ergo etiam Parochus nostræ Diœcesis non habens facultatem à reseruatis poterit illum absoluere, tanquam à non reseruato. Resp. concesso antecedente negandam esse consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia Parochus ille prior haberet facultatem à suo Episcopo absoluendi ab eo peccato, & sic respectu illius Parochi peccatum non esset reseruatum; Parochus verò nostræ Diœcesis facultatem illam non haberet, & sic respectu huius esset reseruatum; vnde est vt non posset illum absoluere quia ad illum absoluendum vti debet ea facultate, quam habuit à proprio Episcopo.

14 Ex quibus patet, si vagus, aut peregrinus defloret virginem in Diœcesi Bergomensi, in qua peccatum hoc non sit reseruatum: si tamen peccatum hoc confiteatur in nostra Diœcesi, ligari hac reseruatione, & consequenter non posse absolui, nisi ab habentibus facultatem absoluendi à reseruatis ita Gambar. de cas. reser. cap. 2. n. 35. E contra verò, si vagus committat peccatum bestialitatis in Diœcesi Bergomensi, in qua peccatum hoc sit reseruatum, & illud confiteatur in nostra Diœcesi, in qua non est reseruatum, posse absolui à quocunquè Confessore approbato. Ita Gambar. cit. num. 36. Quod eodem modo est sustinendum de Peregrino, licèt ipse contrarium asserat. Sed de casu hoc clariùs constabit in quæstione sequente.

DIFFICVLTAS IV.

An pueri ante annos pubertatis incidant in Casus reseruatos.

15 *Responsio est affirmatiua.*

NEgant aliqui ea ratione nixi, quia sicut minor ætas in foro externo excusat à pęna ordinaria, ita & in animæ iudicio. Ita Iacobus de Graffijs to. 1. consiliorum lib. 5. de adul. conf. 3. num. 13. & seq. agens de pueris succubis & muliebria patientibus, vtrum, videlicet, incidant in reseruationem latam contra committentes peccatum sodomiæ. Et pro hac sententia affert Diana par. 1. tract. 15. resol. 1. Paludanum, & Bellochium.

15 Ego verò resp. affirmatiuè. Et ratio est, quia reseruatio non est pęna, sed est ablatio iurisdictionis, vi cuius Superior intendit, vt in casibus grauioribus ad ipsum recurratur pro absolutione. Ac bene infert doctissimus de Lugo disp. 20. de Sacram. pœnit. sect. 1. num. 9. Si hæc reseruatio pęna esset, quod ea non incurreretur ab ignorantibus; vnde adultus ignorans reseruationem alicuius peccati, illam non incurreret, retenta sententia, quod ignorantia pęnæ excuset à pęna, quam pluribus Doctoribus citatis docet Diana 3. par. tract. 5. Miscell. resol. 12. & 13. Vnde inferas si quando impuberes incidant in casum reseruatum, non esse melioris conditionis in hoc, quàm sint adulti. Et ratio est allata, quia hoc ipso quod casus aliquis est reseruatus, Superior ademit Confessarijs facultatem ab eo absoluendi, qua adempta nullus, siue pubes, siue impubes absolui potest.

DIFFICVLTAS V.

An Nouitij ligentur reseruatione lata à Superiore Monasterij.

16 *Nouitius non ligatur reseruationibus Monasterij.*

17 *A quo nam possit absolui, dato quòd incidat in casus reseruatos Ordinario loci.*

Difficultatem hanc proponit Corduba in suo quæstionario Theologico lib. 1. quæst. 30., cui respondet, affirmatiuè, eandemq; sustinent Laym. Rodriq. Bartholomeus de Vecchis, quos pro hac sententia citat Diana p. 3. tract. 2. de dubijs Regularium resolut. 4. & resolut. 110.

15 Resp. tamen, non ligari reseruationibus Religionis. Probatur, quia cùm materia reseruationis sit odiosa, ea est restringenda tantùm ad Professos: licèt enim, quantùm ad fauores Nouitij computentur inter Religiosos; tamen in odiosis non computantur. Ita Graf. in appendice ad decis. aur. lib. 1. cap. 7. nu. 69. Belloch. de cas. reser. p. 1. quæst. 2. n. 109. Homobonus de cas. reser. p. 1. cap. 3. num. 7. Vgol. de potes. Episcopi p. 2. cap. 35. §. 1. n. 5. Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 3. art. 18. nu. 3., & 4. Naldus in sum. v. Nouitius nu. 7. & alij plures apud Dianam cit.

Vnde inferas, quemlibet Confessarium Secularem posse absoluere Nouitium à peccatis ijs, quæ in Religione sunt reseruata, dummodò non sint etiã reseruata Episcopo Confessarij.

Obijcies 1. Decretum Clementis VIII. ab ijs verbis, quilibet Nouitius: quo loco habetur, curam audiendi Confessiones Nouitiorum soli Magistro Nouitiorum esse committendam; semel tamen, vel bis in anno, id etiam licere Superiori, vel cui ille commiserit. Ex quo decreto videtur constare, nullos alios, præter nominatos in dicto decreto, habere facultatem audiendi confessiones Nouitiorum; & si alij de facto audiant, & absoluant, confessiones ipso facto irritas esse.

Resp. Decretum illud non esse latum à Pontifice per modum præcepti irritantis confessionem aliter factam, sed per modum regulæ, & consilij.

Obijcies 2. qui potest absoluere, potest, & ligare; absoluere enim, & ligare, maximè Sacramentaliter, est actus eiusdem potestatis; sed Prælati Religionum possunt suos Nouitios absoluere à casibus, & censuris; ergo etiam suis reseruationibus, & censuris eosdem poterunt ligare.

Resp. negando maiorem absolutè; propositio enim hæc, qui potest absoluere, potest & ligare, verificatur tantùm de Prælatis Superioribus habentibus principalem, & ordinariam auctoritatem, qualem habent Episcopi: non verò de inferioribus, vel alijs habentibus tantùm commissam, vel delegatam facultatem, qui aliquando ligant, quem absoluere non possunt: & aliquando absoluunt, quem ligare non valent. Sic delegatus Papæ potest excommunicare nõ obedientem suæ sententiæ: anno tamen transacto post sententiam definitiuam non potest eundem absoluere. Sic Parochi absoluere possunt suos Parochianos: non tamen eos possunt ligare per excommunicationem, vel per statutum, vel per casuum reseruationem. Idemque clariùs constat in habentibus facultatem delegatam.

Obijcies 3. Prælati Religionum possunt pro suis Nouitijs statuere Confessarios, qui necdum sint approbati pro confessionibus Secularium, & de facto statuunt; ergo signum est, quòd in illos eandem habent iurisdictionem, quam habent in Professos; ergo possunt eos ligare suis reseruationibus.

Resp. concesso antecedente, negandam esse consequentiam: licèt enim, quantùm ad fauores attinet, Nouitij computentur inter Professos, non tamen in odiosis.

16 Dubium hoc loco est, à quo nam possint absolui dicti Nouitij, dato

quòd

quòd incidant in casus reseruatos Ordinario loci. Respondent Henriq. de indulgentijs cap.21.,& de pœn.cap.16. §.3.quem sequitur Naldus loco cit.posse absolui à Prælato Religionis.

Ego verò resp. absoluendos esse ab Ordinario, vel ab habente facultatem absoluendi à reseruatis Ordinario, & ratio est,quia si in illius reseruationem incidunt, per eum etiam sunt absoluendi: vnum enim quodq; per easdem causas tollitur, per quas inductum est. Ita Homobonus. Floron. cit.

Contrariam tamen sententiam sustineri in praxi testati mihi sunt Viri Religiosi docti,quia cum maneant sub cura & iurisdictione Prælatorũ Religionis, per eos etiam, vel per Confessarios illis deputatos absolui possunt ab omnibus peccatis suis, eodem gaudentes priuilegio, quo professi, inter quos in fauorabilibus computantur. Ac sicuti si professus incidat in casus reseruatos Ordinario, potest ab ijs absolui per simplicem Confessarium à suo Prælato deputatum; ita & Nouitius. Et hæc sententia est probabilis.

DIFFICVLTAS VI.

An ignorantia excuset à reseruatione.

18 *Duplicis generis potest esse reseruatio*

19 *Ignorantia aliquando non excusat à reseruatione: aliquando verò excusat.*

20 *Ignarus constitutionis editæ de rebus incertis ad capsam deferendis, non incidit in reseruationem, si sibi tanquam pauperi illas applicet.*

CAsus hic est. Titius ignorat reseruatam esse deflorationem Virginis. Quæritur vtrum si Virginem defloret, ligetur reseruatione.

Huic difficultati respondebit fortè quispiam negatiuè, eo nixus fundamento,quòd reseruatio sit pœna: & in probabili sententia ignorantia excuset ab ea incurrenda. Cuius sententiæ est Nau. in sum.cap.23.num 47.quo loco habet hanc doctrinam posse plerisquè solatio esse, maximè in materia censurarum, & irregularitatis. Philiar. de Officio Sacerdotis tomo 1. par.1.lib.3. cap.4. §.3. Obijcitur, & alij, quos citat Sanch.lib.9.de matrim.disp.32.nu.20. Quam sententiam idem Sanch. putat esse probabilem, & casum hunc in terminis proponens Diana par.6.tract.6. resol. 42. asserit non improbabiliter dici ac sustineri posse, quod reseruatio casuum licet ad bonam Ecclesiæ gubernationem inuecta, habeat tamen rationem pœnæ, & sic illam ignorantes non incurrant.

Pro responsione aduertendum duplicis generis esse posse reseruationem. Altera est, quæ simpliciter fit, & ad bonam Ecclesię gubernationem refertur, vt videlicet grauiora quædam, & atrociora delicta, si fieri possit, per reseruationem corrigantur; vt opportuniora remedia illis adhibeantur: quod à quocunque Confessario fieri non potest, sed tantùm à peritioribus, vt bene habet Sotus in 4.dist.18. quæst.2.art.5. vers. secundùm argumentum. Vel demum,vt ob difficultatem veniæ impetrandę nefarij,ac scelesti homines reddantur minùs procliues ad committenda peccata: ab huiusmodi sceleribus arceantur: & à recidiuis præseruentur; hę enim sunt rationes,ob quas fuerunt inductæ reseruationes in Ecclesia.

Altera est, quæ in lege præcipitur, & à Superiore imponitur, ad inducendam obseruationem alicuius legis.

18 Resp. ergò primò, si reseruatio

sit primi generis, eam incurri, etiamsi delinquens ignoret tale peccatum esse reseruatum. Et ratio est, quia talis reseruatio propriè non est pœna pœnitentis, sed est ablatio iurisdictionis: ad hanc autem tollendam non opus est, vt pęnitens sciat reseruationem, nihilquè interest, quòd illam ignoret, nec ne: & sicuti, si quis bona fide confiteretur simplici Sacerdoti, ignorantia illa nihil prodesset ad validitatem confessionis, neq; efficeret vt absolutio esset valida: ita neque ignorantia reseruationis prodesse potest ad absolutionẽ, cùm ipsa reseruatio nihil aliud sit, quã ablatio iurisdictionis. Ita Vgol. tractatu de Officio, & potest. Episcopi cap. 39. num. 1. vers. 3. Homobon. num 14. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 32. nu. 18. Cardinalis de Lugo disp. 20. de Sacr. pœnit. sect. 1. num. 9. vbi testatur de praxi omnium Religionum, in quibus ignorantia reseruationis non tribuit facultatem absoluendi pęnitentes eos qui reseruationem ignorent. Antonin. Diana clarè affirmans ab hac sententia, vt pote communi, non audere se recedere; quo loco citat Hurtadum de Mendoza, qui contrariam opinionem improbabilem vocat.

Vnde inferas, committentem incestum, homicidium voluntarium, raptum Virginis, Sacrilegium cum Moniali, Sodomiam, & similia peccata, quibus adnexa est reseruatio, affici reseruatione, etiamsi hæc ignoretur. Et ratio est allata, quia huius generis reseruationes, quæ absolutè, & simpliciter fiunt, & ad bonam Ecclesiæ gubernationem referuntur, nihil aliud sunt, quàm ablatio iurisdictionis: vt proinde ignorantia nihil prosit.

Resp. 2. si reseruatio sit secundi generis, ignorantiam excusare ab illa incurrenda. Huius generis est reseruatio, qua Sixtus V. sibi reseruauit absolutionem eorum, qui malè promouentur ad Ordines. Vnde si quis ignoraret hanc constitutionem, sustinerem cum Sanch. loco cit. hunc esse immunem à reseruatione, etiamsi is, qui malè promoueretur ad Ordines sciret se peccare. Et ratio est, quia reseruatio hæc propriè est pęna statuta in odium delinquentis, vt proinde ab ea incurrenda excuset ignorantia.

Sic Gregorius XIII. tulit excommunicationem in eos, qui aliquid dederint, promiserint, acceperint, aut acceptauerint promissionem pro iustitia, aut gratia à Sede Apostolica obtinenda, vt patet ex extrauagante eiusdem edita anno 1574. & præterea addidit, vt nullus possit absolui ante realem restitutionem eorum, quæ pro tali gratia obtinenda fuerint accepta. Et tamen Mol. tomo 1. de iustitia tractatu 2. disp. 92. columna 541. vers. pęnæ, existimat ignarum huius constitutionis immunem esse ab hac reseruatione, ex eò quòd putet reseruationem hanc esse pœnam statutam in odium delinquentis. Ratio ergo horum est, quia huius generis reseruatio est quædam pęna imposita contra transgressores constitutionis, aut legis; ergo ea sequetur naturam principalis, idest legis; cùm autem ignorantia legis excuset à transgressione, excusabit etiam à pœna.

17 Ex quibus infero à pari, probabile esse quòd ignarus legis, seu constitutionis editæ ab Ordinario de rebus incertis deferendis ad capsam incertorum immunis sit ab ea reseruatione, in quam incidunt ij, qui res incertas sibi tanquam pauperibus applicant. Et ratio est, quia reseruatio hæc se habet per modum pœnę statutæ in transgressores huius constitutionis. Sicuti ergo

ab

ab hac transgressione excusabit ignorantia, ita putauerim etiam ignorantiam excusaturam esse à pœna reseruationis, quæ cùm sit accessoria sequitur naturam principalis. Sicut in simili agens de legis promulgatione distinguit Glossa in proœmio Clementinarum, v. de cętero, vers. hæc vera nisi dicas: vbi ait, aliud esse in priuilegio simpliciter dato: & aliud in priuilegio in lege concesso; debet enim naturam legis tanquam ipsi accessorium imitari. Sed de hoc casu agemus fusiùs suo loco.

Vnde patet, quid dicendum ad casum propositum initio difficultatis: cū enim defloratio Virginis sit de se mala, inde est, vt talis peccati reseruatio sit ex ijs, quæ simpliciter fiunt, & ad bonam Ecclesiæ gubernationem referuntur: vt proinde ea incurratur etiam ab eo, qui illius fuerit ignarus.

QVÆSTIO TERTIA.

De facultate absoluendi à casibus reseruatis extra Iubileum.

ADuertendum dupliciter posse quempiam absolui à reseruatis. Primò, directè & per se: ad quod opus est, vt is, qui vult absoluere, habeat iurisdictionem: cùm nullus sine iurisdictione possit ferre sententiam in aliqua causa. Secundò, indirectè, & per accidens: vt si pœnitens habens casus reseruatos, & non reseruatos, per se absoluatur à non reseruatis: per accidens verò à reseruatis. In hac autem quæstione quæremus de facultate absoluendi directè, & per se à casibus reseruatis.

DIFFICVLTAS I.

Quibusnam competat facultas ordinaria, & quibus nam competat delegata pro absolutione à reseruatis.

1 *Qui nam habeat facultatē ordinariam.*
2 *A quo nam possit absolui Episcopus incidens in casum occultum Papæ reseruatum.*
3 *Qui nam habeat facultatē delegatam.*

1 REsp. primò, quòd ordinariam facultatem habet is, qui reseruauit peccata, & ille qui in hoc foro est illi Superior iurisdictione. Et ratio est manifesta: nam qui reseruauit peccata, per reseruationē ademit quidem inferioribus iurisdictionem, sed tamen hanc sibi retinuit; ergo per illam poterit absoluere. Rursus, qui est Superior illo, habet iurisdictionem vniuersalem, quæ ad ea omnia se extendit, ad quæ extenditur iurisdictio inferioris; ergo etiam ille poterit absoluere.

Vnde est, vt absolutio à reseruatis non solùm possit impendi ab Episcopo, qui peccata reseruauit: sed etiam à Summo Pontifice, qui est eius Superior in hoc foro: quod probatur; nam inferior reseruando aliqua peccata non aufert iurisdictionem a Superiore; ergo si ante reseruationem poterat Superior absoluere, poterit etiam nunc. Quod autem diximus de Summo Pontifice respectu Episcopi, dicendum etiam de Generali in aliqua Religione respectu casuum reseruatorum à Prouinciali. Et sic de alijs Superioribus, quorum subditi habeant facultatem reseruandi.

Dixi, qui est Superior in hoc foro: vt excluderem eos, qui Superiores tātùm sunt

sunt dignitate in ordine Hyerarchiæ, quales sunt Archiepiscopi respectu Episcoporum, etiam Suffraganeorum: Non enim Archiepiscopus potest absoluere subditum Episcopi, etiam Suffraganei, à casibus reseruatis Episcopo, cum non habeat iurisdictionem in hoc foro in Diœcesi Suffraganeorum: sicut nec habent Patriarchę in subditos Archiepiscoporum sibi subditorum. In casu tamen visitationis Prouinciæ, vel appellationis ad ipsum, posset Archiepiscopus subditos suorum Suffraganeorum, vel per se ipsum absoluere, vel absoluendi facultatem alijs delegare, vt patet ex cap. vltimo de cens. in 6. Et ratio est, quia in his casibus censetur Superior, & habet potestatem ordinariam. Ita Henriq. lib. 6. cap. 7. num. 5. Suarez de pœnit. disput. 30. sect. 2. num. 8. Conin. disp. 8. dubio 3 num. 2. Reg. lib. 1. num. 34. Floron. par. 1. cap. 4. §. 1.

Quinimò addit Henriq. cit. in comment. littera A. Episcopum posse absolui ab Archiepiscopo, dato quòd illi se subijciat, cùm sit illo Superior: eo planè modo, quo Religiosi, licet exempti, possunt ab Episcopo voti commutationem obtinere.

Demum verò facultatem hanc ordinariam habet successor illius, qui sibi reseruauit casus; subrogatus enim sapit naturam eius, in cuius locum sobrogatus est: & Capitulum Sede vacante, quia succedit in locum Episcopi; ita tamen, vt si Capitulum velit absoluere, facultatem absoluendi det alicui Sacerdoti electo, cùm vniuersitas non sit capax eorum, quæ sunt Ordinis Sacerdotij; vtpotè quæ non possit Ordines suscipere. Ita Stephanus Quar. v. Capitulum Sede vacante, vers. subnectitur, & vers. 3. Homobon. de cas. reser. par. 1. cap. 5. vers. quòd etiam. Floron. loco cit. §. 2. Quinimò addo cum Suar. loco cit. nu. 4. Capitulum Sede vacante habere facultatem absoluendi à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, si occulti sint. Et hoc ob rationem allatam, quia videlicet succedit in iurisdictionem Episcopi. Quòd si quispiam dicat, Capitulum succedere quidem in iurisdictionem ordinariam, non verò in illam, quæ per specialem concessionem data est. Resp. Idem Suar. quando hæc iurisdictio spectet de iure communi ad Episcopum, etiam in illam succedere Capitulum, licèt ius illud speciale sit.

2 Ex quibus remanet soluta difficultas ea, in qua quæritur à quo nam possit absolui Episcopus, quoties incidat in casum occultum Papæ reseruatum. Resp. enim primò, absolui posse ab Archiepiscopo, si illi se subijciat, & ab ijs casibus absoluendi habeat facultatem. Secundò, si Episcopus ipse tantam habeat facultatem, vt possit alios absoluere in eosdem casus incidentes; posse ab ijs omnibus absolui, quibus iurisdictionem hanc delegare potest ad alios absoluendos: non enim Episcopus ipse debet esse deterioris conditionis, quàm sint subditi illius. Si ergo ad suos subditos absoluendos à casibus occultis Papæ reseruatis potest alijs facultatem concedere, vt habet Concilium Trid. sess. 24. cap. 6. quare non ad se ipsum? Patetque hoc ex solutione dubij propositi Romæ in Congregatione Cardinalium his verbis. [An Episcopo in aliquod delictorum (de quibus hoc capite) prolapso liceat ad se absoluendum proprium Confessariū deputare cū eadem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere.] Cui responsum fuit. [Congregatio censuit id Episcopo licere;] Ita Suarez supra cit. num. 15.

Sanchez

Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 3. num. 3. Herinquez loco cit. Bonacina disp. 5. de Sacram. quæst. 7. puncto 5. §. 2. num. 7.

3 Resp. 2. quod delegatam facultatem habet is, qui hanc obtinuit ab habente ordinariam: in materia enim casuum reseruatorum pari modo nobis est loquendum, ac de alijs peccatis, à quibus absoluendi delegata iurisdictio confertur ab habentibus ordinariam. Vnde patet, Episcopum, qui peccata reseruauit, posse delegare facultatem ab illis absoluendi. Idemquè multò veriùs dicendum esse de Summo Pontifice. Sed quoniam existimarunt aliqui Summum Pontificem non posse hanc iurisdictionem delegare sine cõsensu illorum Episcoporum, qui casus reseruarunt, ideo sequentem difficultatem instituimus.

DIFFICVLTAS II.

An Papa possit sine inferiorum Episcoporum consensu delegare alicui iurisdictionem absoluendi à casibus illis reseruatis.

4 *Sententia est affirmatiua.*

Difficultatem hanc instituo propter errorem cuiusdam, vt refert Nau. in sum. cap. 27. num. 263. asserentis non posse, ex eò quòd dicat Episcopos habere iure Diuino hanc potestatem peccata reseruandi, qua priuarentur, quoties Papa iurisdictionem ab illis absoluendi posset independenter ab illorum consensu alteri delegare.

4 Resp. tamen posse. Primò, quia incertum est, vtrum Episcopi habeant hanc facultatem reseruandi à iure Diuino: licèt enim Concilium Trid. dicat Episcopos habere potestatem reseruandi: non tàmen explicat, vtrum illã immediatè habeant à Deo: sed tantùm dicit, magnoperè ad Christiani Populi disciplinam spectare, vt atrociora quędam crimina à Summis dumtaxat Sacerdotibus absoluantur. Vnde concludit, meritò Summos Pontifices posse sibi aliquas causas grauiores reseruare: nequè dubitandum esse, quin hoc idem ius competat Episcopis in sua Diœcesi: quę verba non sonant potestatem hanc Episcoporum esse à iure Diuino. Secundò, quia hæc doctrina destruit omnia Iubilea, Cruciatas, & priuilegia in quibus aliquando datur à Summo Pontifice facultas eligendi Confessarium idoneum, à quo possint absolui ab omnibus reseruatis tam Papæ quàm Episcopis. Vnde apparet sententiam hanc esse contra generalem totius Ecclesiæ Christianæ sensum, & consuetudinem; & sapere hæresim Ioannis cuiusdam Poliaci, qui asserebat non posse Papam facere, vt stante Capitulo, omnis vtriusquè sexus, Parochiani non tenerentur confiteri proprio Sacerdoti, seu Parocho Ecclesiæ: nequè posse alteri ita veniam dare audiendi confessiones, vt illi confessus non teneretur iterum proprio Sacerdoti confiteri. Quare licet Episcopus possit reseruare respectu eorum, qui ab ipso pendent in acceptatione, & vsu iurisdictionis; non tamen respectu Superioris, vel respectu eius, qui à Superiore accepit iurisdictionem: reseruando enim, inferioribus tantùm adimit iurisdictionem, non verò Superiori, cùm in illum non habeat potestatem; & sicuti ante reseruationem poterat Superior delegare, ita etiam post.

DIFFICVLTAS III.

De intelligentia concessionis factæ à Superiore pro absolutione à casibus reseruatis.

5 *In impetratione facultatis absoluendi, primò curandum est, vt Superior explicet mentem suam.*

6 *Attendenda etiam sunt verba concessionis.*

7 *Si Episcopus concedat aliquem casum, & postea generaliter concedat omnē suam auctoritatem, hæc extendenda est ad similes casus non expressos.*

8 *Si Episcopus concedat Parocho generalem facultatem audiendi confessiones suorum Parochianorum, intelligenda ea est de reseruatis.*

9 *Si Episcopus concedat facultatem absoluendi à reseruatis, facultas hæc non extenditur ad casus habentes adnexam censuram.*

10 *Neque facultas absolutè concessa pro casibus reseruatis comprehendit censuras.*

CVM facultas absoluendi à reseruatis concedi etiam posse videatur per verba generalia, ideo in hac difficultate varias quasdā formas examinamus, quæ in praxi maximè conducent ad intelligentiam facultatis concessæ à Superiore pro absolutione à reseruatis.

5 Primò ergo, si facultas absoluendi à reseruatis concedatur ore ad os, maximè curandum est, vt Superior explicet suam intentionem. Non eò tamen hæc dixerim, vt scrupulosè ea sit indaganda: quoties enim verba ipsa à Superiore prolata sufficienter eam exprimant, illis esse standum existimarem, absquè vlla alia declaratione voluntatis. Vnde semel à viro docto, & pio consultus de hoc casu, Confessarius quispiam certi Collegij habens facultatem absoluendi clericos, atque alios omnes degentes in tali loco ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, adiuit Episcopum, ab illoque petijt, vt dignaretur illi facultatem eam, quam habebat pro clericis illius Collegij, ad alios omnes extendere, quorum confessiones in Diœcesi audiret: cui petitioni gratificatus fuerat Episcopus, dicendo se illius postulationi fauere, absquè eò quòd nihil aliud subderet, neque interrogaret quanta esset ea facultas, quę pro Confessarijs dicti Collegij expediretur. Respondi, posse illū liberè vti hac facultate pro omnibus ad se accedentibus, neque illi anxiè, & religiosè fuisse dubitandum, vtrum facultatem hanc concessisset, si subdidisset, concessionem eam, quæ Confessarijs omnibus illius Collegij ordinariè concedebatur, extendi ad omnes casus, & censuras illi reseruatas. Et ratio est, quia verba illa Episcopi satis superquè declarabant se illi indiscriminatim, & pro omnibus concedere vsum illius facultatis, qua vti poterat pro clericis illius Collegij in absolutione à reseruatis. Quid autem clarius his verbis pro concessione alicuius facultatis? Tum quia rationabiliter pręsumere poterat non fuisse Episcopo ignotam eam facultatem, quàm in foro pœnitentiæ habebat pro suis clericis: similes enim concessiones, & ita amplæ, ordinariè conceduntur Sacerdoti deputato ad audiendas confessiones illius Collegij, vt proinde id ipsum ab omni fraudis suspicione illum eximere posset.

6 Secundò, si licentia concedatur ex priuilegio, aut scripto, attendenda sunt verba. Quare si Prælatus, & Episcopus,

copus diceret se dare potestatem pro confessionibus audiendis: vel se dare omnimodam facultatem audiendi cõfessiones suorum subditorum, & illos absoluendi: per hanc facultatem non diceretur concessa absolutio à casibus reseruatis. Ita declaratum est in cap. si Episcopus de pœn. & remiss. in 6. & ratio est, quia in generali verbo non intelliguntur specialia concessa. Ita Graf. p. 1. decisionum aurearum lib. 1. cap. 3. num. 64. Suar. de pœn. disp. 30. sect. 1. nu. 3. quo loco infert idem esse dicendum, etiamsi Superior dicat se concedere suam potestatem, & auctoritatem. Ac Graf. ipse num. 66 addit, idem esse dicendum, etiamsi Superior concederet licentiã generalem, adiecta clausula generali, vt omnia Confessarius facere possit, quæ specialem commissionem requirunt.

7 Tertiò, si Episcopus in facultate audiendi confessiones, quam alicui tribueret, exprefsè concederet aliquem casum reseruatum, & postea generaliter adderet, & omnem meam auctoritatem; tunc facultas hæc extenderetur ad similes casus reseruatos non expressos; specificatio enim antecedens explicaret generale verbũ subsequens. Idemq; dicendum, si omnem suam facultatem concederet, aliquo casu reseruato excepto; tũnc enim posset ab omnibus alijs casibus reseruatis non exceptuatis absoluere: exceptio enim firmat generalem regulam, seu explicat illam extendi ad alios casus similes. Ita Suar. cit. Graf. num. 67.

8 Quartò, si Episcopus concederet Parocho generalem facultatem audiendi confessiones omnium suorum Parochianorum, ea esset intelligenda de casibus reseruatis: alioqui talis licentia nihil operaretur. Ita Graf. cit. num. 68.

9 Quintò, si Episcopus concedat alicui facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, non censetur concedere eos, qui adnexam habent excommunicationem. Et ratio est, quia in his est particularis difficultas. Ita Nau. cap. 27 nu. 261. Conin. disp. 8. dub. 12. nu. 85.

10 Sextò, si Episcopus alicui concederet facultatem absoluendi à casibus reseruatis, non diceretur concedere ipsas censuras; à diuersis enim non fit illatio. l. Papinianus Exuli. ff. de minoribus vigesimo quinto anno; hæc enim duo sunt distincta, & respectu Episcoporum non semper sunt coniuncta. Ita ex Nau. Suar. cit. Graf. num. 63. quo loco addit, quoties concedat absolutionem à censuris, & casibus omnibus sibi reseruatis, non concedere dispensationem, seu absolutiõnem votorum, aut irregularitatum, à quibus potest Episcopus. Quæ omnia vera sunt ex vi verborum. Si tamen ex circumstantijs, & antecedentibus, & consequentibus sufficienter constaret de intentione concedentis, hoc sufficeret: licèt enim in foro contentioso præcisè standum sit ipsis verbis; in foro tamen pœnitentię, vbi de veritate rei agitur, quomodocunque constet de intentione concedentis, sufficit: vt benè Suar. cit.

DIFFICVLTAS IV.

An si Pontifex concedat alicui facultatem absoluendi ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, vi huius facultatis possit absoluere à censuris in Bulla Cœnæ contentis.

11 *Sententia est negatiua.*

11 Respon-

11 Respondeo negatiuè: Obstant enim primò decreta Pontificum, vt Sixti IV. in extrauagante, quæ incipit, & si Dominici, de pęnit. & remiss. lib. 5. extrauagantum, qui sub pęna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & alijs pęnis grauissimis præcepit, ne quis extra mortis articulum absolueret a casibus Bullæ: aut ab excommunicatione contracta ob occisionem, vel mutilationem alicuius in Sacris Ordinibus constituti: aut ab interdicto à Sede Apostolica imposito: aut à simonia contracta occasione Ordinum, vel beneficiorum. Cui accessit Clemens VIII., qui clariùs sub ijsdem pęnis hoc idem pręcepit, dum in Bulla, quæ incipit, Sacra Congregatio, apud Quarantam v. casus reseruatus, & apud Gambar. cap. 3. nu. 5. decreuit, ne quis extra mortis articulum prętextu cuiuscunquè priuilegij absolueret a casibus contentis in Bulla Cęnæ, & ab excommunicatione contracta ob percussionem clerici: vel ob violationem clausuræ Monialium ad malum finem: vel ob violationem immunitatis Ecclesiasticæ iuxta constitutionem Gregorij XIII., quæ incipit, cùm alias nonnulli: vel ob beneficiorum confidentiam: vel ob simoniam realem scienter contractam: vel ob prouocationem, & pugnã in duello, iuxta decretũ Concilij Trid. & constitutionem Gregorij XIII., quę incipit, ad tollendam. Tum verò obstat reg. 18. iuris in 6 vbi dicitur, quòd in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus. Tum quia, casus Bullæ specialiter reseruantur, vt proindè indigeant speciali concessione ab illis absoluendi. Adde, hoc esse consuetudine receptum. Sed de hac difficultate iterum redibit sermo in quæst. seq.

Obijcies, verba generalia sunt generaliter intelligenda; ergo si talis facultas sit absoluendi ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, comprehendet etiã censuras in Bulla Cęnæ contentas.

Resp. verba generalia generaliter esse intelligenda, quantùm patitur ipsa voluntas concedentis: sed voluntas cõcedentis non extenditur ad ea, quæ specialiter petita solet denegare, vt patet ex reg. iuris citata.

DIFFICVLTAS V.

Casus Sacerdos obtinuit facultatem à Papa absoluendi ab omnibus casibus & censuris, etiam in Bulla Cœnę contentis. Quęritur vtrum vi huius facultatis possit absoluere ab excommunicatione contracta ob hæresim.

12 *Proponitur sententia affirmatiua.*
13 *Sententia Authoris.*

12 Respondet affirmatiuè Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2. post 5. conclusionem in 1. casu Cęnæ, in fine. Idem habet Cord. in sum. quæst. 8. in fine, quando hæresis est occulta. Niti autem potest hæc sententia eo fundamento, quòd priuilegia Principis sint latissimè interpretanda, iuxta caput, quamuis plenissima, de prębendis in 6. Quòd si quispiam dicat, crimen hæresis esse peccatum grauius; proindèque indigere peculiari concessione. Contra esse potest; quia licèt sit grauius in genere culpæ, tamen in ratione reseruationis eodem modo, & ijsdem verbis reseruatur, ac cętera crimina in Bulla contenta; vt proinde dicendum videatur sub concessione generali cõcedente absolutionem à casibus Cęnæ,

compræhendi etiam hæresim. Sic, licèt percussio Sacerdotis sit in genere culpæ grauior, quàm percussio clerici; tamen facultas concedens absolutionem à percussione clerici, comprehendit etiam absolutionem à percussione Sacerdotis.

13 His tamen non obstantibus, respondeo non posse absoluere, nisi in facultate fiat expressa mentio hæresis. Quæ assertio tanquam certissima est tenenda. Et ratio est, quia concessio generalis absoluendi à casibus Cœnæ, & ab excommunicatione nō comprehendit eam, cuius absolutionem, verisimili coniectura, delegans non commisisset, cap. in generali, de reg. iuris in 6. Atqui absolutio hęresis adeo est reseruata, vt verisimiliter eam Pontifex non concessisset; ergo ea non comprehendetur sub concessione generali absoluendi à casibus Cœnæ: casus enim hic iuxta vsum, & morem Ecclesiæ valdè specialis censetur. Ita Couar. cap. alma Mater par. 1. §. 11. nu. 15. Gutier. qq. can. lib. 1. cap. 13. num. 26. Graff. lib 4. decis. cap. 15. nu. 25. Suar. disp. 7. de cens. sect. 15. num. 12. Henriq. lib. 8. de pœn. cap. 16. num. 2. Azor tomo 1. lib. 8. instit. mor. cap. 10. quæsito 12. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 12. nu. 10. Vtrum verò hoc idem sit dicendum in Iubileo, patebit suo loco.

DIFFICVLTAS VI.

An si Papa concedat alicui facultatem absoluendi ab omnibus censuris, & casibus, censeatur etiam concedere facultatem absoluendi à censuris, & casibus illis, quos sibi reseruarunt Episcopi.

14 *Sententia est negatiua.*

14 Respondeo negatiuè. Ita Gamb. de cas. reser. cap. 2. nu. 5. Chapeauil. cap. 4. de potestate delegatorū circa cas. reser. diff. 6. ita demum Gregorium XIII. definiuisse in Sacra Congregatione Cardinalium pro interpretatione Concilij Trid. deputatorum testantur tres Eminentissimi viri, vt Cardinalis Sancti Sixti Epistola sua missa ad D. Carolum Borromęum, quæ habetur in Concilio Mediolanensi 3. ad finem: Cardinalis item Palleotus, vt videre est apud Viual. v. absolutio nu. 52. dum hoc idem in casibus sibi reseruatis ab eodem Gregorio XIII. dicit fuisse declaratum. Ac tandem Diuus Carolus in Concilijs suis Prouincialibus, vt Concilio Prouinciali 5. titulo dę ijs, quæ ad Sacramentum pęnitentiæ pertinent, vers. cum pro temporum varietate, vbi habet, curandum esse Episcopo, vt casus sibi reseruatos curet singulis annis, vel in Synodo Diœcesana, vel ineunte Ianuario promulgari. Ac subdit [quòd si ab ijs promulgatis Confessarius quispiam cuiusuis Ordinis sine facultate scripta ab Episcopo data aliquem absoluere attentarit, excommunicationis pęnam ipso facto subeat] non ita tamen, vt facultas in scriptis sit semper habenda, quandoquidem statim subdit [si tamen ab vno aliquo speciali casu reseruato, & altero item, aut etiam pluribus absoluendi facultatem aliquando singillatim quis petet, verbo etiam sine scripto concedi posse; tum etiam aliàs, quando Episcopus ita faciendum censuerit.] Huiusquè excommunicationis noua fit mentio in Synodo Diœcesana 4. decreto 14. Addo demum Clementem VIII. qui in Bulla sua, quæ incipit, Sacra Congregatio, decreuit ne vllus prætextu cuiuscunque priuilegij absoluat à casibus reseruatis Episcopo.

Atquè ita præter DD. citatos sentiunt Nau. in cap. quorundam, de Iudæis, notabili 11. num. 71. & in man cap. 27. num. 261. Graff. lib 4. decis. cap. 15. nu. 28. Farinac. de hæresi quæst. 92. nu. 63. Quidquid in contrariũ sentiat Suar. de cens. disp. 7. sect. 5. n 14. Sed de hac difficultate agemus iterum in quæst. seq.

DIFFICVLTAS VII. An saltem Regulares virtute suorum priuilegiorum possint absoluere à casibus Episcopis reseruatis.

15 *Proponitur quorundam sententia affirmatiua.*

16 *Sententia Authoris est negatiua.*

17 *Intelligentia quarundam particularum, quæ Authoris sententiæ videntur obstare.*

SCiendum Fratres Mendicantes, & alios etiam, vt Patres Societatis Iesu hoc gaudere priuilegio, vt absoluere possint quoscunque & vndecunq; ad se venientes ab omnibus peccatis, & censuris, etiam Papæ à iure, vel ab homine reseruatis, exceptis contentis in Bulla Cęnæ. Quæritur ergo in hac difficultate, vtrum vi huius priuilegij possint absoluere à casibus ijs, quos sibi Episcopi reseruant in propria Diœcesi.

15 Respondent aliqui affirmatiuè, quàm sententiam sustinuit Viual. v. de absolutione nu. 27. multis ad eam probandam adductis rationibus, & ad cõtrariam infringendam allatis responsionibus; licèt in fine contrariam approbet propter declarationes Cardinalium, & Conciliorum decreta, quæ postquàm ea omnia scripsisset, asserit se vidisse. Huic etiam sententiæ adhęret Nau. cap. 27 num. 263. Quod idem dicendum esset de priuilegijs ijs, quæ quibusdam Rosarij, & Cruce signatorum Scholis, Confratrijs, Collegijsuè, etiam Laicorum memorantur aliquando concessa. Quinimò Nau eo loco loquitur de Archiconfraternitate quadam Sanctissimæ Trinitatis, cuius in hæc verba refert priuilegium. [Et insuper, vt ipsi Confratres, & alij Christifideles indulgentiarum, remissionum, relaxationum præfatarum, Deo propitio, faciliùs efficiantur participes: illis, & illorum cuilibet, vt temporibus, & diebus supradictis quoscunquè Seculares, vel quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium Regulares, Presbyteros idoneos ab Ordinarijs locorum approbatos, in suos possint eligere Confessores, qui eorum confessionibus auditis, & eos & eorum quemlibet ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, ac delictis quantumcunquè grauibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis contentis in Bulla, vel litteris Cęnæ Domini legi consuetis, toties, quoties: & etiam à criminibus in eis litteris contentis semel in vita tantùm, & in mortis articulo eadem auctoritate absoluere, ac pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere.] Cuius priuilegij planè eandem formam affert Gambar. cap. 2. num. 4, quod sic habet. [Leo X. concesit Fratribus, & Sororibus, Societatis Sanctissimi Rosarij confesis Fratribus Sancti Dominici in ipsorum Ecclesijs in diebus Paschatis, Resurrectionis, Natiuitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis B. V. M. vt posint absolui à quibuscunquè excessibus, peccatis & delictis, etiam Sanctæ Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis tamen legi consuetis quotannis in die Cœnæ Domini: á periurijs etiam, sed tamen sine præiudicio iuris tertij, & com-

& commutandi quæcunque vota, exceptis votis Religionis, & Castitatis, peregrinationis Romæ, Hierusalem, & Compostellæ.]

16 Respondeo tamen, quoties nulla fiat expressa mentio in hisce priuilegijs casuum reseruatorum Ordinario, Pontificem concedentem facultatem absoluendi à casibus reseruatis, non concedere facultatem absoluendi à casibus reseruatis Ordinario; proindeq; nequè Regulares vi horum priuilegiorum, seu Maris Magni, neque alios cuiuscunque Confraternitatis, vel Societatis Scholares, quocunque gaudeant priuilegio, posse à casibus suis Episcopis reseruatis absolui. Ita DD. superiùs citati. Ita Eminentissima Cardinalium Congregatio. Ita Clemens VIII. in sup. diffic. cit. Ita Concilium Prouinciale 5. titulo de ijs, quæ ad pœn. Sacramentum pertinent, cuius hæc sunt verba. [Ne facultatum, priuilegiorumuè iure, quæ cuicunq; etiam Rosarij, & Cruce signatorum Scholę, Confratrię, Collegioue, etiam Laicorum, quæue Collegijs, Confratribusquè in eo adscriptis, antè, vel post Concilij Trid. confirmationem concessa sunt, Confessarius cuiuscunq; Ordinis sit ab ijs casibus, quos sibi Episcopus in sua Diœcesi reseruauerit, pęnitentes sine illius facultate absoluat: si contra fecerit, suspensionē à Diuinis ipso facto incurrat.] Idem habet Graf. in praxi lib. 1. de cas. reser. cap. 4. num. 63. litteras Sacræ Congregationis referens super decreto edito die 9. Mensis Ianuarij 1601. & 26. Nouembris 1602. absolutionem à reseruatis prohibente, quarum hęc sunt verba [Sanctissimus Dominus noster derogando omnibus priuilegijs amplissimè prohibet quibuscunque Confessarijs, tàm Regularibus, quam Secularibus, ne vigore ipsorum priuilegiorum absoluant à casibus in Bulla Cęnæ clarè, vel obscurè &c.] Vnde aliquot casibus enumeratis, ijsquè exceptis, sequuntur hæc verba [& in omnibus casibus, quos locorum Ordinarij sibi hactenus reseruarunt, aut reseruabunt.] Quid clarius? Demum verò accedit Vrbanus VIII. qui Regularium priuilegia, quibus præsumere possent se facultatem huiusmodi habere, expresè declarauit decreto suo ad casus Ordinario reseruatos non extendi: vt proinde dicendum sit, neque priuilegia Cruciatæ, aut Iubilei, nequè alia similia, quorum aliqua refert Viual. loco cit. extendi ad casus Ordinarijs reseruatos quoties nihil aliud exprimatur.

Obijcies 1. per hæc priuilegia Pontifex concedit facultatem absoluendi à sibi reseruatis, quod est maius; ergo etiam dicendus est concedere facultatem absoluendi à reseruatis Ordinario, quod est minus.

Respondeo non valere illationem. Et ratio est, quia posterior hæc facultas est coniuncta cum derogatione potestatis ordinariæ & iuris alterius, puta Episcoporum, cui nunquam intelligitur derogari, nisi de eo fiat expressa, & particularis mentio, ita vt clausulę generales quantumuis amplę, non sufficiant, sed speciales & particulares requirantur, vt patet ex decretis citatis.

17 Obijces 2. illas particulas [exceptis in Bulla Cęnæ] [etiam à quibuscunque casibus, licet enormibus] quæ profectò videntur comprehendere casus Ordinario reseruatos: exceptio enim firmat regulam, vt dicitur si ergo Summus Pontifex concedit facultatem absoluendi ab omnibus casibus, exceptis in Bulla Cęnæ, sequitur quòd nulli alij sint excepti, prętetquam

ij, qui continentur in Bulla Cęnæ, ac proinde ab alijs omnibus absoluendi facultas detur per talia priuilegia. Idemque sonare videtur illa particula [etiam] in formulis horum priuilegiorum apponi solita; dum enim Pontifex sibi reseruatos condonat, profectò videtur condonare casus alijs reseruatos. Quod idem erui planè videtur posse ex illa alia particula [à quibuscunq; casibus licèt enormibus] qui maximè solent ab Episcopis reseruari. Si ergo ab his absoluendi facultatem tribuit, dicendum est facultatem huiusmodi includere casus Episcopis reseruatos.

Respondeo, quantumuis verba ampla sint, & generalem concessionem sonent; in hac tamen non venire casus Episcopis reseruatos. Quod probatur ex adductis testimonijs. Quare illorũ priuilegiorum sensus est, quòd Pontifex ab omnibus casibus absoluendi facultatem tribuat, nisi alijs sint reseruati, exceptis tamen contentis in Bulla Cęnæ. Item, quòd ab omnibus peccatis, quantumuis enormibus, absolui possit pęnitens vi talium priuilegiorum, nisi ea sint reseruata Ordinarijs. Item, quòd etiam à reseruatis Papæ absolui possit pœnitens, idest quòd ab omnibus possit absolui, etiamsi essent Papæ reseruata: dummodò tamen Ordinarijs non sint reseruata. Quare illa particula [etiam] non est sumenda augmentatiuè: quasi verò sensus sit, quòd præter facultatem absoluendi ab alijs, concedatur etiam facultas absoluendi à reseruatis Papæ, ita vt particula hæc augeat facultatem concessam: sed sumenda tantùm est declaratiuè, & significatiuè, ita vt declaret tantùm, & significet a quibus casibus absoluendi facultatem tribuat, idest ab omnibus, nisi alijs Ordinarijs sint reseruati, etiamsi Papę essent reseruati.

Ex quibus sequitur, quòd si casus aliquis Papæ reseruatus, esset etiam Episcopo reseruatus, intuitu talis priuilegij à Papa concessi non posset pęnitens absolui.

Obijcies 3. Episcopi non possunt sibi reseruare casus respectu Regularium Mendicantium, cùm hi sint exempti; ergo saltem hi poterunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis. Antecedens probatur, quia Episcopus potest tantùm reseruare casus respectu sibi subditorum. Vnde Concilium Trid. sess. 14. cap. 7. notanter dixit [pro illis,] idest Episcopis, in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate. Atqui Regulares Mendicantes non sunt subditi iurisdictioni Episcoporum, sed tantùm Pontificiæ. Ergo &c. Idemque dicendum de alijs, quibus à Sũmis Pontificibus fuit communicatum priuilegium Mendicantiũ. Quod argumentum probat eos posse absoluere à casibus reseruatis locorum Ordinarijs, etiam independenter à peculiaribus priuilegijs obtentis.

Respondeo argumentum hoc ad sũmùm probare tantùm, quòd Mendicantes iure communi in Clementina, Dudum, de Sepulturis, possint absoluere à casibus omnibus, exceptis ijs, qui vel Papæ, vel Episcopo quidem, sed in iure tantùm sunt reseruati: proindequè à casibus ijs, qui, vel ex consuetudine, vel ex constitutione, vel beneplacito Episcoporum sunt reseruati, possint absoluere, vt ex sententia omnium Summistarum communiter, & Doctorum docet Sylu. v. Confessor 2. quæsito 5. Cęterùm iure particulari attento nullus Confessarius, quantumuis exemptus, & priuilegiatus potest absoluere a casibus ijs, quos sibi reseruant locorum Ordinarij absq; eorum

licentia,

licentia, quia quoad hoc Regulares omnes etiam exempti, & priuilegiati, fuerunt à Summis Pontificibus subiecti Episcopis, vt patet ex decreto cit. Sacræ Congregationis de mandato Clementis VIII. super absolutione à casibus reseruatis, ijs, verbis, [nec etiam à casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterum reseruabunt.] Itemque ex alio decreto eiusdem Congregationis de mandato Sanctiss. D. N. Pauli V. edito 2. Ianuarij 1617. in quo contra Regulares, qui vi suorum priuilegiorum absoluebant etiã à casibus reseruatis Ordinario absquè illius licentia, innouatur, & confirmatur decretum primum sub Clemente VIII., & præcipitur obseruari ab omnibus Regularibus.

DIFFICVLTAS VIII.

An facultas quæ petitur absoluendi à peccatis reseruatis extendatur etiam ad peccatum commissum post obtentam facultatem, antequam tamen fiat confessio.

18 *Prima sententia est affirmatiua.*
19 *Secunda cum distinctione.*
20 *Sententia Authoris.*
21 *Facultas ad absoluendum pœnitentem affectum reseruatione ob peccatum sodomiæ extenditur ad similia commissa post facultatem.*
22 *Quid si peccata reseruata fuerint cum numero determinato expressa Superiori.*
23 *Quid si petitio sit facta ad absoluendum à censura, vtrum facultas extendatur ad aliam similem.*
24 *Facultas dispensandi super irregularitate intelligitur ad toties, quoties.*
25 *Quid de facultate ad absoluendum à censura ob percussionem Clerici, vel ob procurationem abortus, vtrum extendatur ad similem incursam post facultatem.*

Casus in hac difficultate controuersus hic esse potest. Caius confessus est tria peccata reseruata. Confessarius carens iurisdictione petit à Superiore debitam facultatem, qua obtenta pœnitens in alia peccata reseruata labitur; quæritur an prior facultas extendatur ad ea peccata quæ eo tempore intermedio fuerunt commissa. Vel certè confitetur se incidisse in censuram ob leuem percussionem Clerici, & facultate obtenta, iterum illum, vel etiam alium Clericum percutit; quæritur an vi facultatis iam obtentæ possit absolui.

18 Huic difficultati respondet affirmatiuè Antonin. Diana p. 4. tract. 4. Miscell. resol. 109. quo loco citat Ioan. Præpositum de casu hoc ita sentientem (si Parocho petenti per literas potestatem absoluendi aliquem à casibus reseruatis, in quos inciderat, ea facultas concedatur, & pœnitens rursus incidat in similem casum, antequam confiteatur, videtur etiam posse ab illo absolui, quia petitio & concessio tacitè intelliguntur de similibus casibus, qui post illam concessionem clauibus bona fide subijcientur. Quod etiam videtur verum, licet Parochus scripsisset non esse periculum relapsus, quia eo non obstante concessio est absolutè facta, & independenter ab eo, quod non relaberetur, neq; id adijciendo Parochus bona fide decepit Episcopum) Hucusq; Præpositus, eandemq; sententiam sustinere videtur Bonacina de legibus disput. 1 quæst. 3. pun. 7. §. 1. num. 11. quo loco refellit Azorium

existimantem, priuilegium illud, quod præbet occasionem liberiùs peccandi, strictè esse interpretandum, & sic habet [inquit Azorius, quod facultas alteri concessa ad eligendum Confessarium, à quo absolui possit à censuris, & casibus reseruatis, censetur tantummodo concessa pro casibus, & censuris iam contractis, ne detur causa liberiùs peccandi. Sed hoc mihi non probatur, nisi aliter de mente concedentis colligatur, tum quia verba generaliter prolata, generaliter accipienda sunt seruata verborum proprietate, nisi recta ratio aliud suadeat; tum quia huiusmodi priuilegium omnibus consideratis, censetur ad salutem Animæ conferre, ne peccator in delictis sordescat, quamuis delinquens inde per accidens peccãdi ansam arripiat.] hucusque Bonac. qui citat Salam, & Sanch.

19 Respondet Eminentiss. de Lugo cum distinctione. Vel enim petitur facultas absoluendi à tali peccato, puta incestus, aut sodomiæ. Vel absolutè petitur facultas absoluendi à reseruatis; si primum, cum licentia videatur intelligenda iuxta verba petentis, & petens intendat absolutionem à tali peccato commisso, non videtur facultas hæc extendenda ad nondum commissa. Si secundum, idest, si simpliciter petatur facultas à reseruatis absoluendi; vel certè facultas hæc data fuerit pœnitenti ipsi ad eligendum Confessarium à quo absolui possit pro ea vice à reseruatis: cum huius facultatis verba non significent limitationem, existimat pęnitentem posse absolui ab alijs similibus peccatis commissis post petitionem. Ita Cardinalis de Lugo disp. 20. de Sacram. pœnit. sect. 8. nu. 122. qui num. 128. addit, si primo modo concedatur facultas cum expressione eorum peccatorum reseruatorum, in quæ pœnitens incidit, facultatem non solum non extendi ad similia peccata commissa post concessionem licentiæ, sed neque ad commissa tempore intermedio inter primam confessionem, & petitionem, multoq; minus ad commissa post petitionem. Quare si pęnitens hoc mane confiteretur se ter habuisse tactus impudicos cum Moniali [peccatum enim hoc in nostra Diœcesi est reseruatum] à prandio eosdem tactus haberet, & cras Confessarius peteret facultatem absoluendi pęnitentem, qui ter impudicè tetigisset Monialem, facultas hæc non extenderetur, vt habet Cardinalis cit. ad tactus impudicos habitos à prandio. Et rationem affert, quia Superior dedit facultatem absoluendi ab ijs peccatis, pro quibus Confessarius petebat: hic autem non petebat nisi pro ijs, quæ sciebat fuisse commissa, & quæ illi iam pęnitens aperuerat; pęnitens verò confessus fuerat se non nisi ter impudicè tetigisse Monialem. Quare cum regulariter petitio fiat priore modo, & cum expresione eorum peccatorum reseruatorum, in quæ pęnitens incidit, dicendum esset facultatem absoluendi à reseruatis in vigore harum, vel similium petitionum habitam; si petitio fiat à pęnitente, extendi tantum ad peccata commissa ante petitionem; si verò petitio fiat à Confessario, extendi tantum ad peccata commissa ante primam confesionem.

20 Ego verò respondeo, satis probabiliter dici posse, quod siue petitio fiat à Confessario, siue a pęnitente; siue ea generalis sit, absoluendi, videlicet, à reseruatis; siue specialis, & cum expresione quorundam peccatorum reseruatorum commissorum, concesio facta à Superiore extendi posit ad peccata similia commissa post petitionem.

nem. Et ratio est, quia facultas ea à Superiore concessa, est gratia, & consequenter amplianda potius, quam restringenda. tum quia, si pœnitens dum in prima confessione aperuit se tria peccata reseruata eiusdem speciei cōmisisse, inculpabiliter fuisset oblitus quarti non obstante quod petitio fuisset facta tantum pro tribus reseruatis, adhuc tamen vi illius facultatis absolui posset à quarto oblito, & ratio esse potest, quia sufficienter dici posset pœnitens, vel per se ipsum, vel per Confessarium se præsentasse Superiori, dum omnia peccata manifestauit, quæ tempore confessionis putabat se habere in conscientia; ergo sicuti facultas hæc extenderetur ad absolutionem à peccato reseruato oblito tempore petitionis, ita etiam extendenda videtur ad absolutionem à peccato simili commisso post petitionem. Antecedens probatur, quia si pœnitens, vere existimans se non nisi ter impudicè tetigisse Monialem, vi illius facultatis ita absolueretur; sed post absolutionem recordaretur quarti peccati, pro absolutione ab hoc non teneretur adire Superiorem, quia pro tollenda reseruatione peccatorum commissorum sufficienter diceretur se præsentasse Superiori; ergo si quarti recordetur quidem ante absolutionem, sed post petitionem facultatis, non tenebitur pro hoc quarto nouam facultatē impetrare; ad eadem enim omnia peccata extendenda esset facultas absoluendi, ad quæ extenderetur ipsa absolutio. Consequentia verò probatur, quia si expressio ea peccatorum reseruatorum commissorum facta per Confessarium, vel pœnitentem non obstat, quo minus pœnitens ipse absolui posit à peccato simili oblito in ipsa petitione; neque videtur obstare, quo minus absolui possit à peccato simili commisso post petitionem. Tum quia pro toto eo tempore; intra quod pœnitens vi facultatis obtentæ absolui potest à peccato reseruato manifestato, videtur per cōcessionem illius facultatis ablata esse reseruatio illius peccati, itaut si aliud simile peccatum intra illud tempus committat, non opus sit noua facultate: eo modo quo pro toto tempore iubilei dicitur per illam concessionem ablata quæcunque reseruatio, itaut si alia reseruata committantur intra tempus iubilei, non opus sit noua facultate. Tum quia finis reseruationis est, vt grauiora crimina à Superiore cognoscantur ad finem adhibendi ea remedia, quæ ipse putauerit opportuna. Finis autem iste sufficienter habetur, dum species ipsa peccatorum fuit expressa.

Dices primò hanc sententiam præbere ansam peccandi, quoties enim dicamus facultatem extendi ad alia similia peccata commissa post petitionem, pœnitentes liberiùs peccabunt. Resp. malum hoc secuturum per accidens & præter intentionem Superioris, qui prudenter iudicare potest maius bonum esse, quod pœnitens absolui possit ab omnibus suis peccatis, ne in desperationem incidat, quam quod impediatur illa qualiscunq; occasio liberiùs peccandi ad breue tempus. Tum quia si ratio hæc vrgeret, probaret etiam non posse pœnitentem absolui à reseruatis commissis pro tempore iubilei; probaret illicitas esse facultates concessas Pœnitentiarijs, & alijs Confessarijs absoluendi à reseruatis, eo quod ex talibus facultatibus accipere possint homines ansam liberiùs peccandi.

Dices 2. licentia nō videtur amplius extendenda, quam patiantur verba

petentis; ergo si Confessarius petat à Superiore facultatem absoluendi pęnitentem, qui ter commiserit peccatum sodomiæ, non poterit vi illius facultatis eundem absoluere, si post petitionem committat quartum; alioqui deberemus dicere Superiorem non solum dedisse facultatem pro peccatis commissis, sed etiam pro cōmittendis.

Respondeo negandam esse consequentiam: ac dico mentem petentis non esse restringendi facultatem Superioris ad numerum expressum, quam amplissimam vellet; sed tantam impetrandi, quanta opus est ad pęnitentem pro ea vice absoluendum à peccato expresso; alioqui si ad numerum expressum facultas ea restringeretur, non posset pęnitens vi illius facultatis absolui à quarto inculpabiliter oblito, in prima confessione, sed denuo recurrendum esset ad Superiorem, quod tamen superfluum putauerim, cum saltem mens Superioris sit tribuendi facultatem, qua pęnitens possit absolui à reseruatis commissis ante confessionem factam. Ac sicuti petentis mens est impetrandi tantam facultatem, quanta opus est pro ea confessione, quam intendit pęnitens; ita Superioris mens est tantam concedendi, quanta necessaria est, vt pęnitens pro ea vice possit à reseruatis speciei manifestatæ absolui; quinimò minus consultè ac rigorosius ageret Superior, si concessionem suam ita limitaret ad numerum expressum, vt à peccato simili inculpabiliter oblito nollet pęnitentem posse vi illius facultatis absolui. Quare quando Confessarius facultatem petens a Superiore, ita loquitur; peto facultatem pro pœnitente, qui tria peccata Sodomiæ commisit, idem est, ac si dicat; peto facultatem pro pęnitente affecto reseruatione ob peccatū nefandum, & expressio illa numeri non est ad limitandam petitionem, sed ad demostrandam causam petitionis. Ac sicuti facultas à reseruatis pro ea vice absoluendi, quia generalis est extenditur etiam ad commissa post petitionem, & ad commissa post habitā notitiam facultatis concessæ, vt docet Cardinalis cit. nu. 124. ita generalem & illimitatam existimo facultatem concessam pro tali peccato, puta sodomiæ; cum hoc tamen discrimine, quod vi prioris facultatis posset pro ea vice pœnitens absolui ab alijs reseruatis, etiam committendis, in quacunq; specie essent: at verò vi posterioris facultatis, non nisi à peccatis intra speciem sodomiæ; hæc enim ea limitatio est, quam sonant verba ipsa petitionis, & concessionis. Neque verò obstare posset, quod hoc modo diceretur Superior dedisse facultatem absoluendi etiam à reseruatis committendis; quia hoc idem obijci posset in facultate concessa in iubileo, vi cuius videbimus in quæstione sequente pęnitentes absolui posse à reseruatis commissis intra tempus iubilei; pariter hoc idem obijci posset in quacunque facultate generali per Superiorem concessa absoluendi a reseruatis. Et hæc omnia videntur veriùs dici posse, si Confessario dicente, peto facultatem absoluendi pœnitentem qui tria peccata sodomiæ commisit, responderet Superior, pro hac vice do tibi meam facultatem; sensus enim huius concessionis esset iste, pro hac vice do tibi plenam facultatem absoluendi à peccato sodomiæ, talis enim est facultas Superioris: ac si suam facultatem dat, non debemus dicere esse restrictam ad tria peccata expressa; & si restrictam dicamus, non est sua, cum facultas, quam habet Superior sit plena, & illimitata.

21 Ex quibus inferre possumus tria. Primum est, si Confessario petente facultatem absoluendi pœnitentem affectum reseruatione ob peccatum sodomiæ, respondeat Superior se illam dare; concessionem hanc omnino extendi etiam ad peccata commissa post habitam notitiam facultatis. Et ratio est, quia facultas hæc & concessio est omnino illimitata intra speciem sodomiæ.

22 Secundum est, si Confessario petente facultatem absoluendi à tribus peccatis sodomiæ, respondeat Superior se pro hac vice illam dare, probabile esse ob rationes allatas; quod facultas hæc & concessio sit eadem cum priore, quia sicuti mens superioris non excludit peccata similia oblita; ita pro ea vice dicendus est velle indulgere pœnitenti ad finem absolutionis obtinendæ: & sic etiam hæc est extendenda ad peccata commissa post petitionem, & post facultatem.

23 Tertium est, si Confessario petente facultatem absoluendi pęnitentem affectum censura ob delationem sclopi rotati; vel quia infantem in lecto detinuerit absq; debita cautione; respondeat Superior se illam dare, probabile esse, quod eundem absoluere possit, etiamsi post habitam facultatem denuò deferat sclopum rotatum; ac denuò detineat infantem in lecto absque debita cunarum cautione. Et ratio est, quia concessio hæc cum sit fauorabilis non est restringenda ad vnicam censuram: neq; id sonant verba petitionis, sed ea generalia sunt, absoluendi pęnitentem affectum tali censura.

24 Sic si Confessario petente à Superiore facultatem dispensandi cum suo pœnitente super irregularitate contracta quia celebrauerit in excommunicatione, responderet Superior se illam dare, posset Confessarius dispensare cum eo pęnitente, etiamsi post licentiam obtentam denuò celebraret in excommunicatione; hoc ipso enim, quod dat facultatem dispensandi, dicitur illam dare toties, quoties incurrerit, vt cōmuniter concedunt Doctores. A pari ergo, quoties petente Confessario facultatem absoluendi pęnitentem excommunicatum ob sclopi rotati delationem; vel ob aliam causam, respondeat Superior, se illam dare, intelligendus est de facultate ad absoluendum ab ea censura toties, quoties in illam inciderit. Idemq; intellige in casibus reseruatis; videlicet, si Confessario petente facultatem absoluendi pęnitentem, qui tria peccata sodomiæ commiserit, Superior illam concedat, concessionem hanc esse intelligendam ad toties, quoties, etiamsi id non exprimat: & quidem ex iusta causa, quia pęnitens potest esse oblitus quarti, in quo casu, si facultas esset restricta ad tria, denuò esset recurrendum ad Superiorem: quod onus videtur nimis graue esse, & pęnitenti, & Confessario; illi quidem, quia nimis differatur absolutio; huic verò, quia ex charitate quam habet erga suos Pęnitentes, vel etiam subditos, si fortè Parochus sit, vellet illis in tanta necessitate consultum.

25 Aduertam tamen doctrinam traditam de facultate absoluendi à censura non esse semper veram, quod, videlicet, ea extendi possit ad casus similes commissos post habitam licentiam: & Superior illam concedens, intelligendus sit toties, quoties pęnitens inciderit. Id enim non esset verum in casu percussionis Clerici, quia concessio hæc semper restringitur ad casum petitum; vnde est, vt bene examinentur

circumstantiæ ad videndum, an leuis percusio sit, pro qua sola potest Episcopus facultatem dare. Multòq; minus facultas absoluendi ab excommunicatione ob procurationem abortus effectu secuto extenderetur ad casum similem, vt patebit suo loco, vbi videbimus specialem deputationem requiri ad absoluendum ab hac censura. Pariter non est vera illa doctrina, quando ex circumstantijs, aut verbis concessionis, aut etiam aliunde colligere possumus facultatem esse restrictam ad casum enarratum; vt clarius constabit in difficultate sequente. Vnde patet ad casum propositū initio difficultatis.

Hæc dixi in sententia, quam ob rationes allatas satis probabilem puto, & ob auctoritatem eorum Doctorum, quas pro prima sententia retuli cum Antonino Diana, cui in hoc morali studio versatissimo maximè tribuo; ego tamen inuitus semper recedam à sententia Eminentissimi, ac Domini mei Cardinalis de Lugo, qui num. 128. bene monet, prudenter acturum Confessarium, si in simili casu petat ad cautelam licentiam pro omnibus, quæ tempore absolutionis inuenerit; nec restringat petitionem ad peccata, quæ scit iam esse commissa. Sed quia adhuc remanent duo dubia, quæ si in præsenti difficultate examinentur, fusior ea lectori videri potest, ideo duabus sequentibus difficultatibus dissoluemus.

DIFFICVLTAS IX.

Quomodo intelligendæ sint licentiæ concessæ in Sacra Pœnitentiaria cum illa formula, super præmissis; vel, propter præmissa.

26 *Refertur sententia docens prædictas facultates intelligendas de solis commissis.*

27 *Sententia Authoris.*

28 *Facultas absoluendi à censura ob lectionem librorum hæreticorum per Maiorem Pœnitentiarium concessa valet etiamsi pœnitens post notitiam facultatis denuo legat illos libros.*

HVius difficultatis causam dant ea, quæ diximus in superiore, dum probabilem esse sententiam sustinuimus, quæ asserit, quòd facultas, quæ datur, pro hac vice, extendatur ad peccatum etiam commissum post obtentam facultatem, quoties nihil aliud obstet.

26 Respondet Cardinalis de Lugo disp. 20. de Sacram. pœnit. sect. 8. num. 123. his verbis [hinc infero, quando eiusmodi licentiæ in Pęnitentiaria sacra conceduntur cum illa formula, *super præmissis* vel, *à præmissis*; videri ex tenore verborum restringi licentiam ad enarrata: atq; ideo si petita fuit absolutio pro determinatis peccatis commissis, & licentia detur absoluendi à præmissis; non videtur extendi ad committenda, nisi aliqua clausula adiungatur, qua significetur ampliatio licentiæ ad casus etiam non petitos] hucusq; Cardinalis.

27 Ego verò respondeo in aliquo casu verissimam hanc esse doctrinam, & omninò tenendam. Sic cum formula absolutionis pro laico, qui manus violentas iniecerit in clericum, ita expediatur [ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat: quod ipse aliàs iracundia percitus Sacerdotem fuste percussit, & idcircò in excommunicationem incidit &c. Nos igitur, qui Pęnitentiariæ Domini Papę curam gerimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica

lica specialiter nobis concessa, discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius ipsius Sacramentali confessione, postquam dicto Sacerdoti, si nondum satisfecit, satisfecerit, vel per eum non steterit, quominus arbitrio tuo satisfaciat cõpetenter, cautè tamen, ne se prodat, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta &c.] clarè patet facultatem absoluendi restringi ad casum percussionis enarratæ; & sic si denuò vel eundem, vel alium Sacerdotem percuteret, nõ posset vi huius facultatis absolui.

In alio tamen casu existimo (non obstante particula illa, propter præmissa) licet litteræ loquantur de determinatis peccatis commissis, licentiam tamen absoluendi à præmissis, & pro hac vice, extendi posse ad committenda.

Sic pro Oratore, qui duas sorores carnaliter cognouisset, & cum altera earum vellet matrimonium contrahere, si litteræ dispensatoriæ in forma solita expediantur [quatenus si est ita, dictum latorem (audita prius eius Sacramentali confessione) ab incestu huiusmodi absoluas hac vice &c.] Vel certe hoc modo [quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius eius Sacramentali confessione, à quibusuis sententijs censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice &c.] existimo prædictum Oratorem non solum posse absolui ab incestu commisso ante petionem, sed etiam ab incestu commisso post petitionem dispensationis; cum enim copula ea post petitionem habita non vitiet litteras dispensationis, hinc est, vt quamdiù dispensatio non est executioni mandata, tamdiù possit ab eo incestu absolui: valere autem dispensationem, etiamsi post illam obtentam impetrans iteraret copulam, sed antequam Ordinarius illam exequatur, bene docet Sanch. lib.8.de matrim. disp. 24. num 8. Bonac. disp.1.de legibus quæst. 2. num. 4. apud quos alij plures. Vnde est, vt in petitione similium dispensationum nunquam exprimatur multiplicatio copulæ, vt constat ex stylo.

28 Sic cum absolutio à censura ob lectionem librorum prohibitorum impetretur à Sacra Pœnitentiaria in hæc verba [quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius ipsius Sacramentali confessione, dummodo ex lectione huiusmodi nullam hæresim hauserit, ab excommunicatione, alijsq; sententijs, censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa incurrit, absoluas, hac vice &c.] adhuc existimo non obstante illa particula, propter præmissa, pœnitentẽ absolui posse, etiamsi post notitiam licentiæ & facultatis a Sacra Pœnitentiaria obtentæ, denuo libros prohibitos legeret. Et hic valet regula Cardinalis de Lugo, quam assignat loco cit. nu. 124, quod quando datur simpliciter facultas eligendi Confessarium pro hac vice & qui possit absoluere, siue facultas concedatur Confessario, siue pęnitenti, possit pęnitens absolui à commissis similibus, etiam post licentiam concessam. Quod verum est, nisi aliunde colligi possit licentiam esse restrictam ad casus petitos; vt in casu percussionis Clerici; vnde videmus exigi satisfactionem Partis; ac pariter si delictum fuerit publicum, absolutionem publicè impendi. Et cum Episcopus possit absoluere tantum à percussione leui, videmus in casu alicuius percussionis bene exa-

minari circumſtantias ad videndum, vtrum ea leuis ſit, an grauis; vt diximus in difficultate ſuperiore. Ad cognoſcendum ergo, num facultas ſit reſtricta ad caſum petitum, attendenda ſunt verba conceſsionis, ac præcipuè ſtylus.

DIFFICVLTAS X.

Quomodo intelligenda ſint illa verba, pro hac vice.

29 *Reſponſio eſt cum diſtinctione.*

ALterum hoc dubium ſupereſt enucleandum ob doctrinam ſuperiùs traditam, quòd facultas à Superiore conceſſa ad abſoluendum à quibuſdam peccatis reſeruatis, extendi poſsit ad alia ſimilia commiſſa poſt petitionem. Si enim hæc doctrina eſt vera, ſequeretur, quod pęnitens poſſet vlterius, & vlterius differre vſum talis facultatis, quinimò vſq; ad finem vitæ; vnde reſpectu illius talis caſus non eſſet amplius reſeruatus, quia ſemper maneret eadem facultas ad abſolutionem pro omnibus commiſsis vſq; ad diem, qua pęnitens vteretur tali facultate.

29 Reſp. primò, ſi facultas ſit reſtricta ad Caſum enarratum, non videri dubium, quin poſſit pęnitens longiùs differre vſum talis difficultatis, etiam per plures annos. Et ratio eſt, quia particula illa, pro hac vice, videtur ſufficienter verificari, quoties abſolutio ſit de ſolis peccatis narratis in petitione facultatis; & non de alijs nouiſ.

Reſp. 2. ſi facultas talis ſit, quæ poſſit extendi ad Caſus ſimiles, & ad peccata commiſſa poſt facultatem, verè illam eſſe practicandam intra tale tempus, quod ſufficiat, ad verificanda moraliter illa verba, pro hac vice. Quantum autem temporis poſſit his verbis comprehendi, pendet ex iudicio prudentis viri, & ex circumſtantijs: nam quando facultas hæc petitur occaſione alicuius feſtiuitatis, aut neceſſitatis occurrentis, in qua oportet confiteri, minus tempus videtur includi. Quod ſi à Sacra Pœnitentiaria facultas hęc fuerit conceſſa pro eligendo Confeſſario, qui à reſeruatis, pro hac vice, abſoluat, à qua litteræ ſub hac forma ſolent expediri [quatenus ſi eſt ita, dictum latorem, audita prius eius ſacramentali confeſſione, à quibuſcumque peccatis, & caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, non tamen contentis in Bulla Cœnæ Domini, nec non à quibuſuis ſententijs, cenſuris, & pęnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa incurrit; non tamen à ſententijs contra eum per aliquem Iudicem nominatim latis; abſoluas hac vice &c.] ad maius tempus extendetur. Quare ſi confeſſio fiat de ſolis peccatis narratis in petitione, etiamſi longiſſimè differatur abſolutio, & vſus facultatis, adhuc tamen verificabuntur illa verba, pro hac vice. Quod ſi confeſsio fiat non de ſolis narratis, ſed de alijs nouis commiſsis poſt petitionem, confeſsio debet fieri hoc tempore, moraliter loquendo, & non alio longè diſtanti; alioqui abſolutio non poterit dici collata vi illius conceſſionis. Vide Cardinalem de Lugo diſput. 20. de Sacramento Pœnit. ſect. 8. num. 126.

DIFFICVLTAS XI.

In Diœceſi Mediolanenſi homicidium eſt reſeruatum: Titius verò iter agens per aliam Diœceſim,

cesim, in qua non erat reseruatum, fuit à simplici Confessario absolutus. Quęritur vtrùm talis absolutio fuerit valida.

30 *Proponitur sententia negatiua.*
31 *Sententia Authoris est affirmatiua, sed tamen cum limitatione.*
32 *Procedit sententia tā de vagabundo, quàm de Peregrino, & iter agente.*
33 *Quid si peregrinationem susceperit gratia vitandi proprium Parochum.*

HVius casus solutio ab ea difficultate pendet, in qua quæritur, an Peregrinus iter agens per alienā Diœcesim possit per quemcunquè Confessarium approbatum absolui à reseruatis suo Episcopo.

30. Respondet negatiuè Comitolus in suis responsis moralibus lib. 1. quæst. 28. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. Med. lib. 1. cap. 10. Zerula in praxi de pœn. cap. 15. quæsito 8. & alij asserentes, licèt iter agens, & Peregrinus possint in ea Diœcesi, in qua reperiuntur confiteri sua peccata cuicunquè Confessori approbato: tamen hoc illis non licere, quoties habeant casus reseruatos. Cuius sententiæ fundamenta ex solutionibus argumentorum patebunt.

31 Ego verò respondeo, posse absolui etiam à casibus reseruatis, dummodò tamen ij non sint reseruati in vtroquè Episcopatu. Et ratio est, quia hoc ipso, quòd versatur in alieno Episcopatu, debet posse absolui more incolarum illius Diœcesis, in qua reperitur. Tum quia Confessarius non tenetur scire quinam casus sint reseruati in alieno Episcopatu; ergo potest Peregrinum ad se accedentem audire iuxta ritum suæ Diœcesis. Ita Suar. disp. 30. de pęn. sect. 1. num. 4. Henr. lib. 6. cap. 14. num. 8. littera Q. Regin. in praxi tomo 1. lib. 8. cap. 5. sect. 3. nu. 69. Caiet. v. absolutio 2. Nau. cap. 27. num. 275. Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 5. nu. 68. Antonin. Diana 1. tom. tract. 17. miscellan. 3. resol. 56.

Dixi, dummodò non sint reseruati in vtroq; Episcopatu: Tunc enim teneretur confiteri Sacerdoti habenti facultatem absoluendi à reseruatis. Et ratio est, quia supposita reseruatione simplex Confessarius nullam haberet iurisdictionem; ergo pro illorum absolutione teneretur adire Cōfessarium habentem facultatem à reseruatis absoluendi. Et ab hoc absolui posset primò à reseruatis soli Episcopo domicilij, ob rationem allatam: cùm enim ille iudicandus sit iuxta ritum Diœcesis, in qua confitetur; inde est, vt ab his a quolibet approbato Confessario possit absolui. Secundò absolui posset à reseruatis soli Episcopo Confessarij. Tertiò à reseruatis vtriq; Episcopo.

Ex quibus patet 1. ad casum propositum initio difficultatis. Dico enim absolutionem illam fuisse validam, vtpotè collatam ab habente iurisdictionem.

32 Secundò, hæc vera esse tam de Vagabundo, quam de Peregrino, & iter agente. Quidquid in contrarium sentiant Gamb. cap. 2. nu. 63. Belloch. p. 1. quęst. 2. nu 28. Floron. p. 1. cap. 3. asserentes aliud esse loqui de vagabundo, aliud verò de Peregrino: Vagabundum enim cōcedunt quidem posse absolui à reseruatis, dummodò non sint reseruata in loco, in quo confitetur. Et rationem afferunt, quia cùm iste nullū habeat certum domicilium, neq; certum habet Episcopum, cuius legibus adstringatur; proindè ergo, licèt incurrerit

rerit casum reseruatum committendo homicidium in Diœcesi Mediolanensi, quia tamen non elegit ibi certã sedem: inde est, inquiunt ipsi, vt pergens in aliam Diœcesim possit ibi absolui, dato quòd ibi non sit reseruatum. Quòd si loquamur de Peregrino, hunc quidem concedunt posse absolui, quoties mutauerit domicilium; secus verò, si illud non mutauerit: sed dicunt esse ad suum Episcopum remittendum, nisi fortè Confessarius ille, cui vellet confiteri, haberet facultatem à reseruatis absoluendi.

Verùm mihi distinctiones hæ haud quaquam placent. Quid enim refert Confessarium habere facultatem à reseruatis absoluendi, vel non habere, quoties peccata reseruata Archiepiscopo Mediolanensi non sint reseruata Bergomensi, verbi gratia, vel è contra? attendenda ergo tantùm est iurisdictio Confessarij, quæ quoties non sit limitata per reseruationem proprij Ordinarij, eã poterit vti in absolutione quorumcunquè casuum, quantumuis alibi reseruatorum.

Obijcies 1. Bonifacium VIII. cap. si Episcopus, de pœn. & remiss. lib. 6. vbi ait [si Episcopus suo subdito concesserit, vt sibi possit idoneum Confessarium eligere, ille quem is elegerit in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reseruantur, nullam habet pęnitus potestatem.] Sed Peregrinus quando confitetur in aliena Diœcesi vtitur facult..te eligendi Confessorem concessa à proprio Episcopo; ergo non poterit absolui à reseruatis proprio Episcopo.

Respondeo negando minorem: quãdo enim Peregrinus, vel iter agens confitetur in aliena Diœcesi, non ideo ibi confitetur, & absoluitur, quia vtatur facultate eligendi Confessarium; sed quia hoc ipso, quòd versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolui more incolarum illius Diœcesis, & ita se gerere, ac si esset subditus Episcopo illius loci. Et patet à simili, nam iter agens per alienam Dięcesim, si habeat casus reseruatos Episcopo loci, in quo confitetur, qui non sint reseruati Episcopo domicilij non potest à quocunq; absolui, quia iudicandus est iuxta leges loci, in quo reperitur; ergo si habeat casus reseruatos tantùm Episcopo domicilij, non verò Episcopo loci, in quo confitetur, poterit ob rationem dictam à simplici Confessario absolui.

Obijcies 2. si proprius Parochus ipsius Pęnitentis cum eo simul peregrinaretur, non posset illum absoluere, etiamsi in aliena esset Dięcesi, in qua casus ille non esset reseruatus; ergo nequè poterit ab alio absolui.

Respondeo cõcedendo antecedens & negando consequentiam. Et ratio est, quia Parocho fuit adempta facultas à proprio Ordinario ab eo casu absoluendi, quam facultatem non potuit adimere Sacerdoti alterius Dięcesis; indequè esse vt ab alio Sacerdote absolui possit in aliena Dięcesi, non verò à proprio Parocho.

Obijcies 3. si hoc esset verum, posset Peregrinus hac sola intentione recedere in alienam Dięcesim, vt absolueretur à casibus reseruatis: sed hoc est maximum inconueniens; ergo non est admittendum.

33 Respondeo nostram sententiam intelligendam esse tantùm de ijs, qui non suscipiunt peregrinationem in fraudem legis ea solùm de causa, vt possint alijs confiteri: qui enim ad hunc finem iter agit, vt proprium Parochum euitet, & alteri confiteatur, non potest validè confiteri coram Parocho, seu Sacerdote illius loci, ad quem peruenit,

nit, vt benè obseruat Suar. de pœn. disp. 25. sect. 2. num. 9. Regin. lib. 1. nu.80.hoc enim non fieret iuxta intentionem, & concessionem Summi Pontificis, seu iuxta consuetudinem, per quam à Summo Pontifice confertur iurisdictio ad absoluendum iter agentes, qui ad aliquem locum bona fide peruenerunt, idest absq; animo vitandi proprium Parochum, seu proprium Sacerdotem. Idemq; habetur Actorum p. 2. Synodo Diœcesana 11. pagina mihi 409. ijs verbis. [Aduenas autem, & Pereginos, quos intra Parochiæ suæ fines breui tempore morari contigerit audire liceat, etiam tempore Paschali; nisi fortasse de industria eò accesserint, ne in Parochiali Ecclesia Sacramenta sumant] & meritò, dolus enim nemini debet patrocinari.

Monuerim tamen, Sacerdotem approbatū generaliter ad omnes audiendos in aliqua Diœcesi posse omnes illius Diœcesis ad se concurrentes audire, etiamsi ad illum accedant gratia vitandi proprium Parochum: nam huiusmodi Sacerdos habet iurisdictionem absoluendi quoscunquè illius Diœcesis ad se venientes, vt suppono: quod non euenit in priore casu, in quo sacerdos non habet iurisdictionem nisi iuxta receptam consuetudinem, seu concessionem Summi Pontifici; Summus autem Pontifex non concessit Parocho loci, aut alteri in eo loco approbato facultatem audiendi confessiones eorum, qui ad eum locum se transferunt, vt proprium Parochum vitent.

Ex quibus sequitur Sacerdotem Mediolanensem, qui ab Archiepiscopo fuerit approbatus ad omnium confessiones audiendas, posse quidem audire confessionem alicuius degentis in eadē Diœcesi Mediolanensi, etiamsi ad illum accedat gratia vitandi proprium Parochum, non tamen posse audire homines alterius Diœcesis, qui ad illum accedunt hoc animo, vt proprium Parochum euitent. Et ratio est, quia non habet facultatem absoluendi extraneos alterius Diœcesis ad ipsum hoc animo accedentes, nisi fortè facultatem habeat à Sede Apostolica, vel à legitimo Superiore.

Quòd si Peregrinus quispiam, vel iter agens haberet casus Papę reseruatos, tunc non posset absolui nisi à Confessario habēte facultatem absoluendi à reseruatis Papæ. Et ratio est, quia Summus Pontifex habet totum Orbē pro territorio, & Diœcesi, vt proindè illius leges vbiq; obligent, quoties acceptatæ sint, neq; per consuetudinem aliquam abrogatæ.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm extra Diœcesim possit quis absoluere à reseruatis.

34 *Duplex est iurisdictio.*
35 *Proponitur sententia negans.*
36 *Authoris sententia est affirmatiua.*
37 *Satis fit difficultati propositæ.*

HVius difficultatis solutio ab ea quæstione pendet, in qua quæritur, an delegatus possit absoluere Pęnitentem subditum extra Diœcesim delegantis. Pro qua.

34 Aduertendū duplicem esse iurisdictionem: alteram contentiosam, & necessariam, quę scilicet habet contradictorem, & inter contendentes exercetur, redditurquè in inuitos, l. inter stipulantem §. 1. ff. de verborum obligationibus: & dicitur contentiosa, quia actor contendit contra Reum: necessaria verò dicitur, quia Reus in iudicium vocatus tenetur ibi responde-

re,

re, & redditur in inuitos. Alteram voluntariam, quæ exercetur tantùm in subditos volentes. Quę iurisdictiones eò etiam maximè differunt, quòd contentiosa non potest à Iudice exerceri extra territorium ne Iudici illius iniuria irrogetur: voluntaria verò potest vbiq; exerceri: cùm enim nullam causæ cognitionem, neq; Iudicem pro tribunali sedentem exigat, non est cur Iudex alieni territorij meritò conqueratur, si in suo per alienum Iudicem erga suos subditos illam videat exerceri. Ità expresè l. 2. ff. de Officio Procõsul.

35 Respondent negatiuè Silu. v. Confessor primo quæst. 14. quo loco habet, verum quidem esse quòd Parochi, & alij omnes habentes facultatem ordinariam possunt suos subditos absoluere extra propriam Diœcesim: cęterùm si loquamur de delegatis, expresè habet, eos non posse exercere suam facultatem extra illã Diœcesim, in qua sunt deputati. Idemquè clarè videtur tenere Hostiens. in sum. titulo de pœn. & remiss. §. cui confitendum, num. 14. vers. & numquid extra territorium. Et pro eadem sententia faciunt pleriq; iurisperiti asserentes Episcopum tanquam Ordinarium posse beneficia conferre extra Diœcesim, eius tamen Vicarium, cui hoc Episcopus delegarit, non posse, vt Bald. Francus, Franciscus Marcus, Anastasius Germonius de indultis §. tibi quoad vixeris, nu. 88. quos citat Sanch. lib. 3. de matri. disp. 34. num. 1.

36 Ego verò respondeo, per se loquendo, tàm Parochos, quàm alios delegatos posse suam facultatem exercere extra Diœcesim: rationes enim, quæ probant Parochum, & Episcopũ posse absoluere suum subditum extra propriam Diœcesim, probant etiam de delegato. Ratio ergo est, quia hoc Sacramentum per se requirit iurisdictionem in personam, quia illa iudicanda est: hæc autem iurisdictio, siue ordinaria sit, siue delegata, nec amittitur, nec acquiritur ratione absentiæ, vel præsentiæ localis, vt potèquæ non terminetur locis, sed personis. Tum quia hoc iudicium Sacramentale non requirit publicam, & exteriorem solemnitatem in determinatione loci, vel aliarum ceremoniarum; vnde est, vt qui aliàs est deputatus Iudex respectu alicuius personæ, possit vbicunquè voluerit ius dicere, cùm iudicium hoc sine strepitu, & figura iudicij exerceatur, vt proindè nullam iniuriam inferat Iudici alieni territorij, in quo differt ab externo. Ita Victor. in sum. nu. 151. Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. §. aliud verò dubium, Ledes. quem citat, & sequitur Suar. de pœn. disp. 25 sect. 1. nu. 17. Graf. lib. 1. decis. cap. 13. nu. 43. Hen. lib. 3. de pęn. nu. 1. Floron. de cas. reser. p. 1. cap. 4 §. 13. ijquè demum omnes qui asserunt Vicarium ex delegatione Episcopi conferentem beneficia posse extra Diœcesim conferre: & priuatum Sacerdotem, cui Parochus commiserit, vt alicui matrimonio assisteret, validè assistere, etiamsi extra Parochiam committentis assistat, quos longo numero refert Sanch. cit. nu. 2. Adde Antoninum Dianam p. 3. tract. 4. de Sacramentis resol. 144. apud quem alij plures.

Dixi per se loquendo; quoties enim facultas limitaretur à Superiore, ita vt posset tantùm in Diœcesi exerceri, tunc clarè constaret eam esse terminatam loco.

37 Ad propriam ergo difficultatem respondeo, Parochum posse extra Diœcesim absoluere à reseruatis suum Parochianum. Et ratio est, quia facultas absoluendi à reseruatis eò vsquè

extenditur

extenditur quò vsq; extenditur facultas absoluendi à peccatis: sed facultas absoluendi Parochianum à peccatis in Parocho extenditur extra Diœcesim; ergo etiam facultas absoluendi à reseruatis. Minor ex dictis remanet probata: maior verò patet ex Synodo 32. tit. de Sacram. pœni. ijs verbis. [Qui audiendi confessiones facultatem loco, personis, & temporibus præfinitam habent, si postmodùm receperint auctoritatem absoluendi ab ijs peccatis, quorum absolutio Archiepiscopo reseruata est, caueant ne aliqua in re potestatem illam excedāt, quam audiendi confessiones ab initio habuerunt.]

Maius hoc loco dubium est de delegato, vtrùm videlicet attento stylo Curiæ nostræ Archiepiscopalis possit extra Diœcesim subditum Archiepiscopo Mediolanensi absoluere. Pro qua sit sequens difficultas.

DIFFICVLTAS XIII.

Confessarius Diœcesis Mediolanensis obtinuit facultatem absoluendi à reseruatis quoscunquè ad se accedentes. Quæritur, vtrùm vi huius facultatis possit subditum Archiepiscopo Mediolanensi ab ijsdem absoluere extra Diœcesim.

38 *Proponuntur rationes pro sententia negante.*

39 *Sententia Authoris est affirmatiua.*

40 *Si Parochus aliquis det alteri Sacerdoti facultatem coniungendi aliquos in Matrimoniū in Parochia: vtrùm dictus Sacerdos possit illos coniungere extra Parochiam.*

41 *Vtrùm Episcopus possit extra suam Diœcesim absoluere aliquem sibi subditum à casibus Papæ reseruatis, sed occultis.*

38 HVic difficultati responderet negatiuè Bonac. ex ijs, quæ habet disp. 5. de pœn. quæst. 7. puncto 2. in fine, cuius hæc sunt verba. [Quamobrem Sacerdos, qui facultatem generalem absoluendi habet hic Mediolani, potest quemlibet Archiepiscopo Mediolani subditum in aliena Diœcesi absoluere, modò Archiepiscopus non concesserit facultatem absoluendi limitatam cum hac clausula (in Diœcesi tantùm) vt ex stylo nostræ Curiæ Archiepiscopalis in rescriptis ad confessiones audiendas concessis hoc tempore reseruari consueuit &c.] licèt enim facultas absoluendi à reseruatis generaliter concedatur; tamen hæc ijs finibus limitatur, quibus limitatur facultas absoluendi à peccatis, vt patet ex dictis superiùs: cùm ergo facultas absoluendi à peccatis in Confessario Mediolanensi delegato, per ipsum Bonacinam, limitetur Diœcesi, eodem etiam loco limitabitur facultas absoluendi a reseruatis.

39 Ego verò resp. probabile esse, quòd Confessarius Mediolanensis habens facultatem delegatam possit extra Diœcesim audire confessiones subditorum Archiepiscopo Mediolanēsi, & illos a reseruatis absoluere. Nitor autem hac ratione, quia rescripta, quæ ad confessiones audiendas expediuntur in Cancellaria, non expediuntur cum ea clausula (in Diœcesi tantùm) sed dicunt [Dilecto nobis filio &c. Sacramentum pœnitentiæ ministrandi facultatem in Ciuitate, & Diœcesi impartimur] vnde non vtuntur illa particula (tantùm) etsi ea vtuntur, hoc accidit in casu, quo facultas restringatur ad Ciuitatem, vt quando dicunt (in Ciuitate tantùm.) Ex qua clausula nō sufficienter infertur, quòd facultas audiendi confessiones limite-

tur ad locum, putà ad Diœcesim, sed tantùm, quòd ea limitetur ad personas, putà ad Diœcesanos. Quare particulam illam, (in Diœcesi) existimo non esse sumendam limitatiuè, sed demonstratiuè: ita vt ea sumatur ad demonstrandas personas, quarum confessiones audiendi facultas conceditur.

40 Sic si Parochus daret alteri Sacerdoti facultatem assistendi alicui matrimonio his verbis, do tibi facultatem coniungendi in matrimonium Petrum, & Mariam in mea Ecclesia: porrò validè illos coniungit, etiamsi illos coniungat in domo priuata illius Parochiæ, & non in Ecclesia. Pari modo si dicat, concedo tibi vices meas ad assistendum matrimonijs in mea Parochia: porrò validè assistit, etiamsi illis assistat extra Parochiam. Et ratio est, quia hæc omnia fiunt causa demõstrationis licentiæ, non verò causa restrictionis: quando enim dicit, do tibi facultatem assistendi matrimonijs in mea Parochia, sensus huius concessionis est, do tibi facultatem assistendi matrimonijs meorum Parochianorũ. Ergo à pari, quando Archiepiscopus dicit, do tibi facultatem ministrandi Sacramentum pœnitentiæ in Diœcesi, sensus huius concessionis erit, do tibi facultatem ministrandi Sacramentum pœnitentiæ meis Diœcesanis. Vnde particula illa apponetur potiùs causa demonstrationis, quàm restrictionis; etsi apponitur causa restrictionis; dicendum erit eam limitare tantùm ad personas, non verò ad locum.

Confirmatur primò, quia cum hac eadem particula (in Diœcesi) in Curia nostra Archiepiscopali expediuntur facultates solitæ concedi Religiosis pro confessionibus audiendis, & tamen videmus eos extra Diœcesim absoluere subditum Diœcesis Mediolanensis, in qua fuerunt approbati, vt contingit quando per alias Diœceses transcurrunt causa piæ peregrinationis: vt si Ciuis Mediolanensis peregrinaturus ad sacras ædes Lauretanas cõducat secum ConfessariumRegularem approbatum in Diœcesi Mediolanensi, cui possit in itinere confiteri.

Dices, hoc ideo esse, quia Regulares habent iurisdictionem à Summo Pontifice, indequè esse, vt postquam fuerint approbati possint eam exercere extra illam Diœcesim, in qua fuerunt approbati. Sed contra, quia si illa particula (in Diœcesi) Confessarijs Secularibus limitat iurisdictionem, dicam ego eandem Confessarijs Regularibus limitare approbationem. Vel certè, si in rescriptis pro Regularibus expeditis particula illa non sumitur limitatiuè, sed tantùm demonstratiuè, eandem etiam hoc modo sumendam esse in rescriptis pro Confessarijs Secularibus expeditis.

Confirmatur 2. quia in Clementina, Dudum, de sepulturis, habetur, Regulares posse audire confessiones intra Diœceses Episcoporum, quibus præsentati sunt. Et tamen non desunt, qui dicant Regulares expositos virtute dictæ Clementinæ posse audire cõfessiones extra Diœcesim. Ita Vict. in sum. de confess. num. 151. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. vers. aliud verò Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 7. num. 1. Bartholomeus à Ledes. de pœn dubio 23. casu 4. folio 805. Philiar. de off. Sacerd. tomo 1. p. 2. lib. 2. cap. 24. §. nullus alius: non obstante particula illa (intra Diœceses) quam ita intelligunt, vt sit sensus, quòd Regulares non possunt extra Diœcesim audire illos, qui non sunt illius Diœcesis, in qua sunt præsentati. Et hoc ne putarent se,

vbi

vbi femel præfentati funt, efse totius Orbis Confefsores.

41 Confirmatur 3. ex Trid. fefs. 24. cap. 6. de reformat. vbi fic habet, [liceat Epifcopis in irregularitatibus omnibus, & fufpenfionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum cōtentiofum difpenfare; & in quibufcunquè cafibus occultis, etiam Sedi Apoftolicæ referuatis delinquentes quofcunq; fibi fubditos in Diœcefi fua per fe ipfos, aut Vicarium ad id fpecialiter deputatum &c.] & licèt per illa verba, [quofcunquè fibi fubditos in Diœcefi fua] exiftiment aliqui Epifcopum non poffe abfoluere extra Diœcefim, ea ducti ratione quòd Trid. exprefsè petat hanc abfolutionem ab Epifcopo effe impendendam folis fubditis, & in propria Diœcefi, vt proinde altera ex his particulis effet dicenda fuperflua, quoties admitteremus illum poffe extra Diœcefim à cafibus Papæ referuatis, fed occultis fuos fubditos abfoluere: tamen his nō obftantibus probabiliùs exiftimo Epifcopum poffe extra fuam Diœcefim fubditum abfoluere: & illorum verborum, [quofcunquè fibi fubditos in Diœcefi fua] legitimum fenfum effe puto, vt ea non limitent iurifdictionem Epifcopi ad locum, fed tantùm velint, vt Epifcopus poffit abfoluere quofcunquè fibi fubditos, & quomodocunquè fibi fubdantur: nempe, vel quia funt ordinarij fubditi, quales funt ij, qui ibi domicilium habent: vel quia fubduntur tantùm quò ad forum pœnitentiæ, quales funt aduenæ, & peregrini, vt proinde particula illa [quofcunq; fibi fubditos] appellet eos, qui fubduntur tantùm quoad forum Pœnitentiæ: particula verò ea [in Diœcefi] appellet ordinarios fubditos Diœcefanos: Sic enim vtraquè particula intelligitur aliquid operari, vt benè Sanch. in fum. lib. 2. cap. 11. num. 17. idemque probabile putat Diana p. 7. tract. 2. refolut. 8.

Ex quibus ergo infero, quòd fi particula illa, [in Diœcefi] non limitat facultatem Epifcoporum ad locum, fed tantùm ad perfonas, non obftante alia particula, [quofcunquè fibi fubditos] multo minùs per eandem limitari loco facultatem eam, qua vtitur Confeffarius Mediolanenfis ex delegatione abfoluens: proindeq; Confeffarium Mediolanenfem, qui ex delegata facultate audit confeffiones, poffe fubditos Archiepifcopo Mediolanenfi extra Diœcefim abfoluere. Quare ego exiftimo particulam illam, in Diœcefi, fortè appofitam ab aliquo Curiæ noftræ Cancellario, qui eius effet fententiæ, vt putaret, habentem facultatem delegatā nihil poffe extra illam Diœcefim, in qua fit deputatus ad confefsiones audiendas, cuius Authores retuli in diffic. Superiore num. 35.

DIFFICVLTAS XIV.

Simplex Parochus nullam aliam habens facultatem quàm ordinariam, obtinet facultatem abfoluendi à referuatis omnes ad fe recurrentes in fua Parochiali Ecclefia, audita tamen integra Confeffione. Quæritur vtrum vi huius facultatis hoc modo obtentæ poffit alios, quàm fuos Parochianos audire, & à referuatis abfoluere.

42 *Proponuntur fundamenta fententiæ affirmatiuæ.*

43 *Sententia Authoris negat.*

44 *Satisfit rationibus Aduersariorum: quo loco vide duo corolaria.*

42 SCio casum hunc rumores alibi in nostra hac Diœcesi excitasse, nec defuisse viros, qui constanter assererent posse absoluere: quinimò, & de facto absoluerent, hac vna crediderim ratione moti, quòd verba generalia generaliter sint intelligenda, & concedentis mens ex verbis ipsius colligatur. Si ergo facultas generalis est, & ad omnes recurrentes extenditur nulla facta limitatione horum ne, an illorum tantùm: quid ni dicamus vi illius facultatis posse Parochum omnes indiscriminatim audire, putà tam Parochianos suos, quã non Parochianos?

43 Respondeo tamen, Parochum hunc vi huius facultatis à se obtentæ posse tantùm suos Parochianos audire, & à reseruatis absoluere. Probatur, quia facultas à reseruatis absoluendi eò vsq; tantùm extenditur quò vsque extenditur facultas ab alijs peccatis absoluendi: sed in simplici Parocho posterior hæc facultas extenditur tantùm ad subditos, & Parochianos; ergo & illa prior à reseruatis absoluendi. Quòd autem simplici Parocho facultas à peccatis absoluendi ad subditos tantùm limitata sit, hoc suppono tanquam certum ex Synodo vndecima, tit. Monita, & executiones decretorum, quæ ad Sacramenta, & Sacramentalia pertinent, §. nequis Parochus, pag. mihi 409 col. 2. & ex additione instructionum Confessorum italicè edita Actorum p. 4. pag. mihi 771. col. 1. §. [il Rettore della Chiesa Curata.] Si ergo facultas à reseruatis absoluendi, facultatem absoluendi à peccatis supponit; quod inde patet cũ ea Sacerdoti tantùm ad confessiones audiendas approbato conferatur: porrò constat tam latè tantùm eam patere, quàm pateat hæc, qua fungitur quilibet Parochus ex sua ordinaria potestate. Quare per facultatem concessã à reseruatis absoluendi non confertur amplior potestas, quàm priùs haberetur ratione beneficij, vel approbationis: & iurisdictio si extenditur, supra casus tantùm extenditur, non verò supra alios non Parochianos: tum quia hinc sequeretur posse Parochum eum vi huius facultatis omnes ad se accedentes absoluere, etiamsi reseruata nõ haberent: non enim illi dicendum esset vel demi, vel dari facultatem, ex eò quòd vel adessent, vel abessent reseruata. Tum quia sequeretur, si Parochiale beneficium spontè abdicaret, vel deponere cogeretur, adhuc vi huius facultatis posse confessiones audire, quod non est dicendum.

Verùm quandoquidem rationibus hisce peruicax opinio obstare potest, eam infringet auctoritas Eminentissimi Cardinalis Cæsaris Montij in Synodo 32. cap. 10. de ijs, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent, vbi sic habet. [Qui audiendi confessiones facultatem loco, personis, & temporibus præfinitam habent, si postmodùm receperint auctoritatem absoluendi ab ijs peccatis, quorum absolutio Archiepiscopo reseruata est, caueant, ne aliqua in re potestatem illam excedant, quam audiendi confessiones ab initio habuerunt. [Cùm ergo simplex Parochus facultatem suam personis, putà Parochianis præfinitam habeat, caueat ne vbi potestatẽ absoluendi à reseruatis obtinuerit, facultatem hanc ad alios, quàm ad Parochianos extendat.

Eò vsquè tamen hæc à nobis dicuntur, vt quoties alios præterquam Parochianos audire possit, eos etiam absoluere possit a reseruatis. Quare si vagos, si iter

ſriter agentes, ſi Peregrinantes, ſi Milites, ſi Scholares, ſi Mercatores, ſi Sacerdotes ratione ſacrificij audire poteſt, hos omnes poterit à reſeruatis abſoluere.

44 Ad rationem in cōtrarium reſpondeo, verba generalia generaliter eſſe intelligenda, quantum patitur voluntas concedentis. Iam autem ex auctoritate allata patet non ita generalia eſſe, vt generalem auctoritatem ſonent. Tum verò dico ea verba adhiberi ex Curiæ ſtylo, qui voluntatem concedentis de ſe non oſtendit, quoties ea aliunde pateat.

Ex quibus inferas primò, ſimplicem hunc Parochum habentem Parochiale beneficium, ſi illud reſignet, & Canonicatum recipiat, non poſſe ex vi facultatis habitæ à reſeruatis abſoluendi aliquem audire, ſed denuò eſſe approbandum: hocquè pendet ex ijs, quæ diximus de Pœnitentia.

Secundò, ſi Sacerdos aliquis fuiſſet tantùm approbatus ad confeſſiones Maſculorum; poſtmodùm haberet facultatem abſoluendi a reſeruatis omnes ad ſe accedentes, poſſe tantùm ab ijſdem abſoluere Maſculos, non verò Fęminas: niſi fortè hæ peculiare haberent priuilegium, vi cuius poſſent talem Confeſſarium eligere, quale hoc eſſe poſſet tempore Iubilei.

DIFFICVLTAS XV.

An poſſit Superior auditis ſolis peccatis reſeruatis ab ijs Sacramentaliter abſoluere, reliquorum verò abſolutionem inferiori remittere.

45 *Superior audiens peccata omnia Pœnitentis, reſeruata videlicet, & non reſeruata, tenetur ab omnibus abſoluere.*

46 *Referuntur Authores pro ſententia affirmatiua.*

47 *Sententia negans eſt omnino tenenda, quando non concurrat aliqua iuſta cauſa.*

48 *Satisfit fundamento potiſſimo contrariæ ſententiæ.*

49 *Vtrùm pro iuſta cauſa ſufficiat aſſidua Superiorum occupatio.*

50 *Quæ nam ſit hæc iuſta cauſa.*

51 *An etiam Superior habens tantum facultatem delegatam.*

52 *An Superior auferens ſolam reſeruationem, nec Sacramentaliter abſoluens teneatur ad ſigillum.*

53 *An fiat verum Sacramentum, quando à ſolis reſeruatis ſacramentaliter abſoluit.*

45 CErtum hoc loco ſuppono cum communiore ſententia, ſi Superior audiat omnia peccata, tam reſeruata, quàm non reſeruata, teneri ab omnibus abſoluere, nequè alio modo poſſe impendere abſolutionem. Et ratio eſt, quia ſicuti requiritur integritas in confeſſione, ita etiam in abſolutione, hoc eſt, ſicuti ad omnia ſubijcienda tenetur Pœnitens, ita ab omnibus abſoluere tenetur Confeſſarius, quoties ex parte Pęnitentis nullum adſit impedimentum. Tum quia non poteſt directè obligari Pęnitens, vt denuò peccata aliàs confeſſa ſubijciat: nequè in libertate Confeſſarij poſitum eſt, velle, vt ab aliquibus tantùm abſoluatur Pęnitens, & nō ab omnibus: quamuis enim Sacramenti valor pendeat ab intentione Miniſtri, tamen eo poſito impediri non poteſt eius effectus, ex eò quòd agat per modum cauſæ naturalis, videlicet iuxta diſpoſitionem recipientis; ita vt ſi diſpoſitus ille ſit ad re-

missionem omnium peccatorum, omnia etiam remittantur.

Vnde non valet paritas petita ex Sacramento Eucharistiæ: quia videlicet, sicuti Sacerdos potest hanc partem hostiæ consecrare, & non illam, ita etiam possit hæc tantùm peccata remittere directè, & non illa. Disparitas enim in eo est, quia in Sacramento Eucharistiæ materia applicatur ex intentione Ministri: vnde est, vt possit quam velit consecrare; & non consecrare; At verò in Sacramento pœnitentiæ materia applicatur ab ipso suscipiente, & Minister apponit tantùm formam: vnde est, vt quando intendit applicare formam, non possit excludere partem materiæ appositæ à suscipiente. Id tamen difficultate aliqua nō carere existimat Cardinalis de Lugo disp.20.de pœn.sect 6 n.77. dum sentit non ita facilè probari posse, quod Sacerdos non possit validè (quamuis non licitè) velle absoluere tantum ab his peccatis, non applicando directè absolutionem ad alia, habendo se in absolutione, ac si illa non audiuisset. Et contrarium apertè docet Med.Cod. de confessione tract. 2. quæst. 12. de confess. cas. reser. vers. oppositum, vbi habet, necessaria quidem esse confessionem omnium peccatorum, Superiorem tamen posse non integrè absoluere, sed dare absolutionem à solis reseruatis, & aliorum absolutionem remittere ordinario Confessori. Verùm hanc sententiam improbabilem existimat Suar. de pœn. disp.31. sect.1.n.2.

Difficultas ergo in eo est, vtrùm Superior possit audire solam confessionem casuum reseruatorum, & ab illis solis Sacramentaliter absoluere remittendo Pœnitentem ad inferiorem Sacerdotem, à quo absoluatur à peccatis non reseruatis.

46 Respondet DD. plurimi hoc licere. Ita Caiet. v. Confessio, conditione 10. vbi sic habet [dimidiatur quoquè per accidens Confessio, quando ordinarius Confessor Superior non audit nisi confessionem casuum reseruatorum.] Et paulò post inferiùs [& propterea huiusmodi confessio quamuis non integra, sancta est, sic namquè Sanctæ Matris Ecclesiæ vsus habet, nec oportet, sapere plusquàm oportet, sed sapere ad sobrietatem.] Hanc eandem sententiam sustinent Palud. in 4. dist. 17. quæst. 5. D. Anton. 3.p. tit. 14. cap.19.§ 6.Nau.in cap.Consideret §. cautus, nu. 12. & alij, qui omnes nituntur sola consuetudine Curiæ Romanæ, in qua dicunt hoc esse vsu receptum. Quinimò addit Nau. per absolutionem collatam à Superiore non conferri gratiam, sed eam conferri tātùm post absolutionem collatam ab inferiore, ex eò quòd ex vtraquè confessione, & absolutione perficiatur vnum Sacramentum, quod postmodū producit suum effectum.

47 Ego verò resp. absq; speciali necessitate, vel causa rationabili Superiorem non posse audire solam confessionem casuum reseruatorum, & ab ijs Sacramentaliter absoluere. Ita Sylu. v.confessio 11. quæsito 19. Victoria in sum. num. 149. & 162. Suar. loco cit. num.6. Vasq. de pœn. quæst.91. art.3. dubio 10. Regin.lib.8. nu.77. Cardinalis de Lugo cit. nu. 78. Ratio est, quia integritas confessionis necessaria est de iure Diuino, vt docet Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. ergo non licebit dimidiare confessionem, nisi iusta causa intercedat: cum hac enim dimidiatione non staret integritas, nec materialis, nec formalis. Tùm verò non potest ita absoluere is, qui circa reseruata vtitur delegata iurisdictione; ergo

nequè

neque Superior, qui vtatur ordinaria: potestas enim delegantis, & delegati in hoc est eadem. Tum quia, si reseruatio non præcessisset, non posset Superior peccata tantùm grauiora audire, & ab illis absolutum Pœnitentem remittere ad inferiorem pro absolutione minus grauium; ergo neq; post reseruationem poterit à reseruatis tantùm Sacramentaliter absoluere, remittendo ad inferiorem pro non reseruatis; reseruatio enim nullum ius addit: proindeq; si hoc esset verùm, sequeretur posse Parochum audire grauiora crimina sui Parochiani, & pro alijs illum remittere ad suum Coadiutorem.

48 Ad praxim Curiæ Romanæ respondeo primò, eam à Sylu. negari: qui tamen fuit Pęnitentiarius in Basilica Petri: & nunc nullum est vestigium talis consuetudinis; nisi fortè dicamus illam vigere in casibus Papæ reseruatis, qui adnexam habent excommunicationem: hæc enim tolli potest remittendo Pęnitentem pro absolutione peccatorum ad inferiorem: sed absolutio non erit Sacramentalis. Respondeo 2. si fortè vigeat, vigere in casu, quo iusta causa concurrat: etsi alicubi vigeret, vt sine iusta causa Superior à reseruatis absolueret, remittendo ad inferiorem pro non reseruatis, consuetudo hæc esset corrigenda, cùm validari non possit consuetudo, quæ iuri Diuino deroget. Addiderim tamen, quòd si Superior absque causa rationabili hoc modo absolueret, talis absolutio foret valida. Et ratio est, quia adessent omnia requisita ad valorem Sacramenti, putà dispositio in pœnitente (suppono enim illum bona fide ita confiteri) confessio formaliter integra, intentio absoluendi, quæ tria sufficiunt ad valorem huius Sacramẽti.

Dixi in responsione, absquè speciali necessitate, vel causa rationabili: si enim grauis causa, & necessitas concurrat, tunc existimo posse Superiorem hoc modo à reseruatis absoluere. Ita DD. superiùs citati, excepto Vasquez. Ratio autem est, quia non solùm necessitas ex parte Pęnitentis, sed etiam ex parte Confessarij sufficere potest, vt materialis dimidiatio confessioni non obstet.

49 Sed difficultas hoc loco insurgit in assignatione huius iustæ causæ, & necessitatis, quæ ex parte Confessarij se tenere adeo possit, vt cùm materiali dimidiatione confessio hæc licitè fiat. Asseruerunt enim aliqui, assiduam Superiorum occupationem, & ingentem negotiorum multitudinem esse iustam causam. Sed contra, quia confessiones hæ de reseruatis non sunt adeo frequentes. Tum quia eæ sunt vnum ex grauioribus negotijs, quibus præmi possint Superiores, vt proindè illis potiùs seruire teneantur, quàm rebus alijs. Tum quia, dato quòd grauissimis occupationibus detineantur, consultiùs faciunt, si peccata reseruata tantùm audiant, vt medicinam, & satisfactionẽ debitam iniungant, tùm verò iurisdictionem absoluendi alteri committant.

Dicet aliquis, graue hoc onus Pœnitentis futurum, si cogatur peccata sua superiori dicere, vt pro illis tantùm debita imponatur pœnitentia, & medicina: tum verò eadem inferiori aperire, vt ab illis Sacramentaliter absoluatur.

Respondeo, hoc sequi ex ipsa ratione peccatorum reseruatorum, quæ iudicio prudentioris curanda sunt, proindequè Pœnitentem debere potiùs sè ipsum accusare, quàm nostram sententiam, quæ id ex legitimo fundamento

integritatis necessariæ afferat. Tum quia, vt optimè aduertit Canus 5. par. relect. de pœn. folio 106. §. 2. conclusio, etiamsi Superior talia peccata audiat, non ad absoluendum, sed tantùm ad satisfactionem imponendam, adhuc tamen tenetur ad sigillum, sicut ad idem tenetur Confessarius, qui propter Pœnitentis indispositionem illum non absoluerit. Et ratio est, quia quacunquè ratione peccatum in confessione dicatur, siue in ordine ad inchoandam tantùm, siue ad perficiendam confessionem, semper inducitur obligatio sigilli, dummodò Pœnitens animo se accusandi confiteatur.

50 Quare ergo iusta causa esse poterit, si nimirum Pœnitens velit statim à Superiore audiri, & ex parte illius insistet vera necessitas moralis non differendi amplius confessionem: ex parte Superioris adsit tale impedimentum, vt non possit totam confessionem audire: ac demum ex parte peccati, quòd tale, ac tantùm sit, vt non expediat illud alterius iudicio, quàm Superioris committi: his enim tribus concurrentibus consurgit sufficiens ratio, ob quam dimidiatio hæc non formalis, sed materialis censeatur. Verùm cùm ea difficillimè concurrant, rarissima erit necessitas, ob quam liceat Superiori auditis solis reseruatis Sacramentaliter absoluere habentem alia mortalia.

51 Ex quibus infero primò, si similis necessitas concurrat Confessario habenti tantùm iurisdictionem delegatam, etiam ipsum posse hoc modo absoluere; eo etiam maximè, quòd ille non potest suas vices alteri cōmittere.

52 Secundò, si quando Superior Sacramentaliter non absoluat, sed solum auferat reseruationem, & absoluat ab excommunicatione, ac pœnitentem ipsum mittat ad inferiorem pro obtinenda Sacramentali absolutione; adhuc Superiorem teneri ad obseruandum totam illam notitiam sub sigillo confessionis: sicut quando Confessarius ob indispositionem pœnitentis eum non absoluit, tenetur obseruare sub sigillo, quæ audiuit. Et ratio est, quia iam totum illud spectabat, & ordinabatur ad Sacramentum. Ita Suar. cit. nu. 8.

53 Tertiò, quando Superior absoluit Sacramentaliter à solis reseruatis nisi adsit mala fides, vel obex ex parte pœnitentis, fieri verum Sacramentum, & gratiam conferri. Et ratio est, quia cum adsint materia, & forma, & aliunde defectus integritatis non sit culpabilis, vt suppono; nihil potest deesse ad veritatem, & effectum Sacramenti; sicut nec quando ob inculpabilem obliuionem vel ob aliam iustam causam omittit pœnitens aliqua peccata, obstat defectus integritatis valori, & effectui Sacramenti.

DIFFICVLTAS XVI.

Titius ex causa rationabili confessus est Superiori sola reseruata, & fuit remissus ad inferiorem pro non reseruatis. Quæritur vtrùm inferiori Sacerdoti teneatur manifestare, & reseruata iam semel confessa, & non reseruata.

54 *Refertur sententia, quæ docet tam reseruata, quàm non reseruata inferiori Confessario esse exprimenda.*

55 *Sententia Authoris.*

56 *Si à reseruatis per Superiorem absoluatur, à non reseruatis verò per inferiorem, duplex Sacramentum recipit.*

54 Huic

54 HVic difficultati respondet Caiet. v. Confessio conditione 10. dicendo, si inferiorem adeat, teneri illi exprimere omnia peccata tam confessa Superiori, quàm non confessa, cuius hoc est fundamentum, quia confessio facienda est integra Confessario, non autem Confessarijs: cui sententiæ tanquam probabili adhæret Regin. lib. 8. num. 90.

55 Ego verò respondeo cum Suar. disp. 31. de pœn. sect. 1. num. 10. Cardinali de Lugo in Superiore difficultate cit. num 82. sufficienter satisfacere integritati confessionis, si reliqua tantùm inferiori confiteatur, absquè eò quòd denuò subijciat ea, quæ fuit Superiori confessus. Et ratio est, quia in alijs casibus; in quibus Pœnitens ob iustam causam dimidiat cōfessionem, non tenetur priora peccata confessa repetere; ergo neque in hoc casu: militat enim vbiquè eadem ratio. Tum quia a reseruatis fuit directè, & virtute Clauium semel absolutus; ergo non tenetur eadem de nouo subijcere. Ac si ratio Caietani valeret, quoties quis alicuius peccati in confessione obliuisceretur, dum illud in sequente confessione subijceret, teneretur denuò priora peccata confiteri. Vera ergo est illa Caietani propositio, per se loquendo: quia per se loquendo, confessio facienda est integra materialiter, quæ fieri non potest, nisi tota fiat vni Confessario. At verò, quia aliquādo integritas formalis sufficit, vt de hoc vidimus suo loco, inde est, vt ex accidenti fieri possit Confessarijs, idest distinctis Sacerdotibus; dummodò tamen ijsdem simul sumptis peccata omnia integrè subijciantur.

56 Ex quibus inferas, Pœnitentem Sacramentaliter absolutum per Superiorem à reseruatis, & a non reseruatis per inferiorem, recipere duplex Sacramentum, proindequè duplicem effectum Sacramenti: & in priore confessione directè absolui à reseruatis, indirectè verò à non reseruatis: in posteriore verò directè tantùm à non reseruatis. Ita Suar. loco cit. num. 9. Toletus in instruct. Sacerdotum lib. 3. cap. 8. num. 5. De Lugo num. 81.

DIFFICVLTAS XVII.

An inferior Sacerdos possit licitè absoluere Pœnitentem habentem peccata reseruata, cum onere, vt ea postmodùm confiteatur Superiori.

57 *Refertur sententia affirmans.*
58 *Sententia Authoris, quæ iustam causam exigit in absoluente.*
59 *Contingere aliquando potest, vt absolutio sit valida; licèt non ad sit iusta causa.*

57 RESpondent affirmatiuè plures, ea potissimùm nixi ratione, quòd licèt absolutio a Sacerdote collata tollat culpam, & ideò necesse sit, vt vel omnem tollat, vel nullam; tamen non est necesse, vt per se omnia tollat peccata, sed potest aliqua per se tollere, aliqua verò per accidens: proindequè Sacerdotem inferiorem optimè posse audire Pœnitentem habentem peccata reseruata, & non reseruata, illumquè per se absoluere à non reseruatis, per accidens verò à reseruatis. Ita D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 18. § 6. Sylu. v. Confessio 1. quæsito 19. Ang. v. Confessio 5. num 9. Viguer. in sum. cap. 16. §. 4. vers. 17. Tolet. in instruct. Sacerdotum lib. 3. cap. 8. n. 5., & alij plures, quos pro hac

sententia citant Suar. de pœn. disp. 31. sect. 2. num. 1. Vasq. quæst. 91. de pœn. art. 3. dubio 9.

58 Ego verò respondeo, inferiorem Sacerdotem non posse absq; causa rationabili, vel vrgente necessitate absoluere Pœnitentem à non reseruatis, remittendo postmodùm illum ad Superiorem pro reseruatis. Ita Suar. Vasq. cit. Conin. disp. 8. dubio 13. nu. 103. Regin. lib. 8. num. 80. & communiter Neoterici. Et ratio est, quia quòd omnia peccata sint confitenda non solùm hoc est propter integritatem confessionis, sed etiam propter integritatem absolutionis, quæ nullo modo est dimidianda nisi iusta causa, vel grauis necessitas intercedat. Atqui in tali casu dimidiaretur directa absolutio; ergo &c. Tum quia si talis Confessarius auditis omnibus peccatis tàm reseruatis, quàm non reseruatis, posset huiusmodi Pœnitentem absoluere, ita vt etiam indirectè remaneret absolutus à reseruatis, posset etiam simplex Sacerdos audire habentem peccata venialia, & mortalia. Sed hoc fieri licitè non potest; ergo &c. Patet sequela, quia tam deest inferiori Cõfessario iurisdictio supra reseruata, quam simplici Sacerdoti iurisdictio supra peccata mortalia: sed hoc non obstante adhuc inferior potest audire Pęnitentem habentem non reseruata, & reseruata, illum ad Superiorem remittendo pro directa absolutione reseruatorum; ergo etiam simplex Sacerdos poterit audire habentem venialia, & mortalia, illum remittendo ad approbatum pro peccatis mortalibus pro directa illorum absolutione: vel si hoc non posit, neq; alterum fieri poterit, cùm vtrinquè militet eadem ratio: tam enim simplex Sacerdos haberet iurisdictionem circa partem illius confessionis, quàm inferior Confessarius.

Dixi in responsione, absq; rationabili causa, vel vrgente necessitate: hac enim concurrente poterit inferior Confessarius ita absoluere, vt patebit ex difficultate sequente.

59 Verum tamen est, quòd si absque vlla legitima causa absolueret, adhuc tamen Sacramentum teneret, quoties Pęnitens bona fide confiteretur. Et ratio est, quia in Pęnitente adesset bona fides, vt suppono: debita item dispositio: confessio item esset integra: & Confessarius haberet intentionem absoluendi ab ijs peccatis, à quibus posset; ergo validum foret Sacramentum. Tum quia si Pœnitens peccata illa reseruata fuisset oblitus, ea fuissent indirectè deleta, & pro ijs delendis sufficisset iurisdictio inferioris Confessoris; ergo adhuc delebuntur, etiamsi ea à Pęnitente manifestentur: ad hoc enim, vt stet Sacramentum sufficit quòd Confessarius habeat iurisdictionem circa partem materiæ à Pęnitente exhibitæ: & sic ea peccata, circa quæ habeat iurisdictionem directè delentur; cœtera verò circa quæ illam non habet, qualia sunt reseruata; indirectè tantùm, idest per concomitantiam, ex eò quòd non posit vnum deleri sine alio. Tum quia, si & Confessarius bona fide absolueret, & Pęnitens bona fide confiteretur, ex eò quòd hic putaret illum habere iurisdictionem supra reseruata, Confessarius verò putaret peccata confessa non esse reseruata: certè in hoc casu staret Sacramentum, & tamen bona illa fides nõ suppleret iurisdictionem: quod argumento est, quia si Pęnitens veniret postmodùm in cognitionem, Confessorem non habuisse hanc iurisdictionem, teneretur iterum peccata reser-

reſeruata Superiori ſubijcere; ergo adhuc ſtabit Sacramentum, etiamſi mala fide Sacerdos abſoluat: bonitas enim vel malitia Confeſſoris non reddit irritum Sacramentum quoties illi non deſit intentio. Ita Suar. cit. num. 6. Regin. loco cit. num. 81.

Dices, ſequeretur Pœnitentem obſtrictum venialibus, & alijs mortalibus non reſeruatis poſſe validè abſolui à ſimplici Sacerdote, quoties illi bona fide confiteretur, & putaret illum habere iuriſdictionem.

Reſpondeo concedendo ſequelam cum DD. cit. licèt enim ſimplex Sacerdos per ſe iudicare non poſſit de peccatis mortalibus, tamen quatenus habet poteſtatem conficiendi tale Sacramentum propter iuriſdictionem, quam habet circa peccata venialia confeſſa, inde eſt vt poſſit hominem ſanctificare, & conſequenter mortale peccatum expellere, licèt ab illo per ſe non abſoluat.

DIFFICVLTAS XVIII.

Quæ nam ſit hæc iuſta cauſa, qua concurrente poſſit inferior Sacerdos abſoluere eum, qui habet caſus reſeruatos antequam coram Superiore compareat.

60 *Grauis neceſſitas vitandi infamiam, ſcandalum, vel aliud graue nocumentum poteſt præbere inferiori Confeſſario iuſtam cauſam abſoluendi obſtrictum reſeruatis, antequam coram Superiore compareat.*

61 *In ſententia Layman iuſta cauſa eſſe poteſt ſi confeſſio bona fide ſit inchoata.*

62 *Vtrùm habens peccata mortalia poſſit in neceſſitate ſacri faciendi confiteri ſimplici Sacerdoti, à quo directè à venialibus, indirectè verò à mortalibus abſoluatur.*

PRæciſo mortis articulo, qui caſus quidem neceſſitatis eſt, ſed extremæ, & de quo inferiùs loquemur, communiter hi caſus aſsignantur. Quando nimirum præceptum annuæ confeſſionis eſt implendum: vel eſt quis communicaturus: vel ſacrum facturus, ita vt non poſſit confeſsionem, communionem, ſacrum omittere ſine graui ſcandalo, & infamia, & pro eo tempore aditus ad Superiorem non pateat. In præſenti ergo difficultate quæremus, vtrùm in his caſibus poſſit inferior Sacerdos abſoluere Pœnitentem habentem caſus reſeruatos.

Reſpondent aliqui non poſſe abſoluere, eò quòd inferior Sacerdos careat tali iuriſdictione. Vnde dicunt in his caſibus Pœnitentem teneri elicere actum contritionis, & poſtmodùm communicare, vel ſacrum facere, tanquam ſi non haberet copiam Confeſſarij. Ita Ricard. diſt. 17. art. 2. q. 8. ad 2. Adrian. quæſt. 4. de Confeſſ. Durand. diſt. 17. quæſt. 15.

60 Ego verò reſpondeo, quando Pœnitentem vrget aliqua grauis neceſſitas vitandi infamiam, ſcandalum, vel aliquod graue nocumentum, poſſe in caſibus aſſignatis confeſſionis, communionis, vel ſacri faciendi ab inferiore abſolui à caſibus reſeruatis: non ita quidem, vt ab illis directè, ſed tantùm indirectè abſoluatur. Probatur, quia in his caſibus adeſt debita diſpoſitio in Pœnitente, vt ſuppono: integritas item formalis, quæ tam ſufficit Pœnitenti in confeſsione, quam Sacerdoti in abſolutione: rurſus iuriſdictio in Confeſſario, ſi non quò ad omnia peccata, ſaltem quò ad aliqua; ergo po-

go poterit absolui. Et confirmatur, quia si Pœnitens illorum peccatorum reseruatorum obliuisceretur, teneret Sacramentum, & reseruata indirectè tollerentur: quòd ergo in hoc casu præstaret obliuio, dicamus suppleri à iusta causa, & necessitate. Tùm quia si iusta adesset causa reticendi tale peccatum reseruatum, posset ab alijs confessis non reseruatis per inferiorem Confessarium absolui; ergo etiamsi illud confiteatur; dummodò tamen vrgeat aliqua necessitas confessionis: non enim potest assignari ratio, cur ille dicatur esse melioris conditionis tacendo peccatum, quàm illud confitendo. Demum verò ad hoc facit regula quarta iuris, quòd necessitas facit licitum, quod iure est illicitum. Ita Suar. de pœn. disp. 31. sect. 3. num. 3. Regin. lib. 8. num. 85. Conin. disp. 8. dubio 13. num. 105. & 106. quo loco subdit satiùs esse hoc modo confiteri, & absolui, quàm communicare sine confessione: cùm enim non ita facilè habeatur contritio, communiter incerti sumus, an eam habeamus, etiam quando maximè credimus nos esse cõtritos. Vnde est, vt qui conscius peccati mortalis communicat non præmissa confessione, dicatur ferè exponere se periculo sacrilegij. Quinimò addit, eum, qui præter peccata reseruata non habeat nisi venialia longè meliùs facere, si tali Confessario omnia sua peccata confiteatur, quam si communicet sine confessione, & ad hoc teneri, quoties non omnino crederet se esse contritum.

61 Addam tamen hoc loco in gratiam eorum Confessariorum, qui cum Pœnitentibus suis indulgentius, quàm par est agunt, casum, quem proponit Laym. in theologia morali lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 11. Vbi sic habet. Si Pœnitens bona fide ad Confessorem veniret, vel quia nesciuit tale peccatum Superiori esse reseruatum: vel si sciuit, existimauit etiam se posse à tali Confessore legitimè absolui, cum obligatione postea tempore opportuno se præsentandi Prælato: in hoc casu arbitror absolutionem plerumquè dari posse, modo Pœnitens præter reseruatum, aliud peccatum absoluenti subijciat. Ratio est partim, quia aliqualis necessitas vrget, siquidẽ Pœnitens ægro animo discedet absquè absolutione, cùm ex sua parte benè dispositus sit: partim, quia graues Doctores absolutè docent, quòd Sacerdos Pœnitentem; qui peccata reseruata habet, absoluere possit cum onere, vt ea sola Superiori postea confiteatur, & ab alijs directè absoluatur.

Obijcies 1. Concilium Trid. sess. 14. cap. 7. vbi habet Sacerdotem præciso mortis articulo nihil posse circa reseruata: ergo neque potest ab illis indirectè absoluere.

Respondeo Concilium Trid. intelligendum esse de directa absolutione, præciso videlicet mortis periculo non posse Sacerdotem directè, & per se Sacramentaliter, & in virtute Clauium absoluere à peccatis reseruatis. De reliquo, quòd indirectè, idest per accidens, & concomitanter ab ijsdem absoluere possit, patet hinc, quia si quis obliuisceretur alicuius reseruati, & cõfiteretur tantùm non reseruata, indirectè ab illo reseruato oblito per inferiorem etiam Sacerdotem absolueretur; ergo signum est inferiorem Sacerdotem posse à reseruatis indirectè absoluere. Hocq; patet ex verbis ipsius Concilij, dum habet, Sacerdotem nihil posse in casibus reseruatis: non enim simpliciter dixit, Sacerdotem nihil posse: vel certè nihil posse in perso-

nam habentem casus reseruatos sed tantùm dixit, nihil posse in casibus reseruatis, hoc est, non posse ab ijs Sacramentaliter absoluere, quia licèt indirectè Pęnitens ab ijs absoluatur, illi tamen remanet obligatio se præsentandi coram Superiore, cui tenetur peccata reseruata repetere, vt ab ijsdem virtute Clauium absoluatur.

Obijcies 2. hoc modo si quis haberet peccata mortalia, & esset in necessitate communicandi, implendi præceptum annuæ confessionis, sacrum faciendi, vel alia simili, nec haberet Sacerdotem approbatum, sequeretur quòd licitè posset simplici Sacerdoti confiteri peccata venialia, & mortalia, vt a venialibus directè absolueretur, indirectè verò a mortalibus. Sed consequens non est admittendum; ergo nec antecedens. Sequela probatur, quia Pœnitens potest licitè confiteri inferiori Sacerdoti non reseruata, & reseruata, licèt careat iurisdictione supra reseruata; Ergo idem Pęnitens poterit simplici Sacerdoti confiteri venialia & mortalia, licèt simplex Sacerdos careat iurisdictione circa mortalia. Quod argumentum non solùm probat validam futuram confessionem & absolutionem: hoc enim concessimus in difficultate superiore; sed probat etiam eandem futuram licitã, seclusa etiam bona fide, & ignorantia.

62 Respondeo, sequelam videri satis probabilem, sicuti eadem visa est probabilis Suario, & Conin. cit. sed tamen, quia deest auctoritas Doctorum, & in contrarium est ipse vsus Ecclesię, quæ in re morali, & maximè in materia Sacramentorum plurimi sunt facienda, inde est vt non sit facilè admittenda, nisi fortè in grauissima necessitate, qualis esse posset, si quis per multos annos carere deberet confessione. Ratio ergo diuersitatis inde potest peti, quia illud est iuxta vsum Ecclesiæ, & Doctorum auctoritatem, & consequenter licitum: alterùm verò illis repugnat: vnde est, vt videatur illicitum. Congruentia verò huius diuersæ consuetudinis esse potest, quia, qui habet iurisdictionẽ circa peccata mortalia, iam habet id, quod præcipuum est, & quasi substantiale in hac potestate: & reseruatio subsequens non tollit potestatem circa personam, sed tantùm circa aliqua, nec omnino prohibet absolutionem personæ in casu necessitatis, sed tantùm tribuit Superiori ius cognoscendi certas causas illius proprias. At verò simplex Sacerdos caret potestate in personam: vnde est vt non fuerit consuetudine introductum, vt possit extra necessitatem extremam absoluere affectũ culpa lethali. Tum quia simplex Sacerdos non habet facultatem absoluendi à venialibus, quoties Pęnitens putet se cum venialibus obstrictum esse peccatis mortalibus. Hæc dixerim retenta sententia, quam superiùs sustinuimus quæst. 1. diffic. 8. asserente ad absolutionem à peccatis venialibus requiri potestatem iurisdictionis. Cęterùm si contrariam vellemus sustinere, tunc facilior foret responsio: ideo enim in hac sententia simplex Sacerdos non posset audire habentem peccata mortalia, & venialia, quia simplex Sacerdos caret omni iurisdictione, qua non caret Sacerdos inferior, qui audiat habentem non reseruata, & reseruata.

DIFFICVLTAS XIX.

An si quis vrgente necessitate celebrandi confiteatur Casum reseruatum inferiori Confessario,

rio, teneatur Casum illum pro absolutione ad Superiorem quamprimum deferre.

63 *Sacerdos, qui absq; præuia confessione in casu necessitatis celebrat, tenetur quamprimum confiteri.*

64 *Refertur sententia affirmans Sacerdotem eum, qui vrgente necessitate celebrandi confessus sit peccatum reseruatum inferiori Confessario, teneri post sacrificium quamprimum illud confiteri Superiori.*

65 *Sententia Authoris.*

66 *Quid in praxi sit obseruandum.*

Quid si Sacerdos bona fide accedat ad sacrificium, & peracta celebratione recordetur alicuius peccati mortalis, de quo ante sumptionem doleat, vtrum teneatur illud quamprimum confiteri nu. eodem.

63 SVpponendum, vt habetur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 7. Sacerdotem eum, qui absque præuia confessione in Casu necessitatis celebrat, teneri quam primum confiteri: verba Tridentini sunt hæc [*quod si necessitate vrgente Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur*] in quibus verbis contineri præceptum confessionis quamprimũ faciendæ vnanimi consensu concedunt Theologi omnes, paucis exceptis. Vnde est, vt in Regulis Missalis Romani, pro illis verbis, *quamprimum confiteatur*, legantur hæc, *quamprimum debet confiteri*, quæ clarius exprimunt obligationem. At verè quoties diceremus verba hæc non continere præceptum, teneremur etiam dicere, verba illa contenta in Cap. Omnis vtriusque Sexus, per quæ fuit fidelibus omnibus impositum præceptum annuæ confessionis, non continere præceptum; cum similia omnino sint, & sic dicant; *Semel in anno confiteatur &c.* Ac pariter, quoties verba hæc præceptum non continerent, idem dicendum nobis esset de alijs præceptis, quæ in eodem Tridentino in decretis de reformatione imponuntur per similia verba. Casus ergo in hac difficultate controuersus hic est, Titius Parochus habens Casum reseruatum, nec potens recurrere ad Superiorem, vrgente necessitate celebrandi confitetur inferiori Confessario, ab eoq; directè absoluitur à non reseruatis. Quæritur an ex præcepto Tridentini teneatur quamprimum potest ad confitendum Casum illum Superiori; an verò satis sit illum confiteri tempore debito, quando scilicet instabit aliqua obligatio; puta, vel alterius confessionis, vel nouæ celebrationis.

64 Respondet affirmatiuè Eminentissimus de Lugo; & rationem affert, quia verè iste diceretur celebrasse in Casu necessitatis absq; præuia confessione illius peccati, cuius conscientiam habebat, & quam præmittere debebat; ergo vi Concilij Tridentini teneretur quamprimum confiteri peccatum reseruatum omissum; sic enim habet Concilium: *Si necessitate vrgente Sacerdos, absq; præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur.* Sed Titius in casu nostro verè diceretur celebrasse necessitate vrgente, absque præuia confessione illius peccati reseruati, quod habebat in conscientia; ergo post Missam teneretur quamprimum posset illud confiteri Superiori. Et ratio, & autoritas tanti Viri, qui mihi, licet vnus, maximi etiam nominis Auctoribus semper erit præferendus, faciunt vt sententiam hanc pro praxi sustinendã existimem.

65 Res-

65 Respondeo tamen non improbabiliter dici posse, quod Casus iste non comprehendatur præcepto Tridentini. Et ratio mea est, quia hic versamur in materia odiosa, qualis est quæcunque, quæ legis, aut præcepti vim imponat; ergo ea est restringenda. Dicere ergo possumus præceptum Tridentini obligare tantùm in ijs casibus, in quibus ratione vrgentis necessitatis Sacerdos ita celebrat, vt nullam confessionem premittat: seù in ijs casibus, in quibus necessitate vrgente Sacerdos celebrat absque vlla præuia confessione. Sed Titius verè premisit confessionem peccatorum non reseruatorum; quinimò etiam confessus est peccatum ipsum reseruatum: retenta sententia, de qua videbimus inferiùs, quòd in casu, quo pœnitens habens peccata reseruata potest ab inferiore Confessario absolui, teneatur illi, & non reseruata, & reseruata manifestare; Ergò saltem in hac sententia, cum sit confessus & nō reseruata, & reseruatā, non erit obligandus ad quamprimū pro noua confessione penes Superiorem. Quinimò probabiliter etiā putarem dictum Titium immunem ab hac obligatione, etiamsi sola nō reseruata fuisset confessus inferiori Confessario, & hoc ob rationem allatam, quia, videlicet, Concilium intelligendum sit de ijs, qui in casu necessitatis celebrāt, absquè vlla præuia confessione. Et hoc colligi potest ex verbis ipsis Concilij: postquam enim Concilium explicuit obligationem vniuersalem præmittendi confessionem ante communionem, de hoc debito loquens, ita subdit [*quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit: modo non desit illis copia Confessoris*] & paulo post subdit [*si ea desit, & si necessitate vrgente, absque præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur*] hoc autem non accidit quando Sacerdos præmisit confessionem omnium suorum peccatorum, & ab ijs fuit Sacramentaliter absolutus, licèt indirectè tantùm à reseruatis; hic enim non dicitur absq; præuia confessione celebrasse. Quare mens Concilij est docendi debitum, quod habent fideles omnes præmittendi confessionem ante communionem: quod si Sacerdos aliquis coactus celebrare illam præmittere non possit ob inopiam Confessarij, celebret quidem, sed quamprimum potest confiteatur, vt per confessionem constituat se in gratia. Tum quia pares in hoc essent ij, qui confessionem præmisissent, & qui non præmisissent; tam enim teneretur ad quamprimum is, qui fuisset confessus & Sacramentaliter absolutus ab omnibus ijs peccatis, à quibus poterat absolui, quàm teneretur is, qui cum solo actu contritionis ad celebrandum accessisset. Tum quia cogeremur dicere hoc præcepto Tridentini ligari etiam Sacerdotem eum, qui ante Missam confessus fuisset omnia peccata mortalia præter vnum, quod iusta de causa tacuit, puta quia rationabiliter timebat illud à Confessario manifestandum: si enim ad quamprimum tenentur Sacerdotes omnes celebrantes sine præmissa confessione omnium peccatorum, quæ habeant in conscientia: etiam iste verè celebrasset absq; præuia confessione illius peccati mortalis, quod rationabiliter tacuit. Quòd tamen rigorosè nimis videtur dici, quia iste confessus fuisset omnia sua peccata, quantum humano modo potuisset, & diceretur celebrasse præuia debita confessione; ergo non esset obligandus ad confi-

tendum quamprimum,& ad illico quęrendum Confessarium, cui absquè periculo posset illud confiteri.

Tum quia si Sacerdos accedat ad celebrandū cum ignoratia peccati mortalis, & illius recordetur non nisi in actu celebrationis, puta vel ante consecrationem, vel saltem ante sumptionem; in probabili sententia Sacerdos iste non afficeretur præcepto Tridentini, eo quod Tridentinum loquatur de Sacerdote, qui conscius peccati mortalis ad celebrandum accedat absque præuia confessione, quia non adsit copia Confessarij, & vrgente necessitate cogatur ita celebrare: quam sententiam publicè se docuisse in Collegio Romano anno 1587. testatur Vasquez in 3. par. tom 2. disp. 208. c. 3. num. 19. Eamdemquè probabiliorem existimat Diana p. 2. tract. 14. de celebratione Missarum resol. 61. qui hanc eandem sententiam extendit cum Nugno 3. par. tom. 2. quæst. 88. art. 4. diffic. 4. ad Sacerdotem eum, qui ad celebrandum accederet sine conscientia peccati mortalis, sed in ipsa celebratione peccatum mortale committeret, de quo tamen doleret ante sumptionem, & ante comunionem: ex eo quod Tridentinum apertè loquatur de eo, qui accedat ad celebrandum cum conscientia peccati mortalis, quod tamen non confiteatur ob inopiam Confessarij; quod non accidit in hoc Casu; Ergo pari modo, cum Concilium loquatur de Sacerdote eo, qui necessitate vrgente celebret absq; pręuia confessione, dicendum est non nisi de Casibus ijs esse intelligendum, in quibus Sacerdos conscius peccati mortalis celebret absq; vlla præuia confessione, seu cum sola contritione.

Pariter ab hoc eodem præcepto immunem facit Diana cit. Sacerdotem eum, qui absq; præuia confessione celebret, non quia desit copia Confessarij, sed propter scandalum aliorum, vel vt infamiam vitet; eo quod Concilium loquatur expressè de eo, qui absq; præuia confessione ad celebrandum accedit ob inopiam Confessarij; odia autem sunt restringenda, non amplianda; Ergo etiam nos restringere possumus prædictum decretum nonnisi ad Sacerdotes eos, qui cū sola contritione, & absq; Sacramentali cōfessione ad celebrandum accedant.

Tum quia si quispiam Sacerdos ante Missam sit ritè confessus, sed postea inter celebrandum recordetur peccati mortalis obliti, iste in probabili sententia, quam sustinet Diana cit. resol. 48. non tenetur ad actum contritionis eliciendum, cum iam sit constitutus in gratia per Sacramentalem confessionem; Ergo neque est obligandus ad confitendum illud peccatum quamprimum possit peracta celebratione: tenebitur ergo illud confiteri, sed non alio præcepto, quam diuino.

66 Pro praxi tamen contraria sententia est suadenda. Et ita sentiunt Suarez, Reginaldus, & alij cum Bonacina disp. 4. de Sacram. quæst. 6. par. 1. nu. 39. loquentes de Sacerdote eo, qui absque vlla confessione, & cum ignorantia peccati mortalis ad celebrandum accesserit, sed ante sumptionem illius recordetur: aut si illud quidem commiserit post consecrationem, sed communicauerit præmissa contritione; quem dicunt teneri ad confitendum quamprimum peracta celebratione. Sed in contrarium videtur etiam in hisce duobus casibus obstare, saltem in sententia, quæ essentiam & substantiam sacrificij constituit in sola consecratione; quia si Sacerdos recordetur alicuius peccati mortalis post

ipsam

ipsam celebrationem, porrò non tenetur hoc præcepto Tridentini, vt concedunt Doctores citati, quia Tridentinum afficit nonnisi Sacerdotes eos, qui ex graui necessitate celebrant non præmissa confessione, qui autem bona fide & ignarus peccati mortalis celebrat, non dicitur ex graui necessitate celebrare absq; præuia confessione; Ergo in sententia constituente substantiam sacrificij in consecratione, quam tuetur Suarez & maior pars Theologorum, neque dicendum erit hoc Tridentini præcepto teneri Sacerdotem eum, qui alicuius peccati mortalis recordetur nonnisi post consecrationem, ex eo quod ille iam dicatur quoad substantiam suum peregisse sacrificium, & celebrationem; Tridentinum autem loquitur de Sacerdote eo, qui celebret absque præuia confessione ob defectum Confessarij, non verò de eo, qui iam celebrauerit; seu essentiam, & substantiam sacrificij iam apposuerit.

DIFFICVLTAS XX.

Quid intelligatur per illud, quamprimum, in verbis Concilij Tridentini.

67 *Existimant aliqui Sacerdotem teneri illicò post missam confiteri.*

68 *Alij laxiùs respondent, satis esse si confiteatur tum, cum iterum celebrare voluerit.*

69 *Sententia Authoris.*

70 *Retinens per biduum libros hæreticorum excusatur à censura contenta in Bulla Cænæ.*

71 *Absolutus in articulo mortis ab excommunicatione reseruata cum obligatione se præsentandi Superiori, tenetur cum primum potest se præsentare, alioquin reincidit quænam dilatio possit sufficere ad excusandum à reincidentia.*

72 *Sacerdos ex sua malitia celebrans absq; præuia confessione non tenetur hoc præcepto Tridentini.*

73 *Præceptum hoc non extenditur ad laicos communicantes absq; præuia confessione.*

74 *Sacerdos more laicorum communicans non ligatur hoc præcepto.*

QVæritur in hac difficultate qualis dilatio confessionis post Missam sit materia sufficiens ad peccandum mortaliter contra istud præceptum, retenta sententia, quam in principio superioris difficultatis supposuimus, quod verba Concilij præceptum sonent, non consilium, vt putarunt Villalobos in sum. to. 1. tract. 7. dub. 37. num. 7. & Petrus de Ledesma in sum. par. 1. tract. de Euchar. cap. 11. ante concl. 9.

67 Respondent aliqui dicentes verbum illud, quamprimum, strictè esse accipiendum, & sic Sacerdotem eum, qui absq; præuia confessione in graui necessitate celebrauerit teneri illicò finita Missa ad quærendum Confessarium, cui peccata sua possit confiteri. Ita Sancius in selectis disp. 32. num. 14. Et pro hac eadem sententia ab Antonino Diana part. 2. tract. 14. de celebrat. Missarum resolut. 60. citatur Henriquez.

68 Respondet Diana hac in re inuenisse se opinionem satis benignã grauissimorum Auctorem asserentium, satis esse pro adimplendo supradicto præcepto, si Sacerdos, qui sic celebrauit confiteatur suo tempore, nempè ante aliam celebrationem; itaut idem sit dicere, Sacerdos ita celebrans tenetur quamprimum confiteri: ac dicere, tenetur confiteri, cum primum iterum cele-

celebrare voluerit. Ita Facundez de præcept. Ecclesiæ tract. 3. lib. 3. cap. 8. num. 9. Et pro eadem sententia citantur ab eodem Diana Molfesius in sum. tom. 1. tract. 3. cap. 10. num. 28. & Petrus Bintfeldius in enhir. theol. Pastoral. cap. 5. Quinimò eandem saltem per principia extrinseca probabilem esse sustinet idem Diana.

Sed contra hanc sententiam obstat primò, quia sic eluderetur præceptum Tridentini, quoties ad nihil aliud obligaret, quam ad confitendum tum cum Sacerdos vellet iterum celebrare; posset enim per annum ea confessio differri, per annum integrum nunquam celebrando. Tum quia nullum esset discrimen inter laicum communicantem in necessitate absq; præuia confessione, & Sacerdotem celebrantem; vterq; enim tenetur ex præcepto diuino ad confitendum, data occasione, ante sequentem communionem. Tum quia Concilium obligat ad quàprimum: & in Regulis Missalis Romani dictio illa Concilij, quamprimum, explicatur, cum primum poterit; non diceretur autem Sacerdos confiteri cum primum posset, quoties confessionem prorogaret vsq; ad nouam celebrationem, quam, vt dixi, per annum integrum, & amplius differre posset.

69 Ego verò respondeo eam dilationem sufficere ad peccatum mortale, quæ iudicio prudentis Viri dicatur notabilis in ordine ad finem, quem intendit Concilium, qui fuit Sacerdotum conscientiæ & puritati consulere: ad tollendum enim periculum, quod imminebat sæpius celebrandi absquè confessione, optimè consultum existimauit, si decerneretur, vt Sacerdos, qui in casu veræ necessitatis celebrasset cum sola contritione, remaneret obligatus ad quamprimum confitendum, seu prima data opportunitate; seù vt explicuit regula Missalis Romani, cum primum posset.

Vnde inferas primò contingere aliquando posse, vt illicò post Missam teneatur Sacerdos sub mortali vi huius præcepti ad confitendum; quando, scilicet, post Missam haberet copiam Confessarij, & non esset certus, an cras illum esset habiturus; & ex alia parte præuideret se ex eadem necessitate coactum iri ad celebrandum cras; sic enim dilatio hæc quantumuis modica grauiter contrariaretur fini Concilij.

Secundò contingere posse, vt Sacerdos, qui hac die graui necessitate vrgente celebrauit cum sola contritione, mortaliter peccet, si non confiteatur cras; quando scilicet cras esset habiturus Confessarium, & non confitendo cras, præuideret suam confessionem esse differendam per plures dies. Et ratio est eadem, quia dilatio hæc grauiter aduersaretur præcepto Concilij, quo præcipitur confessio prima data opportunitate.

Tertiò cessantibus hisce periculis, vel celebrandi absq; præuia confessione; vel longiùs differendi confessionem, non videri dilationem grauem, quando Sacerdos intra triduum confitetur. Ita Cardinalis de Lugo disp. 15. de Sacram. Eucharistiæ sect. 7. in fine; eandemq; explicationem approbat Diana loco cit.

70 Sic cum in Bulla Cœnę contineatur excommunicatio lata contra tenentes libros hęreticorum, retinentem per biduum excusat Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 10. nu. 55. ex eo quod talis detentio videatur modica ad tantam pęnam incurrendam.

71 Sic absolutus in articulo mortis

tis ab excommunicatione reſeruata, cum obligatione ſe præſentandi Superiori tenetur cum primum commodè poteſt preſentare ſe, vt patet ex cap. Eos qui, de ſen. excommunicationis in 6. alioquin reincidit in cenſuram, & tamen ſi intra triduum datæ commoditatis ſe præſentet, exiſtimat Cardinalis cit. illum non reincidere. Quinimò maiorem dilationem huic concederem, nec illico illam exiſtimarem mortalem, quàm concederem in noſtro caſu. Et ratio eſt, quia minor hæc dilatio magis opponeretur fini intenta à Concilio, quàm illa maior.

72 Quartò inferas Sacerdotem eum, qui ex ſua malitia celebrat abſq; præuia confeſsione non ligari hoc præcepto Concilij; & ratio eſt, quia Tridentinum loquitur tantum de Sacerdote eo, qui abſque præmiſsa confeſsione celebret ex neceſsitate; hic autem non diceretur ex neceſsitate, ſed ex ſua improba nequitia celebrare; alioqui ſi ex neceſsitate nonniſi celebraret, conaretur eum actum contritionis elicere, quem poſset. Ita tanquam probabilius docet Suarez to. 3. quæſt. 66. ſect. 7. Bonacina cit. nu. 38.

73 Quintò præceptum hoc confitendi quamprimum non extendi ad laicos communicantes in neceſſitate cum ſola contritione, & abſque præmiſſa confeſſione. Et ratio eſt, quia præceptum poſitiuum extenditur tantum ad eos, quorum facit mentionem; Tridentinum autem non facit mentionem Laicorum, ſed ſolius Sacerdotis celebrantis abſq; præmiſſa confeſſione. Ita Suarez, Diana Bonacina citati, apud quos alij plures.

74 Sextò Sacerdotem communicantem more laicorum in neceſſitate, & abſque præmiſſa confeſſione non ligari hoc præcepto. Et ratio eſt, quia Tridentinum loquitur de Sacerdote celebrante, non communicante. Ita Doctores cit.

DIFFICVLTAS XXI.

Titius Sacerdos habet caſum reſeruatum, cui eſt adnexa excommunicatio: nec habet Superiorem, ad quem recurrat. Quęritur vtrùm vrgente neceſſitate ſacrum faciendi poſſit cõfiteri Sacerdoti inferiori.

75 *An excommunicatus poſſit aliquando validè confiteri.*

76 *Difficultati propoſitæ reſpondetur affirmatiuè.*

77 *Vtrùm habens caſus reſeruatos, & non reſeruatos nec habens copiam Superioris licitè poſſit aliquando cũ ſola contritione ad communionem accedere.*

HVius difficultatis ſolutio ab ea quæſtione pendet, vtrùm Sacramentum Pœnitentię receptum ab excommunicato cum vera excuſatione ſit validum. Reſpondent aliqui eſſe irritum, quorum fundamentum eſt illud potiſſimum, quia excommunicatus eſt præciſus ab Eccleſia; ergo quãdiu talis eſt, non poteſt de ſuis peccatis ab Eccleſia iudicari, vel abſolui. Ita Sylu. v. Confeſſio 1 q. 3. & v. Confeſſor 3. num. 12. vbi dicit communi conſuetudine ita obſeruari Palud. in 4. diſt. 17. quæſt. 6. art. 1. concl. 2. D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. & alij apud ipſos.

75 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam ſuſtineo, & exiſtimo excommunicatum occultum

concurrente iusta causa posse validè confiteri. Et probatur, quia per excommunicationem nihil tollitur de ijs, quæ sunt de substantia hujus Sacramenti; ergo si ex parte suscipientis non adsit aliud impedimentum, sola censura non est sufficiens ad irritandum hoc Sacramentum. Antecedens probatur, quia ad est materia, forma, intentio Ministri, & iurisdictio: licèt enim excommunicatus ipse priuetur iurisdictione actiua, non tamen priuatur iurisdictione passiua, idest alij non priuantur iurisdictione in ipsum. Tum quia si Pontifex audiret Pœnitentem excommunicatum & ex sua malitia intenderet absoluere à peccatis, non tamen a censura: Porro talis absolutio foret valida; ergo signum est excommunicationem ipsam de se non obstare validitati confessionis. Ita Caiet. in sum. v. absolutionis impedimenta, & v. excommunicatio minor. Med. tract. 2. de confess. q. de confess. ab excommunicato facta. Couar. in cap. alma p. 1. §. 6. à num. 7. Petrus Soto lect. 4. de excommunicat. Suar. de cens. disp. 10. sect. 3. num. 9. Cardin. de Lugo disp. 16. de Sacram. pœn. sect. 15. num. 614. Antonin. Diana p. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 78. Et est communior sententia.

Dices excommunicatus priuatur ab Ecclesia vsu Sacramentorum; ergo Sacramentum pœnitentiæ recipiens, inualidè illud recipit. Resp. excommunicatum verè priuari vsu actiuo, & passiuo Sacramentorum, sed per verba prohibitoria, non irritantia; seu arceri quidem ab vsu Sacramentorum, non tamen factum esse incapacem; alioqui matrimonium contractum ab excommunicato esset omnino irritum; Si enim ex voluntate, quam habuit Ecclesia priuandi excommunicatum vsu Sacramentorum nos colligeremus Ecclesiam irritasse absolutionem, ablata Confessarijs omnibus iurisdictione; deberemus etiam colligere, irritasse Sacramentum matrimonij, irritando consensum coniugis excõmunicati: quod tamen nullus dicat. Tum quia si censura excommunicati auferret Confessarijs suam iurisdictionem, ea esset pœna non pœnitentis, sed Confessarij absoluentis.

76 Respondeo ad casum, dicendo Titium excommunicatum vrgente necessitate sacrum faciendi posse confiteri Sacerdoti inferiori. Et probatur, quia non minùs prohibita est excommunicato occulto susceptio Eucharistiæ, quàm Sacramenti pœnitentiæ: quinimò magis illa prohibita, quàm hæc, quandoquidem per excommunicationem priuatur homo cummunione in diuinis, quæ maior est in receptione Eucharistiæ, quàm alterius Sacramenti: sed si iusta causa concurrat, vel necessitas, quæ honestet susceptionem Eucharistiæ, potest excommunicatus præmissa contritione ad illam accedere; ergo eidem licebit accedere ad Sacramentum pœnitentiæ. Quinimò quoties Ecclesia ob iustę causæ concursum concedit excommunicato vsum Eucharistiæ, dicere etiam debemus eidem concedere vsum pęnitentiæ, vt modus ordinarius seruetur, qui iure Diuino exigitur, quòd videlicet se ipsum Pœnitens per confessionem probet antequam ad Eucharistiam accedat. Ita Suar. tomo 4. in 3. p. D. Tho. disp. 31. sect. 3. num. 6.

77 Ex quibus pro praxi infero primò habentem casus reseruatos, & non reseruatos, dato quòd non habeat commoditatem Superioris, posse in probabili sententia, quam in Superiore difficultate attuli, elicito actu contri-

tri-

tritionis ad vitandam infamiam communicare, ac si non haberet copiam Confessarij. Quam sententiam præter Adrianum Ricard. Durand. citat. sustinet Sylu. in addit. ad 3. p. D. Tho. q. 20 art. 2. vers. quæritur 3. Filliuc. tomo 1. tract. 4. cap. 8. n. 213. vbi habet hanc esse probabilem, & fauorabiliorem sententiam, ne Pœnitens teneatur idem reseruatum duobus confiteri.

Secundò idem esse dicendum, etiãsi casus reseruatus habeat adnexam censuram, vt bene Syluius cit. Vasq. tomo 4. tract. de excommunicat. dubio 4. nu. 8. §. 3. Sylu. v. excommunicatio 4. nu. 1. & v. Confessor 1. quæst. 3. casus 5. & v. Confessor 3. nu. 12. D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. & alij plures apud Dianam p. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 104.

Tertiò dato quòd non possit Superiorem adire, posse si voluerit confiteri inferiori Sacerdoti, non obstante excommunicatione adnexa. Et ratio est allata, quia excommunicatio Pœnitentis per se non reddit personam inhabilem ad recipiendum Sacramentũ Pœnitentiæ, neque irritat illud si ex parte Ministri omnia necessaria concurrant, & ex parte Pœnitentis concurrat debita dispositio. Vnde est vt generalem hanc regulã tradant Suar. cit. Conin. disp. 8. de Sacramentis dubio 13. num. 107., quæcunquè causa sufficit, vt possit excommunicatus ante absolutionem communicare, ea etiam sufficit, vt possit ita confiteri: minorem enim indecentiam continet talis confessio, quam talis communio, ac proinde, quæ necessitas illi permittit communicare, eidem etiam permittit confiteri. Quinimò consulerem, vt in tali necessitate confessionem præmitteret ob incertitudinem contritionis, quam semper habemus, vt benè monet Conin. superiùs cit. num. 45.

DIFFICVLTAS XXII.

An in casu, quo pœnitens habens reseruata, & non reseruata potest inferiori Sacerdoti confiteri, teneatur illi omnia peccata aperire, puta tam reseruata, quàm non reseruata; an verò possit tantùm non reseruata manifestare reticendo reseruata.

78 *Refertur sententia affirmans omnia esse confitenda.*

79 *Sententia Authoris.*

VAsquez, qui verbo grauiùs, quam ratione nostrã ex optimis Doctoribus desumptam sententiam excipit, dubium hoc non agnoscit: cum enim quæst. 91. art. 3. dub. 9. num. 26. asserat ex nulla causa posse inferiorem indirectè à reseruatis absoluere, ex eo quod ridiculum esse dicat asserere tolli nonnisi consequenter peccatum illud, quod fuit in confessione manifestatum: inde est, vt dicat futuram semper inualidam confessionem, quæ inferiori fiat; siue ea integra sit, siue non integra; siue fiat ex rationabili causa, siue ex nulla. Sed enim ridiculam hanc nostram sententiam dici, conuicia oris sunt, non rationum argumenta, vt proinde de ijs nequaquam sit laborandum.

78 Respondent Doctores plures, Pœnitentem teneri omnia peccata integrè confiteri, tam reseruata, quàm non reseruata. Ratio illorum est, quia licet huiusmodi Confessarius non sit legitimus iudex, nec habeat iurisdictionem absoluendi directè ab omnibus, tamen cognoscere debet, an pœnitens verè paratus sit, & dispositus

ad recipiendam omnium absolutionem; non potest autem hęc pęnitentis dispositio innotescere Confessario, nisi pęnitens ipse omnia peccata confiteatur quantum potest; vnde pro dispositione hac congnoscenda Confessarius habet ius ad totam causam, & ad omnia peccata pęnitentis indaganda. Tum quia confessio debet esse integra non formali tantùm integritate, sed etiam materiali, puta omnium peccatorum, quæ pœnitens habet in conscientia: & hoc est de iure diuino; non fieret autem integra, si liberum esset pęnitenti absque iusta causa peccata reseruata reticere. Ita Suar. disp. 31. de pęn. sect. 3. num. 8. Reginal. lib. 6. nu. 150. Conin. disp. 7. de pœnit. dub. 9. num. 86. & dub. 13. Henriq. lib. 6. cap. 15. nu. 5. Bonacina disp. 5. de Sacram. quæst. 7. pun. 5. §. 3. num. 9. apud quem alij plures. Et hanc eandem sententiam cum scripta hæc in Seminario Canonicæ meis discipulis traderem tanquam probabiliorem alias existimaui.

79 Resp. tamen posse Pœnitentem in hoc casu non reseruata tantùm confiteri. Et ratio est, quia Confessarius inferior nullam habet iurisdictionem supra reseruata; ergo pęnitens non tenetur ea subijcere. Tum quia reseruata non possunt esse materia huius confessionis; illa enim tantùm sunt materia, quæ subijciuntur iurisdictioni Ministri; si ergo non sunt materia, poterunt omitti, cum teneamur ea tantum peccata confessioni subijcere, quæ sunt materia illius. Tum quia Pœnitens in hoc casu teneretur idem peccatum duobus confiteri; onus autem hoc videtur esse minus graue. Tum quia concurrente iusta causa potest Superior auditis solis reseruatis ab ijsdem Sacramentaliter absoluere; Ergo etiam inferior Confessarius poterit iusta causa concurrente absoluere à solis non reseruatis. Ita Petrus Soto de confes. lect. 10. Antonin. Diana p. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 104. vbi sic habet [Ex quibus omnibus apparet pœnitentem habentem casum reseruatum, etiam cum excommunicatione vrgente necessitate ad celebrandum, vel communicandum, posse vt sibi magis libuerit, aut confiteri peccata non reseruata; seu simul reseruata, & non reseruata; vel elicito actu contritionis sine præuia confessione celebrare, aut communicare. Et hæc sententia magis cohęret ijs quæ docuimus in Superiore difficultate] & alij apud ipsum.

Dices confessio debet esse integra integritate non solum formali, sed etiam materiali; ergo omnia peccata etiam reseruata sunt confitenda. Resp. antecedens verum esse, nisi adsit iusta causa excusans ab integritate materiali; hic autem ad esse, puta defectum iurisdictionis in Confessario; & ne cogatur Pœnitens idem peccatum bis confiteri.

DIFFICVLTAS XXIII.

Vtrùm quilibet confessarius possit commutare Pœnitentiam à Superiore iniunctam pro casibus reseruatis.

80 *Impositam ab alio Pœnitentiam potest Confessarius commutare: siue Superior sit, siue æqualis tantùm.*

81 *Vtrùm eam possit commutare non audita confessione eorum peccatorum, pro quibus fuit imposita.*

82 *Vtrùm commutatio sit facienda in Sacramentali confessione.*

83 *Vtrùm*

83 *Vtrùm aliquando fieri possit extra Sacramentum.*

84 *Refertur sententia negans inferiorem Sacerdotem posse commutare Pœnitentiam impositam à Superiore.*

85 *Sententia Authoris est affirmatiua quoties concurrat iusta causa: putà si id expediat saluti spirituali Pœnitentis.*

86 *Vtrùm Pœnitens possit illam propria auctoritate commutare: in qua quęstione duplex est sententia.*

80 Difficultatem hanc in terminis generalibus institutam tractant Doctores communiter, quærentes vtrùm Confessarius possit impositam ab alio Pœnitentiam commutare. Cui difficultati respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia sicuti super eadem peccata potest repeti absolutio; ita etiam potest repeti sententia, & iudicium. Quæ ratio non solùm probat commutationem fieri posse à Superiore, sed etiam ab alio Confessario ęquali. Ita Suar. tomo 4. disp. 38. sect. 10. num. 4. Filliuc. tomo 1. tract. 8. cap. 2. num. 50. Conin. de Sacram. disp. 10. dubio 12. concl. 3. num. 101. Regin. in praxi tomo 1. lib. 7. cap. 8. num. 93. Fagund. de præceptis Ecclesiæ tract. 2. lib 9. cap. 4. num. 15. 17 & 22. Melf. in sum. tomo 1. tract. 7. cap. 23. num. 71. Cardinalis de Lugo disp. 25. de pœn. sect. 6. nu. 101. Quidquid in contrarium sentiant Sot. in 4. dist. 20. quęst. 2 art. 3. Ledes. in sum. tomo 1. tract. de pęnis cap. 23. concl. 8. dubio 2. Et alij ea nixi ratione, quòd par in parem non habeat imperium. Verùm hæc ratio non conuincit: Secundus enim Sacerdos Pęnitentiam commutans non exercet imperium in priorem, sed in Pęnitentem: nec propriè reuocat sententiam prioris, sed suam profert: & hoc posterius iudicium non instituitur ad derogandum priori, sed ad consulendum Pęnitenti, in cuius fauorem fit commutatio: nequè totum hoc efficitur per modum appellationis, vt putant aduersarij, sed per modum noui iudicij æqualis iudicio præcedenti.

81 Quinimò addo priorem Pœnitentiam posse ab æquali Confessario commutari, etiam non audita confessione eorum peccatorum, pro quibus ea fuit imposita. Et ratio est, quia pręsens Confessarius potest de tota simul causa Pęnitentis iuxta præsentem dispositionem iudicare, prout magis viderit expedire Pœnitenti. Ita Nau. cap. 26. num. 22. Tol. in sum. lib. 3. cap. 11. num. 12. Vict. in sum. cap. 211. Io: de la Cruz in direct. conscientiæ p. 2. de pœn. quæst. 4. dubio 4. concl. 2. in fine Emanuel Sà v. satisfactio nu. 5. Viual. in cand. aur. de satisfact. nu. 31. Adde demùm hunc videri vsum Confessariorum. Quidquid in contrarium sentiant Suar. Conin. Filliuc. cit.

82 Aduertam tamen commutationem esse faciendam in Sacramentali confessione. Et ratio est, quia in hoc foro eadem est potestas ligandi, ac soluendi: sed nullus potest ligare, seu imponere Pęnitentiam Sacramentalem extra confessionem; ergo nec potest ab illa soluere, seu illam mutare: vterquè enim actus est actus Clauium. Ita Doctores omnes proximè relati. Quæ ratio probat tantùm de Pœnitentia satisfactoria: Si enim Pęnitentia sit medicinalis, seu præseruatiua, tunc quilibet Confessarius potest eam extra confessionem Sacramentalem commutare, suspendere, vel tollere: & ita sæpe se practicasse ait Valerus mox citand. Non desunt tamen, qui absolutè asserant tam satisfactoriam, quam præseruatiuam posse extra con-

fessionem commutari. Ita Victorel. in notis ad Emmanuelem Sà v. satisfact. num. 5. Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 14. puncto 4. vbi sic habet [est notandum, vt Pœnitentia rectè commutari possit, necesse esse, vt omnia ferè peccata, pro quibus ea fuit imposita, illi patefiant aliquo modo, qui est eam commutaturus: quamuis non est quidem opus vt ei manifestentur rursus per Sacramentalem confessionem.] Verùm nostra sententia communis est Doctorum.

83 Hoc quidem verum est, quòd ab eodem Confessario posset aliquando Pœnitentia satisfactoria extra Sacramentum commutari: vt si id fieret intra vnum, aut alterum diem. Et ratio est, quia tunc censeretur idem iudicium. Ita Sotus in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 3. Io. Valerus in differ. vtriusq; fori. v. Iudex differ. 23. num. 5. Quinimò etiam Henriq; lib. 5. de pœn. cap. 29. §. fin. cum Viual. & Vale. cit. existimat eandem posse commutari, etiamsi Pœnitens redeat intra triduum, aut hebdomadam. Et hæc præmisi ad pleniorem difficultatis intelligentiam.

Cęterùm casus, qui hoc loco est controuersus hic est, an quilibet, Confessarius possit commutare Pęnitentiam iniunctam à Superiore pro casibus reseruatis: de quo in his terminis disputant DD. an Sacerdos inferior possit pęnitentiam à Superiore iniunctam commutare.

84 Respondent negatiuè plures ea nixi ratione, quòd ille tantùm possit pęnitentiam commutare, qui potest à peccatis absoluere. Atqui inferior Sacerdos non potest absoluere à peccatis reseruatis; ergo nec potest commutare Pęnitentiam pro illis impositam. Tum quia, Pęnitentia illa a Superiore imposita includit quoddam præceptum impositũ à Superiore quatenus est Superior: Atqui Sacerdos inferior non potest commutare præceptum Superioris; ergo &c. Ita Suar. disp. 38. de pęn. sect. 10. num. 14. Nau. cap. 28. nu. 22. ad finem Emmanuel Sà v. satisfactio num. 5. Summa Corona de pęn. nu. 46. quæst. 8. Conin. disp. 10. dubio 12. num. 101. Henriq. lib. 5. cap. 22. num. 5.

85 Ego verò respondeo interueniente iusta causa inferiorem Sacerdotem posse commutare Pœnitentiam pro peccatis reseruatis impositam. Et probatur, quia per absolutionem peccata illa desinunt esse reseruata; ergo nec erit reseruata pęnitentia pro illis imposita. Tum quia, Sacerdos inferior commutando pęnitentiam à Superiore impositam, non dicitur exercere iurisdictionem in Superiorem, sed tantùm in Pęnitentem sibi subiectum, nec habentem amplius casus reseruatos. Tum quia, Superior præsumitur velle quod expedit saluti Pęnitentis iuxta fragilem illius naturam; ergo si Pęnitentis necessitas, vel euidens vtilitas postulet commutari pęnitentiam, ea poterit commutari, etiam per inferiorem Sacerdotem. Demum verò hoc probatur ex dictis à nobis de voto, quo loco quæsiuimus, an Confessarius in Iubileo possit commutare materiã subrogatam, in quam fuit commutatum votum castitatis, vel religionis: vt si Pontifex commutasset votum castitatis in confessiones menstruas: & respondimus posse. Pro qua sententia sunt Henriq. lib. 7. de indul. cap. 30. n. 5. Manuel 2. tomo sum. cap. 56. ad finem Sanch. lib. 8. de matri. disp 9. num. 20. & in sum. lib 4. cap. 40. num. 46. Suar. tomo 2. de relig. lib. 6. cap. 10. num. 15. concedentes materiam subrogatam voto reseruato posse auctoritate ordi-

naria

naria commutari ab Episcopo; Ergo si Episcopus potest hoc votum commutare, poterit etiam inferior Sacerdos pœnitentiam a Superiore impositam commutare. Ita Vasq. in 3.p.tomo 4. q. 94 art.2.dubio 3.num 9. Fernan. in instruct. Confessorum p. 1. documento 7. num. 5. Io. Valer. cit. v. iurisdictio diff. 1. num. 7. Zerula cap. 25. de pœn. quæst. 10. vers. Dico 2. Valen.tomo 4. disp.7. q.14. puncto 4. Sancius in selectis disp. 14. num.13. concedens simplicem Sacerdotem posse ex iusta causa commutare pœnitentiam à legitimo Confessore pro peccatis mortalibus impositam. Ac demum noster Bonac. disp. 5. de Sacram. quæst. 5. sect. 3. puncto 3. num. 6.

86 Quòd si quispiam quærat, an Pœnitens ipse possit hanc pœnitentiam propria auctoritate commutare in opus euidenter melius. Respondent negatiuè Sanch. in sum.tomo 1. lib. 4. cap. 11. nu.36. Regin. in praxi tom. 1. lib. 7. cap.8. nu. 85. Conin.de Sacram. disp.10. dub.12. num. 13. Et ratio est, quia commutatio Pœnitentiæ est actio Sacramentalis, & est actus iurisdictionis, qui fit à Confessario tanquam à Superiore. Pœnitens autem non potest in se ipum actum iurisdictionis Sacramentalis exercere; & hæc sententia est cōmunior atquè à nobis sustinenda.

Verùm his non obstantibus contrariam sententiam sustinent. Portel. in addit. ad dubia Reg. v. pœnit. Sacramentalis nu.6. Villalobos in sum tomo 1.tract. 9. diff. 79. num. 1. vbi sic habet [El mismo Penitente puede mudar la penitentia en otra mayor bienque sea conocidamente mayor en razon de satisfacion, y en razon de medicina.] Ratio autem horum Doctorum est, quia sicuti quilibet potest suum votum commutare in euidenter melius, ita etiam videtur posse commutare pœnitentiam. Et hæc addo tanquam vtilia ad conscientias sedandas.

Hæc ea sunt, quæ alias Discipulis meis tradidi; sed quoniam pro praxi vtilis hæc quæstio est, atq; in ea diuersis sententijs distrahuntur Doctores, dicam summatim quod sentiam.

Primò audita eorundem peccatorum confessione potest alius Confessarius, vel commutare, vel etiam minuere pœnitentiam ab alio impositam; sicuti Iudex succedens in munere potest, vel commutare, vel moderari pœnam à prædecessore suo iniunctam; ac sicut secundus iudex non dicitur iniuriam irrogare priori commutando pœnam à priore impositam, cum eius locum teneat; ita secundus Confessarius non dicitur priori iniuriosus commutando pœnitentiam ab illo iniunctam, cum illi successerit in munere Confessarij.

Dices, hoc modo primum Sacramentum remaneret imperfectum absquè sua satisfactione sacramentali, quia secunda pœnitentia esset pars secundi sacramenti, & non primi.

Resp. 1. argumentum hoc probare etiam, quod debitum pœnitentiæ non possit tolli per concessionem indulgentiæ; semper enim primum Sacramentum remaneret mutilum, imperfectum, & absq; sua integritate: & sic non posset Papa indulgentijs concessis liberare pœnitentem a debito implendi pœnitentias sibi iniunctas, quod nullus dicet.

Resp. 2. Sacramentum pœnitentiæ à nobis esse considerandum, vt habet rationem iudicij; ac sicuti primum iudicium non dicitur manere imperfectum, si secundus iudex succedens in eodem tribunali, commutet, aut moderetur sententiam factam à priore

Iudice; ita primum Sacramentum non dicitur manere imperfectum, si secundus Confessarius commutet, aut moderetur pœnitentiam impositam à priore.

Secundò pro hac commutatione non requiri, quòd Confessarius iterum audiat peccata, pro quibus ea fuit imposita. Ita DD. à me relati num. 81. quibus addo Antoninum Dianam par. 2. tract. 15. & primo Miscellan. resol. 53. & par. 3. tract. 4. de Sacram resol. 53.

Dices, commutatio hæc est actus iudicij, quod à Confessario exerceri non potest, nisi pęnitens accuset se de ijs peccatis, pro quibus ea est imponenda. Resp. vere commutationem hanc esse actum iudicij, sed ad illum exercendum sufficere prioris pęnitentiæ notitiam: sicuti secundus Iudex etiam non cognita causa potest, vel commutare, vel moderari sententiam factam à priore Iudice, & illam commutando dicitur actum iudicij exercere. Et hanc sententiam existimo cum Antonio Fernandez in exam. theol. mor. par. 3. cap. 6. §. 7. nu. 30. esse practicè securam; quinimò pietati etiam consentaneam; onus enim nimis graue pœnitenti ipsi imponitur, quoties in commutatione alicuius pęnitentiæ cogatur præteritas confessiones iterare, & ea peccata denuò confiteri, à quibus iam fuit ritè absolutus: ac rarò probi etiam Confessarij pęnitentibus in hisce casibus indulgerent, quoties longas, ac remotas confessiones cogerentur audire; ac fateor me multoties opinionem hanc ad praxim deduxisse, nec vnquam ab ea deterritum fuisse ob censuram Vasquez quæst. 94. de pęnit. art. 2. dub. 3. num. 7. asserentis eam nihil probabilitatis habere.

Tertiò commutationem hanc pęnitentiæ posse fieri etiam ab inferiore Confessario; vt si pęnitentia imposita sit ob peccata reseruata confessa Superiori. Ita DD. cit. num. 85. Ac si pęnitens pro hac pęnitentiæ commutatione teneretur coram Superiore comparere deterioris esset conditionis eo, qui peccata sua reseruata inualidè fuisset confessus, quem Suarez ipse, qui hac in re à nobis dissentit, fatetur non teneri se iterum coram Superiore præsentare, vt constabit in difficultate sequente.

Dices, inferior non potest mutare præceptum superioris. Atqui pœnitentia illa fuit imposita ex præcepto Superioris. Ergo non poterit inferior Confessarius illam immutare. Resp. cum peccata ea per ipsam præsentationem Superiori factam desierint esse reseruata, pęnitentiam pro illis iniunctam, non dici iniunctam à Superiore, vt Superior est. Tum quia pęnitentia non est materia reseruata, sed est eiusdem rationis cum alijs pęnitentijs; vnde est vt possit à quocunquè Confessario commutari.

Quartò commutationem hanc esse faciendam in Sacramentali confessione. Et ratio est, quia actio hæc est Sacramentalis, & actus iurisdictionis clauium. Et contrariam sententiam bene asserit Eminentissimus de Lugo cit. omni specie probabilitatis carere.

Quintò ad hanc commutationem requiri iustam causam, qualis est pia vtilitas pęnitentis; vel necessitas; vel magna difficultas in adimplenda pęnitentia, arbitrio prudentis Confessarij, qui non debet se facilem ostendere in minuenda, vel mutanda pęnitentia, ne pęnitentes occasionem inde arripiant non adimplendi pęnitentias, vt communiter obseruant Doctores.

Sextò, quę diximus de commutatione pęnitentiæ valere etiam si pęnitentia

tia sit medicinalis & præseruatiua, adhuc enim ea potest cõmutari, dummodo commutetur in aliam præseruatiuam. Ita Bonac. cit. num. 5. Diana par. 3. cit. resol. 137. & par. 2. cit. resol. 53. quo loco concedit cum Valero commutationem hanc posse fieri extra Sacramentum. Si tamen pœnitentia ea præseruatiua non vtilis modo, sed necessaria omnino pœnitenti foret ad amouendas occasiones peccatorum, tunc sicuti pœnitens ipse non posset illam licitè relinquere etiam à Confessario ablatam, ita neq; secundus Confessarius posset licitè auferre, vt benè monet Cardinalis de Lugo cit. nu. 114.

Demum verò pœnitentem ipsum non posse propria auctoritate commutare pœnitentiam in aliud opus licet euidenter melius. Et ratio est allata, quia commutatio hæc est actus clauiũ, potestatis, videlicet, ligandi ac soluendi, quæ solis Confessarijs est concessa. Non existimauerim tamen contrariã sententiam dignam esse ea censura, quam illi impingit Luisius Turrianus in selectis par. 2. disp. 31. dub. 62. dum illam temerariam appellat. Neque illicò damnarem Sacerdotem eum, qui parum esset solicitus de litanijs B. Virginis singulis diebus Sabbati recitandis, ad quas teneretur ex præcepto sui Confessarij, ex eo quod diceret se loco litaniarum, cum ra ò in anno celebraret, consueuisse in honorem B. Virginis singulis Sabbatis celebrare: monerem tamen sacrificium ipsum futurum gratius, si litanias recitando suam Confessario obedientiam præstaret. Et hanc sententiam sustinet Portel. à me citatus nu. 86. Eamdemq; probabilem vocat Diana resol. 53. cit. licet inferius resol. 106. subdat non esse à priore sententia recedendum, ex eo quod opus in pœnitentiam iniunctum habeat virtutem satisfaciendi ex opere operato, qua caret illa voluntaria satisfactio.

DIFFICVLTAS XXIV.

Titius confessus est Superiori sua peccata reseruata, sed tamen confessio fuit nulla. Quæritur verùm illa possit cuicunq; Confessario confiteri.

87 *Dupliciter potest aliqua confessio esse nulla.*

88 *Responsio est affirmatiua.*

89 *Quid si confessio sit nulla ex defectu doloris.*

90 *Quid si confessio sit inualida facta sit Confessori habenti tantùm facultatem delegatam: in qua quæstione duplex est sententia.*

87 Aduertendum, dupliciter posse intelligi cõfessionem aliquam esse nullam. Primò, si nulla sit tantùm quoad effectum: vt contingit in confessione valida, sed informi. Secundò, si nulla sit etiam quoad esse Sacramenti: & in hoc postremo sensu est potior difficultas, vtrùm is, qui confessus est Superiori habenti facultatem absoluendi à casibus reseruatis extra Iubileum (quid enim dicendum sit in Iubileo patebit suo loco) & inualidè confessus est, remaneat saltem absolutus quoad reseruationem. Ratio autem dubitandi in eo est, quia peccata in hac confessione manifestata adhuc ita remanent subiecta Clauibus, ac si ad hoc iudicium nunquàm fuissent delata, nec data fuisset absolutio, quia totum iudicium fuit nullum; ergo manent ita reseruata, ac ante.

88 Respondeo tamen, Titium

posse

posse sua peccata cuicunque Confessario confiteri, & consequenter illa non esse amplius reseruata. Ratio est, quia Superior intendit absoluere quantùm potest, ergo dicendus est absoluere à reseruatione, cùm absolutio hæc non pendeat a validitate confessionis. Tum quia, ex eò quòd Pœnitens comparuit coram Superiore, eique suum peccatum integrè reuelauit, & ipse Superior conuenientem medicinam, & satisfactionem imposuit, suo muneri videtur satisfecisse quantùm spectat ad reseruationem, & Pęnitens etiam videtur satisfecisse fini reseruationis; ergo licèt contingat Superiorem non absoluere à peccatis, tamen absoluet à reseruatione: dum enim oppositam voluntatem non declarat satis indicat se in ea parte esse contentum. Tum quia, si Pęnitens petijsset absolutionem à sola reseruatione, eam obtinuisset: sed confitendo Sacramentaliter dicitur petijsse absolutionem a reseruatione, & à culpa; ergo licèt non remaneat absolutus a culpa ob defectum commissum in ipsa confessione, tamen remanebit absolutus a reseruatione, cùm hæc absolutio non pendeat à validitate confessionis. Tum quia fieri potest, vt absolutio sit nulla, non ex aliquo defectu circa peccata reseruata (suppono enim Pęnitentem integrè illa confiteri) sed ex defectu circa alia peccata, qui omnino per accidens se habet ad confessionem casus reseruati; ergo tunc censebitur ipsa reseruatio sufficienter ablata. Et hanc sententiam insinuat Caiet. v. casuum reseruatio, vbi habet. [Si quis semel absolutus à reseruatis, quamuis inefficaciter quoad salutem animæ suæ.] Licèt hæc verba videatur ipse intelligere de absolutione valida, sed informi. Et clariùs Sylu. v. Confessio 1. quæst. 19. vbi habet [etiamsi Confessio fuisset ficta.] Rodriq. tomo 1. qq. regular. q. 21. art. 8. & in sum. cap. 188. num. 13. Conin. disp. 8. dubio 12. num. 91. Regin. lib. 8. nu. 61. Suar. disp. 31. de pęn. sect. 4. num. 9. Henriq. lib 6. cap. 16 num. 5. Filliuc Bonac. locis citan. Cardinalis de Lugo disp. 20. de Sacram. pœnit. sect. 7. num. 106. Diana par. 3. in additionibus secundarijs resol. 16. qui citat Petrum Ochagauiam de Sacram tract. 2. de confess. Sacram. q. 12. conclus. 2. num. 8. & par. 4. tract. 4 Miscellan. resol. 124.

89 Addo hæc omnia vera esse, etiamsi Pœnitens confessus quidem fuisset sua peccata reseruata, sed tamen nullum haberet dolorem: vel certè adhuc perseueraret in proposito cõmittendi talia peccata: adhuc enim posset mutato proposito, & vero dolore concepto illa confiteri inferiori Confessario. Et ratio est, quia illud propositum internum non est peccatum reseruatum: peccata verò externa, & reseruata verè manifestauit Superiori, qui dicendus est absoluisse Pœnitentem eo modo, quo potuit. Si ergo non potuit absoluere a culpa ob defectum commissum in ipsa Confessione, dicendus est saltem absoluisse à reseruatione, cùm ab hac potuerit absoluere, etiam extra Sacramentum. Verumtamen est, quòd si peccatum aliquod reseruatum reticuisset, illud remaneret adhuc reseruatum. Et ratio est, quia sic non esset satisfactum intentioni Superioris, nec sufficienter coram illo comparuisset pro remedio adhibendo aduersùs tale peccatum. Vt bene Suar. loco cit. de Lugo cit.

90 Maior difficultas est in casu, quo confessio sic inualida facta sit Cõfessario habenti tantùm delegatam potestatem. Respondet Filliuc. tract.

7. de Confess. cap. 10. nu. 311. peccata adhuc remanere reseruata. Vbi sic habet. [Nullo autem modo ita contingeret, quando Confessio illa fieret delegato, qui non habet potestatem absoluendi, nisi Sacramentaliter: hoc enim ipso quòd Confessio non fuit valida, sequitur manere peccatum reseruatum sicut antè.]

Respondeo tamen probabile esse, quòd etiam in hoc casu sit liber à reseruatione. Et ratio est, quia Pœnitens videtur satisfecisse fini reseruationis: finis enim reseruationis est, vt Pęnitens, qui peccatum reseruatum commisit aperiat illud Superiori, ab eoquè debitam recipiat satisfactionem. Tum quia cùm hoc tam multi DD. asserant, & Superiores non contradicant, videntur in eo consentire, & supplere iurisdictionem: in opinione enim probabili præsumitur Superior supplere iurisdictionem. Et hoc omnino certum est quando peccatum est tantùm reseruatum ob adnexam censuram, quia talis Cònfessarius ab hac potest absoluere etiam extra collationem Sacramenti. Ita Conin. loco sup. cit. num. 92. Bonac. disp. 5. de pœn. quæst. 7. puncto 5. §. 5. num. 9. vers. primò non solùm.

DIFFICVLTAS XXV.

Ex Curiæ nostræ stylo facultates absoluendi à casibus reseruatis expediuntur cum ea clausula, (audita tamen integra eorum confessione.) Quæritur vtrùm Pœnitens, qui inualidè confiteatur ex defectu integritatis liber maneat à reseruatione.

91 *Referuntur fundamenta sententiæ negatiuæ.*

92 *Sententia Authoris affirmat.*

93 *Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ.*

94 *Licèt sit probabilis sententia quæ asserit Superiorem posse à reseruatis absoluere remittendo Pœnitentem ad inferiorem pro non reseruatis: tamen Pœnitens ipse mortaliter peccaret si reseruatis, & non reseruatis obstrictus illa tantùm vellet Superiori confiteri, cùm posset omnia confiteri.*

CLarioris intelligentiæ gratià formo casum. Titius Confessario habenti facultatem delegatam pro reseruatis confessus est se Virginem deflorasse, eius tamen confessio fuit nulla ex defectu integritatis. Quæritur vtrùm liber saltem maneat à reseruatione, ita vt possit peccatum hoc confiteri cuicunq; Sacerdoti habenti iurisdictionem communem.

91 Responderet fortè quispiam negatiuè, ea nixus ratione, quia in facultate, quæ ex Curiæ stylo expeditur pro absolutione à reseruatis habetur ea clausula (integra confessione audita) & cùm sit ablatiuus absolutus importat conditionem. l. à testatore ff. de condit. & demonstr., ergo si Confessio non sit integra, nulla erit absolutio à reseruatis. Et de hac confessionis integritate exstat præceptum in Syn. 32. cap. 10. tit. Quæ ad Pęnitentiæ Sacramentum pertinent, in fine, in hæc verba. [Monemus autem omnes quibus potestas concessa fuit absoluendi a reseruatis, vt id præstare debeant integra Confessione audita, etiamsi id præstetur causa Iubilei, nisi secùs in concessione expressum fuerit.] Sic quando in dispensationibus, quæ in sacra Pęnitentiaria expediuntur appo-

ponitur particula illa [audita Confessione, non aliter, neque alio modo,] vi huius clausulæ necessariam esse Cōfessionē Sacramentalem sentit Filliuc. tract. 10. p. 2. c. 10. nu. 3, 5. Ergo à pari idem dicendū in nostro casu, videlicet ita necessariam esse integritatem Cōfessionis, vt sine hac non possit dictus Confessarius à reseruatis absoluere.

92 His tamen non obstantibus respondeo dicendo, Titium manere liberum à reseruatione, proindequè posse peccatum illud confiteri cuicunquè Confessario habenti iurisdictionem communem. Et ratio est, quia clausula illa (integra confessione audita) fuit tantùm apposita ad tollendum morem eorum Confessariorum, qui vbi Pęnitentem à reseruatis absoluerant, illum remittebant ad inferiorem pro non reseruatis, vt proinde quoties dictus Confessarius velit à reseruatis absoluere, teneatur etiam non reseruata audire, vt potequi limitatam cùm hac conditione habeat facultatem. Non ita tamen, vt pro hac absolutione integritas semper sit necessaria ex parte Pœnitentis, sed tantùm ex parte Confessarij, qui totam confessionem tenetur audire, nec illam potest dimidiare. Vnde est, vt si aliquando contingat, vt Pęnitens ipse scienter aliquod peccatum non reseruatum reticeat, adhuc tollatur reseruatio peccatorum reseruatorum; cùm Confessio hæc ex parte Confessarij sit integra, qui directè ab omnibus tàm reseruatis, quàm non reseruatis conatus est absoluere, quantùm potuit.

93 Ex quibus patet ad rationem in contrarium: clausula enim hæc, integra Confessione audita, ablatiuus absolutus est, & importat integritatem pro conditione, non tamen integritatem ex parte Pęnitentis, sed ex parte Confessarij, idest integritatem absolutionis, non confessionis.

94 Dices, peccaret ne mortaliter Pęnitens, qui habens peccata reseruata, & non reseruata, & sciens Confessarium habere facultatem delegatam absoluendi à reseruatis, integra tamen Confessione audita, reseruata tantùm illi vellet manifestare, fingendo se integrè confiteri, & non reseruata ad inferiorem Confessarium deferre?

Respondeo peccaturum mortaliter. Et ratio est, quia dimidiaret Confessionem absquè iusta causa. Ac licet verum sit, quòd præcisa speciali limitatione, qualis adesset in nostro casu, possit Superior in sententia probabili à reseruatis Pęnitentem absoluere remittendo illum ad inferiorem Confessarium pro non reseruatis: non tamen hoc potest Pęnitens ipse, vt potequi ex præcepto integritatis necessariæ in Confessione semper teneatur peccata omnia subijcere, quæ potest.

DIFFICVLTAS XXVI.

An absolutus à Superiore maneat etiam absolutus à casibus reseruatis oblitis. Quod est idem ac quærere, an peccatum oblitum in confessione facta Superiori maneat reseruatum.

95 *In sententia Suarez aliquando tollitur reseruatio peccati obliti, aliquando non.*

96 *Sententia Authoris.*

97 *Consultius tamen est expressè petere absolutionem à casibus reseruatis, & censuris.*

98 *Sententia Authoris procedit tam de habente facultatem ordinariam, quàm delegatam.*

99 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ.*

100 *Si Pœnitens oblitus sit confiteri censuram exigentem satisfactionem Patris, vtrùm ea tollatur per generalem absolutionem, quæ datur ad cautelam.*

NON quærimus hoc loco, an qui validè confitetur Superiori maneat absolutus à peccatis reseruatis oblitis quoad culpam: hoc enim pro certo supponimus ex dictis de Pęnitentia, in quacunq; confessione valida peccata oblita indirectè tolli. Sed quæstio est de peccatis reseruatis quoad reseruationem. Nam si quis confiteatur inferiori Confessario, & inculpabiliter obliuiscatur alicuius peccati reseruati indirectè quidem culpa tollitur, non tamen reseruatio: vnde est, vt si illius recordetur teneatur Superiorem pro illius absolutione adire. Idem ergo quæri potuit de Confessione facta Superiori, an videlicet sicuti peccata oblita indirectè tollũtur quoad culpam, ita etiam eorundem tollatur reseruatio: an verò ea ablata hæc remaneat.

95 Certè Suar.disp. 31. sect.4.n.14. duplicem distinguit modum Superiori confitendi, & alterum vocat ordinarium,& communem, qualis intercedit in qualibet confessione peccatorum mortalium, ita vt nulla fiat mentio reseruatorum. Alterum verò specialem, quando nimirum Pęnitens confitetur Superiori ob eum finem, vt à reseruatis absoluatur. Si ergo hoc secundo modo fiat Confessio, dicit reseruationem tolli in peccato oblito, ex eò quòd adsit sufficiens voluntatis manifestatio. Secùs verò, si primo modo.

96 Ego verò respondeo, quocunq; modo fiat Confessio, probabilius esse Pęnitentem, qui Superiori confitetur remanere absolutum à peccatis reseruatis oblitis, ita vt ea postmodùm cuicunq; inferiori Confessario possit confiteri. Ratio autem est, quia quilibet Confessarius præsumendus est habere rectam intentionem: recta verò intentio in Confessario est absoluendi ab omnibus necessarijs; ergo talis Superior intelligendus est habere hanc intentionem, vel expressam, vel saltem virtualem: sed per hanc generalem intentionem tollitur reseruatio; ergo &c. Tum quia voluntas Pęnitentis talis est dicenda, quòd interpretatiuè saltem petat absolutionem à peccatis ijs omnibus, in quæ inciderit, & à quibus possit absolui; ergo voluntas Confessarij talis itidem erit intelligenda, quòd ab ijs peccatis absoluere velit, à quibus potest: sed hæc voluntas sufficit ad reseruationem tollendam peccatorum etiam oblitorum; ergo &c. Non enim est maior ratio, cur si voluntas ea sufficit culpæ tollendæ, non pariter sufficiat reseruationi. Tum quia si censuræ sit aliquis oblitus, hæc tollitur; ergo etiam reseruatio. Exemplum autem esse potest de casibus Pontificijs quibus adnexa est censura, & reseruatio: in illis enim ita tollitur censura, vt etiam tollatur reseruatio, quandoquidem eâ sublata hæc tollitur; ergo si illi per obliuionem omissi non remanent amplius reseruati, idem erit dicendum in casibus Episcopis reseruatis. Ita veteres omnes Theologi qui absolutè, & simpliciter docent in confitente peccata Confessori habenti iurisdictionem ab omnibus absoluendi tolli omnem reseruationem eorum, quæ bona fide omisit Nau.in cap.Considerct § cautus de pęn. dist.5. num.31. Conin.disp.8. dubio 12.num.98. vbi sic habet [licèt talis Pęnitens explicitè

non

non petat absolutionem reseruatorũ, censetur tamen interpretatiuè petere, quia venit ad Confessionem, vt quantùm fieri potest à peccatis omnibus liberetur, & si ei occurreret se habere aliqua peccata reseruata, omnino peteret reseruationem tolli.] Quare Cõfessarius censetur hic, & nunc velle eum absoluere à peccatis, quantùm licitè potest, & consequenter tollere reseruationem. Idemq; docet Chapea. cap. 9. diff. 6. Gamb. cap. 2. num. 51. Molfes. in sum tomo 1. tract. 7. cap. 21. nu. 25. & alij.

97 Verum quidem est, cautiùs & consultiùs acturum Pœnitentem, si dum Superiori confitetur, petat absolutionem à reseruatis, & censuris, si fortè aliquibus detineatur: hoc enim modo euitantur omnes scrupuli, ex eò quòd Confessarius dicatur Pœnitentem absoluere iuxta ipsius petitionem, & voluntatem: De reliquo, etiamsi non petat, & bona fide alicuius peccati reseruati obliuiscatur: adhuc dico reseruationem tolli, & vbi in memoriam venerit, posse illud cuicunq; approbato confiteri. Et ratio est allata, quia Confessarius dicitur absoluere quantùm potest, & secundùm plenitudinem suæ potestatis.

98 Ex quibus sequitur, hoc verum esse tam de Superiore habente ordinariam potestatem, quàm delegatam tantùm: in hoc enim est eadem vtriusquè ratio, cùm vterq; dicatur habuisse potestatem supra reseruata ita Cardinalis de Lugo disp. 20. de Sacra. pœnit. sect. 7.

Dicet aliquis ex Vasquez quæst. 91. art. 3. dubio 5. num. 18. qui falsam hanc nostram sententiam esse arbitratur, Sacerdotem ita absoluentem censeri tantùm habere voluntatem generalem ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ quoties nulla fiat mentio reseruatorũ: proindeq; absoluendo nihil aliud efficere, quàm alius Confessarius inferior efficeret. Tum verò peccata aliqua esse reseruata, nihil aliud esse, quam illorum esse reseruatum iudicium Superiori: proindequè oblitorum non tolli reseruationem, quia supra illa nullũ iudicium dicatur Superior exercere.

99 Ad primum respondeo, Superiorem absoluendo dici absoluere secundùm plenitudinem suæ potestatis: & sicuti non limitat voluntatem, ita vt velit ab aliquibus tantùm absoluere: ita nec dici limitare iurisdictionem, sed eam exercere in necessarijs quantùm potest: proinde non vt Confessarium inferiorem absoluere, sed vt Superiorem.

Ad secundùm dico, verè Superiorem reseruando reseruare sibi iudicium de illis peccatis: sed sicuti Sacerdotibus tantùm approbatis est reseruatum iudicium mortalium, ita tamen vt ab illis indirectè absoluant, etiamsi oblita sint: ita Superiori esse reseruatum iudicium reseruatorum, ita tamen vt reseruationem tollat, etiamsi illorum Pœnitens obliuiscatur.

100 Aduertit tamen Auila de cens. p. 2. cap. 7. disp. 3. dubio 9. concl. 2. in fine, Pœnitentem eum, qui affectus excommunicatione exigente satisfactionem partis oblitus sit confiteri hanc censuram, per generalem absolutionem, quæ datur ad cautelam, non remanere absolutum à tali censura. Cuius ratio est, quia non est præsumendum Confessarium velle ita absoluere ab hac excommunicatione, à qua sine satisfactione non potest licitè absoluere, & si absoluat mortaliter peccat. Hoc idem docet doctissimus de Lugo disp. 16. de pœnit. sect. 15. postquam

enim

enim varijs rationibus probauit per generalem absolutionem pœnitentem remanere absolutum à censuris oblitis: & si Superiori confiteatur, remanere absolutum à censuris oblitis reseruatis: subdit doctrinam traditam esse veram non solum in habente ordinariam potestatem ad absoluēdum, sed etiam in habente delegatam; cum verba illa quæ in absolutione ab vtroquè proferuntur [in quantum possum, & tu indiges] clarè indicent animum vtendi tota potestate, & facultate in tota sua amplitudine: ac demum concludit vsum huius potestatis non nisi in ijs casibus esse præsumendum, in quibus Confessarius potest licitè absoluere. Quare cum licitè non possit absoluere non satisfacta parte, neq; etiam eum, qui scienter retinet censuram, & alios similes, non censetur clausula illa generali velle illos absoluere, sed eos, quos validè, & licitè potest. Sed de casu hoc agemus in quæst. sequente, diffic. 12.

DIFFICVLTAS XXVII.

Titius legitimè confessus est sua peccata Superiori, & tamen Superior nequè vult absoluere, nequè vult causam alteri committere. Quæritur vtrùm in hoc casu liberum illi sit cuicunquè Confessario confiteri.

101 *Proponitur fundamentum sententiæ affirmatiuæ.*

102 *Authoris sententia negat.*

101 HVic difficultati responderet fortè quispiam affirmatiuè ea nixus ratione, quia Pœnitens iam fecit quantùm in se est, & Superiori se præsentauit; ergo dicendum est esse ablatam reseruationem, & consequenter posse confiteri cuilibet inferiori Sacerdoti habenti communem iurisdictionem.

102 Respondeo tamen nō posse, sed teneri denuo se præsentare Superiori. Et ratio est, quia quando Superior expressè dicit se nec velle absoluere, nec velle causam alteri committere: vel hoc facit iustè, quia videlicet Pœnitens needum sit dispositus ad absolutionem: vel quia velit diferre absolutionem, donec Pœnitens exhibeat satisfactionem debitam, aut signa emendationis: Et in hoc casu patet, reseruationem needum esse ablatam, quia needum Pœnitens dicitur fecisse quantùm in se est, vel quantùm ab ipso iustè exigi potest. Vel hoc facit iniustè, quia videlicet Superior nullam habeat iustam causam denegandi absolutionem: Et in hoc item casu patet, reseruationem non esse ablatam; licèt enim male faciat, tamen negatio illa iurisdictionis habet effectum, cùm iurisdictio sit conferenda per voluntatem Superioris. Quoties ergo Superior suam voluntatem explicet dicendo se nulli committere iurisdictionem pro tali causa, clarè ostendit ipsū velle, vt reseruatio adhuc vigeat, cùm reseruatio nihil aliud sit, quàm ipsa negatio iurisdictionis. Teneretur ergo in hoc casu Titius quoties vellet confiteri adire alium Prælatum magis Superiorem. Vel certè si illius non adesset commoditas, & necessitas confessionis vrgeret, posset inferiori Sacerdoti confiteri, per quem à non reseruatis directè, à reseruatis verò indirectè absolueretur, iuxta dicta superiùs. Ita Suar. de pœn. disp. 31. sect. 4. num. 7. Filliuc. tract. 7. de confess. cap. 10. num. 310.

DIFFICVLTAS XXVIII.

An quando non patet aditus ad Episcopum pro casu reseruato, possit Confessarius pęnitentem directè absoluere.

103 *Refertur sententia negans.*
104 *Altera affirmans. Et sententia Authoris.*

103 RESpondet negatiuè Suarez in 3. par. to. 4. disp. 30. sect. 3. quia si inferior Sacerdos à casibus papalibus absoluere potest quando ad Papam, vel Nuncium non patet aditus, hoc ideò est, quia ius commune ita statuit quoad casus Papales, non sic autem fuit statutum quoad casus Episcopales.

104 Verùm contrariam sententiam sustinet Antoninus Diana par. 5. tract. 14. Miscellan. 2. resol. 58. fultus auctoritate Celestini in compen. theol. mor. tract. 1. cap. 23. num. 5 & argumento ducto à paritate rationis, quod sicuti quando non patet aditus ad Papam, vel Nuncium inferior Sacerdos absoluere potest à casibus papalibus; ita si ad Episcopum aditus non pateat, & concurrat aliqua necessitas celebrandi, aut communicandi, absoluere possit ab Episcopalibus. Sed primò argumentum ductum à paritate rationis est inefficax ad inferendum vnum ex alio quod pendeat à iure. Tum verò satis patet ex dictis, quid facere possit pęnitens in casu vrgentis necessitatis celebrandi, aut communicandi, quoties illi peccatis reseruatis affecto nō pateat aditus ad Superiorem. Quare regula hæc generalis, vt quoties subditus non potest adire Superiorem, possit etiam extra mortis articulum directè absolui ab inferiori, cum onere tamen comparendi, cum poterit, si peccatum habebat adnexam excommunicationem; regula inquam hæc locum habet in peccatis reseruatis Papæ, vt colligitur ex cap. Mulieres, cap. Noscitur, cap. Quamuis, cap. de cętero de senten. excommunicationis, & cap. Eos, qui, eodem titulo lib. 6. non sic autem in peccatis reseruatis alijs Prælatis: & communis sententia extensionem hanc reijcit teste de Lugo de pęn. disp. 20. sect. 10 num. 225. Quinimò vtrum hæc regula sit vera cum tanta generalitate, videbimus inferius diffic. 49.

DIFFICVLTAS XXIX.

An mortuo Episcopo casus reseruati expirent.

105 *Refertur sententia affirmans.*
106 *Respondent alij cum distinctione.*
107 *Sententia Authoris.*

105 RESpondet affirmatiuè huic difficultati Sà verbo, absolutio num. 21. quo loco docet mortuo Episcopo quemlibet Confessarium absoluere posse à casibus ipsi reseruatis.

106 Respondent alij, casus reseruatos per statutum, vel Synodum Dięcesanam mortuo etiam Episcopo vim suam retinere: secus autem minime. Ita Gauantus in Enchir. Epis. v. casus reseruati num 16. Rubeus in aphoris. Epis. v. casus reseruati, num. 4. Piasecius in praxi nouis. Episcop. par. 2. cap. 1. art. 3. num. 21. vbi sic habet [casus, quos Episcopus sibi reseruat expirant morte ipsius non verò illi, qui de iure, vel consuetudine ipsi reseruantur, neq; illi, quos per proprium statutum sibi reseruat, cum enim statutum duret

post

post mortem, cap. fin. de off. leg. reseruatio quoquè durabit, & absolutio petenda est à successore, seu Capitulo Sede Vacante] hucusque Piasecius. Atque in hanc eandem sententiam inclinare videtur Diana par. 4. tract. 4. in Miscellan. resol. 108. dum sententijs hisce, atque Auctoribus relatis lectorem remittit ad Ægidium Trullench. in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 2. num. 6.

107 Ego verò respondeo qualiscunq; sit reseruatio, eam mortuo etiam Episcopo durare. Et ratio est, quia reseruatio non est pęna, qualis est censura, quæ si ab homine sit, cessat mortuo conditore; si verò à iure adhuc durat eo extincto; sed est limitatio iurisdictionis, quę non ampliatur per mortem concedentis, seu reseruantis. Sic si quis ad confessiones audiendas fuerit approbatus tantum pro masculis, quæ reseruatio quædam est, vt patet ex dictis quæst. 1. diffic. 4. mortuo Episcopo hæc eadem facultatis restrictio durat, nec potest fęminas audire. Quare de casu hoc tractans Præpos. in addit. ad 3. par. q. 9. de reseruat. casuum dub. 1. num 6. Sic habet [censet Sà mortuo Episcopo quemlibet Cōfessarium posse absoluere à casibus reseruatis, quod non videtur solidum: & primò id non videtur posse dici de reseruatis per statutum; cum etiam mortuo Episcopo illud vim suam retinere soleat. Secundò neq; de reseruatis ab homine, quia per reseruationem inferiori sublata est iurisdictio necessaria ad valorem huius Sacramenti; non potest autem ex iure; vel alio solido fundamento colligi, quod ea per mortem Episcopi restituatur] Hucusquè Præpositus. Quæ sententia saltem est vera de habentibus facultatem delegatam, quorum iurisdictio pendet à voluntate concedentis, itaut si semel limitatè concedatur, ea limitata remaneat, donec vel à primo concedente, vel post eius mortem à successore amplietur.

DIFFICVLTAS XXX.

Cuinam competat facultas absoluendi à censuris, & casibus reseruatis in articulo mortis.

108 *Quilibet Sacerdos potest in articulo mortis absoluere à casibus reseruatis, & censuris, etiam hęreticus.*

109 *Inferior Papa si pro articulo mortis reseruaret sibi casus, talis reseruatio nulla foret.*

110 *In articulo mortis constitutus non tenetur Episcopo confiteri, etiamsi possit, pro absolutione à casibus Papę reseruatis.*

111 *Absolutus in articulo mortis nō tenetur iterum confiteri peccatum reseruatum confessum in eo articulo.*

112 *Absolutus in eo articulo à censura reseruata tenetur extra illum articulum præsentare se Superiori.*

113 *Proprius Parochus potest ex graui morbo decumbentem Parochianum absoluere à casibus reseruatis, & censuris.*

Vtrùm absolutio hæc impendi possit à prima die infirmitatis, ibidem.

108 RESpondeo certissimum hoc esse, quemlibet Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, non solùm indirectè, & per accidens: sed per se, & directè, seu per propriam iurisdictionem, quam pro tali articulo habent omnes Sacerdotes, circa talia peccata. Ita Doctores omnes. Et probari potest ex multis de-

cretis, vt cap. Si quis suadente 17. q. 4. cap. Pastoralis §. Præterea, de off. Ordinarij, cap. finali de Sepulturis, ac demum ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de Sacram. pœnitentiæ ijs verbis. [Veruntamen piè admodùm, ne hac occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis; atq; ideò omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possint] expendo enim illa verba [vt nulla sit reseruatio] nam si nulla est reseruatio; ergo pro eo articulo peccata illa manent sub eodem foro, sub quo sunt cœtera; Ergo si quilibet Sacerdos potest à peccatis mortalibus in articulo mortis absoluere, poterit etiam à reseruatis. Hinc est, vt in quacunquè reseruatione semper intelligatur exceptus articulus mortis. Huius autem dispositionis rationem Concil. Trid. refert in benignam Ecclesiæ dispositionem: sicut etiam nulla excommunicatio pro tali articulo est reseruata, vt constat ex cap. si quis suadente citato.

Dixi quemlibet Sacerdotem, quantumuis irregularem, degradatum, excommunicatum, hæreticum, vel schismaticum. Patet hoc ex verbis Tridentini relatis. Ac sicuti per particulas eas [quoslibet pœnitentes à quibuisuis peccatis] fideles omnes nullo excepto ab omnibus peccatis absolui possunt; ita per particulam eam [omnes Sacerdotes] comprehenduntur omnes, quicunquè ij sint, quacunquè censura, vel culpa ligati. Ita Suarez, Vazquez, quos citat & sequitur Hurtado de Sacram. disp. 10. de pœnit. diffic. 8. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 13. nu. 5. Cardinalis de Lugo disp. 28. de Sacramen. pœn. sect. 2. Antoninus Diana par. 4 tract. 4. resol. 235. & par. 5. tract. 3. resol. 57. apud quem alij plures. Quidquid in contrarium sentiant Medina, & Couar. loquentes de excommunicato non tolerato, ea nixi ratione, quod excommunicatio tollat omnem iurisdictionem: ac Sotus, Nauarrus, ac Ledesma loquentes de Sacerdote hæretico, aut Schismatico, eo quod hi careant fide, quæ est fundamentum necessarium ad iurisdictionem Ecclesiasticam. Sed nostram sententiam meritò communiter docent Doctores; vt enim in tanta necessitate Animarum saluti nihil deesset, Ecclesia voluit Sacerdotibus omnibus iurisdictionem concedere.

Dices à S. Gregorio commendatur Hermenegildus filius Regis Hispaniæ, quod mori maluerit, quam accipere Eucharistiam de manu Episcopi Ariani; ergo signum est hæreticum in eo articulo esse arcendum. Resp. factum hoc omni commendatione esse dignū, quia Sacramentum illud non erat ita necessarium, sicut pœnitentia: & illa Eucharistiæ susceptio fuisset quædam Arianismi professio. Quod si in ipsa confessione malum hoc timeri posset, conandum potius esset iustificari per contritionem, quàm hæresim approbare. In hoc tamen casu moribundus facilimè posset tollere scandalum, si apertè protestaretur se hæresi illius Sacerdotis non consentire, sed absolutionem petere in remedium Animæ suæ, qua protestatione facta rarissimus erit casus, in quo teneatur abstinere à confessione ad vitandum scandalum aliorum.

109 Quinimò addo, licèt Summus Pontifex possit validè, sed illicitè reseruare sibi casus pro tali articulo: si tamen alij Prælati inferiores Papa reseruarent, reseruationem illam pro tali articulo latam, futuram nullam.

Et

Et ratio est, quia consuetudo Ecclesiæ à Summis Pontificibus probata habet vim legis prohibentis, & irritantis talem reseruationem, in qua non potest inferior Papa dispensare. Tum quia facultas data Sacerdotibus absoluendi ab omnibus reseruatis procedit ab Ecclesia vniuersali, & eius capite, Summo Pontifice: potestas autem, & iurisdictio à Pontifice data nec licitè, nec validè potest à Prælato inferiori tolli, aut restringi. Vt bene Cardinalis de Lugo disp. 20. de pœn sect. 10 nu. 211.

110 Ex quibus inferas primò, si quispiam sit in articulo mortis constitutus, & habeat casus Papæ reseruatos, etiamsi adsit commoditas adeundi Episcopum, non tamen necessarium esse illum adire: neq; pariter necessarium esse priùs aduocare Parochum, quàm alium Sacerdotem expositum habentem iurisdictionem ex commissione. Et ratio est, quia sicut hi omnes æqualiter possunt ab alijs peccatis mortalibus absoluere, ita etiam à reseruatis Papæ, cum pro eo articulo cesset illa reseruatio. Vtrum verò præsente Parocho, vel exposito, possit simplex Sacerdos absoluere, patebit inferiùs.

111 Secundò eum, qui in articulo mortis fuit à casibus reseruatis aut censuris absolutus non teneri, propriè loquendo, iterum confiteri peccatum illud reseruatum Superiori, cui erat reseruatum. Et ratio est, quia nemo tenetur peccata ea iterum confiteri, à quibus semel & directè fuit absolutus: sed in articulo mortis talis est absolutio à casibus reseruatis. Ergo non sunt amplius confitendi.

112 Dixi, propriè loquendo, quia verum quidem est, quòd si quispiam in articulo mortis absoluatur à censuris reseruatis Papæ, vel alteri, tenetur extra illum articulum se præsentare Sedi Apostolicæ, vel illi, qui iure Ordinario poterat illum absoluere, & si non se præsentet, vel sit in mora se præsentandi, reincidit in eandem reseruationem, seu censuram, à qua fuit absolutus, vt bene Vgol. de cens. Papæ reser. par. 3. cap. 2. §. 1. num. 1., Nau. cap. 26. num. 26., & cap. 27. num. 113. Sylu. verbo absol. 1. num. 8., Auila de cens. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 4. Vasq. de pœn. q 91. art. 3 dubio 8. nu. 8., Suar. de pœn. disp. 30. sect. 3 num. 6., & de cens. disp. 22. sect. 1. num. 62., Conin. de cens. disp. 14. dub. 16. num. 235. Polidorus Ripa in tract de actis in art. mortis cap. 35. num 2., Zambranus in decis. pro mortis articulo cap. 4. de pœn. dub. 4., & expressè habetur in cap. de cętero cap. quod de his cap Quamuis de sent. excommu. cap. eos qui, eodem titulo in 6 Cuius dispositionis ea fuit ratio, ne censuræ Ecclesiasticæ illuderentur, & vt tolleretur occasio fingendi falsa impedimenta ad impetrandam absolutionem ab alio, quàm à Superiore; tamen obligatio hæc se præsentandi non est ad iterum confitendum Sacramentaliter tale peccatum, sed solùm ad comparendum coram Superiore, qui conuenientem medicinam, vel satisfactionem imponere possit.

113 Addo peculiarem à casibus reseruatis absoluendi concessionem extare in Synodo 32. tit. De ijs, quæ pertinent ad Pœnitentiæ Sacramentum, quo loco Pœnitenti ex graui morbo decumbenti conceditur vt à proprio Parocho possit à reseruatis absolui. Verba concessionis hæc sunt, [Reseruationem casuum, & censurarum nostræ iurisdictionis ordinariæ remittimus & relaxamus, dum graui morbo implicitus in lecto Pœnitens decumbit; modò tamen proprio suo Paro-

cho peccata confiteatur. Cuius Parochi erit iudicium ferre, nùm ita grauiter laboret, vt frui legitimè possit reseruationis beneficio. Cæterùm si ægrotus conualuerit eisdem censuris eum subiacere volumus, quibus irretitus erat antequam à Parocho in graui morbo absolueretur; nisi quàmprimùm Superiorem adeat, & coram eo se sistat, & præsentet;] grauem autem morbum porrò illum existimaret quispiam, ex quo probabiliter timere possemus periculū mortis subsecuturum.

Ex quibus verbis clarè infertur, Peregrinum, aut iter agentem qui ex graui morbo decumbens confiteatur Parocho loci, in quo reperitur, non posse a casibus reseruatis, in quos inciderit, vi huius facultatis absolui: Vagum verò posse. Et ratio est, quia respectu istius est propriùs Parochus; non sic autem respectu illorum.

Vtrùm verò absolutio hæc à reseruatis, quæ à quolibet Sacerdote in periculo mortis: vel à proprio Parocho in graui morbo impendi potest, dari possit à prima die infirmitatis, quæ infirmum in tali periculo vel morbo cōstituit: Respondeo affirmatiuè cum Sancio in select. disp. 12. num. 5. Cælestino in compend. Theol. Moral. tract. 1. cap. 13. quæst. 1. vbi habet absolutionem à reseruatis impendi posse à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, pleuritidis &c.

DIFFICVLTAS XXXI.

Quidnam veniat nomine articuli mortis.

114 *Nomine articuli mortis non venire periculum, docent Doctores plures.*

115 *Author quoad effectum absolutionis à reseruatis, & censuris, pro eodem sumit articulum mortis.*

116 *Debet tamen periculum hoc esse probabile, & proximum.*

114 EXistimant Doctores plures distingui articulum mortis à periculo, ita vt putent articulum mortis strictè intelligi, & sumi pro solo vero mortis articulo, qui tunc tantùm contingit, quando mors est in fieri, & ita certa, & proxima, vt moraliter certa sit, & ferè ineuitabilis; siuè hoc proueniat ex causa naturali, vt morbo, siue ex causa violenta, vt si quis sit morte plectendus: periculum verò mortis dici, quando in tali casu mors hominibus solet frequenter contingere. Vnde est, vt dicant, facultatem eam, quam diximus in articulo mortis competere cuilibet Sacerdoti, vt possit ab omnibus censuris, & casibus reseruatis absoluere, valere tātùm pro ipso mortis articulo; non verò pro periculo. Quorum ratio est, quia videlicet iura ipsa, ex quibus colligimus hāc facultatem, loquantur de solo articulo, vt proindè non videatur extendenda ad mortis periculum. Ita Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. columna 4. vers. Quæris autem, Cano parte quinta de pœn., Valentia 4 tomo disp. 7. quæst. 10. puncto 2. colum. 6., Mandosius in praxi Signaturæ, tit. confessionale folio 75. num. 1. Hurtadus de Mendoza quem refert Diana citan.

115 Ego verò respondeo, quoad hunc effectum pro eodem esse sumendum articulum, & periculum mortis: proindeq; sicut in articulo mortis potest quilibet Sacerdos ab omnibus casibus, & censuris absoluere; ita etiam in mortis periculo. Ita communiter Doctores. Nau. cap. 27. nu 272. Basilius Benzonus in speculo Episcoporū lib. 1. disp. 1. quæst. 6. concl. 2., Suar. in

3. par-

3. partem disp.26 sect.4 num 3., Mol. tomo 4. de iust. disp 63. num.6. Sanch. in sum. lib.2. cap. 13. num. 1., & multi alij, quos refert, & sequitur Zambranus de cas. art. mortis præludio 1.nu.7. Cardinalis de Lugo disp 18. de pœn. sect.2. num.20. Antonin. Diana par.3. tract.4. de Sacram. resol. 71. & par. 5. tract. 3. resol. 63. Demùm verò hoc colligitur ex cap. Si quis suadente, ijs verbis, [nisi in mortis articulo.] Et ex cap. Eos qui, de sent. excommu. in 6. ijs verbis, [cessante postea periculo, vel impedimento,] vbi vocatur periculum, quod antea dictum fuerat articulus mortis, vt indicaretur, quoad rem nostram mortis periculum articulo ęquipollere. Ratio verò est, quia cùm causa huius concessionis fuerit necessitas Pœnitentis, ne videlicet absquè remedio è vita decederet: iure optimo talis fuit reputanda necessitas periculi mortis; Si quidem in tali periculo tenemur confiteri, perinde ac in mortis articulo. Tum quia, si periculum mortis ab articulo distinguamus, sæpius continget infirmum sine absolutione decedere è vita, dum Cōfessarius morborum inexpertus nesciat articulum à periculo distinguere; ac propterea verum articulum non cognoscens differat absolutionem.

116 Aduertam tamen cum Zambrano l.cit num 8., Sanch. num.3. Couar.4. decretal. 1.par.§.11.nu.8.in fine, & alijs, non quodlibet mortis periculum æquiparari articulo, sed illud tantùm, quod sit proximum, & probabile, ita vt tale sit, vt frequenter hominibus in tali casu mors de proximo contingat. Secùs verò, quando est ferè certum, quòd mors sit diutius differenda, in quo tempore potest occurrere opportunitas habentis facultatem absoluendi, quia tunc cessat necessitas, quæ huius concessionis fuit causa.

DIFFICVLTAS XXXII.

Vtrùm Mulier grauida dicatur esse in probabili, & proximo periculo mortis, ita vt possit à quocunq; Sacerdote absolui à reseruatis.

117 *Mulier partui vicina, & primum editura partum potest per quemcunquè Sacerdotem à casibus reseruatis, & censuris absolui.*

118 *Doctores plures hanc sententiam extendunt ad quamcunquè Mulierem grauidam.*

117 Respondeo Mulierem eam, quę partui est vicina, & primum est editura partum: vel si aliàs peperit; experta est se parere cum periculo, & habere difficultatem, censendam esse in proximo, & probabili mortis periculo, proindequè posse illico absolui a censuris, & casibus reseruatis, absq; eò quòd expectetur facultas Superioris. Ita Syluest. v. interd. 6. quæst.7., & v. absol 1. num.10., Couar. cap. Alma Mater, 2. par. § 3. num. 2., Sanch. l. 2. in sum. cap. 13. num 4., Finellius tract. de cas. reseruat. cap.8. nu-8. Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resolut. 72. Sotus in 4. dist 18. quæst. 1. art.5., Graff. par. 1. lib. 1. decis. aur. cap. 11. num. 7.

118 Verum tamen est adesse sententiam asserentem, Mulieres omnes grauidas, quæ sint vicinæ partui, & dolores iam sentiāt posse à reseruatis absolui; licèt alias peperissent, & fuissent expertæ se non periclitari in partu, nec pati notabilem difficultatem, quales sunt fęminæ rusticæ, quæ modicam difficultatem in pariendo patiuntur,

etiamsi gemellos pariant. Ratio autem hornm Doctorum est, quia quælibet Mulier grauida, licèt sit assueta faciliter parere, tamen est reputanda in mortis periculo, cùm partus de sua natura sit res periculosa. Et sicut qui plures tempestates maris euasit, adhuc tamen censetur in mortis periculo, si in noua maris tempestate sit: ita Mulier ea, quæ partui est proxima, censenda est in mortis periculo: non obstante, quòd aliàs experta sit se parere sine difficultate, & periculo. Tum quia posset contingere, vt in vtero haberet gemellos, vel partum maiorem solito. Quam sententiam sustinent Candel. aur. de absolut. num. 63. Gamb. de cas. reser. cap. 2. fol. 32. num. 58. Belloc. de cas. reser. par. 1. quæst. 2. num. 129., & alij.

DIFFICVLTAS XXXIII.

An peste infecti censeantur constituti in proximo, & probabili mortis periculo, ita vt à quolibet Sacerdote possint absolui à reseruatis.

119 *Sententia Authoris est affirmatiua.*
120 *Quid dicendum de sanis, sed degentibus in loco infecto. Doctores quidam respondent cum distinctione.*
121 *Author absolutè negat.*
122 *Quid dicendum de ijs qui expositi sunt, vel de proximo se exponere volunt ad inseruiendū peste infectis.*

119 Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia pestis de sua natura est morbus lethalis, & acutissima malignitate omnes superans, & subito, breuiquè tempore, ac præter opinionem, eos quos corripit enecans; vt proinde omnes peste infecti censendi sint in proximo, & probabili mortis periculo. Quòd enim aliqui etiam morbo contagioso affecti vltra Mensem, vel plures dies viuant: hoc non tollit naturam talis morbi, nec facit, vt morbus ille de sua natura non sit lethalis, & coniunctus cum proximo, & probabili mortis periculo, cùm vt plurimùm, vel saltem frequenter peste infectus breui moriatur. Ita Laym. tract. 6. cap. 12. num. 13. Io: Chapeauilla de aministr. Sacramentorum tempore pestis cap. 1. q. 1. §. 8., & q. 8. & q. 14. Philibertus Marchinus de bello Diuino par. 3. cap. 3., quem citat, & sequitur Ang. Bossius in suis discept. Moralibus, discept. 2. dub. 2. num. 21.

120 Maior difficultas est, quid dicendum de ijs, qui necdum sunt peste infecti, sed tamen degunt in loco, vel Oppido, in quo pestis viget, & plurimos in dies inficit: vtrùm ij dicantur constituti in proximo, & probabili mortis periculo, ita vt possint a reseruatis absolui per quemlibet Sacerdotem, etiam non approbatum ad confessiones audiendas. Respondet Marchinus l. cit. cum distinctione. Vel enim pestis est leuis, qualis ea est, quæ paucos inficit, nec ita subito interficit (vt contingit in quibusdam Germaniæ locis, præsertim Viennæ vbi quorundam testimonio ferè semper reperiuntur aliqui peste infecti, & cæteri, qui sani sunt parùm sibi timent de infectione, & facilè se à tali morbo tuentur); Vel ea est magna, & valdè in loco sæuiens, qualis ea fuit, quæ proximis præteritis annis totam propemodùm Italiam deuastauit. Si leuis sit, existimant non posse quemlibet Sacerdotem a reseruatis absoluere. Et ratio esse potest, quia si necdum sint infecti, & ex alia parte pestis eius

est generis, vt paucos inficiat; porrò non possumus dicere eos esse constitutos in proximo, & probabili mortis periculo. Quòd si ea sit grauis, tunc existimat reseruationem omnem cessare, etiam respectu eorum, qui sani sunt, dummodò tamen in loco infecto degant. Ratio ipsius est, quia cùm pestis grauis ob suam malignitatem facilè omnes inficiat; quicunquè in loco pestifero versatur dici potest constitutus in probabili mortis periculo. Pro qua sententia sic explicata, Ang. Bossius citat Corneum, & Homobonum.

121 Ego verò Respondeo non posse absolui à quocunq; Sacerdote, sed tantùm ab approbato pro reseruatis. Et ratio est, quia ij, qui necdum sunt peste infecti non possunt dici esse constituti in proximo, & probabili mortis periculo, quale requiritur ad hoc vt dicere possimus simplicem Sacerdotem habere facultatem absoluendi à censuris, & casibus reseruatis.

Sic non quilibet morbus, aut vulnus sufficiens est ad effectum huius absolutionis, sed illud tantùm, ex quo breui timeatur mors secutura, vt patebit ex dicendis in difficultate sequente.

Sic in sententia eorum, qui asserunt Mulieres omnes grauidas posse a simplici Sacerdote absolui ad effectum huius absolutionis, non sufficit Mulierem esse grauidam, sed necessarium est, vt dolores iam sentiat, & partui sit proxima.

Sic non sufficit aliquem esse iturum ad bellum, sed necesse est, vt de proximo sit pugnaturus cum hostibus; neq; sufficit aliquem inchoasse nauigationem in mari, nisi immineat tempestas, seu procella periculosa. A pari ergo, cùm tempus pestis non constituat omnes in æquali periculo mortis, sed infectos in proximo, sanos verò in remoto tantùm: inde est, vt in ordine ad illos tribuat quidem cuilibet Sacerdoti iurisdictionem; non tamen in ordine ad hos. Ita expressè Benzonus in speculo Episcoporum lib. 1. disp. 1. q. 6 concl. 1., Bossius l. superius cit. num. 30., & prò eadem sententia citari possunt Chapeauilla de administr. Sacramentorum tempore pestis cap. 1. quæst. 1. §. 8., Layman l. cit. facientes tantùm mentionem de peste infectis, nullam verò de sanis degentibus in loco pestifero.

122 Probabiliter tamen putarem cum Bossio num. 31. homines eos, qui de proximo se ipsos exponere volunt, vel iam expositi sunt ad inseruiendum peste infectis posse absolui a quocunq; Sacerdote. Et ratio est, quia hi verè dici possunt constituti in proximo mortis periculo. Sicut etiam absolui possent cæteri omnes, quoties in loco infecto non adesset copia Sacerdotis approbati, sed adesset tantùm Sacerdos simplex, & probabiliter timere possent se non habituros copiam alterius Sacerdotis.

DIFFICVLTAS XXXIV.

Quinam alij sint, qui censeri possint constituti in proximo mortis periculo, ita vt possint à quocunquè Sacerdote à reseruatis absolui.

123 *Banniti Capitaliter, dummodò non habeant saluum conductum.*

124 *Is, cui probabile periculum imminet incidendi in amentiam.*

125 *Obsessi, & obsidentes, intellige tamen cum triplici limitatione sequente.*

126 *Affectus vulnere lethali intra breue tempus mortis allatiuo: Decrepiti,*

piti, quibus mors pro foribus stet: laborantes item morbo puncticulari, vel alio simili.

127 *Nauigantes in graues angustias coniecti, in quibus de vitæ discrimine agatur.*

128 *Suscepturus iter periculosum.*

129 *Quid si nauigatio, aut iter spontè, absque vlla necessitate suscipiatur. Aliqui negant.*

130 *Sententia Layman est affirmatiua.*

131 *Qui voluntariè se offerunt castrandos ad retinendam, & conseruandam vocem, in sententia Layman possunt absolui.*

132 *Damnati ad triremes, qui identidem cogantur longiores, & periculosas nauigationes suscipere.*

133 *Quicunquè probabiliter timeat vt ante mortem non sit habiturus copiam Confessarij, nisi tunc simplici Sacerdoti confiteatur.*

EX dictis iam patet ad effectum huius absolutionis requiri proximũ, & probabile mortis periculum. Difficultas modo est, quinam sint ij casus, præter iam recensitos, in quibus ob morale, ac probabile mortis periculum, possit quis à Simplici Sacerdote absolui.

123 Respondeo casus varios à varijs Doctoribus recenseri. Primò autem recensentur Banniti capitaliter, qui vbique possint impunè occidi: hi enim verè possunt dici semper versari in periculo mortis, & quidem in proximo; vnde possunt à quocunquè Sacerdote, & à quibuscunquè casibus absolui. Quod verum est, dummodò non habeant saluum Conductum. Ita Vgol. de off., & potest. Episc. cap. 15. §. 8. num. 9. vers. Imò à quocunquè, Naldus in sum. v. absolutio à censuris num. 5., Floronus de cas. reser. par. 1. cap. 4. §. 8. num. 9. Belloch. in praxi theol. moral. par. 1. q. 2. num. 133.

124 Secundò recensetur is, cui probabile periculum immineat incidendi in amentiam. Et ratio est, quia cum factus amens non possit confiteri, periculum amentiæ est quasi periculũ mortis. Ita Zambranus de cas. art. mortis prelud. 1. in fine Layman tract. 6. cap. 12. num. 13. § His adde Sanch. l. 2. in sum. cap 13. num 2. Hinc est, vt in hoc periculo vigere, & obligare præceptum Diuinum confessionis, benè asserat Medina cod. de pœnit. tract. de confessione q. de tempore, quo confiteri oportet, casu 1. subdens hoc verum esse, siue dementia sit perpetua, siue diuturna.

125 Tertiò enumerantur obsessi, & obsidentes. Intellige tamen cum triplici limitatione. Primò quòd nomine obsessorum ij tantum veniant, qui actu incumbunt defensioni Oppidi, vel Ciuitatis obsessæ, non verò alij, qui in loco tuto recepti possunt esse immunes ab ictibus inimicorum, nisi fortè etiam ipsi probabiliter timerent in ipsos crudeliùs post expugnationem, quæ verisimiliter timeretur, sæuiturum hostem, & ante expugnationem desperarent omnem copiam Confessarij habentis legitimam auctoritatem absoluendi.

Secundò quòd bellum sit vtrinquè iustum, idest obsidio sit iusta ex parte obsidentium, & ex parte obsessorum sit iusta defensio.

Tertiò quòd qui obsidentur de proximo expugnentur bombardis obsidentium; & pariter obsidentes ipsi arceantur de prope bombardis obsessorum. Vnde si ij, qui obsidentur, non expugnarentur bombardis obsidentium: aut obsidentes ipsi à longè starent; tunc quia non censerentur in pro-

ximo mortis periculo, inde est vt non possent à simplici Sacerdote absolui. Sicuti nec obsidentes ipsi absolui possent, quoties ex parte illorum bellum esset iniustum; neq; obsessi, dato quòd ex parte illorum esset iniusta defensio. Ita Ripa in tract. de actis in art. mortis cap. 35. nu. 1. Syluest. Grassus, Panormit. Hostiensis, quos citat; & sequitur Bossius num. 18.

126 Quartò enumeratur quicunq; habeat vulnus lethale, quod intra breue tempus soleat afferre mortem: vel qui senio sit ita confectus, vt ex probabili coniectura modicum illi vitæ spatium supersit, & mors illi iam iam imminere videatur; vel, qui tali morbo laboret, ex quo breui intra paucos dies Mors secutura probabiliter timeatur, quales sunt laborantes morbo puncticulari, vel alio simili. Ita Suar. 4. tom. in 3. par. disp. 26. sect. 4. nu. 2., Zamb. dicto præludio 1. à nu. 1. vsquè ad 4. Sanch. lib. 2. in sum. c. 13. nu. 1., Vgol. de cens. Papæ reser. Syluest., Alterius, quos refert Bossius cit. nu. 9.

127 Quintò enumeratur is, qui postquam inchoasset longam aliquam nauigationem, inter nauigandum, in graues angustias fuisset coniectus, in quibus ageretur de vitæ discrimine, vt si grauis tempestas cum periculo probabili naufragij fuisset exorta, aut si cum pyratis esset illi pugnandum cum vitæ periculo; tunc enim quia diceretur constitutus in probabili, & proximo vitæ periculo, ideo etiam per simplicem Sacerdotem posset absolui à quibuscunquè censuris, & casibus reseruatis; Ita Sayrus lib. 2. de cens. cap. 10. num. 28., Mol. disp. 63. num. 5. Bossius in suis discept. 2. dub. 2. nu. 13.

128 Sextò recensetur is, qui de proximo sit suscepturus aliquod iter, quod ob corporis imbecillitatem, aut propter senectutem, aut propter inimici insidias, seu latrones interficere solentes, sit periculosum. Pariter, qui longã peregrinationem sit suscepturus, ita vt probabiliter dubitarę possit, an sit habiturus copiam Confessarij idonei ad absoluendum: aut qui velit transfretare mare turbulentum probabiliter timens se de vita periclitaturum. Et ratio est, quia hi omnes videntur constituti in proximo, & probabili mortis periculo. Ita Glossa in cap. Pastoralis §. præterea v. præterquam in mortis art., Mol. Sanch. cit. Laym. tract. 6. cap. 12. num. 13. in fine. Et alij apud ipsos.

129 Limitant tamen aliqui, ita vt hæc sint intelligenda, quando quis non spontè; sed coactè obijcitur his periculis itineris, nauigationis, aut belli, ita vt si absquè vlla necessitate quis velit iter periculosum inchoare, longam, & periculosam nauigationem suscipere, aut ad bellum se conferre, non posit per simplicem Sacerdotem absolui. Quorum ratio est, quia iste ante inchoatam nauigationem, ante susceptum iter, ante profectionem ad bellum, non potest dici, quòd sit in proximo mortis periculo, cùm in eius potestate sit huiusmodi periculis se ipsum exponere, vel non exponere. Ita Cord. in sum. q. 18. puncto 2. dicto 4., Sanch. l. superiùs cit. num. 3.

130 Verùm limitationem hanc reijcit Layman citatus, his verbis [aliam limitationem affert Sanch. l. cit., vt aliquis non propria spontè, sed ex causa vrgente, seu morali necessitate coactus tale periculum adeat. Quod mihi non placet, cùm neq; alij meminerint: nam ratio cur Ecclesia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus absoluendi potestatem tribuat,

est,

est, quia peccator in tali casu, tum iure Diuino positiuo, tum etiam naturali charitate erga se ipsum ad confitendum obligatur, quæ ratio obligationis æquè locum habet, etsi aliquis sine necessitate, ac propria spontè periculum mortis adeat, verbi gratia, in bello iusto, maris nauigatione,] quibus verbis videtur innuere, quòd non solum possit absolui, quando quis se ipsum iam periculo spontè exposuit, vt sentit Bossius citatus, sed etiam antequam se ipsum periculo exponat; putà antequam quis iteneri periculoso se committat; antequam periculosam nauigationem suscipiat; antequam bellum inchoet: licèt hæc omnia spontè faciat, eo modo, quo diximus superiùs, eum, qui spontè vult inseruire peste infectis, tum cùm vult inchoare suam seruitutem, posse per simplicem Sacerdotem ab omnibus censuris, & casibus reseruatis absolui, licèt in eius potestate sit huic periculo se ipsum non exponere. Ita ergo videtur dicendum in cęteris casibus, videlicet, tum cùm quis vult transfretare mare turbulentum, longæ nauigationi se committere, periculosum iter inchoare, iustam pugnam inire, posse per simplicem Sacerdotem absolui. Eandemquè sententiam docet Cęlestinus in compendio Theolog. moral. tract. 1. cap. 13. quæst. 1. vbi ait absolutionem à reseruatis posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, pleuritidis: idque siue periculum mortis quis adeat propria sponte, siuè causa aliqua vrgente, seu morali necessitate coactus &c.

131 Vnde in hac sententia putarem eos, qui voluntariè se offerunt castrandos ad retinendam, & conseruandam vocem; qui torneamento licito volunt operam dare, quoties probabile mortis periculum immineret, posse immediatè ante per simplicem Sacerdotem absolui. Neq; enim obstaret, quòd voluntariè periculum hoc subirent, quia licèt obsidentes ipsi possint obsidionem deserere; licèt is, qui voluntariè se offert ad inseruiendum peste infectis, voluntariè dicatur hoc periculum subire, tamen hos omnes posse absolui diximus superiùs.

132 Septimò quoad effectum huius absolutionis ab aliquibus Doctoribus recensentur damnati ad triremes, qui identidem cogantur longiores suscipere nauigationes, vel breues alias, sed periculosas. Ita Emman. Sà in sum. v. absolutio num. 4 Duard. in B. Cœnæ lib. 3 §. 2. q. 2 num. 6., & 15. Quicquid in contrarium sentiat Sanch. l. cit. n. 4. existimans non posse absolui, quia non censeantur esse in proximo periculo; eò vel maximè, quòd superueniente necessitate longioris peregrinationis soleant habere Sacerdotes pro confessionibus excipiendis. Verùm hac ratione non obstante, adhuc putarem posse absolui. Et ratio est, quia licèt non semper sint in proximo actuali periculo, tamen illud semper probabiliter timent.

133 Octauo enumeratur is, qui in eo statu reperitur, vt si tunc à simplici Sacerdote non absoluatur, probabiliter timeat futurum, vt ante mortem non possit habere copiam Confessarij, vt contingere potest in India, vel in aliqua captiuitate; hic enim dato quòd esset affectus culpa lethali, teneretur ex præcepto Diuino confiteri; ita Duard. quæst. 2. citata num. 18. Bossius superiùs citatus nu. 20.

DIFFICVLTAS XXXV.

Ad quaſnam cenſuras ſe extendat iuriſdictio conceſſa ſimplici Sacerdoti, vt poſſit in periculo mortis abſoluere.

134 *Sententia Authoris verior.*
135 *Contraria ſententia non damnatur.*

134 QVærimus in hac difficultate vtrùm in caſibus ſuperiùs recenſitis, ſimplex Sacerdos non ſolùm poſſit abſoluere ab excommunicatione, ſed etiam ab omnibus alijs cenſuris.

Reſpondet Sanch. lib. 2. in ſum. cap. 13. num. 12. poſſe ab ijs tantùm cenſuris abſoluere, quæ impediunt ſuſceptionem Sacramentorum, & Eccleſiaſticam ſepulturam, quales ſunt excommunicatio, interdictum perſonale, ſuſpenſio à receptione Sacramentorũ, & Eccleſiaſticà ſepulturà; ceterùm à ſuſpenſione ab ordine, officio, vel beneficio non poſſe abſoluere. Ratio autem illius eſt, quia licèt Tridentinum expreſſis verbis hoc non aſſerat, tamen ex eius ratione videtur ſufficienter colligi; dum enim ait, in Eccleſia Dei ſemper fuiſſe cuſtoditum, vt in articulo mortis nulla ſit reſeruatio, eam ſubdit rationem, [ne hac occaſione aliquis pereat.] Ergo videtur innuere facultatem hanc pro ijs tantùm cenſuris eſſe factam, quæ impediunt receptionem Sacramentorum. Quam ſententiã tuentur etiam Zamb. de caſ. art. mortis cap. 4. dubio 4 nu 17. Laym. tract. 6. cap. 12. nu. 13. Cardinalis de Lugo diſp. 20. de pœnit. ſect. 10. num. 203. Et hæc ſententia eſt à nobis ſuſtinenda.

135 His tamen non obſtantibus reſpondet Vgol. de cenſ. tab. 1. cap. 4. §. 1. nu. 2. ſimplicem Sacerdotem poſſe in mortis articulo, ſeu periculo ab omnibus cenſuris abſoluere, tam ijs, quæ impediunt receptionem Sacramentorum, quàm ijs, quæ illam non impediunt. Et ratio eſt, quia Concilium dicit (à quibuſuis cenſuris) quæ particula cùm ſit generalis, & vniuerſalis, nec vllam excipiat, inde eſt vt omnes comprehendat; vbi enim lex non diſtinguit, nequè nos diſtinguere debemus. Demum verò hoc idem videntur ſentire pleriq; ex Doctoribus citatis in ſuperiore difficultate, qui abſolutè, & abſq; vlla limitatione aſſerunt ſimplicem Sacerdotem poſſe in articulo mortis abſoluere ab omnibus cenſuris, & caſibus reſeruatis.

DIFFICVLTAS XXXVI.

An in mortis articulo ſimplex Sacerdos poſſit abſoluere à cenſuris, abſq; eo quod abſoluat à peccatis.

136 *Sententia eſt affirmatiua.*
137 *Vtrùm Pœnitens teneatur huic abſolutioni præmittere actum contritionis.*

CAſus hic eſſe poteſt. Titius excommunicatus, & morti proximus defectu ſanæ mentis non poteſt confiteri, nequè à peccatis abſolui. Quæritur vtrùm ſimplex Sacerdos poſſit illum ſaltem ab excommunicatione abſoluere, vt poſſit recipere Sacramenta, & in loco ſacro ſepeliri.

136 Reſpondeo affirmatiuè. Et ratio eſt, quia Concilium Trid. dum ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſeruatione,

cuilibet

cuilibet Sacerdoti tribuit facultatem, vt possit in articulo mortis ab omnibus censuris, & casibus reseruatis absoluere, illam absolutè concedit, non præscribendo ordinem, seù aliquam necessariam connexionem vnius absolutionis cum alia; ergo poterit simplex Sacerdos, vel à censuris tantùm extra confessionem, vel ab ijsdem in confessione absoluere, pro vt voluerit; licèt enim pro tali articulo facultas absoluendi ab omnibus censuris, ideo cuilibet Sacerdoti fuerit commissa, quia sæpè absolutio hæc est necessaria ad Sacramentalem absolutionem peccatorum; tamen cùm absolutè, & sine vlla connexione ad Sacramentum Pœnitentiæ sit concessa; inde est, vt talis absolutio impendi possit, etiamsi absolutio à peccatis non possit impendi, cùm ea prodesse possit ad recipienda alia Sacramenta, vt extremam Vnctionem, & ad hoc, vt in loco sacro possit sepeliri. Ita Nau. cap. 27. num. 272., Vgol. de cens. Papæ reser. par. 3. cap. 2. §. 2. nu. 2., Suar. de cens. disp. 7. sect. 6. num. 7., Sanch. lib. 2. in sum. cap. 13. num 12., Zamb. de cas. art. mortis c. 4. dub. 4 num. 18.

137 Aduertunt tamen Nau., & Vgol. citati, ad hoc vt simplex Sacerdos posit absoluere à sola censura, necessarium esse, quòd Pœnitens præmiserit aliquod signum contritionis. Verùm limitatio hæc mihi non placet, sicuti nec placet Bosio in suis disceptationibus moralibus, discept. 2. num. 8., licèt enim hoc sit necessarium ad Sacramentalem absolutionem à peccatis, non tamen ad absolutionem a censura, quę fit extra Sacramentum.

DIFFICVLTAS XXXVII.

Vtrùm hæc facultas, quæ simplici Sacerdoti est concessa pro articulo mortis, sit à iure Diuino, an verò Humano.

138 *Respondent aliqui esse à iure Diuino.*
139 *Contraria sententia verior.*
140 *Iurisdictio absoluendi à casibus reseruatis, & censuris in articulo mortis, potest à Summo Pontifice etiam pro eo articulo suspendi.*
141 *Delegata ne sit, an ordinaria.*

CVM ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria sit potestas iurisdictionis, ideo Doctores inter se disputant, à quonam simplex Sacerdos habeat iurisdictionem, vt possit in articulo mortis ab omnibus censuris, & casibus reseruatis absoluere.

138 Respondent aliqui, habere à iure Diuino, & in sua Ordinatione. Ita Palud. in 4. disp. 20., quæst. 1. art. 1. ad secundum, Armilla v. absolutio. Nau. in Manuali cap. 22. num. 272. Et alij. Fundamentum autem huius sententiæ illud maximè esse potest, quia perpetua traditio Ecclesię, cuius principium ignoratur, est signum, quòd id, quod præcipitur, vel prohibetur, de iure Diuino præcipitur, vel prohibetur, ex regula D. August. lib. 4 de baptis. cap. 24., huiusmodi autem est hæc traditio facultatis absoluendi ab omnibus censuris, & peccatis in articulo mortis; illius enim origo ignoratur, vt colligitur ex verbis Triden. [in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.] Tum quia, si iurisdictio hæc esset à iure Humano, posset ab Ecclesia tolli, vel suspendi,

pendi, quod tamen non videtur posse facere; alioqui à Christo Domino non videretur sufficienter prouisum Peccatoribus existentibus in extrema necessitate.

139 Respondeo tamen cum contraria sententia, iurisdictionem hanc cuilibet Sacerdoti esse concessam à iure Humano, auctoritate Summorum Pontificum. Ita Soto dist. 18. quæst. 8. art. 4., Med. cod. de confess. q. de alieno, sine licentia proprij absoluente, Victoria in sum. num. 156. Fagund. præcepto 2. l. 7. cap. 1. num. 16., Suar. de pœn. disp. 26. sect. 4. num. 7. Cardinalis de Lugo disp. 18. de pœn. sect. 2. num. 16. Et insinuatur à Concilio Trident. dicente, ne aliquis periret custoditum semper in Ecclesia fuisse &c., quibus verbis significat traditionem hanc ortam esse ab ipsa Ecclesia, & ad summùm esse Apostolicam, quæ Apostolica traditio non semper est de re à Christo instituta, neque aliud dicit D. August. cit. Ratione verò probatur, quia sicut iurisdictio fori exterioris pendet quidem à Christo, sed tamen mediante Ecclesia eligente hunc in Episcopum, Parochum &c., ita iurisdictio fori interioris, licèt à Christo pendeat, tamen per Ecclesiam confertur; ita vt nullus eam, aut illius vsum habeat, nisi per auctoritatem Ecclesiæ. Neque verò dicere possumus illam habere in ipsa Ordinatione, quia in Ordinatione confertur tantùm potestas Ordinis, non verò iurisdictionis. Et hoc clariùs probari potest in sententia asserente, quòd præsente Parocho, vel alio, qui habeat iurisdictionem, non possit simplex Sacerdos absoluere. Nam si iurisdictio hæc esset à iure Diuino omnes Sacerdotes essent pares in illo articulo, neque posset vnus priuari tali iurisdictione, etiamsi adesset copia alterius; neque tunc necessarium esset approbatum præferre non approbato, cùm ad iurisdictionem iuris Diuini non sit necessaria hominum approbatio, & ab hominibus instituta.

140 Ex quibus concluditur primò, iurisdictionem hanc posse de potentia absoluta à Summo Pontifice suspendi, vel reuocari, eam tamen nunquam reuocatum iri, quia esset intolerabilis error, quem nunquam Spiritus sanctus in sua Ecclesia permittet.

141 Secundò iurisdictionem hanc esse delegatam, quòd inde patet, quia cùm non sit ordinaria ex munere alicuius beneficij, aut ex munere Sacerdotis; porrò sequitur eam debere esse delegatam; cùm quælibet iurisdictio in hoc foro, vel sit delegata, vel ordinaria: hanc autem delegationem cępisse ab ipso Petro, probabiliter existimat Suarez citatus.

DIFFICVLTAS XXXVIII.

An præsente Parocho, vel alio Sacerdote approbato possit simplex Sacerdos in articulo mortis absoluere.

142 *Doctores plures negant.*
143 *Refertur sententia affirmatiua.*
144 *Respondetur fundamentis allatis pro sententia negante, quæ tamen pro praxi consulitur.*

142 Respondent aliqui non posse. Et probant 1. ex cap. Presbyter 26. quæst. vbi dicitur, [Presbyter non reconciliet Pœnitentem nisi absente Episcopo; nisi necessitas cogat.] Et ex cap. Eos qui, de sententia excommu. in 6. quo loco deciditur absolutum ratione imminentis necessitatis articuli mortis à censura reseruata, teneri

teneri cessante impedimento se præsentare Superiori, cui esset reseruata. Si ergo cùm potest, tenetur Superiori se præsentare, & ante absolutionem adest Superior, non poterit ab inferiore absolui. Et ex extrauagante 1. §. Decernimus, vbi inferiori negatur absolutio à censura reseruata, si facilis sit recursus ad Superiorem. Tum verò probatur ratione, quia hæc potestas absoluendi à censuris, & omnibus peccatis in articulo mortis, fuit tantùm concessa ratione necessitatis; vt patet ex cap. Presbyter cit., & ex Concilio Tridentino ijs verbis, [ne hac occasione aliquis pereat.] Atqui hæc necessitas cessat, si adsit Superior, vel proprius Sacerdos. Ergo etiam cessabit iurisdictio. Ita Sylu. v. absolutio 1 nu. 10. circa finem, Suar disp. 26. de pœn. sect.4. num.4., Sanch. in sum. lib.2. c.13. num.7., Coninc. de Sacram. disp.8. nu. 90. Laym. tract. 6. cap. 12. num. 14., Fagund. præcepto 2. lib.7. cap.1. num. 19., Chapeauilla de cas. reser. par. 1. cap.7. diffic.5. Cardinalis de Lugo disp. 18. de pœnit. sect. 2. nu.24. Ac demum ita declarasse Gregorium decimum tertium habet Henriq. lib. 6. cap. 11. num.4. Atque ob hanc fortè causam Luisius Turrianus in select. disput. centur. 2. censur. Theolog. dub. 77. contrariam opinionem improbabilem, & damnatam vocat.

143 Verùm his non obstantibus alij contrariam sententiam sustinent, asserentes simplicem Sacerdotem posse in articulo mortis etiam præsente Parocho, vel alio Sacerdote approbato absoluere a censuris, casibus reseruatis, ac demum quibuscunq; peccatis. Fundamentum autem huius sententiæ est, quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap.7. citato absolutè, & sine vlla limitatione dicit, omnes Sacerdotes posse in mortis articulo absoluere ab omnibus peccatis, & censuris. Quo eodem modo loquuntur iura antiqua, vt cap. quod de his, de sententia excommu., & caput Pastoralis, de off. Ordinarij. Quibus attentis Concilium Triden. dixit in Ecclesia Dei semper fuisse custoditum, vt in articulo mortis nulla esset reseruatio. Tum quia hoc videbatur expedire ad tollendos omnes scrupulos, qui in multis casibus potuissent oriri, quoties ordo ille, quem prima opinio præscribit, fuisset seruandus. Ita Nau. lib.5. consiliorum tit de pœnit., & remiss. in 1. editione, consilio 15. num.2. & 3., & in 2. consilio 23. num. 2. & 3., Emman. Sà in sum. v. absolutio num.4, & in addit. ad Bullam Cruciatæ §.9. num. 44., Man. 1. tomo sum. cap. 59. concl. 3. num. 5. in fine, Corradus in suis resp. tomo 1. quæst. 12. vers. respondetur in articulo mortis, Vega 1. tomo sum cap.6. casu 16. statim in principio; Et clarè videtur tenere Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 11. num.4. in comment. litt. V. in fine, & in 6. & 8. & cap. 12. num. 1. ad finem. Antoninus Diana par.4. tract.4. Miscellan. resol. 161. & par. 1. tract.5. de absolutione ab hæresi, resol. 5.

144 Ad fundamenta verò contrariæ sententiæ respondent dicendo, Caput illud Presbyter citatum, loqui de absolutione in foro exteriori, ab excommunicatione publica, & reseruata, quando videlicet excommunicatus est speciatim denuntiatus; in ijs enim casibus, qui ad forum contentiosum sunt deducti, recurrendum est ad Superiorem, si commodè possit: & meritò, ne videlicet iuris ordo perturbetur. Alia verò loca, respondent, vel esse intelligenda in casu, quo non constet de articulo mortis; vel certè

ea declarare tantùm obligationem eam, quam habet Pœnitens se præsentandi Superiori; vbi periculum euaserit; verùm hinc non inferri, quòd eo præsente teneatur illi confiteri.

Ad rationem respondent, iurisdictionem hanc fuisse simplici Sacerdoti à Tridentino collatam, attenta necessitate; non Confessarij, quasi verò ea dicatur concessa tantùm, quando non adest commoditas Confessarij approbati; sed attenta necessitate Pœnitentis, qui cùm extremè laboret, dicitur etiam in extrema necessitate constitutus.

Ad declarationem Gregorij decimi tertij, respondent de ea non constare. Et hæc sententia est probabilis, ob auctoritatem tot Doctorum, atquè aliorum clarissimorum Virorum, qui his temporibus illam in publicis scholis tuentur; contraria tamen, vt communior est, ita etiam probabilior videtur, & in praxi sustinenda.

Restat hoc loco dubium, an præsente Confessario habente facultatem absoluendi à peccatis mortalibus, sed non à reseruatis, posset pœnitens, qui haberet aliqua reseruata, & aliqua non reseruata confiteri in eo articulo cuilibet Sacerdoti simplici; an verò teneretur confiteri Confessario habenti facultatem absoluendi à mortalibus. Ratio autem difficultatis est, quia respectu reseruatorum essent pares simplex Sacerdos, & Confessarius potens tantùm absoluere à mortalibus non reseruatis.

Respondeo debere confiteri apud Confessarium habentem facultatem absoluendi à mortalibus. Et ratio est, quia in ordine ad illa non dicitur carere copia Confessarij; ergo habet Sacerdotem proprium; ergo quoad illa tenetur implere præceptum Christi confitendi Sacerdoti proprio. Rursus quia non potest dimidiare confessionem, tenebitur confiteri illi etiam peccata reseruata, cum in illo articulo habeat iurisdictionem absoluendi etiam ab illis.

Dices hoc modo sequeretur, quod si quis esset constitutus in articulo mortis, & haberet Sacerdotem approbatum pro excipiendis confessionibus, sed excommunicatum vitandum, & Sacerdotem simplicem non excommunicatum, & haberet peccata venialia, & mortalia, teneretur præferre Sacerdotem simplicem Sacerdoti approbato pro mortalibus. Et ratio est, quia Sacerdos simplex habet saltem iurisdictionem in ordine ad venialia; excommunicatus autem vitandus priuatus est omni iurisdictione ab Ecclesia: ac sicuti in præsentia Confessarij approbati pro mortalibus Ecclesia non confert iurisdictionem simplici Sacerdoti, in ordine ad absoluendum pœnitentem affectum reseruatis, & non reseruatis, quia ille saltem habet iurisdictionem supra non reseruata; ita in præsentia simplicis Sacerdotis Ecclesia nõ conferet iurisdictionem excommunicato vitando, quia ille saltem habet iurisdictionem supra venialia.

Respondeo negando sequelam. Ratio autem discriminis in eo est, quia in primo casu præsente Confessario approbato pro mortalibus non dicitur pœnitens carere Confessario; vnde est vt nulla adsit necessitas conferendi iurisdictionem simplici Sacerdoti. In secundo verò casu pœnitens dicitur carere copia Confessarij, sed cum alterum e duobus sit faciendum ab Ecclesia; vel conferre simplici Sacerdoti facultatem absoluendi à mortalibus; vel suspendere effectum excommunicationis, & Sacerdoti approbato

pro mortalibus, sed excommunicato, suam restituere iurisdictionem; secundum hoc est potius asserendum, quàm primum; cum iste iam aliàs fuerit approbatus pro confessionibus excipiendis. Adde quod in primo casu Confessarius approbatus pro mortalibus si non habet iurisdictionem supra omnia peccata pęnitentis, ex eo quod habeat aliqua reseruata, habet tamen iurisdictionem super partem eorum peccatorum, quæ tenetur confiteri, idest supra non reseruata; vnde est vt simplici Sacerdoti sit præferendus. In secundo verò casu simplex Sacerdos non est præferendus excommunicato vitando, quia licet habeat iurisdictionem supra venialia, nullam tamen habet iurisdictionem supra ea peccata, ad quorum confessionem pęnitens teneatur, cum non teneatur venialia confiteri; vnde est, vt ratione huius iurisdictionis supra venialia non sit præferendus Confessario excommunicato vitando, sed iste potius præferendus omnino sit, eo quod pro tali articulo Ecclesia suam illi restituat iurisdictionem ad succurrendum pęnitenti extremè indigenti; cum potius asserendum sit ab Ecclesia restitui iurisdictionem Sacerdoti aliàs approbato, quàm nouam conferri Sacerdoti nunquam approbato pro mortalibus.

DIFFICVLTAS XXXIX.

Quinam ordo sit seruandus retentà eà sententià, quæ asserit, præsente Approbato simplicem Sacerdotem nihil posse in articulo mortis.

145 *Superior est adeundus quoties commodè possit adiri.*

146 *Si Casus sit Papæ reseruatus, nec possit adiri: vtrum pro illius absolutione adeundus sit Episcopus. Aliqui affirmant.*

147 *Sententia negatiua præfertur.*

148 *Quid si casus Papæ reseruatus sit occultus.*

149 *Vtrùm ad Papam sit recurrendum per Procuratorem, aut per litteras. Aliqui affirmant.*

150 *Sententia negatiua verior.*

151 *Parochus an sit præferendus Sacerdoti exposito. Aliqui affirmant.*

152 *Sententia Authoris.*

153 *Simplici Sacerdoti an sit præferendus is, qui in aliena Diœcesi est Parochus, vel approbatus. Aliqui affirmant.*

154 *Sententia Authoris.*

155 *Simplex Sacerdos excommunicato vitando, aut suspenso est præferendus.*

156 *Sacerdos Catholicus etiam degradatus præferendus est hæretico, vel Schismatico. Inter Catholicos, irregularis excommunicato vitando: Suspensus, vel interdictus irregulari: demum omnes Catholici etiam excommunicati vitandi, præferendi sunt Degradato.*

RETentà sententià asserente concessionem cuilibet Sacerdoti pro articulo mortis factam, intelligendam esse, quando deest copia Sacerdotis potentis absoluere; hic ordo erit seruandus.

145 Primò enim, si commodè possit adiri Superior, ad quem de iure Ordinario pertinet absolutio à censuris, ad illum est recurrendum. Ita Doctores in superiore difficultate relati pro prima sententia.

Intellige tamen, quoties Superior sit paratus audire confessionem exis-

tentis

tentis in periculo mortis; quoties enim non sit paratus audire, inferior potest absoluere, quia perinde est Superiorem non adesse, ac adesse, sed nolle, vel non posse audire confessionem existentis in eo articulo, & in vtroque casu militat eadem necessitas. Vt bene Sanch. in sum. lib. 2. cap. 13. num. 8. aduertens cum Zambrano de casibus art. mortis cap. 4. dub. 4. nu. 13. & Henriquez lib. 6. de pœn. simplicem Sacerdotem non debere esse nimis scrupulosum in hac re, sed in dubio, an opportunè adueniet Superior, debere absoluere, ne infirmum periculo exponat.

146 Secundò, si casus sit Papæ reseruatus, & ad illum fieri non possit recursus ratione imminentis periculi, existimant aliqui recurrendum esse ad Episcopum, dato quòd ille possit commodè adiri; ea ratione nixi, quia licèt de iure Ordinario nõ concedatur Episcopo absolutio à casibus Papę reseruatis, tamen in extrema necessitate, qualis est articuli mortis, in qua non adsit copia Pontificis, putant eam concedi. Ita Cord. in sum. quæst. 18. punct. 2. dicto 1. Zambranus de cas. art. mortis cap. 4. dub. 4. num. 14. quo loco addit, si incidens in casum Papæ reseruatum sit Regularis, nec per suæ religionis priuilegia possit ab illo absolui, & sit in mortis periculo, neque adsit copia Pontificis, benè tamen Generalis suæ religionis, vel Prouincialis, hos posse absoluere, & non Prælatum inferiorem.

147 Ego verò respondeo; etiamsi commodè possit Episcopus adiri, non tamen necessarium esse illum adire, sed ęqualiter posse Pœnitentem in articulo, vel periculo mortis constitutum a casibus Papæ reseruatis per Parochũ, vel alium Sacerdotem approbatum ad confessiones audiendas absolui. Et ratio est, quia ob reseruationem factã Papæ nullum ius acquirit Episcopus, & in mortis articulo cessat omnis reseruatio, quando ad reseruantem non patet accessus, vt proinde in casibus Papæ reseruatis dicendum sit æquales esse Episcopum, Parochum, & alium Confessarium expositum ad confessiones audiendas. Ita Suar. 4. tomo in 3. par. disp. 30. sect. 3. num. 4. Sanch. loco superiùs cit. nu. 9. Laym. tract. 5. par. 2. cap. 6. num. 5.

148 Limita tamen 1., dummodò casus Pontifici reseruatus non sit occultus; si enim occultus sit, tunc recurrendum est ad Episcopum, quoties commodè possit adiri. Et ratio est, quia à casibus occultis Papæ reseruatis potest Episcopus de iure ordinario absoluere, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformatione. Ita Cardinalis de Lugo disp. 18. sect. 2. nu. 33. ex Sanch. cit. nu. 9.

Secundò hæc quæ diximus non procedere in casu grauis percussionis Clerici; huius enim absolutio, speciali iure pertinet ad Episcopum, dato quòd Pontifex non possit adiri, vt patet ex cap. Ea noscitur, vt cap. De cętero, de sententia excommunicationis.

149 Tertiò si constitutus in articulo, vel periculo mortis possit ad Papam recurrere, saltem per Procuratorem, vel per litteras, existimant aliqui teneri recurrere pro absolutione a casibus illi reseruatis. Ita Zamb. dub. 4. cit. num. 15. & dubio 6. num. 4. eo nixus fundamento, quòd in tali casu non dicatur deesse copia Superioris.

150 Ego verò respondeo non teneri. Et ratio est, quia Pœnitens non tenetur se præsentare Superiori per tertiam personam, sed tantùm per se ipsum, & quando per se ipsum non

H potest,

potest, censetur legitimè impeditus, vt habetur ex cap. Quamuis de sent. excom. ijs verbis; [Siue quolibet impedimento canonico retrahatur, quominùs Romanum Pontificem possit adire,] Tum quia onus hoc adeundi Superiorem pro absolutione impetranda non est grauamen Confessarij, sed Pœnitentis in pœnam sui delicti: dum ergo Pœnitens non possit ipse Superiorem adire, vel eum accersere, censebitur impeditus. Et multò minùs teneretur per litteras facultatem petere, quia exponeret se periculo detegendi suum crimen, si fortè litteræ amittantur, vel ab alio aperiantur. Ob id enim in tractatu de Pœnitentia diximus Pœnitentem non teneri scribere peccata, etiamsi timeat ne memoria excidant; nec teneri ad confitendum in scriptis, quando voce non potest confiteri; nec teneri confiteri per interpretem, saltem quando moraliter certus est de sua contritione. Ita Suar., Sanch. Cardinalis de Lugo citati, cum quibus addo Pœnitentem in tali periculo constitutum non teneri accipere Iubileum, ex eo quòd non teneatur quærere priuilegium propriũ, sed possit vti ordinario iuris beneficio.

151 Quartò, existimant aliqui Parochum esse præferendum Sacerdoti exposito ad audiendas confessiones, ea ratione nixi, quòd si adsit Parochus, ad quem ratione sui officij pertinet absolutio, cùm habeat erga suos subditos iurisdictionem ordinariam, non censetur casus extremæ necessitatis, quoad alios Sacerdotes; ita Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 1. num. 19.

152 Ego verò existimo non esse præferendum. Et ratio est, quia æquales sunt Parochus, & Sacerdos expositus ad audiendas confessiones. Ita Suar. superiùs cit. n. 5. Sanch. l. citato.

153 Quintò, existimant aliqui, si cum simplici Sacerdote adsit alius Sacerdos, qui in aliena Diœcesi sit Parochus, vel sit approbatus, non posse in tali casu simplicem Sacerdotem absoluere constitutum in articulo, vel periculo mortis. Quorum ratio est, quia licèt ille respectu huius Diœcesis sit tanquam simplex Sacerdos, tamen quia alicubi est approbatus, dicendus est habere potius ius, quam habeat is, qui est Sacerdos omnino simplex, & nullibi approbatus. Ita Suar. disp. 26. de pœn. sect. 4. num. 4. Sanch. cit. num. 19., Zamb. dub. 4. citato num. 16.

154 Ego verò putauerim approbatum tantùm in aliena Diœcesi, & simplicem Sacerdotem esse pares, proindeque posse vtrumquè absoluere. Et ratio est, quia respectu huius Pœnitentis vterquè habet facultatem tantùm in articulo mortis, & respectu illius idem est esse approbatum in aliena Diœcesi, ac nullibi esse approbatum. Ita Bossius in suis discept. moralibus, discept. 2. dub. 8. num. 68. De Lugo cit. num. 37.

155 Sextò, si adsit Sacerdos excommunicatus vitandus, seu suspensus, ille non potest absoluere præsente simplici Sacerdote. Et ratio est, quia illi prohibitum est munus absoluendi, nisi fortè adsit casus extremæ necessitatis, qualis non est si adsit simplex Sacerdos ijs impedimentis non affectus. Tum quia Sacerdos qui sit excommunicatus vitandus priuatus est ea iurisdictione, quam audiendi confessiones priùs habebat; & sic iam est tanquam Sacerdos simplex: & cùm ex alia parte sit affectus impedimento censuræ non toleratæ; inde est, vt illi sit præferendus simplex Sacerdos. Ita Suar. Sanch. ll. citatis.

156 Septimò, si adsit Sacerdos

Catholicus quocunq; impedimento sit affectus, etiam degradatus, semper est præferendus hæretico, vel schismatico. Et inter catholicos, irregularis præferendus est excommunicato vitando. Et ratio est, quia in tali casu Pœnitens non potest participare cum tali excommunicato. Suspensus verò, vel interdictus præferendus est irregulari. Et ratio est, quia irregularitas est maius impedimentum quam sit suspensio, vel interdictum. Demùm verò Sacerdotes omnes catholici, & excommunicati vitandi præferendi sunt degradato, ex eo quòd iste maximo impedimento laboret. Ita Zamb dub. 4. citato num. 22. Sanch. citatus.

DIFFICVLTAS XXXX.

Titius constitutus in articulo mortis habet casus reseruatos, quos potest confiteri Sacerdoti habenti priuilegium absoluendi à reseruatis. Quæritur an teneatur illos tali Sacerdoti confiteri, an verò eosdem possit confiteri cuicunquè exposito.

157 *Refertur sententia docens quemcunque Sacerdotem expositum posse in mortis articulo à reseruatis absoluere, etiam præsente approbato pro reseruatis.*

158 *Authoris sententia.*

159 *Si ad Papam non pateat aditus potest Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus Matrimonium. Quid si possit adiri Nuncius Apostolicus. ibidem.*

157 Respondent aliqui dicendo in tali casu Titium posse sua peccata reseruata cuicunquè exposito confiteri, etiamsi non habeat facultatem pro reseruatis. Ea autem ratione nituntur, quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. dicit, in articulo mortis nullam esse reseruationem; ergo si nulla est reseruatio, non tenebitur confiteri habenti facultatem pro reseruatis, sed poterit cuicunq; approbato confiteri. Tum quia si posset accipere Iubileum, non teneretur illud accipere, vt patet ex dictis in superiore difficultate. Ergo nec tenebitur confiteri habenti facultatem absoluendi à reseruatis, cùm hoc sit veluti quoddam priuilegium, quòd nullus tenetur sequi. Ita Henriq. lib. 6. de pœn. cap. 10. num. 1. in comment. littera D, Suar. disp. 30. de pœn. sect. 3. num. 5.

158 His tamen non obstantibus, respondeo in tali casu Titium teneri confiteri Sacerdoti habenti facultatem pro reseruatis; proindequè illum esse cœteris præferendum. Et ratio est, quia quando Tridentinum dixit, in articulo mortis nullam esse reseruationem, hoc non dixit absolutè, sed ratione necessitatis, in qua ægrotus non dicitur constitutus, quoties adsit Sacerdos, qui ex priuilegio possit ab iisdem absoluere.

Sic diximus superiùs cum probabiliore sententia, facultatem ab eodem Tridentino cuilibet Sacerdoti concessam, non fuisse absolutè concessam, sed tantùm ratione necessitatis: ita vt dixerimus, simplicem Sacerdotem non posse absoluere præsente approbato. Ergo à pari, quando Tridentinum dicit in articulo mortis nullam esse reseruationem, illud non est intelligendum absolutè, sed ratione necessitatis, qualis non adest præsente eo, cui ex priuilegio competat facultas à reseruatis absoluendi.

159 Sic licet Episcopus possit in probabiliore sententia, concurrentibus quibusdam circumstantijs dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, quando videlicet matrimonium esset publicum, impedimētum verò occultum, & ex separatione immineret scandalum, nec ad Pontificem pateret aditus ob inopiam, vel aliam iustam causam impedientem; tamen quando facilè recurri posset ad Nuntium Apostolicum, qui à Papa haberet facultatem dispensandi in impedimento dirimenti occulto post cōtractum matrimonium, probabilius est Episcopum nihil posse, vt videre est apud Manuelem in Bulla Cruciatæ §. 13. num. 6. in fine, Ludouicum Lopez 2. par. instruct. cap. vltimo ad finem, Vegam lib. 6. sum. casu 143. in fine, Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 40. nu. 8. Ergo à pari idem dicendum in nostro casu. Et ita sententiam hanc sustinent Nau. in sum. cap. 27. num. 90. Cord in sum. quæst. 18. puncto 2. dicto 1. Sanch. lib. 2. in sum. cap. 13. num. 11. Cardinalis de Lugo disp. 18. de pœn. sect. 2. n. 34. Conincus disp. 8. dub. 12. num. 90. quo loco bene addit; licèt Confessarij priuilegium non obliget Pœnitentem, vt eo vtatur, tamen absolutè efficit, vt tollatur necessitas illi confitendi, qui non absolutè habet potestatem absoluendi à reseruatis, sed ratione præsentis necessitatis, & consequenter, hac sublata, non videtur vllam iurisdictionem habere. Ex quibus remanet solutum fundamentum aduersariorum.

DIFFICVLTAS XXXXI.

Titius, qui est simplex Sacerdos, absente Sacerdote approbato cępit audire confessionem constituti in proximo mortis periculo. Quæritur vtrùm si ante absolutionem superueniat legitimus Confessarius, vel Superior, possit inchoatam confessionem perficere.

160 *Sententia est affirmatiua.*

161 *Vtrùm post acceptam absolutionem à simplici Sacerdote teneatur legitimo Confessario superuenienti de nouo confiteri. Affirmant aliqui.*

162 *Sententia verior negat.*

163 *Post acceptam à simplici Sacerdote absolutionem, si alicuius peccati recordaretur, cui nam teneretur illud confiteri.*

164 *Inchoata iam confessione cum simplici Sacerdote, si superueniat Superior, & Pœnitens sit obstrictus censura reseruata, vtrùm antequàm à simplici Sacerdote absoluatur, per Superiorem absoluendus sit à censura. Aliqui affirmant.*

165 *Sententia negans est probabilis.*

160 Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia quando cœpit audire confessionem, veram iurisdictionem habebat, cùm nullus alius adesset, quæ iurisdictio non cessat per aduentum Confessarij approbati, cùm res non sit integra, sed iam sit cœpta confessio. Sic enim iure cautum est, vt iurisdictio delegata, quæ morte delegantis omnino cessat, si res non sit integra non cesset, vt patet ex cap. Gratum, & cap. Relatum de off. Prælati, qui textus, licèt loquantur de iurisdictione in foro externo, quia tamen militat eadem ratio, inde est vt extendantur ad iurisdictionem fori interni. Tum quia esset grauissimum onus constituti in eo articulo, quoties cogeretur confessionem legitimè cęptam

eam repetere. Ita Henriq. lib. 6. cap. 11. num. 8. Zamb. de caſ. art. mortis cap. 4. dub. 5. num. 4. Sanch. lib. 2. in ſum. cap. 13. num. 15. Floronus de caſ. reſer. par. 1. cap. 4. §. 19. num. 19. Cardinalis de Lugo diſp. 18. de pœn. ſect. 2. nu. 33. Idemque colligi poteſt ex ſententia Petri de Ledeſma in ſum. Sacram. vbi de pœn. cap. 22. poſt quintam concluſionem, inter dubia, quæ mouet circa licentias audiendi confeſſiones ab Epiſcopo conceſſas dub. 2. folio 539. ait valde probabile eſſe, quod is, qui habet licentiam audiendi confeſſiones ad tempus, poſsit eo tranſacto proſequi confeſsionem ante cęptam; ſi enim hoc aſſeritur in caſu, quo conſtat facultatem audiendi confeſſiones ſpirare tranſacto tali tempore, multò magis aſſeri poteſt in noſtro caſu, in quo nullo iure cauetur facultatem ſimplicis Sacerdotis in articulo mortis eſſe, donec veniat Confeſſarius legitimus, ſed ea abſolutè conceditur quando deeſt copia Confeſſarij.

161 Addit tamen Zambranus citatus dicendo, in tali caſu teneri Pęnitentem poſt impenſam abſolutionem à ſimplici Sacerdote confiteri aliquod peccatum veniale legitimo Confeſſario, qui ſuperuenit, eliciendo nouum dolorem, vt ab eo denuo abſoluatur. Cuius ratio eſt, quia in euentu articuli mortis quis tenetur tutam partem eligere.

162 Verùm limitatio hæc mihi non placet. Primò quia ſemper cum mortalibus aliqua venialia confitemur, vt proinde ſuperfluum ſit cogere Pœnitentem ad nouam confeſſionem alicuius venialis. Tum quia ſimplex Sacerdos in tali caſu non habet dubiam, ſed certam iuriſdictionem; iura enim omnia, quæ ſimplici Sacerdoti concedunt iuriſdictionem in articulo mortis, quando non adeſt copia legitimi Confeſsarij, illam non concedunt ad tempus, donec veniat legitimus Confeſsarius, ſed abſolutè; & ſi pro tempore limitato eam conceſsiſsent, conceſsio hæc non eſset conſentanea rationi, neque Eccleſiæ pietati, quia obligarent in tantis anguſtijs conſtitutum ad bis confitendum, & ad confitendum homini, cuius iuriſdictio eſset dubia, & à futuro euentu pendens.

163 Verum tamen hoc eſt, quòd ſi poſt abſolutionem à ſimplici Sacerdote collatam, Pœnitens recordaretur alicuius peccati obliti, vel certè haberet alia peccata, quæ non potuiſset in priore Confeſsione aperire ob metum mortis imminentis, teneretur illa legitimo Confeſsario ſuperuenienti aperire. Et ratio eſt, quia eſset noua confeſſio, & à priore independens. Ita Suar. 4. tom. in 3. par. diſp. 23. ſect. 1. n. 2. in fine, Zamb. dub. 5. cit. nu. 2. Sanch. l. cit.

164 Maior difficultas eſt in caſu, quo Sacerdos ſiue ſimplex, ſiue expoſitus ſit, cœpiſset audire confeſsionem conſtituti in articulo mortis, & Pœnitens haberet caſum reſeruatum, cui eſſet annexa cenſura reſeruata, putà excommunicatio; vtrùm ſi ante abſolutionem ſuperueniret Superior, cui cenſura eſt reſeruata, poſset ille prior Sacerdos abſoluere à cenſura.

Reſpondent negatiuè Sanchez. de Lugo locis cit. aſserentes in tali caſu priùs petendam eſſe à Superiore abſolutionem cenſuræ, antequàm abſolutio à peccatis impendatur ab eo, qui cępit audire cõfeſsionem. Quorum ratio eſt, quia ſimplex Sacerdos, vel alius expoſitus, qui non habeat facultatem abſoluendi à cenſuris reſeruatis, tenetur præcipere Pœnitenti conſtituto in articulo, vel proximo mortis periculo, vt quamprimùm commodè poteſt ſe

præſentet legitimo Superiori: quinimò ſi abſoluat ab excõmunicatione Papæ reſeruata, priùs exigere debet ab ipſo Pęnitente iuramentum, quòd ſi conualeſcet, præſentabit ſe illi, à quo extra tale periculum poterat abſolui; vt expreſsè habetur cap. Ea noſcitur 13. de ſent. excommu., vt proinde abſolutio talis excommunicationis nulla alia ratione videatur concedi, niſi quia tẽpore quo præſtanda eſt, abeſt Superior; ergo ſi ante abſolutionem ſuperueniat Superior, & commodè poſſit Pœnitens ſe illi præſentare, tenebitur vtiquè; eo vel maximè, quòd hoc non videtur oneroſum Pęnitenti, quia non cogitur repetere peccata, ſed tantùm petere abſolutionem à cenſura, qua obtenta poterit poſtmodum abſolui à peccatis per eum Sacerdotem, cui iam inchoauit confeſſionem. Quòd ſi Superior nollet abſoluere à cenſura, niſi integra peccatorum confeſſione audita, in tali caſu putat Sanchez priorem Sacerdotem poſſe abſoluere.

165 His tamen non obſtantibus reſpondeo probabile eſſe, quòd in tali caſu prior Sacerdos, ſiue ſimplex ſiue expoſitus ſit, poſſit abſoluere ab excommunicatione, impoſito tamen onere, vt ſe præſentet Superiori. Et ratio eſt, quia ſi Sacerdos ille habet facultatem abſoluendi à peccatis, neque ea facultas tollitur per ſuperuentum Superioris; dicere etiam debemus habere facultatem abſoluendi à cenſura, cùm relaxatio cenſuræ requiratur ante abſolutionem à peccatis. Vnde ad hoc facit ea regula generalis, quòd quando alicui conceditur aliqua poteſtas, intelliguntur concedi omnia neceſſaria ad finem talis poteſtatis. Ita Boſſius in ſuis diſcept. moralibus, diſcept. 2. dub. 8. num. 80.

DIFFICVLTAS XXXXII.

Titius conſtitutus in articulo mortis confeſſus eſt ſimplici Sacerdoti peccata reſeruata, à quibus tamen inualidè fuit abſolutus ob mendacium commiſſum in confeſſione. Quæritur vtrùm ſi ſuperueniat legitimus Confeſſarius, poſſit adhuc ſimplici Sacerdoti illa confiteri.

166 Reſponſio eſt affirmatiua.

166 Reſpondeo affirmatiuè. Et ratio eſt, quia ſimplex ille Sacerdos verè habuit iuriſdictionem ad priorem illam confeſſionem, & dum abſolutio validè non eſt præſtita, non cenſetur finita confeſſio; idem enim eſt actum non fieri, & non fieri validè. Et ad hoc facit regula, quam adducit Tiraquel, lege Boues, §. hoc ſermone, limitatione 21. num. 4. quòd videlicet poteſtas delegata non extinguitur primo actu, quando Delegatus inutiliter abſquè ſua culpa per errorem pronuntiauit.

Sic licentia à Parocho obtenta aſſiſtendi alicui matrimonio non finitur eo matrimonio irrito exiſtente. Ita Sanch. lib. 2. in ſum. cap. 13. num. 16. De Lugo ſuperiùs cit. Boſſius in ſuis diſcept. moralibus diſceptatione 2. dub. 8. num. 77. Ludouicus de la Cruz in Bulla Cruc. diſp. 1. c. 3. dub. 15. nu. 13. & Trullenck in eadem Bulla lib. 1 §. 7. cap. 2. dub 5. num. 5.

DIFFICVLTAS XXXXIII.

Titius in articulo mortis fuit absolutus à censura cum onere se præsentandi Superiori. Quæritur vtrùm mortaliter peccet se ipsum non præsentando.

167 *Responsio est affirmatiua.*
Non se præsentando reincidit in eandem censuram.
168 *Vtrum sit eadem, non specie tantùm, sed etiam numero.*
169 *Non se præsentando, vtrum sit adhuc vitandus, si prius erat vitandus. Refertur sententia affirmans.*
170 *Sententia Authoris negat.*

167 RESpondeo affirmatiuè; quinimò incidere in eandem censuram si se ipsum non præsentet, vt patet cap. Eos, de sententia excommunicationis in 6 & cap. Ea noscitur, de sent. excommunicationis. Et contrahitur ex iuris dispositione non solùm propter primam causam, sed etiam ob inobedientiam admissam à Pœnitente, qui non se præsentauit quàm primùm commodè potuit. Ita Suar. de cens. disp. 22. sect. 1. num. 62., Sanch. lib. 2. in sum. cap. 13. num. 28., Sayrus lib. 3. cap. 28. Et alij communiter. Vnde est vt absolutio hęc dicatur absolutio ad reincidentiam, qua videlicet posita reinciditur in eandem censuram, quoties non præstentur ea, quæ fuerunt præscripta à Confessario. Eaq; est Papæ reseruata, si prior, à qua tempore articuli mortis fuit absolutus, erat Papæ reseruata. Si verò ea erat soli Episcopo reseruata: hæc item, in quam reincidit est soli Episcopo reseruata. Ita Bonac. disp. 2. de cens. extra Bullam Cœnæ q. 3. pun. 23. num. 4.

168 Dices, peccatum ob quod contrahitur hæc noua censura non est eiusdem speciei cum peccato prioris censuræ, sed omnino diuersæ; in primam enim inciderat pœnitens ob percussionem Clerici, v.g. in hanc verò ob contumaciam, quia noluit comparere; ergo si peccatum ipsum, quod est obiectum censuræ differt specie, etiam censura ipsa differet specie; ergo non est eiusdem speciei cum prima, vt habet Bonac. cit.

Respondeo argumentum hoc verè conuincere, quod neq; sit eiusdem speciei, species enim censuræ desumi debet ex obiecto, seu ex crimine ob quod fertur: alioqui omnes excommunicationes siue reseruatæ, siue non reseruatæ essent eiusdem speciei, & in ordine ad absolutionem satis esset dicere, contraxi excõmunicationem reseruatam: vel, contraxi excommunicationem non reseruatam; si ergo exprimendum peccatum est, ob quod est lata excommunicatio, puta contraxi excommunicationem ob Clerici percussionem: vel contraxi excommunicationem ob delationem armorum: necessariò dicere debemus, si peccata ipsa differunt specie, etiam censuras ipsas specie differre; Atqui peccatum, ob quod contraheretur noua censura verè esset diuersum specie; non enim esset sola percussio Clerici præterita, a qua fuit absolutus in articulo mortis, sed inobedientia præsens, qua noluit comparere; ergo censura ipsa, in quam Titius reincideret non se præsentando esset specie diuersa à priore.

Quare quoties diximus dictum Titium reincidere in eandem censuram, intelligere debemus, non physicè; sic enim est omninò diuersa, nec numero tantùm verum etiam specie; sed moraliter,

raliter, seu per iuris fictionem: vult enim legislator, vt quoties ille non comparcat, cum eo agatur, ac si nunquam fuisset ab illa censura absolutus, & ac si esset excommunicatus ob solum delictum præteritum, puta ob percussionem Clerici. Vnde si pœnitens haberet copiam Confessarij, qui a nulla alia censura posset absoluere, quàm à percussione Clerici, absquè vllo dubio posset ab hoc Confessario absolui; ergo hæc censura, in quam reincideret, moraliter loquendo non esset propter inobedientiam, sed propter ipsam Clerici percussionem. Phisice igitur noua illa excõmunicatio in quam reincideret esset diuersa à priore, & propter aliud motiuum; sed moraliter esset eadem etiam numero, quia per fictionem iuris censeretur eadem vel redijsse, vel perseuerasse: & sic retineret eandem reseruationem, & eandem omnino auferibilitatem. Ita Cardinalis de Lugo disp. 20. de Sacram. pœnit. sect. 10. num. 213. Quare pro ablatione censuræ satisfaceret, si in confessione diceret se Clericum percussisse, v. g. sed tamen vlterius teneretur confiteri peccatum commissum ob inobedientiam præstitam non se præsentando.

169 Maior difficultas est, vtrùm Titius, qui modo reincidit in eandem censuram, quia non se præsentauit Superiori, sit adhuc vitandus, ex eo quòd ante absolutionem esset vitandus. Respondet affirmatiuè Bonacina disp. 1. de cens. quæst. 3. puncto 3. num. 18.

170 Ego verò respondeo negatiuè. Et ratio est, quia dato quòd constiterit illum fuisse in articulo mortis absolutum à censura, porrò potuit cum alijs participare, & alij potuerunt participare cum ipso; licèt ergo ob inobedientiam, & contumaciam, quam habet non se præsentando Superiori, incidat in excommunicationem, non tamen ob id sit vitandus, quia ad hoc vt fiat vitandus, debet denuò denuntiari excõmunicatus; vel certè si prius erat vitandus ob notoriam percussionem Clerici, debet etiam notoriè constare, quod omiserit debitum comparendi, & satisfaciendi; nam post Concilium Constantiense ad hoc vt excommunicatus sit vitandus debet, vel esse nominatim denunciatus; vel esse notorius percussor Clerici, qui nulla possit tergiuersatione celari. Vbi igitur constiterit dictum Titium in articulo mortis fuisse absolutum, in eandem censuram reincidet quidem si non comparuerit, sed quamdiu hæc noua culpa erit occulta, tamdiu etiam alij fideles poterunt cum ipso communicare; vbi verò fiet publica, & publicè constabit illum culpabiliter non satisfecisse, fiet vitandus; quinimò si excommunicatio erit ob percussionem Clerici, requiretur notitia multò maior, ad hoc vt fiat vitandus, debebit enim omissio debitæ satisfactionis talis esse, quæ nulla possit tergiuersatione celari, quod rarissimè eueniet.

Dixi, dato quod constiterit dictum Titium fuisse in articulo mortis absolutum; si enim de hac absolutione non constitisset, semper remansisset vitandus, quia quamdiu fideles ignorassent absolutionem illi datam in articulo mortis, nunquam potuissent cum eo communicare.

Dices, ergo Titius non comparendo non reincideret in eandem censuram, quam moraliter diximus esse eandem, etiam numero. Et ratio est, quia vi prioris censuræ Titius erat vitandus. Resp. negando consequentiam. Patet responsio à simili. Committit Titius homicidium in Ecclesia, quod est publi-

publicum. Caius item committit homicidium, quod est occultum: vtrumquè homicidium est; & tamen illud polluit Ecclesiam; hoc verò non item: & Titius incidit in reseruationem latam contra polluentes Ecclesiam; Caius verò non item. Quæ nam huius diuersitatis est causa? Non alia, quam defectus notitiæ. Ita à pari, Titius percussit Clericum, & cum percussio publica sit, ita vt nulla tergiuersatione possit celari, fit vitandus. Absoluitur in articulo mortis à simplici Sacerdote iniuncto onere, vt cessante impedimento præsentet se Superiori, quę absolutio est publica; si debito tempore non compareat, reincidit in eandem censuram. Illico ne erit vitandus? nequaquam, nisi constet de culpa commissa non comparendo, quæ nulla tergiuersatione celari possit. Et si censura, in quam reincidit Titius moraliter eadem numero est, quæ nam est causa, vt non sit vitandus? Non alia, quam defectus notitiæ, qua secuta illico fiet vitandus. Eadem ergo censura si occulta sit facit excommunicatum toleratum; si fiat publica, vitandum. Vnde si hinc penderet censuræ reseruatio; ex eo quod desineret esse vitandus, desineret etiam censura esse reseruata.

DIFFICVLTAS XXXXIV.

Simplex Sacerdos in articulo mortis absoluit à reseruatis. Quæritur vtrùm teneatur Pœnitenti imponere obligationem se præsentandi Superiori quàmprimùm commodè poterit.

171 *Responsio est negatiua, quoties absoluat tantùm à casibus reseruatis.*

171 RESpondeo negatiuè, dummodò casibus reseruatis nō sit adnexa aliqua excommunicatio. Et ratio est, quia nullo iure iubetur, quòd in absolutione à reseruatis sit imponendum hoc onus, & ex alia parte absolutio ipsa est directa. Ita Cord. in sum. q. 18. puncto 2. dicto 2. Suar. de pœn. disp. 30. sect. 3. nu. 6. Conincus de pœn. disp. 8. nu. 2. Zamb. de cas. art. mortis cap. 4. dub. 4. num. 21. Sanch. l. 2. in sum. cap. 13. num. 24. Cardinalis de Lugo disp. 20. de pœn. sect. 10. nu. 208.

DIFFICVLTAS XXXXV.

De praxi seruanda à simplici Sacerdote, aut alio inferiore Confessario absoluente à censuris reseruatis in articulo mortis constitutum.

172 *Quam cautionem præscribant verba Bullæ Cœnæ ab eo exigendam qui ratione articuli mortis à casibus in ea contentis absoluatur.*

173 *Qualis ea cautio sit, quæ semper est exigenda.*

174 *Iniungenda est Pœnitenti obligatio comparendi coram Superiore.*

Si non compareat reincidit in eandem censuram. ibidem.

Vtrùm sit eadem, an noua: & vtrùm sit reseruata, si prior erat reseruata. ibidem.

Si ægrotus decedat, vtrùm ad hanc præsentationem teneatur hæres. ibidem.

175 *Vtrùm hoc onus comparendi exigendum sit sub iuramento.*

176 *Ad hanc præsentationem Pœnitens tenetur quàmprimùm commodè potest.*

177 *Vtrùm hoc onus iniungendum sit, si Parti iam sit satisfactum. Aliqui negant.*

negant. Affirmatiua sententia verior est.

178 *Vtrùm hoc onus comparendi iniungendum sit habenti impedimentum perpetuum.*

Quid si Confessarius ex ignorantia illud iniungeret, & iuramentum extorqueret: vtrùm Pœnitens teneretur seruare iuramentum. ibidem.

Si Confessarius ex ignorantia, aut obliuione non iniungeret hoc onus comparendi, vtrùm Pœnitens teneretur adhuc se præsentare. ibidem.

179 *Vtrùm valida foret absolutio absq; hoc onere impensa.*

180 *An obligatus ad se præsentandum satisfaciat si per Procuratorem, aut per litteras se præsentet. Sententia est affirmatiua.*

181 *Excipitur casus absolutionis à censura ob percussionem Clerici.*

182 *An Pœnitens eximatur ab hoc onere comparendi si denuo absoluatur virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilei.*

172 PRimò in Bulla Cœnæ in vltima clausula reseruationis præcipitur, vt si quis in mortis articulo sit absoluendus à casibus in Bulla Cœnæ contentis, duplex cautio ab eo exigatur. Altera de stando mandatis Ecclesiæ. Altera de satisfaciendo.

Prima cautio est iuramentum, quod exigendum omninò est, licèt excommunicatus satisfecisset Parti. Et ratio est, quia finis, ob quem illud exigatur, est, vt eius timore à similibus criminibus in posterum abstineat. Vt patet ex cap. Cum desideres iuncta glossa verbo ad cautelam, de sentent. excommunicat. Ita Couar. cap. Alma Mater 1. par. §. 11. num. 11. Addo, ab ipsis etiam Mulieribus illud esse exigendū. Syluest. v. absolutio 3. §. 3. D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. vltimo §. 1.

Aduertam tamen cum Sylu. v. absolutio 3. §. 4. Suar. 5. tom. in 3 par. disp. 19. sect. 2. num. 10. Sanch. in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 13. num. 22. per hoc iuramentum non contrahi nouam obligationem seruandi quæcunquè præcepta Ecclesiæ, sed illud tantùm quod absoluens iniunxerit, qui non quodcunq; iniungere potest, sed hoc solùm, ne videlicet denuo crimen illud committat, ob quod in eam censuram inciderat. Ita etiam expressè habetur cap. De cętero, de sent. excommu., & glossa ibi verbo, Debeat.

Altera cautio est de satisfaciendo: cuius cautionis nomine intelligitur pignoratitia: vel in eius locum fideiussoria: vel demum iuratoria. Sed hæc exigenda est in absolutione à quacunquè excommunicatione siue à iure, siue ab homine: siue Papæ, siue cuicunquè inferiori reseruata.

173 Secundò ergo, simplici Sacerdoti ratione articuli mortis ab aliqua excommunicatione maiore absoluenti cauendum maximè est, ne absoluat nisi præmissa debita satisfactione si fortè ea fieri debeat iuxta Clement. 1. de hęret. Quòd si ea commodè fieri non possit, exigat debitam cautionem secundùm gloss. eiusdem Clement. §. verum, versic. ea tunc. Quæ cautio fiat vel per fideiussores, vel cum pignore, si eam dare potest: sin minùs, det eam, quàm potest, videlicet iuratoriam. Cęterum si casus ita vrgeat, vt nihil horum fieri possit, absoluat; nullus enim est obligandus ad impossibile. Vt bene Nauar. in sum. cap. 27. num. 47. Vgolinus de censuris reseruatis tertia parte cap. 2. verbo, nec etiam tunc § 1. num. 1. Sayr. in thesauro casuum conscien. tomo 1. lib 3. cap. 25. num. 4.

174 Tertiò moneat Pœnitentem, vt

vt postquàm è morbo conualuerit, vel cessante impedimento præsentet se Superiori qui extra illum casum poterat eum de iure absoluere: Moneatq; vlteriùs, quòd si se ipsum non præsentauerit, reincidet in eandem censuram: vt expressè habetur cap. Eos qui, de sent. excommunicat. in 6. Ad hanc tamen præsentationem non tenebitur hæres, dato quòd ægrotus decedat, cùm id nullo iure sit cautum, & sit onus personale: bene tamen tenebitur ad restitutionem, si ad aliquam defunctus ipse tenebatur. Ita Suarez citatus.

175 Hoc autem onus se præsentandi exigendum semper esse sub iuramento præterquàm à pueris, docent Nau. in summa cap. 27. num. 89. Corduba in sum. quæst. 18. pun. 1. dicto 2. & pun. 2. dicto 2. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 13. nu. 26. Non desunt tamen qui iuramentum hoc addendum tantum putent in casu percussionis Clerici, ea nixi ratione, quòd huius iuramenti mentio fiat tantùm in cap. Quamuis. Et cap. ea noscitur, de senten. excommu. vbi fit mentio solùm de absolutione ab excommunicatione percussionis Clerici præstita ab inferiore Confessario ratione alicuius impedimenti: quæ Canonum dispositio cùm odiosa sit & pœnalis non videtur extendenda ad casum non expressum, sed solùm ad percussionem Clerici restringenda, cùm de ea sola ibi sit mentio. Ita Trullenck in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5. num. 9. quem citat & sequitur Antonin. Diana par. 5. tract. 3. resolut. 67.

176 Quartò moneat, hoc onus præsentationis obligare ad quamprimùm commodè possit Pœnitens, modico aliquo tempore cõcesso post cessationem impedimenti, ad hoc vt se præsentaturus possit sibi consulere de necessarijs. Quod modicum tempus taxandum est prudentis arbitrio habita ratione temporis, loci, personæ & aliarum circumstantiarum. Ita Syluester v. excommunicatio 8. §. 5. D. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 47. Sayrus cit. 28. in fine, qui benè monent satis esse, vt non ad sit negligentia & fraus.

177 Quòd autem docent Nauar. in summa cap. 20. num. 26. & Henriq. lib. 13. de excommunicat. cap. 29 nu. 4. non iniungendum esse hoc onus præsentationis, quoties Pœnitens Parti satisfecerit, aut cum ea se composuerit: id minùs verùm existimo; non enim onus hoc iniungitur tantùm vt Pœnitens recipiat mandatum satisfaciendi (vt ipsi putant) vt proinde præsentatio superflua sit quoties Parti iam sit satisfactum: sed est quædam pars pœnæ ab Ecclesia tali delicto impositæ. Idq; ex eo patet, quòd onus hoc comparendi in absolutione cuiusuis excommunicationis reseruatæ imponitur; cùm tamen non quælibet excommunicatio satisfactionem Partis requirat. Quare ergo licèt post obtentam absolutionem Parti satisfaceret Pœnitens, non ideo tamen ab hoc onere comparendi se immunem faceret, vt putat Henriq. cit.

178 Non tamen hoc onus comparendi imponendum est habenti impedimentum perpetuum vt habetur ex cap. Quamuis de senten. excommun. vbi declaratur iniungendum illud esse habenti impedimentum temporale. Idemquè docet Suar. 5. tomo in 3. par. disp. 22. sect. 1. num. 85. Syluest. v. absolutio 4 num. 3. vbi ait, seruum cessante seruitute teneri se præsentare: non sic autem laborantes morbo immedicabili, licèt miraculosè conualescerent. Quinimò etiamsi Confessarius

alicui

alicui morbo perpetuo laboranti tale onus sub iuramento iniunxisset, & ille miraculosè conualesceret; adhuc tamen non teneretur se præsentare. Et ratio est, quia Pœnitens ad illud tantùm onus intendit se obligare cum illo iuramento, ad quod intendebat Confessarius: rursus Confessarius ad illud tantùm intendit obligare, ad quod ius ipsum obligare falsò putauit; ergo si ius non obliget, neque Confessarius obligat: cùm obligatio Confessarij innitatur obligationi iuris: & sic nec Pœnitens remanebit obligatus. Patet hoc à simili: Si enim Confessarius falsò putans Pœnitentem teneri ad restitutionem, extorqueret ab illo iuramentum de restitutione facienda; porrò comperto errore ad nihil teneretur. Ergo à pari, si Confessarius falsò putans Pœnitentem teneri se coram Superiore præsentare extorqueat ab illo iuramentum de se præsentando quàmprimùm commodè potest, comperto errore ad nil tenebitur. Ita Sanchez in sum. lib. 2. cap. 13. num. 30. Quo loco addit, si Confessarius ex malitia, ignorantia, vel etiam, vt notat Palatius in 4. dist. 17. disp. 7. quia articulus mortis maximè vrgeat, prætermittat hanc cautionem iuratoriam; adhuc tamen Pœnitentem teneri ad hanc præsentationem si conualescat, & si non se præsentet, casurum in eandem censuram. Et ratio est, quia obligatio hæc non a Confessarij voluntate, sed à iure ipso pendet; vt proinde Confessarij obliuio, ignorantia, malitia, aut periculi angustiæ nihil prosint.

179 Vtrùm verò valida foret hæc absolutio, etiamsi Confessarius ex ignorantia, obliuione, aut malitia non imposuisset hoc onus comparendi coram Superiore. Respondeo affirmatiuè cum Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 10. ad finem: non enim huius cautionis expressio inducit conditionem irritantem aliter factum. Vt in simili dicemus in quæstione sequente difficult. 9. Et hoc fecit Ecclesia quia est pia Mater, ne videlicet in tanta necessitate absolutionis valor ex Cõfessarij ignorantia, aut obliuione penderet.

180 Dubium hoc loco esse potest, an obligatus ad se præsentandum satisfaciat huic obligationi, si per Procuratorem se præsentet. Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia verè dicitur comparere. Ita Syluest. v. excommunicatio 8. §. 8. quæst. 7. Armilla v. excom. 59. addens, satisfacere si per litteras se præsentet. Henriq. lib. 13. de excommunicat. cap. 29. num. 3. & lib. 6. de pœnitentia cap. 9. in fine.

181 Excipe tamen casum excommunicationis, in quam Pœnitens inciderit ob percussionem Clerici, in quo extat caput, Quod de his, de sentent. excommunicat. expressè petens, vt sic absolutus eat personaliter Romam: & hoc in odium & pœnam percussorum.

Cæterùm extra casum hunc puto cum Doctoribus citatis Pœnitentem satisfacere suæ obligationi, si per aliũ se præsentet, cùm extra illum casum nullus adsit textus, qui ad personalem præsentationem obliget. Quidquid in contrarium sentiant Nauar. in summa cap. 27. nu. 90. Vgolin. de censuris tabula 1. cap. 14. §. 5. num. 4. Sayr. in thesauro casuum conscien. tomo 1. lib. 2. cap. 16. num. 13. existimantes Pœnitentem sic absolutum teneri semper ad personalem præsentationem.

182 Si quis tamen in articulo mortis cum hoc onere comparendi absolutus non auderet se præsentare; si fortè tunc concurreret tempus Iubilei concedentis illius censuræ absolutionem posset ad finem consequendæ indul-

gentiæ præsentare se Confessario, ab eoque petere illius censuræ absolutionem, ac si nunquam fuisset absolutus: & sic cessaret obligatio comparendi. Et ratio est, quia obligatio illa comparendi in tantum viget, in quantum Pęnitens vult frui priuilegio illius absolutionis impensæ ratione necessitatis: in præsenti autem casu non iam diceretur eo frui, sed denuò absolueretur virtute Iubilei, & quidem absquè vllo onere. Ita Henriq. lib. 6. de pęnit. cap. 10. num. 5. in Comment. littera G. in fine Sanch. in sum. lib. 2. cap. 13. num. 32. qui numero proximè superiore bene aduertit onus hoc comparendi non esse imponendum quoties quis sanus, aut in mortis articulo absoluatur à censuris reseruatis virtute Bulllæ, Iubilei, aut alterius priuilegij absolutionem illam concedentis.

DIFFICVLTAS XXXXVI.

An si Pœnitens per se, vel per alium à Superiore petat, vt possit alteri confiteri casus reseruatos, teneatur Surior hanc facultatem dare.

183 *Proponitur sententia negans.*
184 *Refertur sententia affirmatiua.*
185 *Sententia Authoris, quæ docet aliquando Superiorem teneri ex iustitia hanc facultatem dare: aliquando verò ex charitate.*
186 *Per se loquendo, Superior non tenetur hanc facultatem dare.*
187 *Conciliantur Doctores contrariæ sententiæ.*
188 *Si aliquando Superior tenetur hanc facultatem dare, non ideo tenetur eam generalem concedere.*

183 DVplicem in hac re apud Auctores sententiam reperi. Alteram, quam Suarez tribuit Victoriæ in sum., & Nau. in cap. Placuit de pęn. dist. 6. n. 149., & 150. vbi habet, [quia nulla est lex, nequè ratio, quæ conuincat excusari tunc Pęnitentem ab obligatione confitendi suo Superiori; sic dicimus nullam esse rationem, nequè legem, quæ conuincat teneri Superiorem ad dandam hanc facultatem.] Et fundari potest in Concilio Trid., quod sic habet, [extra quem articulum] (id est mortis) [cum Sacerdotes nihil possint in casibus reseruatis; id vnum Pęnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant.] Expendo enim particulam illam (legitimos Iudices) nam si Superior in hac causa se habet, vt legitimus Iudex, porrò cùm Iudex legitimus alicuius causæ nulli faciat iniuriam, si per se velit illam iudicare, nequè teneatur illam alteri committere, quoties ipse sit idoneus Iudex, sequetur, quòd Superior non tenebitur subdito petenti concedere facultatem, vt possit ab alijs absolui à casibus reseruatis. Confirmatur, quia proprius Parochus non tenetur concedere facultatem suo Parochiano petenti, vt possit alieno confiteri, nisi causa legitima concurrat. Ergo pari modo dicere possumus, non teneri Superiorem facultatem dare suo Subdito, vt possit ab alio absolui à reseruatis. Demum verò, quia reseruatio nullius esset momenti, quoties Superior teneretur hanc facultatem dare, proindequè ea nihil prodesset ad sananda peccata, quia cùm facultatem hanc per alios petere possent, nullo ferè onere grauarentur Pœnitentes.

184 Altera verò est, quæ asserit, per

per se loquendo, & seclusis alijs incommodis, qualia essent facilitas peccandi, & similia, teneri Superiorem ad hanc facultatem concedendam. Ita Sylu. v. Confessor 1. Angelus v. confessio 3. num. 31. Armilla v. Confessio num. 35., Sotus dist. 18. q. 2. art. 5., & alij Doctores sequentes D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. vbi ait peccare Superiorem, qui difficilem se præbet in danda hac facultate, & rationem subdit, quia multi sunt adeo infirmi, quòd potiùs sine confessione moriantur, quàm vt tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur.

185 Ego verò respondeo 1. in aliquibus casibus teneri Superiorem ex iustitia hanc facultatem dare. Casus autem hi esse possunt ij omnes, in quibus Pęnitens confitendo Superiori meritò sibi timere potest aliquod graue incommodum confessioni extrinsecū ab ipsomet Confessario inferendum; putà si timeret reuelationem confessionis: vel Superiorem vsurum ea scientia in graue sui detrimentum: vel quia Superior esset ignarus, nec aptus ad iudicium ferendum in tali materia: vel quia esset adeo improbus, vt loco medicinæ esset scandalum allaturus. Ratio verò esse potest, quia Superior non potest inferiorem cogere, vt se periculo grauis nocumenti exponat, nec potest illum iustè priuare legitimo vsu Sacramenti; ergo in ijs casibus, in quibus Pęnitenti simile damnum immineat, si Superiori confiteatur, tenebitur Superior facultatem concedere; alioqui si illam neget, grauem iniuriam Pęnitenti irrogabit. Et in hac responsione conueniunt Doctores omnes.

Respondeo 2. quoties Superior timeret aliquod graue damnum spirituale Pęnitentis hanc facultatem negando verbi gratia, quòd ideo ille esset diutissimè dilaturus confessionem, & in peccato perseueraturus: vel quòd probabiliter suspicari posset, se illi daturum occasionem reticendi tale peccatum in confessione, teneri ex charitate talem facultatem dare; licèt damnum hoc non ex iniuria extrinseca, sed ex proprio defectu ipsius Pęnitentis esset euenturum. Et in hoc sensu sunt intelligendi Doctores pro secunda sententia relati, quibus accedit Suar. de pęn. disp. 3. sect. 4. n. 8. Et ratio est, quia potestas hæc non est data Superiori in destructionem, sed in vtilitatem Pœnitentis.

Neque refert si dicas, malum hoc ipsi Pęnitenti tantùm esse imputandū, cùm ex eius praua tantùm voluntate sequatur. Respondeo enim, etiam ad illud impediendum teneri Superiorem, quoties commodè illud possit impedire. Quinimò addit Suar. cit. hoc idem esse asserendum, etiamsi ex tali negatione aliorum vtilitas speraretur; non enim aliorum vtilitas alterius damno est procuranda.

186 Respondeo tamen 3. per se loquendo, Superiorem non semper teneri hanc facultatem dare. Primò enim illam negandi, hæc est causa rationabilis, vt nimirum alij scientes difficultatem in obtinenda hac facultate magis caueant in futurum, & ab ijs peccatis abstineant. Secundò, si timeret talem facultatem non futurā vtilem Pęnitenti: vel tale esset peccatum, quod cederet in perniciem Communitatis, quale esse posset, hæresis, vel proditio Principis, & similia; vel in damnum tertij, cui Superior ipse meliùs posset consulere, quàm alij. Adde verò, quòd si semper teneretur eam dare, inutilis foret reseruatio, quoties ab ea tam facili negotio

gotio posset Pœnitens liberari. Et in hoc casu intelligendi sunt Doctores pro prima sententia relati, quibus accedit Reginaldus lib.8.cap.4. num.42.

187 Quoties ergo Auctores citati cum D.Tho. videntur asserere, quòd teneatur Superior ad veniam hanc, & facultatem concedendam, ij intelligendi sunt moraliter loquendo; hoc est, debere eum potiùs in ea concedenda esse facilem, quàm difficilem. Vndè habet Suar. l c. num.9., quod idem approbat Reginaldus num.49. ad talem facultatem negandam requiri specialem aliquam causam; ad eam verò concedendam sufficere, quòd nulla specialis ratio negandi occurrat.

188 Verum tamen est, dato quòd Superior in aliquo casu teneretur hanc facultatem dare, non ideo teneri eam generalem concedere, ita vt vi illius possit Pœnitens cuicunquè velit confiteri, & à reseruatis absolui: nam licèt causam ad se pertinētem in tali euentu teneatur alteri committere, retinet tamen ius illam committendi personæ, quæ sit proportionata in tali causa; ideò enim ex Concil. Triden. sess. 14. cap.7. fuit inducta reseruatio, vt grauiora quædam crimina subijcerentur iudicio summorum Sacerdotum, vt ab ijs meliùs corrigi, & emendari possent Pœnitentes: Si autem hæc Sacerdotis electio arbitrio Pœnitentis esset relinquenda, illud sæpissimè eueniret, vt Sacerdotes minùs proportionati, ignari, & rudes adhiberentur. Quoties tamen subditi petentes facultatem essent prudentes, & timorati; vel certè Sacerdos pro quo à Pœnitente per Superiorem petitur iurisdictio esset sufficiens, non deberet Superior esse difficilis, sed optimè faceret si Pœnitenti acquiesceret, vt benè de hoc monet Suar. l. c. num. 11.

DIFFICVLTAS XXXXVII.

An quando Superior concedit inferiori Confessario, vt possit aliquem à reseruatis absoluere, possit illam concedere cum limitatione, seu onere iniungendi talem, vel talem pœnitentiam.

189 *Sententia est affirmatiua.*

189 Respondeo affirmatiuè, siue facultas hæc petatur ante, siue post peccatum commissum. Et probatur, quia semper Superior gerit vices Ordinarij Iudicis, ita vt possit talem causam alteri committere, taxando eam pœnam, quam arbitretur expedire. Tum quia hoc potest vergere in bonum Pœnitentis: & cùm olim in Ecclesia vigerent Canones pœnitentiales, in quibus taxabantur pœnitentiæ pro grauioribus delictis infligendæ, non repugnat easdem, vel reuocari nunc, vel nouas imponi & taxari ab habente potestatem in Ecclesia, qualis est Superior. Et confirmatur ex decreto Clementis Octaui de casuum reseruatione pro Regularibus, vbi licèt Superioribus religionum prohibeat casus reseruare vltra modum ibi præscriptum; tamen subdit licere Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi peccatis perpetrandis cohibere possint.

Monuerim tamen hoc loco Superiores hosce, vt quoties confidant de Confessario eo, cui suam iurisdictionem committunt, non pœnitentiam taxent, sed eius arbitrio illam relinquant.

quant. Quòd si non confidant de eius prudentia, cautiores sint in interrogationibus faciendis; licèt enim de specie peccati, de consuetudine, & alijs circumstantijs interrogare possint, aduertere tamen debent, ne aliquod periculum adsit manifestationis peccati, & fractionis sigilli; hoc enim si adsit, nequè ipsi interrogare debent, neque Confessarius respondere tenetur. Quare in ea imponenda poterit Superior hac cautione vti, dicendo, si est tale peccatum, imponatur hæc pęnitentia: quam non expedit imponi per modum pręcepti, nisi adsit magna, & extraordinaria causa; est enim aliquid relinquendum Iudicis arbitrio: & multo minus cum hac conditione, ita vt absolutio nulla sit, nisi talis pœnitentia infligatur; hoc enim nimis rigorosum esset, & periculis expositũ. Ad summum ergo, quoties Superior pęnitentiam taxet, eam taxare debet per modum cuiusdam directionis, & ordinationis.

DIFFICVLTAS XXXXVIII.

An si Pœnitens facultatem petat, vt possit per inferiorem Sacerdotem à reseruatis absolui, possit ea concedi cum onere comparendi coram Superiore.

190 *Si facultas petatur post peccatum commissum non est iniungendum onus comparendi coram Superiore.*

191 *Si ante peccatum commissum, & illi sit adnexa censura, potest tale onus iniungi.*

192 *Quid si peccato nulla sit adnexa censura? Refertur sententia negans.*

193 *Sententia affirmatiua verior. Quo loco vide tria corolaria.*

Aduertendum duobus modis posse hanc facultatem peti. Primò post peccatum commissum reseruatũ. Secundò ante peccatum commissum, vt si subditus petat à Superiore facultatem confitendi alteri, dato quòd in aliquod peccatum reseruatum labatur.

190 Respondeo primò, quoties talis facultas petatur post peccatum commissum, eam non esse concedendam cum onere comparendi coram Superiore. Et ratio est, quia si Pœnitens ipse petat iam comparet: quòd si per alium petat, ideo hoc facit, vt liberetur ab hoc onere comparendi. Quare abstinebit Superior ab interrogationibus ijs, quæ illum deducere possint in cognitionem personæ; ad minimum enim tenetur inferior Sacerdos sub secreto naturali, dato quòd Pœnitens peccatum suum illi aperuerit: licèt etiam diuinum dici possit, cùm talis manifestatio sit in ordine ad Confessionem Sacramentalem.

191 Respondeo secundò, si talis facultas petatur ante peccatum commissum, quoties peccatum reseruatum habeat adnexã censuram, qualia sunt reseruata Papæ, posse eam concedi cum onere comparendi: quinimò ita esse in vsu, vt huiusmodi obligatio ratione censuræ iniungatur.

192 Maior difficultas est, si peccatum non habeat adnexam censuram. Asseruerunt enim aliqui Theologi moderni, quos tacito nomine citat Suar. disp. 30. de pœn. sect. 5. num. 7. non posse hanc facultatem concedi cum hoc onere comparendi, & si fiat, absolutionem semper esse validam. Quorum fundamentum esse potest, quia quando peccata nullam habent adnexam censuram, non videtur posse obligari, Pœnitens, qui peccata sua semel rite fuerit confessus, ad ea iterum

mani-

manifestanda extra Confessionem: Si enim non potest obligari ad ea iterum manifestanda in Confessione; multò minùs videtur posse obligari ad ea iterum manifestanda extra Confessionem Sacramentalem.

193 Respondeo tamen tertiò, cū communi sententia, posse hanc facultatem concedi sub hoc onere; sicut enim Superior potest iurisdictionem delegare, & non delegare, ita eam delegare potest cum tali, vel tali conditione. Quare in hoc euentu diceretur intercedere veluti quoddam pactū inter Superiorem, & subditum, ita vt quoties Subditus velit à tali Confessario absolui, consentiat obligationi comparendi coram Superiore. Ita Henric. quodlibeto 1. q. 32. & quodlibeto 10. quæst. 1. Angelus v. confessio 5., Nau. cap. 26. num. 12., & in cap. Fratres de pęn. disp. 5. num. 30., & in cap. Placuit eodem tit. dist. 6. num. 112., Suar. de pęn. disp. 30. sect. 5. num. 8.

Ex quibus sequitur primò, si commissio cum hoc onere absoluendi data sit Sacerdoti, inscio Pęnitente, teneri explicare hanc conditionem ante auditam confessionem; vel saltem ante absolutionem, dato quòd ad id non aduerterit, dum peccata audiebat: & si Pœnitens renuat conditionem hanc acceptare, non esse absoluendum. Quòd si obliuio aliqua ita intercedat, vt Pęnitens absoluatur non declarata conditione, hanc esse explicandam post confessionem, & ad eam implendam Pęnitentem teneri.

Secundò, si Pęnitens postea non compareat, mortaliter peccare. Quidquid ex Suar. l. c. num. 11. in contrarium asseruerint aliqui tenentes violationē hanc esse in materia leui, proindequè non esse lethalem. Sed contra est, quia ex graui causa fuisset obligatio imposita, putà ob Diuinum honorem, & bonum Subditi, vt proinde ad eam implendam ex graui præcepto teneretur. Sicut enim, si Pęnitens ipse spontè se obligasset per votum ad ita comparendum coram Superiore, votum hoc obligaret sub mortali, & censeretur res satis grauis; ita etiam videtur idem dicendum si obligatio hæc oriatur ex dicto pacto.

Tertiò obligationem comparendi non esse ad iterum confitendum, sed tantum ad reddendam rationem peccati commissi: & hoc ad finem melioris medicinæ, vel maioris satisfactionis: quod totum erit à Superiore acceptandum cum obligatione sigilli, cùm sit quoddam complementum prioris confessionis.

DIFFICVLTAS XXXXIX.

Qui nam habeant facultatem absoluendi à casibus reseruatis Papæ in necessitate, & extra mortis articulum.

194 *Affertur regula generalis.*

195 *Recensentur varia impedimenta, quibus concurrentibus irretitus censura papali potest ab Episcopo absolui.*

196 *Regula tradita comprehendit etiam excommunicationes contentas in Bulla Cœnæ.*

197 *Eadem Regula procedit etiamsi Papa reseruaret absque censura.*

198 *Prædictam Regulam ampliant Doctores plures.*

199 *Prædictam Regulam alij tradunt pro casibus reseruatis Episcopis.*

200 *An vi huius facultatis Episcopis concessæ posset absolui pænitens, qui*

qui licet non posset adire Papam, possit tamen adire Nuncium, vel Legatum.

201 *Refertur sententia affirmans.*

202 *Sententia Authoris.*

203 *An laborans alliquo impedimento teneatur Romam mittere epistolam.*

204 *An etiam Procuratorem.*

194 HÆc est regula generalis, vt qui propter aliquod legitimum impedimentum non potest adire Romanum Pontificem pro absolutione excommunicationis illi reseruatæ, possit ab Episcopo proprio absolui; ita tamen, vt cessante temporali impedimento, teneatur præsentare se Papæ, vel eius delegato, alioquin reincidat in eandem censuram. Ita colligitur ex Cap. Noscitur. Cap. Mulieres. Cap. Quamuis. Cap. De cętero de senten. excommun. & ex Cap. Eos qui, eodem titulo lib. 6. Ac licet verum sit in hisce locis mentionem tantum esse de excommunicatione ob percussionem Clerici contracta; tamen regulam hanc Doctores communiter extendunt ad omnes excommunicationes reseruatas Papæ, cum eadem omnium sit ratio: & materialiter se habuerit, quod casus circa illam materiam contingeret: cum enim illa fuerit antiquissima reseruatio Summo Pontifici, reliquæ omnes factæ videntur ad eius imitationem. Hæc autem impedimenta sunt.

195 Primò periculum mortis in itinere, Cap. Si quis suadente 7. qu. 4. Cap. ea noscitur. Cap. non dubium. Cap. de cętero. Cap. quod de his; & Cap. Quamuis de sent. excomm.

Secundò infirmitas longa, etiamsi periculosa non sit ex dicto Cap. Quod de his. Et Cap. Quamuis.

Tertiò paupertas, nemo enim tenetur mendicare, vt ad Curiam vadat pro absolutione, nisi aliàs esset mendicus, quia tunc ire tenetur: nisi fortè mendicando soleret se, vxorem, ac filios alere. Patet hoc ex iuribus citatis. Quare dum in Cap. ea noscitur, dicitur, etiam pauperes teneri, non est sermo de magna paupertate, quæ mendicare cogat in itinere.

Quartò ætas senilis, vt patet ex Cap. ea noscitur, & Cap. Quamuis. Impubertatis etiam, vt habetur Cap. Quamuis cit. & hoc etiamsi post pubertatem petat absolutionem ab excommunicatione contracta tempore impubertatis, Capit. fin. de senten. excommun.

Sic dum superiùs in diffic. 45. n. 172. diximus, ab eo, qui in articulo mortis absoluatur à Casibus Bullæ Cœnę exigendum esse iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ, non esse exigendum ab impuberibus, qui etiam post pubertatem petant absolutionem docet Sanch. in sum. lib. 2. cap. 13. n. 19. ex Sayro in thesauro Casuum tomo 1. lib. 2. cap. 18. num. 3. dicente esse communem sententiam.

Quintò mulieres cuiuscunq; conditionis, Cap. Mulieres, Cap. Quamuis, Cap. ea noscitur, Cap. de Monialibus de sen. excommu.

Sextò alteri adstrictus, qui non est sui iuris, vt filius familias, & similiter seruus quando non potest Papam adire sine præiudicio Parentis, vel Domini, Cap. Relatum de senten. excomm.

Septimò Cura Animarum, vel temporale dominium, quando timetur, quod per absentiam Oues, aut Vasalli detrimentum patiantur. Cap. de cętero, & ex Cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remiss.

Octauò debilitas in personis delicatis, quæ itineris onera sustinere

non

non valeant, Cap. Quamuis, & Cap. Mulieres; siue etiam debilitas in membris, qualis est in claudo, cęco; Cap. ea noscitur;& Cap.Quamuis de senten. excomm.

Demum verò quodlibet aliud impedimentum, quod iudicio prudentis Viri existimetur legitimum; Vnde hi omnes absolui possunt ab Episcopo si forte inciderint in Casum Papæ reseruatum; ita tamen vt si impedimentum non sit perpetuum (excepto impedimento pueritiæ) debeant sub iuramento obligari ad comparendum, cessante impedimento; vt alias dictum est.

196 Duo hoc loco aduertam, ac primò, Regulam traditam ita generalem esse, vt comprehendat etiam excommunicationes contentas in Bulla Cœnæ. Quidquid in contrarium sentiat Syluester v. excommunicatio 8. num. 8., licet enim in Bulla contineantur ea verba, quod nemo possit à Casibus Bullę, nisi in articulo mortis, absoluere; quia tamen eodem modo ea continentur, & leguntur in alijs censuris extra Bullam Cœnę: inde est, vt non habeant ibi maiorem vim, quàm alibi, sed semper accipienda sint iuxta interpretationem ipsius Legislatoris, qui sæpè explicauit mentem suam, non comprehendendi, videlicet, casum necessitatis, & impotentiæ. Vide Suar. de pęn. disp. 30. sect. 3. nu. 9. Cardinalem de Lugo disp. 20., de Sacram. pęnit. sect. 10 num. 118.

197 Secundò, si Pontifex reseruaret aliquod peccatum sine excommunicatione, prout reseruauit aliquando Sixtus V. hanc eandem regulam & facultatem procedere in eius absolutione. Ita Suarez cit. num. 11. De Lugo num. 223. militat enim fere eadem ratio, puta difficultas adeundi Pontificem. Tum quia incredibile videtur, quod voluerit Pontifex eam facultatem absoluendi dare pro peccatis grauioribus, qualia sunt ea, quæ habent excommunicationem adnexam, & negare pro peccatis leuioribus: Suppono enim, iuxta communem doctrinam, ablata excommunicatione auferri etiã reseruationem, quoad ipsum peccatum Papæ reseruatum.

Id tamen verum esset, quod in huius peccati absolutione non esset iniungendum onus comparendi coram Pontifice, vel eius delegato. Et ratio est, quia onus hoc in iure non imponitur nisi quando Pœnitens absoluitur a censura; vnde est vt imponatur sub pęna reincidentiæ; quæ pęna reincidentiæ apponi non potest in absolutione a peccato, cum Papa non possit facere, vt peccatum semel ablatum redeat physicè, aut moraliter.

198 Regulam hanc generaliorem facit Suarez sect. 3. cit. num. 80. quàm in iure contineatur. Iura enim citata dicunt, si quando non pateat aditus ad Papam, vel eius delegatum sine magna difficultate & mora, posse pęnitentem absolui *ab Episcopo* cum onere comparendi coram Pontifice. Atqui Pater Suarez ampliorem, ac magis generalem Regulam facit, dum concedit posse pęnitentem ita impeditum absolui *ab inferiori Sacerdote* cum onere tamen comparendi. Hanc eandem Regulam ita amplam docet Adamus Tannerus to. 4. disp. 6. quæst 10. dub. 6. num. 122. vbi sic ait, similiter si excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata propter legitimum impedimentum Papam, aut alium ab eo facultatem habentem adire non possit, potest absoluere Episcopus; quod si nec Episcopum possit adire, Parochus; eoquè deficiente, quiuis approbatus Confessarius. Sed tantam extensio-

nem ac generalitatem non admittit De Lugo cit. num. 228. quia iura citata facultatem hanc soli Episcopo concedunt.

199 Pariter hanc eandem Regulam concedunt Doctores plures habere locum in peccatis, etiam reseruatis alijs Prælatis, siue ea habeant excommunicationem adnexam, siue non; itaut quoties pęnitens non possit adire Episcopum, vel Superiorem absquè magna difficultate, possit etiam extra mortis articulum directè absolui ab inferiori Confessario, cum onere tamen comparendi, si peccatum habebat adnexam excommunicationem. Ita Antonin. Diana p. 5. tract. 14. Miscellan. 2. resol. 58. citans Cęlestinum in Campen. theol. moral. tract. 1. cap. 23. nu. 5. & Iacobum Granado in 3. par. de Sacram. contr. 7. tract. 10. disp. 7. num. 12. Sed quid nobis sit sentiendum, patet ex dictis superius diffic. 28.

Retenta tamen sententia Antonini Dianæ, cuius ego opiniones, vtpotè in hoc morali studio versatissimi nunquam ausim improbare, onus comparendi coram Superiore non esset pęnitenti iniungendum, nisi quando peccatum haberet adnexam excommunicationem. Et ratio ea est, quæ superius fuit allata, quia onus hoc in iure non imponitur, nisi quando pœnitens absoluitur à censura.

200 Restat hoc loco dubium, an vi huius facultatis Episcopis concessę, posset absolui pœnitens, qui licet non posset adire Pontificem, posset tamen adire Nuncium, vel Legatum Pontificis potentem absoluere. Scio pro praxi parum, aut nihil deseruire posse quæstionem hanc; quisquis enim affectus casu papali poterit Nuncium, vel Legatum Pontificis adire, à quo absoluatur absq; vllo onere comparendi, proculdubio malet ab eo absolutionē petere, quam adire Episcopum, a quo absoluatur cum onere præsentandi se Pontifici cessante impedimento.

201 Respondet affirmatiuè Henriq. lib. 6. cap. 9. num. 7. Auila de censuris 2. par. cap. 7. par. 1. dub. 6. Diana par. 5. tract. 9. resol. 6. qui hanc affert rationem, eo quod existente impedimento recurrendi ad Papam, restituatur Episcopo ordinaria potestas, quæ per reseruationem fuerat ab eo ablata. Sed si ratio hæc esset bona, & existente tali impedimento ordinaria potestas esset Episcopis restituta, non tenerentur in absolutione à censura iniungere onus comparendi. Hanc eandem sententiam sustinent Hurtadus disp. 15. de excommu. diffic. 3. nu. 10. Corneius in 3. par. tract. 5. de excommu. disp. 11. dub 2. apud eundem Dianam.

202 Ego verò respondeo non posse. Et ratio est, quia, cum possit commodè adiri ille, cui ex voluntate Papæ commissa est illa causa, non dicitur pęnitens habere iustam & legitimam causam, seu impedimentum, propter quod possit ab alio absolui. Ita Nauar. in sum. cap. 27. nu. 90. Bonacina disp. 1. de censuris, quæst. 3. pun. 2. num 4. Cardinalis dè Lugo l. superius cit. num. 121. Corduba quæst. 18. & alij apud ipsos. Et hæc sententia conformior est ijs, quæ diximus de absolutione in articulo mortis.

203 Addit Bonacina laborantem aliquo ex prædictis impedimentis teneri Romam mittere Epistolam, quoties commodè possit, pro absolutione obtinenda: cuius opinioni etiam ego adhæreo. Sic in veriore sententia, quam tuentur Palud. Syluest. Maior, Caiet. & Petrus Soto, quos affert, & sequitur Suarez de pęnit. disp. 36. quæst. 6. num. 5. Cardinal de Lugo disp. 15. de

Sacram.

Sacram. pœnit. sect. 5. num. 87. si pœnitens nec voce, nec nutibus possit peccata sua declarare, tenetur ea confiteri per scripturam; ergo multo magis tenebitur per epistolam absolutionem petere à Papa, quoties detentus iusto impedimento non possit personaliter ire, & commodè possit illam mittere. Sic posse aliquando Episcopum dispensare in impedimentis matrimonij docent communiter Doctores, quos videre est apud Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 6. num. 20. & lib. 2. disp. 40. Si tamen recurri posset ad Nuncium Apostolicum, vel ad alium simili facultate prædìtum. Vel certè si per epistolam posset dispensatio impetrari ab ipso Papa, Episcopus nullo modo posset dispensare. Et ratio est, quia si Episcopo conceditur facultas dispensandi, ea conceditur ratione vrgentis necessitatis; hæc autem cessat, quando vel per epistolam potest à Papa obtineri; vel adest alius potens dispensare.

204 Non tamen teneretur mittere Procuratorem; onus enim hoc nimis graue est; licet Henriq. Auila, Antonin. Diana superiùs citati absolutè asserant impeditum ire personaliter Romam, non teneri mittere Procuratorem, neq; epistolam pro absolutione obtinenda.

DIFFICVLTAS XXXXX.

De facultate, quæ vi Concilij Tridentini competit Episcopis absoluendi à casibus occultis Papæ reseruatis.

SVpponendum Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. satis amplam facultatem Episcopis concessisse, & quidem duplicem. Alteram dispensandi in quibuscunq; casibus ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentiosum prouenientibus, excepto homicidio voluntario. Alteram verò absoluendi in foro conscientiæ subditos suos in sua diœcesi, à quibuscunq; casibus occultis, etiam Sedi Apostolicę reseruatis. Verba autem Concilij sunt hæc; *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario; & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque Casibus occultis; etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua, per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem etiam in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicarijs sit permissum.* Circa quam concessionem nonnulla dubia sunt enodanda. Vt autem de more claritati studeamus, præsentem difficultatem in varios §. secabimus.

§. PRIMVS.

Quinam dicantur casus occulti, à quibus Episcopus vigore huius facultatis valeat absoluere, aut dispensare.

205 *Delictū occultum quodnam dicatur.*
206 *Et quodnam publicum.*
207 *Notorium item.*
208 *Manifestum.*
209 *Famosum.*
210 *In quibus nam delictis possit Episcopus virtute prædictæ concessionis dispen-*

dispensare, & absoluere.

211 *Quid si delictum materialiter sit publicum, sed occultum formaliter.*

212 *Quid si publicum quidem sit in ratione delicti, sed tamen occultum vt subiectum censuræ.*

205 IN hac concessione, sicuti in alijs similibus (puta in dispensationibus, quæ pro foro Conscientiæ circa matrimonij impedimenta expediuntur in sacra pęnitentiaria Romana, dum eæ exigunt impedimētum, seu delictū esse occultum) semper existimaui, occultum ita esse sumendum, vt distinguitur contra publicum.

206 Rursus semper putaui hoc nomen, publicum, esse genericum, & habere sub se species, videlicet; Notorium, Manifestum, & famosum; itaut si delictum notorium sit, vel manifestum, vel famosum, nullo modo competat Episcopis facultas hæc per Tridentinum concessa. Ratio autem mea hæc est, quia Tridentinum exigit delictum esse occultum, vt obuietur scandalo publico, cui nullo modo obuiatur, quoties delictum laborat publica infamia. Ita Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 34. nu. 55. & in sum. lib. 2. cap. 11. num. 19. Suar. de cens. disp. 41. sect. 3. Paulus de Leone p. 2. suæ praxis ad litteras, & Bullas Sacræ Pœnitentiariæ. Io. Ang. Boss. de triplici iubilæi priuilegio sect. 1. casu 10. §. 3. Antonin. Diana p. 7. tract. 2. resol. 15. apud quos alij plures.

207 Notorium autem delictum illud dicitur, quod scitur a maiori parte Viciniæ, vel Collegij, vel Parœciæ, vel Monasterij. Ita præter DD. cit. Bonac. disp. 1. de cens. quæst. 3. pun. 2.

208 Manifestum, de quo oritur fama eiusdem maioris partis orta à scientibus.

209 Famosum, de quo oritur fama maioris partis orta ex vno sciente, vel ex indicijs, vel ex præsumptionibus illi æquiualentibus.

210 Vnde inferas primò Episcopum virtute prędictę concessionis posse absoluere, vel dispensare, quando delictum non est publicum; seu non est notorium, manifestum, aut famosum, quamuis esset notum tribus, vel quatuor. Ita DD. cit. Quidquid in contrarium sentiant plures existimantes occultum delictum illud dici, quando ita occultum est, vt in iudicio probari nequeat, & sola delinquentis confessione possit manifestari, quos videre est apud Sanch. & Dianam cit.

Hinc est, vt semel interrogatus de casu hoc; Duo insignis Collegiatæ Canonici, cum soli in eodem cubiculo reperirentur ex rixa secuta se inuicem pugnis adeo percusserant vt prudentis Viri iudicio percussio ea ob circumstantias personarum, & ob scandalum inde ortum mediocris saltem censeretur: responderim Episcopum vi huius facultatis nihil posse, quia esto delictum probari non posset, illud tamen erat famosum, & de eo talis fama erat orta, vt non maiori tantum parti Viciniæ, aut Parochiæ, aut Communitatis, sed toti pęnè Communitati, & Vrbi esset notum; abierat enim factum hoc in omnium ora, & magnam apud omnes admirationem concitauerat.

211 Secundò Episcopum vigore prædictæ facultatis posse absoluere & dispensare, etiamsi delictum materialiter publicum sit, sed tamen non sit publicum formaliter, & in ratione delicti. Quare si quis percussisset Clericum coram pluribus, sed nescientibus illum esse Clericum: percussio diceretur occulta in ordine ad effectum excommunicationis contractæ; & sic

Episco-

Episcopus vi huius facultatis posset à tali excommunicatione ob dictam percussionem, quantumuis grauem & enormem contracta absoluere.

Pariter, si Sacerdos excommunicatus occultus celebraret coram vniuerso populo, qui nesciret ipsum esse excommunicatum: irregularitas inde orta esset occulta, non publica, ac proinde posset Episcopus dispensare. Ita Nauar. in sum. cap. 27. num. 255. & nu. 241. Vers. Circa hæc dico primò, dicens sic definitum esse in Sacra Pœnitentiaria. Paulus de Leone in sua praxi ad litteras Maioris Pœnit. par. 2. pag. mihi 191. Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. cit. num. 56. Et ratio est, quia vt delictum dicatur publicum, non sufficit vt actus externus, qui dicitur delictum, sit publicus, & factus coram maiori parte Viciniæ, Communitatis, aut Collegij; sed insuper requiritur vt constet publicè illum actum esse delictum. itaut delictum non sit notum tantùm materialiter quoad actum, sed etiam formaliter in ratione delicti, quia qualitas adiuncta verbo debet intelligi iuxta verbi qualitatem l. in delictis. §. 1. ff. de noxalibus.

212 Tertiò, delictum adhuc dici occultum, etiamsi illud publicum sit in ratione delicti, sed tamen vt subiectum censuræ sit occultum: vt si percussio Clerici esset publica, & facta coram pluribus, sed tamen nescientibus percutientem ob dictam percussionem factum esse excommunicatum.

Vel si in aliqua Villa Parochus publicè excommunicatus coram populo suæ Villæ Missam celebraret, & populus notaret id fieri non posse, & esse delictum, nihilominus ignoraret ex dicta celebratione contrahi irregularitatem: Missæ celebratio in ratione delicti esset quidem publica: sed tamen quoad pœnam irregularitatis contractam esset occulta: & sic delictum in ratione delicti publicum esset, sed vt subiectum censuræ, occultum. Ita Bossius de iubileo l. cit. num. 33. Paulus de Leone in sua praxi, quo loco testatur ab Officio Sacræ Pœnit. alias in similibus casibus fuisse dispensatum, vt occultis. Quare in hisce casibus posset Episcopus vigore prædictæ facultatis absoluere, aut dispensare. Idq; tamquam probabile docent Emanuel Sà, in summa, v. Episcopus, nu. 33. Nauar. lib. 5. consil. tit. de Clerico non ordin. Minist. consil. 2. num vnico.

§. SECVNDVS.

An Episcopus posset vti hac facultate Concilij in delicto, quod in vno loco esset quidem occultum, sed in alio esset publicum.

213 *Refertur sententia negans.*
214 *Sententia Authoris.*
215 *An denuntiatus excommunicatus, & notorius percussor Clerici sint publicè vitandi in eo loco, in quo delictum est occultum.*
216 *An Scholares commorantes in aliquo loco causa studiorum possint ab Episcopo illius loci absolui à casibus Papalibus occultis.*

Casus hic esse potest. Titius in Hispania publicè percussit Clericum, & percussio fuit grauis, & consequenter Papæ reseruata; quæritur, vtrum si Mediolanum veniat, vbi tale delictum sit omnino occultum, possit ab Archiepiscopo Mediolanensi absolui.

213 Respondent negatiuè Suarez

tom 4. in 3. par. disp. 30. sect. 2. num. 2. Bonacina disp. 1. quæst. 3. de censuris pun. 2. num. 3. Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 1. num. 14. Quorum ratio est, quia Concilium à facultate absoluendi & dispensandi excludit delicta publica; talis autem percussio verè esset publica, nam ad hanc denominationem sufficit vno loco publicari. Tum quia eodem modo Concilium excludit delicta publica, sicuti excludit ea quæ sunt deducta ad forum contentiosum; Sed si in vno loco sit deductum, Episcopus nullo modo potest vti prędicta facultate; ergo neq; poterit vti, si in vno loco sit publicum.

214 Respondeo tamen satis probabiliter dici posse, Episcopum in tali casu posse vti prædicta facultate, quoties tamen moralę periculum non immineret vt notitia delicti ad eum locum perueniret, in quo absolutio, vel dispensatio peteretur, & ratio est, quia in tali loco verè delictum illud diceretur occultum. Et tale occultum sæpius fuisse admissum à Sacræ Pœnit. Officio in suis absolutionibus, & dispensationibus suo tempore concessis testatur Paulus de Leone in sua praxi par. 2. pag. mihi 192.

215 Sic si quispiam fuerit denunciatus excommunicatus, certum est eum esse vitandum in eo loco, in quo fuit denunciatus. In eo tamen loco, in quo delictum est occultum, non esse publicè vitandum, sed occultè tantum, docet cũ Syluestro, Armilla, Sanchez, Layman, Vasquez, & Henriquez à se citatis Antoninus Diana par. 5. tract. 9. de excommunicatione resol. 134. Quinimò probabilem putat esse sententiam asserentem supradictum excommunicatum non solum in publico, sed neque in occulto esse vitandum, pro qua citat Præpositum, & alios citatos ab Henriq. lib. 13. cap. 6. in glossa lit. C. Et de publico Clerici percussore loquens Auila 2. p. c. 6. disp. 11. dub. 12. putat valde probabile, quod nonnisi in eo loco sit vitandus, in quo est notorius percussor; ac proinde vbi factum est occultum, ibi nullo modo sit vitandus: cum quo idem sentit Layman lib. 2. tract. 5. p. 2. c. 5. num 4., Ergo à pari poterit Episcopus vti hac facultate Tridentini in delicto occulto, licet alibi sit publicum; satis enim est, quod delictum sit occultum in eo loco, in quo absolutio, aut dispensatio petitur. Ita Sanchez in sum. lib. 2. cap. 11. num. 20., asserens ita sensisse viros doctissimos Salmanticæ de hoc casu consultos, quos refert., & sequitur Auila de cens. par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 11. conclus. 3. Fagundez de præcep. Eccles. par. 2. lib. 8. cap. 8. num. 28. Antonin. Diana par. 7. tract. 2. resol. 16. qui alios citat.

Vnde patet ad casum propositum in principio difficultatis, quoties enim Mediolani delictum Titij esset omnino occultum, nec timeri rationabiliter posset, ne talis delicti notitia esset Mediolanum facillimè peruentura., posset ab Archiepiscopo Mediolanensi vi huius facultatis absolui.

216 Hoc eodem modo Scholares commorantes Mediolani causa studiorum poterunt ab Archiepiscopo absolui à casibus Papę reseruatis, dummodo Mediolani sint ita occulti, vt non sit spes fore vt maior notitia deferatur, licet in loco, in quo deliquerunt fuerint publici, & notorij. Et hanc sententiam probabilem vocat Bonacina cit.

§. QVAR-

§. TERTIVS.

An vigore dicti Decreti possit Episcopus absoluere à casibus Papę reseruatis, quando delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed Reus non fuit in eo conuictus, quinimò absolutus, & liberatus.

217 *Refertur sententia negans.*
218 *Respondent alij cum distinctione.*
219 *Sententia Authoris.*
220 *An Confessarius posset in casu simili ex vi literarum Sacræ Pœnitentiariæ expedire dispensationem.*
221 *Quid si Reus fuerit absolutus falsis testibus.*
222 *Quid si delictum fuerit semiplenè probatum.*
223 *An si eiusdem criminis duo sint socij, dari possit casus, vt altero ad iudicium delato, possit alter ab Episcopo vel absolui, vel dispensari.*

CErtum est Episcopum nihil posse super suspensione, aut irregularitate proueniente ex delicto ad forum contentiosum deducto, saltem quamdiù manserit ita deductum, seu quamdiù durauerit iudicium. Et ratio est, quia Concilium absolutè excipit delictum ad forum contentiosum deductũ. Et hoc siue iustè, siue iniuste sit deductum; siue probari possit, siue non. Difficultas est, an saltem iudicio finito & Reo absoluto possit Episcopus dispensare, aut absoluere.

217 Respondet negatiuè Garzias de benef. par. 7. cap. 11. num. 5. cuius ratio est, quia Concilium excipit ab hac facultate delicta ad forum contentiosum deducta, vt proinde sola deductio sufficiat, vt Episcopus nihil possit. Tum quia tale delictum non potest dici occultum.

218 Respondet cum distinctione Suarez de censur. disp. 41. sect. 2. nu. 6. Vel enim Reus ita absoluitur, vt nullo modo, nec plenè, nec semiplenè probetur delictum: & in hoc casu concedit posse Episcopum dispensare, cuius ratio est, quia hoc modo videtur delictum reuocatum ad eum statum, in quo erat antequam ad forum contentiosum deduceretur. Vel Reus ita absoluitur, vt aliqua delicti probatio, semiplena saltem in iudicio sit secuta: & tunc putat Episcopum nihil posse, cuius ratio est, quia ex semiplena illa probatione orta fuit publica infamia, & publica notitia, imperfecta quidem, sed tamen talis, qualis sufficit, vt delictum non dicatur amplius occultum.

219 Ego verò respondeo finito iudicio, & data sententia absolutoria Episcopum posse absoluere, vel dispensare. Et ratio est, quia cum delictũ non fuerit probatum, non potest dici deductum cum effectu, verba autem accipienda sunt cum effectu, Cap. relatum, de Cler. non residen. Ergo dum, Concilium excipit crimen deductum ad forum contentiosum, intelligendum est, si ea deductio habeat effectum, tum quia delictum remanet occultum sicut prius. Ita Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 34. num. 57. & lib. 2. disp. 37. num. 12. & lib. 2 in sum. cap. 11. nu. 20. Graff. lib. 1. decis. aur. cap. 13. nu. 42. Bonac. disp. 1. quæst. 3. pun. 2. num. 2. Castrus Palaus, Fagundez, & alij plures apud Antonin. Dianam par. 7. tract. 2. resol. 18.

220 Sic cum Sacra Pœnitentiaria suis literis declaret se nolle eas suffragari in foro externo, manifesta eius

mens

mens est, vt quamdiù delictum manet deductum ad forum contentiosum non possit Confessarius dispensare, eo quod impedimentum non dicatur occultum. At secuta absolutione, quia delinquens nullum passus est famæ detrimentum, & impedimentum remanet occultum, & redactum ad pristinum statum, posse Confessarium expedire dispensationem, docet Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 34. cit.

221 Addo primò id verum esse, etiam si Reus fuerit absolutus via iniqua & falsis testibus. Ita DD. cit. & ratio eadem est, delicto enim non probato, & secuta Iudicis sententia cessat ratio deductionis ad forum contentiosum, & perinde est, ac si nunquam fuisset deductum, vnde ad primum statum reducitur.

222 Addo 2. id verùm esse etiamsi delictum fuerit semiplene probatum, contra Suarez cit. & Bonacinam disp. 7. de irregul. quæst. 5. pun. 1. num. 5. Versic. hæc doctrina. Et rationem hanc affert Sanch. cit. quia delictum adhuc remanet occultum; vel enim Reus absoluitur definitiuè, & tunc nullum potest esse dubium: vel absoluitur ab instantia, seu obseruatione iudicij, & tunc adhuc res manet occulta sicut prius, quia per eam sententiam interlocutoriam id iudicium est terminatum, ac sublata ea infamia ex tali deductione orta. Id enim tantum interest inter absolui definitiuè, & solum ab instantia, seù obseruatione iudicij (vt potest videri in Couar. lib. 1. variar. cap. 1. num. 8.) quod in priore casu nunquam potest id crimen iterum in iudicium deduci; at in posteriori, potest quidem, sed ex nouis indicijs, nouisq; probationibus. Quare in vtroq; casu id iudicium omnino terminatum est, & res in pristinum statum redacta. Ita Doctores superius cit. vno excepto Bonac.

223 Addo 3. cum Sanch. lib. 2. in summa cit. num. 21. si duo sint socij, & complices eiusdem criminis, ac alter solum in iudicium deferatur: delictum alterius Rei nondum delatum, si occultum sit, subdi potestati Episcopi, & sic Episcopum posse ab eo absoluere, vel in eo dispensare: res enim inter alios acta alijs præiudicare nequit, quibus res iudicata non nocet, l. 1. C. res inter alios acta.

Aduertam tamen cum eodem Sanchez, si delictum in vno loco sit deductum ad forum contentiosum, quamdiù in eo pendeat, non posse Episcopum delinquentem absoluere, aut cum eo dispensare, quocunq; fugiat. Et ratio est, quia Tridentinum exigit, vt delictum non sit deductum ad forum contentiosum: at vbicunque deductum sit, dicitur simpliciter, & absolutè deductum.

§. QVARTVS.

An Episcopus possit vti hac facultate Concilij in casu, quo delictum fuerit delatum ad forum contentiosum; probatum; & etiam iudicio finito punitum.

224 *Refertur sententia negans.*
225 *Sententia Authoris.*

224 Respondent negatiuè Suar. de cens. disp 41. sect. 2. num. 5. Barbosa de potest. Episc. par. 2. alleg. 39. num. 35. vbi citat Guttierez, & Rodriquez, Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 4. pun. 3. §. 1. num 17. Bonacina de cens. disp. 7. quæst. 5. pun. 1. num. 6.

Quorum

Quorum ratio eſt, quia Concilium Epiſcopis hanc facultatem concedit in caſu, quo delictum ſit occultum, nec deductum ad forum contentioſum; in præſenti autem caſu delictum non ſolum eſt deductum, ſed etiam probatum, ac punitum; quare factum eſt omnino publicum. Sic manifeſtans crimen in iudicium delatum, non dicitur iniuſtus detractor famæ, neque tenetur ad reſtitutionem, vt docet communis DD. ſententia, ex eo quod ob delationem in iudicium ſit factum publicum. Et hanc ſententiam puto veram.

225 His tamen non obſtantibus reſpondet Sanchez affirmatiuè, cuius ratio eſt, quia caſus iſte non videtur à Concilio comprehenſus, dum in conceſſione huius facultatis excepit delicta publica, & ad forum contentioſum deducta; finis enim Concilij fuit conſeruare authoritatē Iudici de delicto illo cognoſcenti; & præterea obuiare ſcandalo publico. Atqui in caſu, quo delinquens fuerit in iudicio punitus, vtrumq; damnum ceſſat; iudicis enim authoritas impediri non poteſt, cum functus ſit officio ſuo delictum illud puniendo: neq; publicum ſcandalum timeri poteſt, cum illud potius ceſſet per publicam delicti punitionem, qua delinquens delictum ipſum purgauit, & ſatisfacit reipublicæ ex illo offenſę. Ergo poterit Epiſcopus non obſtante tali exceptione vti prædicta facultate. Ita Sanch. cit. lib. 2. in ſum. cap. 11. nu. 21. Auila de cenſur. par. 7 diſp. 10. dub. 7. referens ſe vidiſſe in caſu ſimili ita obſeruari, nempè abſoluendo per Bullam ab excommunicatione deducta ad forum contentioſum, finito iam iudicio. Boſſius de iubileo ſect. 1. caſu 10. §. 3. num. 46. Antonin. Diana par. 7. tract. 2. reſol. 19. qui ſententiam hanc & probabilem, & in praxi tutam exiſtimat cum Trullench in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 4. num. 9. Sed hanc ſententiam probabilem magis facit auctoritas Doctorum, quam ratio; dum enim Tridentinum non aliam concedit diſpenſationem ab irregularitate & ſuſpenſione, quam ab ea, quæ ex delicto occulto proueniat. Pariter dum non aliam concedit facultatem abſoluendi à reſeruatis Papæ, quam ab ijs, qui occulti ſunt. Dum etiam Pœnitentiarius maior ſuis in litteris ſępiſſime vtitur ea clauſula, dummodo prę miſſa occulta ſint; neſcio quo modo facultates hæ ad caſum ita publicum extendi poſſint.

§. QVINTVS.

An Epiſcopus poſſit vti hac facultate per Tridentinum conceſſa in caſibus occultis Bullæ Cœnæ.

226 *Referuntur fundamenta pro ſententia affirmante.*

226 RESpondebit illico quiſpiam affirmatiuè ea nixus ratione, quia Tridentinum concedit Epiſcopis facultatem abſoluendi à peccato hæreſis, vt patet ex ijs verbis, *Idem etiam in hæreſis crimine in foro conſcientiæ &c.* Ergo ſi eſt conceſſa facultas abſoluendi à peccato hæreſis, qui grauiſſimus caſus eſt inter eos, qui continentur in Bulla Cœnæ, dicendum nobis eſt per ea verba conceſſam eſſe facultatem abſoluendi à cęteris caſibus Bullæ. Vel ſi negemus, incidimus in maximum abſurdum, aſſerendo conceſſam eſſe facultatem abſoluendi à peccato hæreſis, in quo peculiaris quędam

dam ratio non solum quoad grauitatem sceleris, sed etiam quoad reseruationem considerabilis videtur, ratione cuius Doctores plures, & quidem magni nominis concedunt Episcopos etiam hodie habere facultatem absoluendi à reliquis casibus, & censuris occultis in dicta Bulla reseruatis, non tamen ab hæresi; vt tradunt Sanch. in sum. lib. 2. cap. 11. num. 26. in fine, & Marius Alterius par. 1. de cens. lib. 5. disp. 22. cap. 2. pag. 769. col. 1. vers. Secundo loco in hac quæstione: incidimus, inquam, in maximum absurdum concedendo tributam Episcopis esse facultatem absoluendi ab hæresi, & non ab alijs casibus in eadem Bulla contentis.

Tum quia, si Superior in facultate generali, quam alicui tribuat expressè concedat aliquem casum reseruatum; facultas hæc extenditur ad similes casus reseruatos non expressos; specificatio enim antecedens explicat generale verbum subsequens. Idemque dicendum si in concessione generali aliquis casus excipiatur, ea enim extenditur ad omnes alios casus similes non exceptos, vt cum Suar. & Graff. diximus superius in difficult. 3. Ergo cum in facultate per Tridentinum concessa casus vnus Bullæ, isq; grauissimus fuerit expressus, dicendum est eam extendi ad omnes alios in eadem Bulla contentos.

Attentis hisce rationibus ita omnino esset sentiendum; sed videndum est, vtrum potestas hæc fuerit Episcopis ablata per processum Bullæ Cœnæ. Proinde sit.

§. SEXTVS.

Vtrum facultas concessa Episcopis per Tridentinum absoluendi à casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam ab hæresi occulta, hodie sit illis adempta, quoad casum hæresis, & alios casus in Bulla Cœnæ contentos.

227 *Sententia Authoris est affirmatiua.*
228 *Refertur sententia negans & Episcopis fauorabilis, & pro ea confirmanda afferuntur rationes variæ.*

Antequam ad huius difficultatis decisionem veniamus, supponendum in Bulla Cœnæ Domini post enumerationem casuum ibi reseruatorum, haberi clausulam, in qua Summus Pontifex absolutionem à censuris in Bulla contentis sibi reseruat; illius autem clausulæ verba hæc sunt, *Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunquè personis Ecclesiasticis, Secularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel maiori dignitate præditis, ipsisq; Ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis Pijs; nec non locis etiam imperiali, regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacunque Scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum. Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur.*

Supponendum secundò hæc postrema verba, *Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur non in omnibus Bullis* legi. In Bullis editis à Syxto V. anno 1586. & 1587. & à Clemente VIII. in suis Bullis anni 1593. 1595. & 1598. teste Rodriquez in addit. ad Bullam Cruc. §.9. num. 64. & tom. 1. quæst. reg. quæst. 20. artic. 9. Vgolino in Bulla Cœnæ. Nicol. Garzia de benef. par. 11. cap. 10. num. 126. Viual in candel. aur. in explicat. Bullæ Cœnæ num. 132. verè legi. In Bullis verò Pauli V. Gregor. XV. Vrbani VIII. non legi; sicuti neq; in Bullis Pij V. & Gregor. XIII. vt videre est apud Nauar. in sum. cap. 27. num. 73. Vers. Cæterum.

In præsenti igitur difficultate quærimus, an vi huius clausulæ quotannis legi solitæ in Bulla Cœnæ adempta sit Episcopis facultas per Tridentinum concessa, absoluendi videlicet à casibus occultis eiusdem Bullæ, etiam ab hæresi occulta.

227 Resp. affirmatiuè, & consequenter hodie Episcopos non posse vi illius facultatis absoluere à casibus contentis in Bulla Cœnæ quantumuis occultis, & sic multò minus posse absoluere ab hæresi occulta. Et ratio est, quia in Bulla Cœnæ adest clausula derogatoria, dum expressè habetur, vt ab illis casibus nulla persona, etiam Episcopali dignitate prædita absoluere possit prætextu cuiuscunque facultatis, etiam per cuiusuis Concilij decreta in genere, vel in specie concessa. Certè enim hæc verba alicuius Concilij derogationem continent. Peto ego, cuius nam? Certè non prouincialium, vt aliqui Neoterici minus rectè interpretantur; nullum enim est assignabile Concilium prouinciale, quod Episcopis tribueret facultatem absoluendi ab hæresi occulta, & ab alijs casibus Bullæ Cœnæ. Tum quia nomine cuiusuis Concilij non veniunt sola prouincialia, cum præter ista sint generalia; Ergo Concilij Tridentini derogationem continebunt; non enim latere poterat Pōtificem nullum aliud Concilium præter quam Tridentinum concedere hanc facultatem Episcopis, cum Tridentini Concilij decreta Pontifex quilibet gerat in pectore. Neq; absq; mysterio addita sunt ea verba, *in genere, vel in specie*, sed ad significandum non solas vniuersales facultates reuocari, sed etiam concessas ad speciales casus, qualis ea erat, quæ specialem casum hæresis occultæ concedebat. Ita Nauar. in sum. cap. 27. nu. 275 vers. 14. dicens sic declarasse Pium V. & Gregor. XIII. Suar. cit. dicens sic declarasse Cardinalium Congregationem. Azor tom. 1. lib. 8. instru. moral. cap. 19. quæst. 3. & cap. 10. quæst. 10. vbi etiam ait se audiuisse à Religioso docto & fide digno sic declarasse. Clementem VIII. Penna in director. Inquisitor. 3. par. quęst. 92. Comment. 141. vers. penult. dicens, in supremo generalis Inquisitionis Prætorio Romano sępè pronunciatum esse, non posse iam Episcopos ab hæresi occulta absoluere; vnde cum eadem ratio militet, si non possunt ab hæresi occulta, neque poterunt ab alijs casibus contentis in Bulla. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 11. nu. 27. asserens sententiam hanc omnino sustinendam. Ac demum Doctores ij, quos longo num. refert Antonin. Diana par. 1. tract. 5. resol 2. & par. 4. tract. 4 resol. 242 & par. 7. tract. 2. resol. 23. Garzias de benef. p. 11. c. 10. n. 115.

228 His tamen non obstantibus existimant alij facultatem hanc non esse Episcopis reuocatam per ea verba Bullæ, sed adhuc posse absoluere ab

hæresi

hæresi occulta, & cęteris casibus in eadem Bulla cōtentis. Probant autem.

Primò, quia correctio iuris, quoad fieri possit semper est vitanda, vt multis citatis, probat Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 24. num. 6. Sed absque vlla correctione illius decreti Tridentini stare, ac verificari potest clausula Bullæ reuocans facultates, quibus absolutio impendi poterat; Ergo dicendum est per illam Bullæ clausulam non fuisse reuocatam supradictam Tridentini facultatem. Minor probatur, quia ea Bullæ clausula optime potest intelligi, vt nullus possit absolui à casibus publicis, & absolutione proficiente in foro externo: & si hoc modo intelligatur, manet integrum decretum Tridentini; cum Tridentinum concedat solum absolutionem casuum occultorum, & pro foro Conscientiæ.

Secundò, verba Bullæ sunt, vt nullus possit absolui prætextu quorumcunq; priuilegiorum, quæ Episcopis, Conuentibus, & alijs concessa fuerint per Sedem Apostolicam; Atqui Episcopi absoluentes non intendunt absoluere prætextu alicuius priuilegij à Sede Apostolica concessi, vt ait Bannes, sed vi authoritatis à Christo Domino illis datæ, nec restrictæ quoad Casus Papales occultos.

Tertiò, non obstante ea clausula manet integrum priuilegium in Cruciata concessum pœnitentibus, vt semel in vita, & semel in mortis articulo absolui possint ab omnibus Casibus in Bulla Cœnę contentis, vt docent Sanch. cit. in sum. dicto num. 27. Marius Alterius de cens. tom. 1. lib. 5 disp. 32. cap. 2. col. 2. pag. 767., Ergo etiam non obstante eadem clausula poterit integrum manere priuilegium Episcopis in Tridentino concessum.

Quartò, quia non constat authenticè de prædicta Pontificum declaratione: & cum res adeo grauis sit illud Tridentini decretum reuocare: & iam diu scientibus Pontificibus nouas Bullas Cœnæ edentibus controuersa, id profecto amplius, & expresius, vel in eadem Bulla Cęnæ de nouo edita, vel in aliquo motu proprio authenticè declarassent, vel declarare deberent ad tollendos laqueos Animarum. Quod tamen non fecerunt, neque faciunt; imò Henriquez lib. 6. sum. cap. 14. §. 7. ex Manuele refert Cardinalem Quirogam Inquisitorem Generalem facta consultatione cū Episcopis in Concil. Toletano anno 1583. dixisse Episcopos posse vti dicta facultate. Addit etiam, quod Gregor. XIII. rogatus noluit in sua Bulla excipi hanc derogationem Concilij Tridentini.

Quintò, non obstante ea clausula, *Cęterum*, Inquisitores Sancti Officij contra hęreticam prauitatem deputati absoluere possunt à dictis Casibus Bullæ occultis, vt constat per C. vt officiū de hæreticis in 6. & per constitutionem Clemen. VII. quæ incipit, cum sicut, vt tenent Duardus in Bul. Cęnæ lib. 3. §. 2. qu. 12. à num. 4. & plures alij Doctores apud ipsum, Sanch. lib. 2. in sum. cap. 12. nu. 2. Ergo non obstante eadem clausula absoluere poterunt etiam Episcopi; vel enim vtrisque fuit abrogata ea facultas, vel neutris, cum Bulla Cœnæ vniuersaliter loquatur, & simpliciter prohibeat, ne alius, quam Romanus Pontifex absoluere posit à casibus Bullæ: neq, in ea magis excipiantur Episcopi, quam Inquisitores.

Sextò, quia quando Pontifex vult derogare alicui decreto Concilij Tridentini, id clarè exprimit, vt constat ex motu proprio Syxti V. contra male promotos, vbi in clausula reseruatio-

nis, & reuocationis facultatum absoluendi, etiam concessarum Episcopis per decreta Concilij Tridentini, subdit Papa hæc verba, *etiamsi crimen penitus occultum fuerit*; ergo cum dicta verba in clausula Bullæ Cœnæ non reperiantur, esto quod generaliter reuocet decreta cuiusuis Concilij, non tamen censetur reuocare decretum de quo agitur quoad casus occultos, nisi speciatim id exprimatur.

Demum verò, quia non est euidens Bullam Cœnæ supradictam facultatem reuocare; Ergo Episcopi poterunt vti iure suo absoluendo à casibus occultis Bullæ vigore eius facultatis, quam clarè constat illis per Tridentinum fuisse concessam. Ita Nauar. in sum. cap. 27. num. 260. Gutier. qu. Canonic. lib. 1. c. 13. ad finem Henriq. lib. 6. de pœn. cap. 14. nu. 7. Emman. Sà in sum. v. Episcopus nu. 37. Et alij plures quos longo numero refert Sanch. in sum. lib. 2. cap. 11. nu. 27. Hanc eandem sententiam probabilem esse fatetur Suarez 5. to. in 3. par. disp. 21. sect. 3. num. 5. & Bossius de iubileo sect. 1. casu 3. §. 3. num. 19. vbi postquam pro hac sententia varias rationes, ac magni nominis Doctores retulit, sic infert; *Ex quibus manifestè apparet non esse audaces, nequè temerarios modernos hanc sententiam tenentes, cum sit æquè probabilis ac prior, siue attendas auctoritatem, & numerum Doctorum; siue inspicias multiplicitatem, & firmitatem rationum. Imo quoad casus Bullæ præter hæresim constat hanc esse magis communem, & probabiliorem: tum quia maior pars Doctorum, quos pro priore sententia citauimus, disputant solum de facultate absoluendi ab hæresi occulta, vt notarunt Sanchez, & Alterius vbi supra: tum quia declarationes Pontificum Pij V. & Gregor. XIII. & Clemen. VIII. & Sacræ Congregationis circa decretum Concilij in fauorem alterius sententiæ allatæ loquuntur solum de absolutione ab excommunicatione ob crimen hæresis, non de alijs Casibus Bullæ.* Hucusq; Bossius.

Hæ sunt rationes, quæ sententiam hanc Episcopis fauorabilem, non parum tutam, vt ait Sanchez, sed probabilem ostendunt: in praxi tamen contraria est omnino sustinenda, cum in re tam graui tutior sententia sit consulenda; tum quia est conformior ijs, quæ dicemus in quæst. sequente difficul. 5. & 6.

Obijcies textum, & glos. in C. ex parte, verbo, nulla mentio, de Capellis Monachorum, vbi habetur necessariam esse expressam, & specialem derogationem ad abrogandam constitutionem Concilij generalis; ergo cum in Bulla Cœnæ nulla sit mentio Concilij Tridentini, nulla clausula in ea contenta erit derogatoria facultatis, & priuilegij ab ipso concessi.

Resp. allegatum textum procedere, quoties nulla fiat mentio Conciliorum, neq; in genere, neq; in specie, neque per verba æquipollentia. At in nostro casu fieri expressam mentionem derogationis *cuiusuis Concilij*, quæ verificari non potest nisi Concilio Tridentino derogato; alioqui derogatio esset futilis, & superflua.

Ex quibus inferas quid faciendum sit pœnitenti illi qui peccatum hæresis, sed occultum commiserit, & nequeat ab Episcopo absolui; neque Papam adire; neq; ad Summum Pœnitentiarium recurrere; hic enim supposito aliquo casu necessitatis, vel communicandi, si sit laicus; vel celebrandi, si sit Sacerdos, imminente periculo scandali, vel infamiæ poterit inferiori confiteri, & directè absolui ab alijs peccatis, indirectè verò à peccato

cato hæresis, iusta ea quæ diximus superius in difficult. 21. quod idem expressè docet Diana par. 7. cit. tract. 2. resol. 23.

§. SEPTIMVS.

An Episcopus vtendo tali facultate per Tridentinum concessa teneretur absoluere in Confessione Sacramentali.

229 *Refertur Sententia affirmans.*
230 *Sententia Authoris.*

SVppono hoc loco quæ fusiùs dicemus in quæst. sequente difficult. 11. triplex, videlicet, distingui forum; forum fori, quod forum externum, & contentiosum dicitur; forum pœnitentiæ; & forum conscientiæ. Cum ergo Tridentinum concedat Episcopis facultatem absoluendi a Casibus Papæ reseruatis, sed occultis, & nonnisi in foro conscientiæ, quærimus in præsenti §. vtrum absolutio hæc necessariò esse debeat sacramentalis.

229 Respondet affirmatiuè Nicolaus Garzia de benef. par. 11. cap. 50. num. 139. quo loco refert in pluribus Casibus Sacram Concilij Congregationem explicasse, quod ea verba, in foro Conscientiæ, intelligenda sint, in foro Sacramenti pœnitentiæ, seu, in Sacramentali confessione. Eandemque sententiam docet Barbosa de potest. Episc. par. 2. allegat. 39. nu. 8. quo loco docet Episcopum etiam absentem vi facultatis per Tridentinū concessæ posse quidem iusta principia dispensationum, dispensare cum sibi subdito in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario; at vero à casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis absoluere non posse nisi in confessione Sacramentali, cum ita intelligenda sint illa verba Tridentini, in foro conscientiæ.

230 Ego verò respondeo ad hoc vt Episcopus absoluat ab excommunicatione hæresis, vel aliorum casuum reseruatorum, virtute illius decreti Tridentini, non esse necessariam Sacramentalem confessionem. Et ratio est, quia illa particula, *in foro conscientiæ*, id non exigit, sed importat tantum, vt absolutio ea non prosit pro foro externo, si fortè contingeret, hæreticum illum, aut alterius delicti reum in iudicium vocari. Atque hanc doctrinam tradit Nauar. lib. 4. consil. tit. de priuilegijs consil. 11. num. 2. vbi ait, verba hæc, absolue in solo conscientiæ foro, non importare, vt absolutio fit in solo pœnitentiæ foro, sed vt nullatenus pro foro externo prosit. Et in sum. cap. 27. num. 41. cum D. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 77. in fine principij, docet Iudicem nedum Sacerdotem posse absoluere ab excommunicatione in foro conscientiæ; cum tamen sit incapax audiendi confessiones. Sanchez in sum. lib 2. cap. 11. num. 13. & lib. 8. de Matrim. disp. 34. num. 29. Suarez de cens. disp. 41. sect. 2. num. 11. Antonin. Diana p. 7. tract. 2. resol. 10. apud quem alij plures.

Dixi in responsione, ad hoc vt Episcopus absoluat; de facultate enim dispensandi loquentes Doctores communiter eam non restringunt ad forum conscientiæ. Et hoc clarè patet ex verbis Tridentini; cum enim facultas eo loco Episcopis concessa duplicem habeat partem; primam, in qua conceditur facultas dispensandi; & alteram,

teram, in qua conceditur facultas absoluendi à reseruatis: restrictio ea, in foro conscientiæ, apposita est tantum in posteriore parte, in qua agitur de potestate absoluendi. Quare bene monent Suarez, Sanch. cit. dispensationes factas ab Episcopo vigore huius facultatis prodesse pro vtroq; foro, seu tam pro foro exteriori, quàm pro foro interno, quia facultas dispensandi ibi concessa non limitatur ad forum conscientię, sicuti restringitur facultas absoluendi à reseruatis. Non desunt tamen qui vtramque facultatem, dispensandi, videlicet, & absoluendi restringant ad forum conscientiæ, vt Perez lib. 8. ordin. titul. 4. lib. 3. fol. 99. Ricciullius de iure person. lib. 5. cap. 16. num. 2. Sed horum sententia non solum communiter reijcitur, sed etiam à quibusdam reprehenditur.

Ad declarationes Cardinalium relatas à Garzia respondeo, de ijs non constare: cęterum qua par est reuerentia eæ à me semper excipientur.

§. OCTAVVS.

An Episcopi facultatem eam dispensandi, & absoluendi vi prædicti Decreti illis communicatam possint alijs subdelegare.

236 *Refertur sententia negans facultatem dispensandi posse ab Episcopis subdelegari.*

237 *Sententia Authoris.*

238 *Facultas absoluendi, etiam à peccato hæresis subdelegari potest in casu particulari in sententia aliquorum Doctorum.*

239 *Intellige tamen retenta sententia, quod Episcopis non sit derogata facultas absoluendi à casibus contentis in Bulla.*

VT clarior huius §. sit intelligentia seorsim agemus de facultate dispensandi, & absoluendi. Quæremus autem etiam de absolutione à peccato hæresis, supposita nimirum ea sententia, quam probabilem diximus in §. sexto, quod hodie Episcopi possint absoluere à casibus contentis in Bulla Cœnæ, & etiam à crimine hæresis, non obstante ea clausula, Cęterum, in Bulla contenta, quam in §. cit. satis fusè examinauimus.

236 Quoad facultatem dispensandi, Guttierez Canon. qq. lib. 1. cap. 13. num. 29. Mar. Alter. de censur. tom. 2. disp. 8. cap. 3. conclus. 4. & alij respondent Episcopos non posse hanc facultatem exercere per Vicarium. Et probant ex eo, quia Concil. Triden. in illo Cap. 6. sessionis 24. duplicem facultatem concedit Episcopis; primam dispensandi; alteram absoluendi: & dispensandi potestatem concedit sine vlla extensione; absoluendi vero, cum hac extensione, vt possint eam per Vicarium specialiter deputatum exercere; Ergo clarissimè apparet, mentem Concilij fuisse priorem facultatem solis Episcopis communicandi, non eorum Vicarijs; alioqui si id intendisset, vtique id expressisset, sicuti expressit agens de absolutione, quam ad Vicarium voluit extendere.

237 Resp. tamen Episcopum posse vel per se, vel per suum Vicarium dispensare in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum.

tiosum. Et ratio est, quia facultas hęc vi illius Decreti annexa est dignitati & officio Episcopi, & consequenter est ordinaria & delegabilis. Et hac eadem ratione vtemur ad probandum, quod facultatem absoluendi à casibus Papalibus, sed occultis, hæresi excepta, possit alijs generaliter delegare. Tum quia ita est praxi & consuetudine receptum, quæ est optima legum interpres. Ita Sanch. in sum. lib. 2. cap. 11. num. 25. Suar. de censur. disp. 41. sect. 2. num 8. Gauant. in Manual. Episcop. ver. absolutio num. 10. Antonin. Diana par. 7. tr. 2. de potest. Episcop. resol. 22.

Quoad facultatem absoluendi, respondeo cum distinctione. Vel enim sermo est de absolutione ab hæresi, vel de absolutione ab alijs excommunicationibus Papalibus; hanc enim posse ab Episcopis alteri committi, patet ex verbis ipsis Tridentini. Et cum ordinaria sit, & ratione dignitatis, & officij illis competat, poterit generaliter delegari. Ita Suarez de pœnit. disp. 30. sect. 2. num. 9. in fine, Sanchez in sum. lib. 2. cap. 11. num. 23.

De absolutione verò ab excommunicatione contracta ob peccatum hęresis est potior difficultas ob verba Tridentini, quæ sic habent, *Idem etiam in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicarijs sit permissum.* Quibus verbis videtur apertè constare facultatem absoluendi ab hæresi soli Episcopo esse concessam. Et ita docent Suarez cit. Pet. de Ledes. 2. to. sum. tract. 1. cap. 6. post 20 concl. diffic. 6. dicens esse hoc ferè certum. Gutier. qq. Canon. lib. 1. cap. 13. num. 29. Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 1. pun. 3. §. 1. num. 20.

238 His tamen non obstantibus referam ipsissima Antonini Dianę verba, qui par. 7. tract. 2. resol. 13. sic habet, Dico igitur, quod Episcopus non potest dare facultatem alicui, vt ab hæresi absoluat; at si occurrat, vt quis incidat in hæresim, potest tunc Episcopus deputare certum Confessarium, vt ab eo peccato illam personam absoluat: & ita est differentia inter hæresim, & alios casus reseruatos: nam in alijs casibus occultis potest Episcopus dare facultatem alicui deputato, vt absoluat; at in peccato hæresis non potest dare hanc facultatem generalem, vt quotiescunque aliqui incidunt in hæresim, possit Confessarius illos absoluere, sed quando occurrit casus particularis, potest Episcopus deputare in particulari aliquem, vt ab illo peccato hæresis absoluat. Quare cum Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformatione dicit, quod in crimine hæresis solum Episcopi possunt absoluere, & non eorum *Vicarij, sensus est,* Episcopum non posse deputare *Vicarium*, vt generaliter ab omnibus peccatis hæresis absoluat, non tamen negare, quin possit deputare Vicarium ad specialem casum hæresis.

Quæ omnia prius docuerat Sanchez in sum. cap. 11. num 23. vbi sic habet, At probabilius censeo, posse committere (intellige, Episcopum, de hoc enim instituta quæstio est) absolutionem ab hæresi alicui specialiter ad eum hæresis casum deputato. At non posse generaliter alicui committere vices suas ad absoluendum ab hæresi.

Dices primò, Concilium Trident. in prædicto Cap. 6 concedit Episcopis, vt ab alijs casibus Papalibus occultis possint quidem absoluere *per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum*: at in crimine hæresis expressè negat eorum Vicarijs id esse permissum; Ergo dùm in absolutione à cæteris casibus permittit specialem deputatio-

tationem; in absolutione verò a crimine hæresis hanc non permittit, signum est mentem Tridentini esse, vt Episcopus non nisi per se ipsum à peccato hæresis absoluat; specialis enim deputatio ad absoluendum a cæteris casibus non nisi in casibus particularibus continget.

Resp. hanc specialem deputationem dupliciter posse intelligi: vel generalem, ad absoluendum, videlicet, ab omnibus casibus Papalibus occultis: vel particularem, ad absoluendum videlicet, in casu particulari. Primam Episcopis Concil. Tridentinum concedit in alijs casibus Papalibus excepta hæresi. Secundam concedit etiam in crimine hæresis. Et hic est sensus Tridentini: Quare, mens Tridentini est, vt Vicarius Episcopi ex generali commissione Vicariatus non habeat hos casus, nisi illi specialiter committantur; sed hanc specialem commissionem dupliciter habere potest; vel generalem, si videlicet Episcopus generaliter illi committat vices suas quoad hoc speciale munus absoluendi ab his casibus; vel particularem, si videlicet illi committat vices suas nonnisi in casu speciali. Et vtroque modo dicetur Vicarius specialiter deputatus: ac primus deputationis modus conceditur Episcopis in casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, excepta hæresi: secundus verò conceditur etiam in crimine hæresis. Ex quibus patet solutio ad obiectionem factam.

Dices secundò, iurisdictio voluntaria commissa ex Principis priuilegio delegari non potest, vt probat Gratian. multos referens reg 443. num. 13. & habetur ex Cap. vlt § fin. de offic. deleg. ibi; *Nulli, cui commissum fuerit excommunicare, vel absoluere aliquos, dispensare cum irregularibus, liceat hæc alijs demandare, quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potius committitur.* Sed talis est concessio facta per Tridentinum; Ergo &c.

Resp. regulam illam, & Cap. vlt. de Officio deleg. intelligi quando nudum ministerium committitur personæ; secus quando ex priuilegio perpetuò dignitati concesso, tunc enim non dicitur nudum ministerium, sed potestas ordinaria: cum autem concessio facta Episcopis per Tridentinum sit facta dignitati, quod patet ex eo, quia est facta Episcopis omnibus, tam præsentibus, quam futuris, inde est vt non nudum ministerium dicatur, sed potestas ordinaria; hæc autem est natura iurisdictionis ex Principis priuilegio competentis non personæ, sed dignitati, vel officio, vt non sit delegata, sed ordinaria, & consequenter delegari possit.

239 Hæc, vt dixi in principio huius §. fuerunt a nobis disputata quoad casus Bullæ, & crimen hæresis, retenta ea sententia, de qua in § Sexto. Cęterum si tueri velimus, quod hodie Episcopis sit derogata facultas absoluendi à casibus contentis in Bulla: quam sententiam Doctores non pœnitendi à Pontifice declaratam testantur: & supremæ Inquisitionis Tribunal amplecti iubet, adhuc Episcopus posset in casu particulari delegare facultatem absoluendi à crimine hæresis, non quidem vigore Concilij Tridentini, sed vigore illius facultatis, quam habet absoluendi à censuris in dicta Bulla contentis impeditos adire Pontificem ex Cap. Mulieres, & Cap. eà noscitur de sent. excomm. & sic posset committere Confessario Monasterij vt Monialem absolueret à peccato hæresis externæ, vt docet Trullench. in Decalogum to. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 4. num. 20. quam refert & sequitur Diana l. cit.

§. NONVS.

An Episcopi possint vigore dicti Decreti Concilij Triden. absoluere à casibus occultis reseruatis Papæ post dictum Concilium per nouas Constitutiones.

240 *Refertur sententia negans.*
241 *Sententia Authoris.*
242 *Limitat Author nisi forte in noua Constitutione contineatur clausula derogatoria.*
243 *Episcopus absoluere potest ab excommunicatione occulta ob ingressum in Monasterium Monialium incursa.*
244 *Pariter ab excommunicatione occulta ob violationem clausuræ contracta.*
245 *Pariter à contracta ob duellum, quoties sit occulta.*

240 CAsum hunc latè tractat Garzias de beneficijs par. 11. ca. 10. nu. 122. quo loco docet prædictum decretum Concilij non habere locum in casibus post Concilium Tridentinum ex noua constitutione Papæ reseruatis. Probat autem sic, quia noua constitutio absolutè reseruando censetur derogare Concilio, cuius (vt habet idem Garzias) non est necessaria expressa derogatio maximè in lege contraria. Tum quia ita declarauit Greg. XIII. quæ declaratio sic habet, *Quærentibus an hoc decretum locum habeat in casibus post Concilium Trident. ex noua lege Sedi Apostolicæ reseruatis, S. D. N. Greg. XIII. audita relatione Congregationis non habere locum respondit.* Cui addo Fl oronum de casibus reser. par. 1. cap. 4. §. 11. num. 5. Et pro hac eadem sententia referri à me possunt Doctores ij omnes quos citaui disp. 2. cap. 2. quæst. 2. diffic. 1. asserentes Episcopum non posse absoluere ab excommunicatione occulta ob ingressum in Monasterium Monialium, ea nixi ratione, quod huius excommunicationis reseruatio fuerit facta, & publicata post Concil. Trident.

241 Ego verò respondeo Episcopos posse absoluere. Et ratio est, quia Concilium concedit Episcopis prædictam facultatem generaliter, non distinguendo inter reseruationes præteritas, & futuras. Ergo generaliter est intelligendum. leg. de pretio ff. de publ. in rem act. & cap. solitæ §. fin. de maior. & obed. Tum quia tam in casibus reseruatis, quàm in reseruandis est eadem ratio absolutionis, si sunt occulti; Ergo in vtrisq; debet esse eadem legis dispositio: cur enim in reseruationibus nouis debet esse minor Episcoporum auctoritas, quam in antiquis, maxime cum antiquæ reseruationes vt plurimum esse debeant de casibus grauioribus: ac si ad has extendetur Episcoporum auctoritas, quare non ad illas? Sic facultas quæ in iubileo conceditur extenditur ad peccata futura. Sic si Sacerdos habeat facultatem absoluendi ab omnibus casibus Episcopo reseruatis, vi huius facultatis absolu... posset ab eo casu, quem de nouo post concessionem facultatis Episcopus reseruaret; licet enim & Concilium, & concessiones hæ vtantur verbo præteriti temporis; & dicant *à casibus reseruatis*, extenduntur tamen etiam ad futura propter naturam legis, cuius est proprium comprehendere futura. Ita Suarez de pœnit. disp. 30. sect. 2. num. 12. 13. & 14. Sanch. lib. 2. sum. cap. 11. num. 27 Bonac. de cens. disp. 1. quæst. 3. pun. 2.

pùn. 2. num. 1. Boss. de iubileo sect. 1. casu 10. § 5. num. 149. apud quem alij, quibus addo Antonin. Dianam par. 7. tract 2. resol. o

242 Intellige tamen doctrinam hanc procedere quando in noua constitutione non contineatur clausula sufficienter derogans dicto decreto Concilij Tridentini; quoties enim similis clausula contineretur, porro à casu eo per nouam constitutionem reseruato non posset Episcopus absoluere. Ita DD. cit. Talem autem clausulam sufficienter derogatoriam existimarem, etiamsi expressam & specificam Concilij Tridentini mentionem non faceret: vt si in noua reseruatione diceretur, *neq; à casibus occultis, non obstante quocunque decreto etiam Concilij generalis:* quippe ea regula, vt desideretur specifica Concilij mentio, ad hoc vt illi derogatum censeatur, quam ex Henriq & Viualdo tradit Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 26 num 7. quo loco postquam ex sensu plurium iuristarum fusiùs probauit, nunquam censeri derogatum decretis Concilij generalis, nisi in clausula derogatoria fiat expressa mentio, his verbis, non obstante aliqua lege, aut constitutione in Concilio generali edita: ea ratione ductus, quod cum decreta Concilij ita matura deliberatione sancita sint videntur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia quæcunque decreta posteriora contraria, nisi de illis fiat specifica mentio: subdit, si Concilium generale modernum sit, quale est Tridentinum, oportere etiam illius expressam mentionem facere, nec sufficere generalem derogationem decretorum cuiuscunq; Concilij: ea inquam regula, vt desideretur specifica mentio, fallit quando Papa dispensat in speciali, & certo casu contra Concilij generalis prohibitionem. Et ratio est, quia cum clausula generalis prædicta non possit verificari nisi in eo solo casu contra Concilij prohibitionem, debet hæc generica derogatio reputari pro specifica & expressa.

Atque hac crediderim ratione mota Sacra Cardinalium Congregatio ad interpretationem Concilij Tridentini deputata eam fecit declarationem in fauorem Patrum Cōgregationis Oratorij S. Mariæ in Vallicella de Vrbe, quam refert Stephan. Quaranta in Summa Bullar ver. Confessor in fine. Concesserat Syxt. V. prædictis Patribus priuilegium, vt qui ex ipsis præuio examine ad confessiones audiendas in ipsa Vrbe a Vicario fuissent approbati, extra eandem Vrbem absque alio examine, de licentia tamen Ordinariorum locorum cōfessiones liberè audire possent, in partibus prçcipue Neapolis. Fuerat autem in dubium reuocatum priuilegium hoc sub prætextu quod non contineret præcisam derogationem, neque Concilij Tridentini faceret vllam mentionem sess. 23 cap. 15., quo cauetur, ne quis absque propriorum Diœcessanorum examine audeat confessiones audire. Vnde cum prædicti Presbyteri Congregationis Oratorij desiderarent super hac re responsum, vtrum, videlicet, ad valorem dicti priuilegij necessaria esset derogatio expressa Concilij Trident., Sacra Congregatio respondit dictum priuilegium valere, etiamsi nullam Concilij Tridentini mentionem contineret. Cum enim Pontifex dispensaret in speciali & certo casu cōtra Concilij Tridentini prohibitionem, non requirebatur expressa & specialis derogatio dicti Concilij, sed generalis sufficiebat. Et hoc ob rationem allatam, quia cum clausula generalis prædicta non possit

vera reddi nisi in eo solo casu contra Concilij prohibitionem, debet hæc generica derogatio reputari pro specifica, & expressa, alias nulliùs esset momenti. Et hæc doctrina est conformis ijs quæ diximus in § sexto.

Ad declarationem verò Summi Pōticis respondere possumus de illa non constare authenticè: vel debere intelligi, quando noua constitutio in reseruatione apponeret clausulam sufficiēter exprimentem derogationem dicti Decreti Concilij Tridentini:

243 Ex quibus inferas primò, licet reseruatio excommunicationis quę incurritur ob ingressum in Monasterium Monialium ob constitutionem Gregorij XIII. emanauerit post Concil. Trident. adhuc tamen ab ea occulta posse Episcopum vi huius decreti absoluere, cum in ea Gregorij constitutione nulla contineatur clausula derogatoria eius facultatis, de qua loquimur. Vide Doctores à me relatos disp. 2. cap. 2. quæst. 2. diffic. 1. in fine, quibus addo Bossium de iubileo sect. 1. casu 10. §. 5. num. 154. testantem de praxi Episcoporum absoluentium, si ingressus sit occultus, Bonacinam de cens. disp. 1. quæst. 3. pun. 2. num. 1.

244 Secundò Episcopum vel Prælatum regularem posse absoluere Monialem sibi subditam ab excommunicatione occulta, in quam inciderit violando clausuram ob constitutionem Pij V. licet hæc fuerit edita post Concil. Trident. Ita Bonac cit. Pellizarius cap. 5. de clausura Monialium sect. 2. num. 28. Sanch. in sum. to. 2. lib. 6. cap. 17 nu. 41. Diana superius cit. resol. 22. tum quia etiamsi hæc censura esset reseruata Papæ, adhuc tamen posset absolui, quia est priuilegiata cum non possit Papam adire, iuxta ea quæ diximus in diffic. 49.

245 Tertiò Episcopum posse absoluere ab excommunicatione contracta ob duellum, quando ea est occulta; licet enim excommunicatio hæc sit Papæ reseruata, vt patet ex Constitutione Clemen. VIII. quæ incipit, *Nos nefaria Diaboli arma* tamen in hac constitutione nulla continetur clausula derogatoria eius facultatis de qua agimus. Ita Bonac. loco cit. & disp. 2. q. 6. pun. 2. num. 15. Diana cit. resol. 21. Peregrinus tract. de duello quæst. 33. n. 1. Neq; pariter obstat, quod constitutio hæc fuerit edita post Concilium Trid. vt patet ex rationibus allatis.

§. DECIMVS.

An ad vsum talis facultatis necessarium sit, quod vel Episcopus, vel Subditi, vel vtriq; existant in Diœcesi.

246 *Facultatem dispensandi exercere potest extra Diœcesim.*

247 *Facultatem item absoluendi, non obstante ea particula Concilij, in Diœcesi sua.*

Causam huiusce difficultatis dant verba ipsa Tridentini contenta in eo decreto cit. *in Diœcesi sua*. Vnde est vt diuersis sententijs distrahantur Doctores:

246 Respondeo primò, cum decretum illud duplicem habeat partem; primam in qua concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum; alteram verò, in qua eisdem concedit facultatem absoluendi à casibus occultis etiam Sedi A-

postolicæ reseruatis: Episcopum siue intra, siue extra Diœcesim existentem posse prædictam facultatem dispensandi exercere cum suis subditis, siue intra, siue extra Diœcesim existentibus. Et ratio est, quia cum illa verba, *in Diœcesi sua*, posita tantùm sint in posteriori parte illius decreti, referenda tantum sunt ad concessionem factam in ea parte, & sic ad absolutionem, non verò ad dispensationem. Vnde Episcopi poterunt cum suis subditis dispensare; siue Episcopi; siue subditi; siue vtrique sint extra Diœcesim; iurisdictio enim dispensandi, quæ voluntaria est, potest & extra territorium, & erga absentem exerceri. Ita Suar. de cens. disp. 41. sect. 2. num. 10. Sanch. lib. 2. sum. cap. 11. num. 12. Filliucius to. 1. tract. 20. cap. 10. num. 271. apud quos alij. Quidquid in contrarium sentiat Bonac. disp. 7. de censur. quæst. 5. pun. 1. num. 5. quo loco docet, particulam illam, *in sua Diœcesi*, ita limitare priuilegium Episcoporum, vt neque absoluere, neque dispensare possint, si extra Diœcesim existant.

247 Respondeo secundò valde probabilem esse sententiam asserentem, quod non obstante illa particula, *in Diœcesi sua* possit Episcopus etiam extra Diœcesim existens absoluere suos subditos etiam existentes extra Diœcesim à censuris occultis Papæ reseruatis.

Ac quidem quod non sit necesse, vt Episcopus intra Diœcesim resideat, probatur, quia iurisdictio hæc absoluendi in foro conscientiæ est voluntaria, quam iura omnia concedunt extra Diœcesim posse exerceri; quoties ergo verba illa, *in Diœcesi sua*, commodè possint explicari absque hac iurium correctione, ita erunt explicanda. Tum quia quando idem Concilium aliquid fieri vetuit extra Diœcesim, non ambiguis, sed clarissimis verbis id explicuit: vt sess. 6. cap. 5. de reformat. *Nulli Episcopo liceat Pontificalia in alterius Diœcesi exercere.* Et sess. 23. cap. 1. de reformat. volens vt antiquior Episcopus in propria Diœcesi existens ex suffraganeis approbet causas absentiæ Archiepiscopi, dixit, *Episcopo antiquiori residenti.* Vbi ea particula, residenti, clarè demonstrat opus esse, vt intra propriam Diœcesim existat; non enim aliàs diceretur residens; Si ergo Tridentinum exegisset vt Episcopus absoluens existeret in propria Diœcesi, clarioribus verbis id expressisset. Et hanc sententiam tuentur Suarez to. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 2. num. 3. & to. 5. disp. 41. sect. 2. num. 11. Petr. de Ledes. 2. to. sum. tract. 1. cap. 6. post 20. conclus. diffic. 1. quos citat & sequitur Sanch. in sum. lib. 2. cap. 11. num. 16. eandemque probabilem existimat Antonin. Diana par. 7. tract. 2 resol. 8.

Quod verò neque necesse sit, vt subditi existant in propria Diœcesi, probatur eadem ratione, quia iurisdictio hæc est eius generis, vt possit exerceri cum subditis existentibus & intra, & extra Diœcesim. Si ergo verba illa, *in Diœcesi sua* non referuntur ad Episcopum, ne verbis tam ambiguis corrigantur iura clara concedentia vsum iurisdictionis voluntariæ extra Diœcesim: neq; referenda erunt ad subditos, ne verbis tam ambiguis potestas ea quam habet Episcopus in suos subditos restringatur, & corrigantur iura, quæ ad exercendam iurisdictionem voluntariam in subditos, non attendunt locum, in quo Episcopus, vel subditi sunt, sed iurisdictionem in personas. Quoties ergo verba ea *in Diœcesi sua* commodè possint explicari absque hac iurium correctione, ita erunt ex-

plicanda: legitimum autem sensum eorum verborum, *quoscunque sibi Subditos in Diœcesi sua*, esse puto, vt ea non limitent iurisdictionem Episcopi ad locum, sed tantùm velint vt Episcopus possit absoluere quoscunque sibi Subditos, & quomodocunque subdantur: nempè, vel quia sunt ordinarij Subditi, quales sunt ij, qui ibi habent domicilium: vel quia subduntur tantùm quoad forum pœnitentiæ, quales sunt aduenæ, & peregrini; vt proinde particula illa, *quoscunq; sibi Subditos* appellet eos, qui subduntur tantum quoad forum pœnitentiæ: particula verò illa, *in Diœcesi* appellet ordinarios Subditos Diœcesanos; sic enim vtraque particula intelligitur aliquid operari. Ita Sanch. Petrus de Ledes. cit. Eandemque sententiam probabilem putat Diana cit. Quidquid in contrarium sentiat Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 4. pun. 3. num. 12. & 13. quo loco verba illa, *in Diœcesi sua* putat omnino limitare locum & absolutioni actiuæ Episcoporum, & absolutioni passiuæ subditorum, vt nec ij extra Diœcesim absoluere, neque hi extra Diœcesim vigore dicti decreti absolui queant. Suarez de censur. disp. 41. sect. 2. num. 11. quo loco verba ea, *in Diœcesi sua* ita intelligit vt omnino exigant existentiam Subditorum in Diœcesi; & sic possit quidem Episcopus existens extra Diœcesim absoluere ab excommunicatione occulta Papæ reseruata suum Subditum existentem intra Diœcesim; non tamen possit Episcopus existens in Diœcesi absoluere Subditum existentem extra Diœcesim.

Ex quibus infero cum Sanch. cit. nu. 18. posse Episcopum existentem extra Diœcesim absoluere suum Subditum existentem item extra Diœcesim ab excommunicatione occulta, in quam inciderit ob peccatum hæresis, dato quod Bulla Cœnæ non deroget huic Decreto: & ablata excommunicatione cessare peccati reseruationem, & sic à peccato ipso hæresis posse per quemcunque Confessarium approbatum sacramētaliter absolui; hoc enim habent casus Pontificij, vt ablata censura non remaneant reseruati: ac sicut à principio, seu vt sic loquar, in fieri, in casibus Papalibus peccatum & censura ita sunt connexa, vt peccatum sine censura non reseruetur; ita etiam in conseruari, seu in sua duratione eandem habent connexionem, ita vt ablata censura censeatur etiam ablata reseruatio culpæ; & concessa potestate ad absoluendum à tali censura, censeatur concessa facultas ad absoluendum à tali peccato, & e contra. Vnde si hæreticus ratione ignorantiæ non incideret in censuram, posset ab eo peccato per quemcunque Confessarium absolui, eo quod non sit reseruatum. Vt bene Suar. 4. to. in 3. par. disp. 29. sect. 2. num. 11. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 11. n. 1. & 14. & cap. 8. 5.

§. VNDECIMVS.

Qui nam veniant nomine Subditorum in prædicto decreto Tridentini.

248 *Qui nam veniant nomine Subditorum in ordine ad absolutionem.*
249 *Qui nam in ordine ad dispensationẽ.*
250 *An etiam ij qui licet non habeant actuale domicilium, ibi tamen habitant animo habitandi maiore anni parte.*
251 *An fiant Subditi tum, cum incipiunt ita habitare.*
252 *An Episcopus dispensare possit cum viatoribus & peregrinis.*

253 *An*

253 *An cum vagis, Scolaribus, Prætoribus.*

254 *An Religiosi exempti possint subijcere se Episcopo ad finem obtinendæ absolutionis & dispensationis.*

248 IN ordine ad absolutionem à casibus reseruatis & censuris impedientibus Sacramentorum perceptionem respondeo eos omnes dici Subditos, qui in foro Sacramentali possunt subijci Episcopo. Quare non solum ordinarij Subditi, scilicet domicilium ibi habentes, sed etiam ij qui habent quasi domicilium, quales sunt Vagi, Peregrini, Scholares, Mercatores, electi ad Ciuitatem gubernandam, & alij similes veniunt nomine Subditorum. Et ratio est, quia omnes prædicti quoad Sacramentum pœnitentiæ, & quoad absolutionem à peccatis, & censuris sufficienter subduntur Episcopo illius loci, in quo reperiuntur, vel ad tempus morantur: & sic ad hos omnes extendi facultatem prædictam absoluendi à reseruatis Papæ in casibus occultis, docent Henriq. lib. 14 cap. 20. §. 5. Suarez de pœnit. disp. 30. sect. 2. num. 3. Sanch. lib. 2. sum. cap. 11 nu. 8. & 9. Garzias de benef. par. 11. cap. 10. num. 139. Antonin. Diana par. 7. tract. 2. resol. 11. & alij communiter.

249 In ordine verò ad dispensationem irregularitatis & suspensionis, respondent Suar. Garzias cit. referens declarationes Cardinalium. Barbosa 2. par. de potest. Episcopi alleg. 39. num. 4. Floronus de cas. reser. par. 1. cap. 4. §. 7. nu. 10. Episcopum non posse dispensare nisi cum ordinarijs Subditis habentibus proprium domicilium in sua Diœcesi. Hanc eandem sententiam tuetur Diana cit. ea ratione nixus, quia qui non potest in principali, neque potest in accessorio, *Cap. Accessorium de reg. iuris*. Sed Episcopus non potest conferre ordines nisi ordinarijs Subditis, & habentibus proprium domicilium quod est quid principale; ergo cum ijs solis poterit dispensare in irregularitatibus, quod est accessoriũ.

250 Ego verò respondeo Episcopum posse vigore dicti decreti dispensare in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, cum ijs omnibus, qui ratione habitationis acquirunt quasi domicilium, quales sunt ij omnes, qui habent animum habitandi in ea Diœcesi maiore anni parte, vt Scholares, Mercatores, famuli & mercenarij ad longum tempus suas operas locantes in domo heri. Et ratio est, quia per animum habitandi maiore anni parte fiunt Subditi illi Parocho, in cuius Parochia degunt; Ergo etiam fiunt Subditi illi Episcopo in cuius Diœcesi degunt: etiamsi non habeant animum ibi perpetuò habitandi. Hinc est vt Sanchez lib. 3. de Matrim disp. 23. num. 12. pluribus rationibus allatis probet validum esse matrimonium, cui Parochus similis assistat.

Sic Episcopum posse dispensare in omnibus votis suorum Subditorum, exceptis ijs quæ Papæ sunt reseruata, docet communis sententia. Nomine autem Subditorum quoad hoc, sicut & quoad omnia Sacramenta (excepto ordine) venire etiam eos, qui licet in Diœcesi non habeant domicilium, ibi tamen habitant cum animo ibi permanendi maiore anni parte, docent Henriq. lib. 3. de pœnit cap. 14. Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 23. num. 13. & lib. 4. sum. cap. 37. num. 27. Bonacina disp. 4. in decalog. quæst. 2. pun. 7. §. 4. nu. 5. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 40. dub. 18.

dub. 18. num. 121. & alij Doctores; Ergo si Episcopus potest dispensare in voto Scholarium, Mercatorum, & eorum omnium, qui maiore anni parte moram trahunt in sua Diœcesi, eo quod ratione habitationis dicantur acquirere quasi domicilium; poterit etiam cum eisdem vti prædicta facultate Tridentini dispensando in irregularitatibus, & suspensionibus occultis.

251 Addit Sanch. locis citatis non opus esse expectare, vt hi pro maiore anni parte habitauerint in ea Diœcesi, sed statimac habitare incipiunt cum animo habitãdi eo tempore, fieri Subditos eius Diœcesis ad obtinendam dispensationem ab Episcopo illius; sicut enim acquiritur domicilium statimac incipit quis habitare animo perpetuò habitandi: ita acquiritur quasi domicilium, seu quis fit Subditus, vel Parocho loci, vel Episcopo Diœcesis in qua degit statimac incipit habitare animo ibi habitandi maiore anni parte.

Ad rationem autem allatam ab Antonino Diana respondeo speciale id esse in Sacramento Ordinis, ad quod non sufficit temporalis habitatio, sed requiritur constitutio domicilij in ea Diœcesi, à cuius Episcopo petat quis ordinari, vt pat. ex cap. cum nullus de tempor. ordina. in 6. ibi, *Cum nullus Clericum in aliena Parochia debeat præter Superioris licentiam ordinare, superior in hoc casu intelligitur, in cuius Diœcesi promouendus domicilium obtinet*. Vbi ponderanda sunt ea verba, *in hoc casu*, quasi speciale sit in Sacramento Ordinis, exigi constitutionem domicilij, vt aliquis censeatur proprius Episcopus. Ex eo autem quod quis non potest ab Episcopo ordinari, non sequitur quod non possit ab eodem dispensari in voto, aut irregularitate; hæc enim voluntaria quædam nec contentiosa iurisdictio est, ad quam sicuti non sufficit quæcunque subiectio, qualis est ea quæ acquiritur solo transitu, & breui mora, & est sufficiens ad Sacramenta confessionis, & communionis ratione consuetudinis generaliter introductę: ita neque tanta requiritur, quanta necessaria est ad Sacramentum Ordinis.

Ad declarationes Cardinalium respondeo de ijs authenticè non constare: & quoties extent, eorum responsa mihi Oraculi loco futura.

252 Ex quibus inferas primo Episcopum posse quidem à casibus Papalibus occultis absoluere viatores, peregrinos, mercenarios ad breue tempus locantes suas operas; non sic autem cum istis posse dispensare in irregularitatibus & suspensionibus occultis. Et ratio est, quia ex generali Ecclesiæ consuetudine, vel ex interpretatiua Summorum Pontificum voluntate hi omnes quoad Sacramenta Pęnitentię, & Eucharistiæ, & consequenter quoad absolutionem earum censurarum, quæ impediũt receptionem horum Sacramentorum fiunt Subditi Parocho, & Episcopo loci, in quo reperiuntur, & subiectio hæc, quantumuis breuissimæ moræ sufficiens est pro his Sacramentis, quæ sunt maximè necessaria: non sic autem fiunt Subditi pro obtinenda dispensatione irregularitatis, suspensionis, aut voti, ad quam requiritur, vt Episcopus dispensans habeat in eum qui petit dispensationem iurisdictionem ordinariam, quam non acquirit, nisi is, cum quo est dispensandum, vel constituat in ea Diœcesi actuale domicilium: vel saltem ibi incipiat habitare animo ibi habitandi maiore anni parte.

253 Secundò Episcopum posse in prædictis dispensare cum vagis; hi

enim sortiuntur Diœcesim, in qua pro tempore reperiuntur, vnde ab illius Episcopo dispensationem accipere possunt; cum Scholaribus, qui extra propriam Diœcesim, vbi habent domicilium, morantur in Academijs vt literis operam nauent; professoribus disciplinarum; mercatoribus; Prætoribus, seù electis ad Prouinciam, vel Ciuitatem gubernandam; famulis, mercenarijs ad longum tempus suas operas locantibus; aduenis, qui causa pestis, belli, aut negotij perficiendi in alienam Diœcesim diuertunt; alijsq; similibus, quoties habeant animum ibi habitandi maiore anni parte: sic enim contrahi parœciam, & acquiri proprium Parochum, non solum ad Sacramenta quæ Parochus confert, sed etiã ad Sepulturam, & fusè docet Sanch. cit. & probabiliorem hanc esse sententiam semper existimaui.

254 Restat hoc loco dubium, an Religiosi exempti possint subijcere se Episcopo ad finem obtinendæ absolutionis, vel dispensationis in ijs casibus, in quibus Episcopus absoluere, vel dispensare potest cum suis Subditis. Respondeo posse de licentia suorum Superiorum. Et probatur, quia licet Religiosi sint exempti, tamen in fauorabilibus rectè comprehendi possunt nomine Subditorum illius Diœcesis, in qua degunt pro tempore habitationis. Tum quia Regularis ex Superioris sui licentia, saltem in his quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, vt sunt absolutio, & dispensatio, potest cedere priuilegio exemptionis, & consequenter subijcere se Episcopo, vt ab ea absoluatur, & cum eo dispenset. Ita Sanch. in sum. lib 4 cap. 39. num. 32. & lib 2. sum. cap. 11. nu. 10. quo loco cum Pet. de Ledes. 2. tom. sum tract. 1 cap. 6. post 20. conclus. dub. 4. asserit potiori iure Episcopum posse vigore dicti decreti absoluere Moniales sibi subiectas ab excommunicationibus occultis Papæ reseruatis, & cum illis dispensare. Quia licet Episcopi, vt Episcopi non sint Prælati earum Monialium, quæ ipsis specialiter subduntur, cum profiteantur Regulas Religionum exemptarum, vt D. Augustini, Sancti Francisci &c. tamen hæ Moniales sunt Episcopo subiectæ; nec Decretum Tridentini est ita formaliter intelligendum, vt petat subiectionem Episcopo, quatenus Episcopus est.

§. DVODECIMVS.

An Episcopus ipse possit hac Tridentini facultate vti pro se ipso.

255 *Responsio est affirmatiua.*

256 *An possit secum ipse dispensare. Et an hoc idem præstare possit habens facultatem nonnisi delegatam.*

255 Respondeo affirmatiuè; non enim Episcopus debet esse deterioris conditionis, quàm sint subditi. Quare in ijs omnibus casibus in quibus potest suos Subditos absoluere, aut cum eis dispensare, potest eam totam facultatem suo Confessario committere, vt eum absoluat, aut cum eo dispenset. Et sic declarasse Sacram Cardinalium Congregationem refert Garzias de benef. par. 11. cap. 10. num. 139. Et ita docent communiter Doctores, Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 3. num. 3. & lib. 2. sum. cap. 11. num. 11. Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 5. pun 1. num. 8. Floronus de casibus reser. p. 1. cap. 4. §. 7. nu. 14. apud quos alij plures.

256 Hac occasione quæri vlterius solet, an Episcopus, & quilibet alius Prælatus

Prælatus habens generalem facultatem, siue ordinariam, siue delegatam ad dispensandum cum sibi Subditis, possit per se ipsum exercere hanc potestatem, secum dispensando, negant alij absolutè, docentes neq; Summum Pontificem posse secum dispensare. Probant primò, quia nullus in se ipsum ea, quæ sunt iurisdictionis potest exercere, l. qui iurisdictioni ff de iurisdictione omnium Iudicum; sed tantum erga Subditos. Atqui dispensare cum aliquo est erga eum iurisdictionem exercere, cum dispensatio sit actus iurisdictionis, vt communiter docent DD., ergo neque Pontifex ipse potest secum dispensare. Tum quia eiusdem est ligare, & soluere cap. inferior d. 21. C. cum inferior de maior. & obed. Sed nullus potest se ipsum vlla lege ligare, vt constat etiam de Supremo Principe, quem omnes concedunt suis legibus quoad vim coactiuam ligari non posse; ergo nec poterit se ipsum à legis obligatione absoluere, secum dispensando.

Alij hanc facultatem secum dispensandi concedunt soli Pontifici, & alijs Prælatis inferioribus illam negant. Probant autem, quia Papa habet plenitudinem potestatis, quam alij Prælati inferiores, siue Seculares, siue Regulares non habent. Tum quia in Prælatis inferioribus non vrget ea necessitas, qualis vrgent in Pôtifice; hic enim caret Superiore, quem adeat pro dispensatione obtinenda; illi verò habent Pontificem. Quare Papa poterit secum dispensare in ijs omnibus in quibus de iure diuino non requiritur personarum distinctio, vt dispensare in voto, iuramento, aut aliqua lege. At verò se ipsum baptizare, ordinare, confirmare, absoluere a peccatis non poterit, quia de iure diuino, & ex Christi institutione in his requiritur distinctio personalis inter dantem & accipientem. Ita Doctores varij apud Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 3. num. 4. & 5.

Ego verò respondeo & Summum Pontificem, & Prælatos omnes illo inferiores, siue Seculares, siue Regulares (quales sunt Episcopi, Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in sua Diœcesi nulli Episcopo subiectam; Prælati Regulares, siue Generales, siue Prouinciales, siue Præpositi locales, qui toti domui præsunt; siue eorum absentium vices gerentes, nempe Vice Rectores, Vice Priores) habentes generaliter, & absque vlla limitatione ad certas personas, vel certum personarum numerum facultatē ordinariam, vel delegatam dispensandi cum omnibus sibi Subditis, posse in ijs omnibus secum dispensare, in quibus per facultatem sibi generaliter à iure, vel per priuilegium concessam cum suis Subditis possunt dispensare. Probatur, quia si Papa, aut inferior Prælatus non potest secum dispensare, maxime quia dispensatio est actus iurisdictionis quem nullus in se ipsum potest exercere. Sed hæc ratio non obstat. Ergo &c. Minor probatur, quia iurisdictio hæc secum dispensandi non est contentiosa, neque coactiua, itaut necessaria sit personarum distinctio: sed est voluntaria, quam nullo iure, nec diuino, neque naturali, neque humano prohibetur quis in se ipsum exercere; id enim habet voluntaria iurisdictio, vt in ea possit quis plurium vices sustinere, saltem in ijs casibus, in quibus non adest specialis prohibitio.

Sic Prælatus potest lucrari indulgentias à se ipso concessas: de quo casu loquens Valentia 4. par. disp. 7. q. 20. pun. 3. col. 3. vers. Secundò asserimus, eam

eam reddit rationem, quia licet actus iste sit iurisdictionis, non est tamen talis, qui vim coactiuam exerceat, itaut necessarium sit eum exerceri circa aliquem alium.

Sic ex iure ciuili Consul apud semetipsum potest manumittere seruum suum, vt habetur ex l. vna ff. de off. Consul. atque ita potest repræsentare personam Domini, ac personam Consulis. Et si filius familias sit Præses potest semetipsum emancipare, vel in adoptionem tradere, vt habetur ex l. si Consul ff. de adoption.

Sic ex iure canonico constat eandem personam secundum diuersas rationes posse esse subditam, & Superiorem. Pro quo facit. *Cap. à collatione, de appellationibus in 6.* vbi si collatio Canonicatus facta est à Capitulo cum assistentia Episcopi, vt Episcopus est, non potest appellari ad ipsum, quia fieret ad eundem, secundum eundem; Si verò Episcopus interfit, non vt Episcopus, sed vt Canonicus, tunc benè valet appellatio; quia licet videatur fieri ad eandem personam, non tamen secundum idem munus.

Sic etiam in naturalibus idemmet secundum diuersas rationes potest esse agens & patiens respectu sui ipsius, vt potentia visiua, quæ quatenus exercet actum visionis est agens, quatenus eundemmet actum recipit est patiens. Non ergo repugnat Pontificem, Episcopum, & alium quemcunq; Prælatum, vt egentem dispensatione, seu vt hominem subijci sibi ipsi tanquam Superiori. Ac sicuti Papam intelligimus Superiorem & Subditum quando cum tota communitate fidelium dispensat in ieiunio; vel toti fidelium communitati concedit indulgentias: & quidem illum Superiorem intelligimus, vt concedentem, & dispensantem: Subditum verò, quatenus vt pars Communitatis potest ea dispensatione & concessione frui: ita possumus eundem intelligere Superiorem, & Subditum quando secum ipse in casu particulari dispensat; in vtroq; enim casu idem erga se ipsum dicitur iurisdictionem exercere, ac vice Superioris, & Subditi fungi: Superioris quidem, quatenus dispensat; Subditi verò quatenus dispensatur. Et quod de Summo Pontifice conceditur, idem quoq; de Episcopo & alijs Prælatis est concedendũ; non enim debent esse peioris conditionis, quàm sint Subditi, cum quibus ipsi tanquam Superiores possunt dispensare. Tum quia militat eadem ratio à nobis adducta, quod videlicet vsus iste iurisdictionis in se ipsum nullo iure sit prohibitus; non diuino, quo modo prohibitum est se ipsum sacramentaliter absoluere, vnde est vt actio ista ex iure diuino exigat distinctionē personalem inter absoluentem & absolutum; non Ecclesiastico, cum distinctio hæc personalis inter dantem, & accipientem exigatur tantum in casu speciali collationis beneficiorum ad vitandum perniciosum exemplum Prę-lati; neque naturali, vt patet ex dictis. Ita Azor lib. 7. institut. moral. cap. 29. quæst. 7. Molina to. 1. de iust. tract. 2. disp. 247. versic. Religiosus tamen. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 5. nu. 6. & sequentibus. Bossius de iubileo sect. 1. casu 10. §. 9. per totum.

Ex quibus patet ad rationes in contrarium. Ad primam enim, in qua dicitur neminem posse in se ipsum iurisdictionem exercere, respondetur id verum esse de iurisdictione contentiosa, quæ testium probationem, ac Partis citationem requirit: vel de iurisdictione coactiua, seu punitiua, quomodo si Papa, vel Episcopus excommunicaret

omnes

omnes alicui delicto obnoxios non cõprehenderetur ipsemet, etiamsi illius delicti reus esset: vel de iurisdictione pertinente ad absolutionem sacramentalem; non sic autem de iurisdictione voluntaria, quam non repugnat erga se ipsum ab aliquo exerceri.

Ad secundam respondeo, axioma illud, eiusdem esse ligare & soluere, ita esse intelligendum, vt nullus possit absolutè & totaliter tollere legem, nisi qui potest ligare; cæterum in casu speciali soluere potest, qui non potest ligare. Sic Episcopus potest in casu speciali ad legem ieiunij pertinente dispensare, quamuis lege ieiunij generali non liget. Sic habens facultatem delegatam dispensandi soluere potest, licet non possit ligare. Non ergo mirum, quod habens facultatem dispensandi cum Communitate, licet non possit se ipsum lege ligare, possit tamen secum dispensare.

Ad rationem allatam ad probandum hanc potestatem secum dispensandi competere soli Papæ ob plenitudinem potestatis quam habet, respondetur hanc eandem plenitudinem habere Episcopos in sua Diœcesi; in eo enim tantum cæterorum Prælatorum potestati eminet potestas Papæ, quod hæc est generalis in toto orbe, & ab ipsa omnium Prælatorum potestas deriuetur, possitq, ex iustis causis restringi. Tum quia ex nullo textu, aut ratione probari potest ex plenitudine suæ potestatis id habere Papam vt secum ipse possit dispensare.

Ad alteram item rationem petitam ex necessitate, quam habet Papa secum dispensandi, eo quod careat Superiore, quem adeat, vt secum dispenset, respondetur posse suo Confessario committere, vt secum dispenset: at si Confessario suo committit, vt se a peccatis absoluat, multo magis eidem committere potest, vt secum dispenset; & sic cessat necessitas secum dispensandi. Quare aliunde petenda est ratio, & ea est, quam nos ipsi attulimus superius Papæ, & Prælatis alijs inferioribus communis.

§. DECIMVSTERTIVS.

An Episcopus, & quilibet alius Prælatus possit se ipsum absoluere à censuris.

257 *Responsio est affirmatiua, quoad Summum Pontificem.*

258 *Quoad alios Prælatos negatiua si de maiore excommunicatione sit sermo: si de alijs censuris affirmatiua. Author tamen primæ partis assertionem facit problematicam.*

257 Casum hunc tractat Bossius de iubileo sect. 1. casu 10. nu. 197. ex quo respondeo cum distinctione. Si enim sermo sit de Summo Pontifice, certum est hunc posse se ipsum absoluere a vinculo excommunicationis maioris, minoris, & cuiuscunque alterius censuræ. Et ratio est, quia si distinctio personalis requiritur inter absoluentem, & absolutum, vi cuius idem non possit se ipsum absoluere, ea non nisi iure humano requiritur; Pontifex autem est supra hoc ius; vnde satis est si Papa signo aliquo externo declaret se velle esse absolutum à tali censura. Tum quia iurisdictio hæc est voluntaria, quam potest quis in se ipsum exercere, vt patet ex dictis.

Dices, Summus Pontifex non est capax censuræ, inter cæteras enim conditiones quæ requiruntur in eo, qui ligandus est censura, ea enumeratur, vt is qui ligatur censura sit inferior &

Subdi-

Subditus ferenti censuram; Summus autem Pontifex nullum habet Superiorem, neque est vllo inferior, cap. Cuncta per mundum 9 quæst. 3. Ergo in intelligibile est, quod possit se ipsum absoluere.

Respondeo, vel Doctorem citatum locutum ex suppositione, videlicet, si Papa esset capax censuræ, quod posset se ipsum absoluere. Vel certè locutum de Papa, qui antequam assumeretur ad Pontificatum esset innodatus aliqua censura, eumque post assumptionem posse à tali censura se ipsum absoluere.

258 Quod si sermo sit de Episcopis, & alijs Prælatis inferioribus, respondeo non posse quidem se ipsos absoluere ab excommunicatione maiore; at verò ab alijs censuris, puta interdicto, suspensione, & excommunicatione minore, omnino posse. Prima pars probatur, quia licet in iure non sit præscripta certa verborum forma pro absolutione ab excommunicatione maiore, vt communis Doctorum sententia docet, sed sufficiant quæcunque verba, quoties sufficienter exprimant effectum proprium absolutionis, puta vinculum tolli, & hominem per excommunicationem segregatum ab Ecclesia eidem restitui; nihilominus in iure, vt Cap. A nobis 2. & Cap. Cum desideres de senten. excommu. cautum est, vt in absolutione ab excommunicatione maiori aliqua verba ore prolata, vel scripta adhibeantur, qualia sunt hæc, *Absoluo te*, quæ Ecclesia consueuit adhibere; vel alia similia, vt *relaxo tibi excommunicationem*; vel *reconcilio te Ecclesiæ*, vel quid simile: quæ forma importat absolutionē dirigi ad subiectum distinctum ab absoluente. Cum autem Episcopi, alijq; Prælati inferiores teneantur vti forma à iure præscripta pro absolutione ab excommunicatione maiore vt patet ex iuribus citatis, & clariùs *Cap. Cum desideres de sent. excommu.* ibi *secundum formam Ecclesiæ &c.* neq; possint ius immutare; inde est, vt non possint se ipsos ab hac censura absoluere.

Dices, si iura hæc bene perpendantur nō aliud videri exigere, quam quod absolutio ab excommunicatione maiore sit verbalis; proindeq; nullam videri repugnantiam si dicamus Episcopos, aliosque Prælatos inferiores posse se ipsos absoluere etiam ab excommunicatione maiore, vt si Episcopus innodatus hac censura ob peccatum Simoniæ à se commissum, dicat, Absoluo me ab excommunicatione, quam per Simoniam contraxi. Respondeo dicto *Cap. Cum desideres* præscribi, vt absolutio ab excommunicatione maiore impendatur secundum formam Ecclesiæ; hæc autem est talis, quæ importat distinctionem personalem inter absoluentem, & absolutum. Si quis tamen hoc sustineret, videlicet iura illa hoc tantum exigere; quod pro absolutione ab excommunicatione maiore verba desiderentur, & hoc ne quispiam putaret facto ipso se esse absolutum, puta si Episcopus scienter admisisset ad diuina aliquem excommunicatum, non illicò ita sentientem damnarem; sic enim iuris citati saluari posset intellectus, dicendo absolutionem hanc secundum formam Ecclesiæ esse impendendam, idest per formam verbalem, qualis etiam esset hęc, Absoluo me ab ea excommunicatione, quā per Simoniæ labem contraxi.

Altera verò pars, quod videlicet Prælati inferiores Papa possint se ipsos absoluere à censuris interdicti, suspensionis, & excommunicationis minoris, probatur, quia valdè probabile

ſit has cenſuras poſſe tolli etiam nulla adhibita verborum forma, dummodo per aliud ſignum conſtet de voluntate abſoluentis: at ſi ſecum ipſe diſpenſare poſſunt, quare non et ab his cenſuris abſoluere?

Sic ſi Epiſcopus ſcienter irregulari, cum quo diſpenſare poteſt, conferat literas dimiſſorias ad Ordines, dicitur facto ipſo ſuper ea irregularitate diſpenſare, dato quod habeat facultatem diſpenſandi.

Sic ſi Epiſcopus ſciens aliquem voto temporalis caſtitatis aſtrictum, illum matrimonio coniungat, cenſetur diſpenſare, & diſpenſatio ipſa tenet, quoties adfuerit legitima cauſa diſpenſandi. Vt bene Sanch. lib. 8. de Matrim. diſp. 4. num. 17. & 18. Et ratio eſt, quia cum diſpenſatio non exigat certam formam, neque verborum expreſſionem, ſatis eſt ſignum aliquod externum, ex quo animus diſpenſandi deducatur. A pari ergo, cum ad tollendas prædictas cenſuras interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis minoris non requirantur hæc verba, *abſoluo te*, vel alia ſimilia, ſed ſufficiant quæcunque ſigna, quibus ſignificatur voluntas abſoluentis: & hæc quidem ſigna neceſſaria tantùm ſint, vt de voluntate, & intentione abſoluentis cõſtet illi, qui petit abſolui: non repugnabit ex hac parte Epiſcopum poſſe ſe ab his cenſuris in ijs caſibus abſoluere, in quibus abſoluere poteſt ſuos Subditos. Demum verò facit ratio in Superiore § adducta, quod, videlicet, iuriſdictio hæc ſit eius generis, quam poteſt quis in ſe ipſum exercere, niſi aliud obſtet, vt dictum eſt de abſolutione ab excommunicatione maiore.

DIFFICVLTAS XXXXXI.

An quando reſeruationes vnius peccati plures ſunt, vnà ablatà, aliæ omnes tollantur.

259 *Quando reſeruationes nullam habent adnexam cenſuram, & omnes ſunt ab eodem Superiore, vnà ablatà omnes tolluntur.*

260 *Secùs verò ſi ſint à diuerſis Superioribus diuerſam poteſtatem habentibus & inter ſe ſubordinatis.*

261 *Quid ſi reſeruationibus ſit adnexa cenſura.*

259 Reſpondeo cum diſtinctione. Vel enim reſeruationes hæ nullam habent adnexam cenſuram; vel illam habent.

Si primum, quoties eæ reſeruationes omnes ſint ab eodem Superiore, vnà ablatà, omnes tolluntur. Et ratio eſt, quia licèt videantur plures, tamen realiter ſunt vna repetita. Quare per vnicam facultatem à tali peccato abſoluendi, tollitur omnis huiuſmodi reſeruatio. Nomine autem eiuſdem Superioris, non ſolum intelligo eundem, identitate perſonæ, ideſt eum ipſum, qui reſeruationem tulit, ſed etiam eundem identitate poteſtatis, ideſt eum, qui eandem habeat poteſtatem. Vnde ſi Epiſcopus aliquis, peccatum aliquod decreto ſuo reſeruet, illudq; idem nouo decreto reſeruet Succeſſor: facultas à Succeſſore obtenta, qui eadem gaudet poteſtate, ſufficiens eſt ad reſeruationes omnes tollendas, quæ per ſtatuta Anteceſſoris adhuc vigeant. Ratio verò eſt, quia licèt leges plures ſint, effectus tamen vnus, & idem eſt, puta ablatio iuriſdictionis manantis à tali

pote-

potestate; ergo iurisdictio hæc restituetur per vnicam facultatem ab eadem potestate manantem.

260 Quod si reseruationes eæ sint à diuersis Superioribus inter se subordinatis, & diuersam potestatem habentibus, putà ab Episcopo, & à Papa; tunc apertè constat Episcopi facultatem non sufficere ad tollendam reseruationem Papæ, cùm inferior non possit iurisdictionem eam alteri delegare, quam Superior sibi tantùm reseruauit. Quare ablata reseruatione Episcopali, manebit Papalis.

E contra verò an ablata reseruatione Papali auferatur Episcopalis, affirmat Nauarrus cap.27. num.255. Suar. disp.31. de pœnit. sect.24. num.25. existimat suppositionem moraliter repugnare, & quod vnum & idem peccatum absq; censura videatur non posse esse reseruatum Papæ, & Episcopo: eo enim ipso, quod Pontifex reseruat sibi peccatum absq; censura, iam Episcopus non potest ab illo absoluere: quomodo ergo Episcopus poterit reseruare sibi aliquod peccatum, à quo neque ipse possit absoluere, neq; alteri delegare facultatem ad absoluendum? Id quòd bene aduertit Cardinalis de Lugo disp. 20. de pœnit. sect.8. num. 149. qui num. 151. subdit, id ita verum esse, vt si Episcopus, vel alius Prælatus inferior prius reseruasset sibi aliquod peccatum; atq; hoc idem postea sibi Papa, vel alius Prælatus Superior reseruaret, eo ipso cessare reseruationem Episcopi vel Prælati inferioris. Et ratio est, quia per reseruationem Papæ intelligeretur ablata Episcopo facultas ab eo peccato absoluendi: vnde sicuti Episcopus non posset sibi illud peccatum reseruare; ita nec reseruationem antea factam continuare. Intellige semper quoad culpam. Vnde Sacra Congregatio Cardinalium de mandato Clemen. VIII. in suo Decreto edito anno 1602. circa casus reseruatos, prohibuit, ne de cętero Episcopi reseruarent sibi casus legi solitos in Bulla Cœnæ, nec alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos. Cæterum quoad censuram vnum & idem peccatum potest, & Papæ, & Episcopo, vel alij Prælato inferiori esse reseruatum.

261 Si secundum, hoc est, si reseruationi sit adnexa censura, adhuc respondeo cum distinctione. Vel enim eæ reseruationes plures sunt propter plures censuras, idest propter plures excommunicationes reseruatas; vel solù propter plures leges ferentes eandem excommunicationem supra idem peccatum. Si primum, vnà ablata possunt aliæ manere, & ita per vnam facultatem non tollitur omnis reseruatio. Si secundum, vnà ablata tota tollitur reseruatio, quia vnica est, licet ex multiplici titulo; multiplex autem non facit multiplicem reseruationem. Ita Suar. superiùs cit.

Cum autem quoad censuram vnum & idem peccatum possit esse Papæ, & Episcopo reseruatum, addam hoc loco, licet ablatà excommunicatione Papali remaneat Episcopalis, tamen per absolutionem ab excommunicatione Papali ablatam esse reseruationem peccati iuxta dicta à nobis in difficultate superiore §. 10. in fine; cum enim Episcopus non potuerit reseruare sibi peccatum, quod Pontifex reseruauerat, consequens est, vt reseruauerit tantùm excommunicationem à se latam: quare ablata excommunicatione Pontificis, qui sibi peccatum reseruauerat aufertur tota reseruatio peccati. Et sic pęnitens eo peccato affectus, si non poterit ab eo peccato per quemcunque Confessarium absol-

ui, id erit per accidens ratione excommunicationis reseruatæ. Cęterum in veriore sententia asserente, quod excõmunicatus validè absoluitur à peccatis, poterit contingere, quod aliquando pœnitens ille validè & directè absoluatur ab illo peccato, manente excommunicatione Episcopi; & quidem licitè: siue quia illa perseuerantia excommunicationis ignorabatur: siue quia non erat copia Superioris, & vrgebat necessitas celebrandi, vel cõmunicandi; quo casu superius concessimus posse excommunicatum licitè confiteri peccata sua inferiori Confessario; & tunc non esset obligatio iterum confitendi tale peccatum, cum iam directè fuisset absolutum, sed tantùm obtinendi absolutionem ab excommunicatione Episcopali.

DIFFICVLTAS LII.

An inferiori Confessario licitum sit ex timore mortis, vel alterius grauis damni, absoluere habentem casus reseruatos.

262 *Sententia est affirmatiua.*

263 *Si hæreticus minaretur alicui Sacerdoti mortem si non consecraret totum panem in foro extantem, vtrùm posset illum consecrare.*

264 *Vtrùm ex timore mortis licitum sit contrahere matrimonium cum impedimento dirimente.*

265 *Ex timore mortis an liceat excommunicare absquè potestate.*

266 *Ex timore mortis an possit indigno ministrari Eucharistia.*

267 *An peccatori occulto porrigi aliquando possit hostia non consecrata pro consecrata.*

268 *An verba absolutionis possint aliquando à Confessario absq; intentione proferri.*

269 *An dari possit casus, vt quis licitè omittere possit susceptionẽ baptismi.*

270 *An ex timore mortis possit Sacerdos celebrare sine vestibus Sacris.*

262 RESpondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia sicuti periculum famæ, aut vitæ Pœnitenti imminens, est iusta causa, vt inferior Confessarius possit à casibus reseruatis absoluere: ita etiã erit causa sufficiens periculum vitæ imminens ipsi Confessario. Et si metus grauis inferatur ab ipso Pęnitente, poterit Confessarius verba absolutionis proferre sine intentione, tanquam circa indispositum; hoc enim posse fieri à quocunq; Confessario docet Sancius in select. disp. 35. num. 6., quando alia via non potest vitare malum comminatum.

263 Sic si hæreticus minaretur alicui Sacerdoti mortem, si non consecraret omnem panem in foro extantem, posse vti æquiuocatione, & intentionem non habere consecrandi docet idem Sancius l. cit. Intellige tamen præciso contemptu fidei.

264 Sic ex timore mortis, vel alterius grauis damni licitum esse contrahere matrimonium in impedimento dirimente docet Suar. de leg. lib. 3. cap. 30. num. 13., ex eo quòd Ecclesia non obliget cum tanto rigore, & in tali casu matrimonium esset nullum.

265 Sic ex timore mortis posse aliquem excommunicare absquè potestate docet Sanch. in sum. tomo 1. lib. 1. cap. 19. num. 8., licèt contrarium asserat Suar. de cens. disp. 6. sect. 3. num. 8.

266 Sic posse Sacerdotem ex timore mortis ministrare Eucharistiam indigno docet Suar. de Sacramento Eucharistiæ disp. 67. sect. 1. vers. vltimo quæri potest.

267 Sic non desunt Doctores qui asserant

afferant posse porrigi hostiam non consecratam pro consecrata Peccatori occulto scienti, & petenti sibi dari ad vitandam infamiam, dummodò proponatur hostia consecrata adoranda,& à tergo post illam non consecrata, ita vt non videatur, nec adoretur, & hoc fiat ex consensu Peccatoris, ne fortè ex conscientia erronea adoret non consecratam pro consecrata. Ita Villalobos in sum tomo.1. tract.7.dift. 38. num. 7. &c.

268 Sic posse Confessarium ob solatium scrupulosi anxiè petentis absolutionem, cùm tamen indispositus sit, verba absolutionis sine intentione proferre,docet Sancius superiùs citatus.

269. Sic si quispiam sit moraliter certus de contritione, non teneri cum vitæ discrimine suscipere baptismum, aut Eucharistiam docet Sotus lib.1. de iust. quæst. 6. art. 4., licèt contrarium sentiat Azor. tom.1. lib.1. cap.11. q.2.

270 Sic posse Sacerdotem ex timore mortis,vel alterius grauis damni celebrare sine vestibus sacris, & mixtione aquæ,præciso tamen contemptu fidei, docet Valent. tomo 3. disp. 7. quæst. 5. puncto 8.

DIFFICVLTAS LIII.

Quid facere teneatur Confessarius qui Pœnitentem à reseruatis inualidè absoluit...

271 *An defectum commissum possit per se ipsum Confessarius supplere. Refertur sententia id docens.*

272 *Approbatur hæc sententia in materia censurarum, non autem peccatorum, à quibus Sacramentalis absolutio non potest dirigi in absentem.*

273 *Refertur sententia docens, si Pœnitens huius defectus sit ignarus, eum esse reliquendum in bona fide.*

274 *Sententia Authoris.*

275 *Quid si Pœnitens nolit dare licentiam Confessario, vt ei aperiat defectum commissum.*

276 *Satisfit argumentis propositis contra veram sententiam.*

QVærimus in hac difficultate de casibus ijs, in quibus contingat Confessarium ab aliquibus peccatis inualidè absoluere defectu iurisdictionis.

271 Respondent aliqui, dicendo in casibus ijs, in quibus Confessarius ex defectu iurisdictionis malè absoluit Pœnitentem, posse per se ipsum supplere defectum, nihil dicendo Pœnitenti, sed tantùm supplendo id, quod defuit, putà intentionem, vel iurisdictionem, petendo facultatem à Superiore: & sic si probabiliter putet Pœnitentem esse dispositum, repetendo absolutionem, illamque ad Pœnitentem dirigendo vbicunque sit. Ita D. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 12. quem modum sic absoluendi refert placuisse multis Patribus in Conc. Basiliensi.

272 Verùm hic modus optimus quidem est, si de censura sit sermo, cùm illius absolutio possit ferri in absentem, & ignorantem; quinimò & in inuitum, atq; in mortali peccato existentem, nec solùm validè (de hoc enim non est dubium inter Doctores.) Sed aliquando etiam licitè, cùm non sit Sacramentum, sed tantùm iudicialis quædam sententia fori contentiosi. Vt bene Vgol. tab. 1. cap. 19. §. 2. num. 3. Turrianus de censur. lib. 2. disp. 24. dub. 7. Philippus Faber de censur. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 8. nu. 261. Quo loco aduertit licere absoluere inuitum ab excommunicatione, etiamsi excommunicatus nolit desistere à contumacia, & à peccato propter quod

fuit excommunicatus: putà quando videret censuram obesse potiùs quàm prodesse, & venenum potiùs afferre, quàm medicinam. Cęterùm si de peccatis sit sermo, modus hic est omninò improbandus, cùm absolutio Sacramentalis non possit impendi absenti, vt patet ex constitut. Sanctiss. D. N. Clementis VIII. ijs verbis, [Sanctissimus D. N. &c. re maturè, ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu per internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minùs vti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit; præcepitq; ne deinceps ista propositio, publicis, priuatisquè lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur.]

273 Respondent alij, si Confessarius ab aliquo peccato malè absoluerit Pœnitentem ex defectu iurisdictionis, vt contingit in casibus reseruatis, dato quòd Pœnitens sit ignarus, nihil illi esse faciendum, neque à Superiore postulandam licentiam pro absolutione, sed in sua bona fide Pœnitentem esse relinquendum, quorum ratio est, quia Pęnitens ab omnibus peccatis est absolutus, putà à non reseruatis directè, indirectè verò à reseruatis. Ita Io. Valerus in different. vtriusquè fori; v. pęn. different. 9. nu. 2. in fine qui citat Cord., & Henriq.

274 Ego verò respondeo primò, si Confessarius non possit monere Pœnitentem sine graui detrimento, incommodo, vel scandalo, non teneri ad eum monendum, tam si defectus fuerit tantum ex parte Pœnitentis, quàm si ex parte ipsius Confessarij. Ita DD. inferiùs citandi. Ratio est, quia incommoda, hæc excusant Pœnitentem ab integritate confessionis. Ergo eadem excusabunt Confessarium ab onere monendi Pęnitentem. Tum quia per alias Confessiones constituetur Pęnitens in statu gratiæ, & indirectè saltem per posteriorem Confessionem ea peccata delebuntur, à quibus nullo modo fuerit absolutus per priorem. Hæc tamen vera sunt, quoties Pęnitens non esset in proximo mortis periculo, ita vt nec posset iterum confiteri, nec aliud Sacramentum suscipere: in hoc enim euentu quoties Pęnitens fuisset inualidè absolutus, lex charitatis obligaret ad difficultatem omnem vincendam, vt tali egenti, & in extrema necessitatę cōstituto subueniretur.

Respondeo secundò, quando sine graui nocumento, & scandalo potest Confessarius monere Pœnitentem de inualiditate confessionis, teneri ad illum monendum, & inducendum, vt iterum sibi priora peccata confiteatur. Ita Med. quæst. 39. de Alieno sine licentia propr. absoluendo, Soto dist. 18. quæst. 4 art. 6. Cord. in sum. hispanica quæst. 7. Sylu. v. Confessor 3. in principio, qui absolutè, & sine vlla distinctione docent Confessarium teneri in hoc casu admonendum postea Pœnitentem. Idemquè iuxta nostram distinctionem tenent Suar. disp. 32. sect. 6. nu. 6. Coninc. disp. 8. dub. 17. nu. 143. Regin. lib. 8 num. 30. Flor. par. 1. cap. 5. sect. 10. De Lugo de pœnit. disp. 22. sect. 3. Diana 1. par. miscel. 1. resol 60. Ratio autem est, quia tenetur consulere saluti Pœnitentis quantùm potest: Sicuti qui alium decepit dicens, hodie non esse diem festum, cùm tamen verè sit, tenetur illum maturè admonere si potest, vt præceptum impleat, etiamsi

illc

ille ob ignorantiam inuincibilem esset excusandus: Et Iudex, qui malè tulit sententiam, tenetur illam declarare si potest: & quidem si defectus ab ipso Confessario fuit commissus, eo quòd Pœnitentem sine iurisdictione absoluerit, optimum medium erit procurare, vt iterum Pœnitens sibi confiteatur de peccatis post primam confessionem commissis, & in ea confessione generaliter illum interrogare de peccatis alias commissis an doleat: hoc enim satis est, vt si Confessarius eorum peccatorum recordetur, ab ijs directè absoluat. Quòd si defectus sit commissus ex parte Pœnitentis, tunc clariùs est monendus de errore commisso; vt si Pęnitens sine dolore confessus fuisset sua peccata, tunc enim quia illi non sufficeret generalis accusatio peccatorum præteritorum, esset in particulari monendus de sacrilegio.

Non reticeam tamen, quod habet Philippus Faber in disp. de pœn. in 4. sent.dist.19. q vnica disp.33.c.3. nu.18. difficilè se existimare, quod in hac monitione non adsit scandalum, quando defectus contigit ex parte Confessarij.

275 Dices quid si Pęnitens nollet dare licentiam Confessario, vt ei aperiret defectum commissum in absolutione, possit ne adhuc illum aperire? Respondet negatiuè Fagundez præcept 2. lib.6. cap.4 num 33. Cuius ratio est, quia absq; expr ssa licentia Pęnitentis non potest Confessarius cum ipso Pęnitente loqui de rebus sibi confessis; & qui aliter facit, frangit sigillum confessionis; exprobrat enim Pęnitenti peccata confessa, exosam reddit confessionem, & iniuriam facit Sacramento. Quo loco addit contra Henriq. lib 3 de pœn. cap.2. num 2 in fine, si statim post finitam confessionem occurrat error emendandus, non posse Confessarium loqui cum ipso Pęnitente de confessione, & errore corrigendo absquè prædicta licentia.

Ego verò respondeo Confessarium posse absquè vlla fractione sigilli aperire defectum commissum, etiamsi Pœnitens sit inuitus: & hoc verius est, si defectus fuerit commissus ab ipso Pœnitente. Et ratio est, quia hæc manifestatio pertinet ad complementum prioris confessionis. Ita Turrianus de pœnit. quæst. 11. art. 1. disp.33. dub.6. vbi sic habet. [Deinde Suar. & alij docent, quòd si Confessarius commisit aliquem defectum in confessione, & iudicat esse necessarium admonere Pęnitentem, potest facultatem petere ab ipso Pœnitente, vt de ea re cum ipso tractet. Quòd si nolit eam concedere poterit nihilominùs Confessarius manifestare Pœnitenti id quod iudicat esse necessarium ad rectè exercendum munus suum.

276 Obijcies primò ad probandum Confessarium, qui malè absoluit Pęnitētem ex defectu iurisdictionis teneri semper, non obstante etiam graui incommodo, vel scandalo, monere Pœnitentem de inualiditate, & quidem sic. Sacerdos inualidè baptizans, & Episcopus inualidè conferens Ordines, tenetur inualidè baptizatum, & Ordinatum monere, etiamsi Episcopo, aut Parocho graue damnum immineat. Ergo etiam Confessarius tenetur monere inualidè absolutum.

Respondeo disparitatem esse; Parochus enim, & Episcopus tenentur monere de inualiditate Ordinis, vel Baptismi, quia ex Baptismo, & Ordine inualidè suscepto sequuntur grauissima mala, & irreparabilia. Si enim Baptismus est inualidus, cętera Sacramenta nunquam validè suscipiuntur, & nunquam suum effectum sortiuntur.

Vnde nunquam per Sacramentum sic baptizatus potest fieri ex attrito contritus. Pariter si alicui Ordo inualidè conferatur, & ab omnibus Sacerdos existimetur, cùm tamen non sit, nunquam consecrabit, & nunquam verum Pęnitentiæ Sacramentum ministrabit. Cùm ergo hæc mala grauissima sint, inde est, vt ad ea impedienda teneantur Sacerdos, & Episcopus, nec excusari possint, nisi scandalum, vel nocumentum imminens esset grauissimum, & ineuitabile. At verò ex inualida absolutione non sequuntur hæc mala adeò grauia, cùm facilimè, vel per contritionem, vel per sequentem confessionem compensari possint. Vnde est, vt non eadem causa requiratur in Confessario ad illum excusandum ab admonitione Pęnitentis, quæ requiritur in baptizante, vel ordinante ad illum excusandum a monitione baptizati, vel ordinati.

Addam tamen ex Antonino Diana par. 5. tract. 13. Miscell. 1. resol. 55. Episcopum qui malè & inualidè aliquem ordinauerit in Subdiaconum, vel Diaconum, sed validè in Sacerdotem non teneri cum periculo vitæ, aut famæ manifestare talem defectum. Et ratio est, quia supposito charactere Sacerdotali validè exercebit suas functiones, & consequenter non poterunt timeri ea mala, de quibus in obiectione. Vnde optime docuit Iacobus Granado in 1. 2. D. Tho. controu 9. tract. 1. disp. 6. num. 9. Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus non esse ita necessarios, vt per Sacerdotalem potestatem non possint suppleri munera, propter quæ ij instituti sunt: & præterea non habent adnexum aliquem actum absolute necessarium ad salutem (vt Sacramentum Baptismi) aut defectu cuius Ecclesiæ preuenire possit notabile damnum.

Obijcies 2. cum Cardinali de Lugo, qui damnum alteri iniustè dat tenetur etiam cum ęquali suo damno illud sarcire; ergo saltem Confessarius ille, qui culpabiliter inualidè absoluit pœnitentem tenebitur etiam cum graui suo damno illum monere de inualiditate confessionis. Antecedens probatur: nam si culpabiliter aliquem infamasti teneris etiam cum detrimento tuæ famæ illius famam reparare, vt docet Less. lib. 2. cap. 11. dubit 22. num 116. & de teste falso loquens idem Lessius cap. 30. dubit. 7. num. 30. docet illum teneri suum testimonium retractare etiam cum grauissimo suo damno. Vnde si alios ad falsum testimonium dicendum induxeris, teneris ex iustitia illos monere, vt retractent: quod si noluerint debes Iudici totã tuam machinationem aperire, vt innocens liberetur, quamuis inde tibi certa mors immineret, vt bene docet Petrus Nauar. lib. 2. cap 3. num 253. Intellige, quoties ex illo falso testimonio mors innocenti impenderet; regula enim ea generalis est, quam tradunt communiter Doctores, vt quisque teneatur damnum, quod alteri iniustè parauit, auertere cum pari suo damno; Ergo Confessarius tenebitur etiam cum notabili suo damno reparare damnum pœnitenti secutum ex inualida sua absolutione.

Respondeo argumentum illud tantum probare, quod strictior sit obligatio Confessarij admonendi pęnitentem, quando culpabiliter inualidè absoluit pœnitentem, quam quando inculpabiliter ita absoluit: vnde Confessarius, qui sua graui culpa fuit causa irritandi absolutionem multò strictius tenetur reparare damnum pœnitenti, quam teneatur is, qui inculpabiliter il-

illud

lud damnum attulit; Cæterum cum damnum pęnitenti impendens non aliud sit, quam quod illa peccata indirectè tantùm remittantur per posteriorem confessionem, & prius Sacramentum remaneat irritum; quod damnum in morali æstimatione longè minus est, quàm sit illud, quod Confessario ipsi imminere potest ex sua monitione: inde est, vt siue inculpabiliter, siue culpabiliter inualidè absoluat, ad nihil teneatur, quoties ex sua monitione graue damnum, vel scandalum timeat, quia damnum hoc longe multo excedit damnum imminens ipsi pęnitenti.

DIFFICVLTAS LIV.

Quid facere teneatur Cõfessarius, qui Pœnitentem à peccatis validè quidem, sed illicitè absoluit.

277 *Regulariter loquendo Confessarius non tenetur monere Pœnitentem de defectu commisso, nisi fortè aliquod graue damnum spirituale illi immineat.*

278 *Vtrùm Confessarius qui culpabiliter non monet Pœnitentem de obligatione restitutionis, teneatur ipse restituere. Affirmant aliqui.*

279 *Sententia Authoris.*

280 *Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ.*

281 *Quid si Confessarius ipse induceret Pœnitentem ad non restituendum: vtrùm teneretur ad restitutionem, an verò satisfaceret detegendo deceptionem.*

CAsus in hac difficultate agitandus duplex esse potest. Primus si Confessarius quispiam audierit Pœnitentem, & ex negligentia culpabili non interrogauerit illum de circumstantia necessaria ad integritatem Cõfessionis. Secundus si audierit Pœnitentem obstrictum obligatione restituendi, & illum culpabiliter non obligauerit ad restitutionem. Quæri autem potest ad quid teneatur dictus Confessarius.

Quo ad primum respondet Fernandez in exam. Theol. moralis par. 4 c. 5. §. 11. in 3. in tali casu Confessarium teneri ad monendum Pœnitentem, quoties absquè scandalo, vel graui detrimento possit fieri monitio.

277 Verùm contrariam sententiam sustinet Filliucius tract. 7. de confess. cap. 12. nu. 374, quo loco habet; quando defectus Confessarij fuit tantùm circa bonos mores, & absolutio non fuit nulla, sed tantùm iniquè collata: in tali casu, regulariter loquendo, Confessarium ad nihil teneri, nisi ad pœnitentiam sui defectus. Cuius ratio est, quia Pœnitens ipse non tenetur illam confessionem iterare, sed ad summùm explicare illam circumstantiam, vel numerum, vel speciem peccati, quod omisit, postquam resciuerit se ad id teneri. Quinimò, si defectus fuisset tantùm ex parte Confessarij, tunc Pœnitens ad nihil teneretur; si verò ex parte ipsius Pœnitentis, putà quia non habuisset dolorem debitum ad fructum Sacramenti (in sententia concedente Sacramentum Pęnitentiæ informe) tunc illi satis esset supplere defectum per attritionem debitam.

Dixi, regulariter loquendo, quia si Confessarius decepisset Pęnitentem in re ad salutem animæ ipsius spectante, putà quia reliquisset illum in proxima occasione peccandi, tunc teneretur illum monere, quoties sine graui suo incommodo, vel aliorum scandalo pos-

ſet, iuxta dicta in ſuperiore difficultate.

Quo ad ſecundum, vtrùm videlicet Confeſſarius, qui culpabiliter non obligauit Pœnitentem ad reſtitutionem, teneatur ipſe reſtituere.

278 Reſpondent aliqui affirmatiuè, quorum ratio eſt, quia Confeſſarius tenetur ex officio docere Pœnitentem neceſſaria. Ergo quando non monet Pœnitentem de obligatione reſtitutionis, non implet id quod debet; ergo tenetur ipſe ad reſtitutionem, quia non monendo, virtualiter dicit illum ad nihil teneri, atq; adeò eſt cauſa moralis, vt Pœnitens non reſtituat, & conſequenter cauſa damni tertij. Ita Didacus Nugnus in additionibus ad 3. par. tom. 2. quæſt. 8 art. 4. dub. 5. folio mihi 275., Zanardus in direct. Confeſſorum par. 2. præcep. 7. cap. 26. dub. 3., Syluester v. vſura 7. quæſt. 2., qui abſolutè hoc docent de quocunquè Confeſſario, tam Parocho, quàm alio Delegato, cùm hic gerat vices Parochi.

Reſpondent alij dicendo Confeſſarios eos, qui ex officio habent curam animarum, quales ſunt Epiſcopi, & Parochi, teneri ad reſtitutionem, ſi Pœnitentem non cogant ad reſtitutionem, vel non moneant. Secùs verò ſi loquamur de ijs, qui ex officio non tenentur ad curam animarum, quales ſunt Religioſi. Et hanc ſententiam probabilem putat Leſſius lib. 2. cap. 13. dubit. 10. num. 77., & pro eadem citat Roſellam v. reſtitutio 2. num. 5. Angel. v. reſt. vltimo num. 5., Nau. cap. 17. nu. 22., Petrum Nau. lib. 3. cap. 4. nu. 125. Probat autem ſic, quia cùm Parochus, & Epiſcopus ſint Superiores, tenentur ex officio regere Subditos, & pro modo ſuæ gubernationis impedire; ne alijs damnum inferant (ideo enim decimas à Populo, & ſtipendia Eccleſiaſtica percipiunt, ſicut Principes & Magiſtratus Seculares, tributa & vectigalia) ac proinde tenentur ex officio curare quantùm poſſunt, vt Subditi faciant reſtitutionem, cùm eiuſdem rationis ſit damnum inferre, & illatum nolle reſarcire.

279 His tamen non obſtantibus reſpondeo cum contraria ſententia, dicendo Confeſſarium, ſiue Parochus ſit, ſiue Epiſcopus, quando ex ignorantia etiam vincibili non obligat Pœnitentem ad reſtituendum, ad nullam reſtitutionem teneri. Et probatur quia Confeſſarius non tenetur ex officio procurare bonum temporale aliorum, ſed tantùm bonum ſpirituale Pœnitentis, cuius cauſam agit. Quare licèt Confeſſarius non monendo Pœnitentem, peccet cōtra proprium officium: non tamen peccat contra proprium officium in ordine ad eum, cui reſtitutio eſt facienda, cùm non ſit procurator creditoris, ſed tantùm in ordine ad bonum ſpirituale Pœnitentis. Et ſic peccat tantùm contra religionem ſacrum miniſterium negligenter exercendo; Ergo non tenetur reſtituere, quia nec ratione acceptionis, nec ratione rei acceptæ: Ita Suar. diſp. 32. de pœn. ſect. 6. num. 9. Sanch. in ſum. lib. 1. cap. 6. num. 5., Coninc. de Sacram. diſp. 8. dubio 17. num. 144., Rebellus de oblig. iuſt. par. 2. lib. 17. quæſt. vltima num. 12. & par. 1. lib. 2. quæſt. 14. ſect. 8. num. 65., Malderus in 2 2. tract. 5. cap. 3. dub. 24., Barthol. à Sancto Fauſto in Speculo Confeſſor. diſp. 4. quæſt. 121. nu. 7., & 8. Filliucius tract. 7. de Confeſſ. cap. 12. num. 375. Azor. 3. par. lib. 4. cap. 16. quæſt. 3. Emmanuel Sa. v. reſt. num. 21. De Lugo diſp. 22. de pœnit. ſect. 3. num. 67. Diana par. 1. 2. Miſcel. reſol. 1. Et hanc eandem ſententiam probabilem putat Leſſius cit.

280 Ex quibus patet ad fundamentum aduersariorum; Confessarius enim non tenetur ex officio temporalibus creditorum bonis consulere, cùm illorum gratia officium non habeat, sed tenetur tantùm procurare bonum Pęnitentis. Quare licèt Pœnitenti teneatur iniungere obligationem restituendi, non tamen ad hoc tenetur ex obligatione iustitiæ, quam habeat erga creditorem, sed ex obligatione, quam habet erga Pœnitentem, qua tenetur illius bono spirituali prospicere: vnde si hoc negligat, peccabit quidē, sed non tenebitur ad restitutionem.

281 Quæ omnia vera sunt in casu, quo Confessarius culpabiliter non moneat Pœnitentem de obligatione restitutionis: cęterùm si positiuè consuleret, & induceret Pœnitentem ad non restituendum: vel si ex ignorantia crassa diceret Pœnitenti, illum teneri ad restitutionem vni faciendam, cùm tamen teneretur eam alteri facere: in hisce casibus constat apud omnes, quòd teneretur ad restitutionem, quia per suum consilium esset causa efficax damni. Verum tamen est, quòd non teneretur simpliciter ad restituendum, sed ad monendum Pęnitētem & ad tollendam deceptionem: dummodò hoc faceret tempore opportuno, quo videlicet Pęnitens propter eam moram non esset factus impotens ad restituendum. Et ratio est quia, si opportuno tempore moneat Pęnitentem de obligatione restitutionis, iam tollit causam damni, quam posuerat, & ita effectus illi non imputatur. Vt bene Suar. l. cit.

Obijcies adhuc: Prælatus non impediens Subditum detrahentem alienę famæ, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, licet eius officium respiciat solùm bonum Subditorum; Ergo pari modo, licet officium Confessarij respiciat solùm bonum pęnitentis, peccabit contra iustitiam non obligando ad restitutionem, vel non impediendo quantum potest detentionem rei alienæ.

Respondeo, concesso etiam antecedente, quod tamen aliqui negant, negandam esse consequentiam. Ratio autem disparitatis est, quod Prælatus est etiam caput politicum suorū Subditorum: quare tenetur eos gubernare in ordine ad bonum commune aliorum ciuium; Sicut Dominus tenetur gubernare suos seruos, alioqui illi imputantur damna ab illis illata; Confessarius autem non est Caput politicum suorum Pęnitentium; sed solùm Medicus spiritualis ipsius, nihil aliud respiciens, nisi bonum spirituale ipsius pęnitentis sine vllo ordine ad alios, & ad bonum temporale aliorum, quibus ipse nihil debet. Ac sicuti, si infirmus ob Medici negligentiam in applicanda medicina, incidat in amentiam, & furiosus aliquem occidat, Medicus nō tenetur restituere, quia ipse non se obligauerat alijs, sed soli infirmo, cuius solius bonum tenebatur procurare: & licet omiserit id quod ex officio debebat, non tamen ex officio respiciente alios præter infirmum: ita pari modo loquendum de Confessario qui est Medicus spiritualis & Pastor solùm in ordine ad bonum pęnitentis.

DIFFICVLTAS LV.

An si inferior Confessarius habeat euidentiam, quòd Pęnitens habeat casum reseruatum, quem tamen non sit confessus, possit illum absoluere.

282 Pro-

282 *Proponitur casus in hac difficultate controuersus.*
283 *Sententia Authoris est negatiua.*
284 *Refertur contraria sententia.*
285 *Confirmatur à simili de eo, qui de tertia persona audit detrahentem, nec corrigit, quem tamen non illico esse damnandum peccàti mortalis docent DD. plures.*
286 *Confirmatur item hæc sententia ex casu publici percussoris Clerici, quem non illico esse vitandum docent DD. non pœnitendi.*

282 CAsus hic esse potest. Accedit Pęnitens ad Titium Cōfessarium carentem iurisdictione supra reseruata, & illi confitetur sua peccata, vno excepto, quod est reseruatum. Quæritur vtrùm Titius, cui certò constat Pęnitentem illum commisisse tale peccatum reseruatum, nec fuisse cōfessum, possit illum absoluere.

283 Respondeo cum communi sententia negatiuè. Et ratio est in promptu, quia non est pronuntianda forma Sacramenti, quando certò constat subiectum esse indispositum: sic enim Confessarius ipse diceretur cooperari sacrilegio. Ita communiter Doctores. Henriq. lib 6. cap. 20. num. 6. Siluius in addit. ad 3. par. quæst. 9. art. 2. vers. quæritur 3. conclus. 3. Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 4. num. 38., Sancius in selectis disp. 8. num. 6.

284 Verum non grauabor contrariam sententiam referre, quam sustinet Megala in 1. par. lib. 1. cap. 2. nu. 12. vbi præmissa doctrina, quam communiter concedunt Doctores, videlicet Pęnitentem in multis casibus excusari à materiali integritate confessionis, & in ijs casibus, si fortè Confessarius illum interroget de peccato commisso, posse cum restrictione mentis negare se commisisse: pręmissa inquam hac doctrina, sic infert. [Ergo quando Confessarius ex propria scientia euidenter scit Pœnitentem aliquod peccatum mortale commisisse, ac euidenter etiam scit non esse confessum, & Pœnitens negat illud commisisse, potest aliquando Confessarius credere Pœnitentem illud negare, non quia non commiserit, sed quia credit non teneri tunc illud cōfiteri; ergo tenetur tunc hoc sibi persuadere & Pœnitentem absoluere, si in alijs Pœnitens ipse sit ritè dispositus, alioquin grauem illi iniuriam faceret.] Huc vsq; Megala.

285 Confirmari autem potest hæc opinio primò ex casu simili in materia detractionis controuerso, quo loco quæritur an is, qui nequè ad detrahendum inducit, nequè de detractione lætatur, sed tantùm audit aliquem coram pluribus de tertia persona detrahentem, & non corrigit, peccet mortaliter. Respondent enim aliqui hunc non illico esse damnandum peccati mortalis, quia audiens detrahentem non debet in dubio præsumere loquētem esse malum, nisi habeat sufficientes coniecturas in contrarium, & cùm ipse nesciat an delictum, quod ab alio narratur sit publicum, vel occultum; & vtrùm iustè, vel iniustè narretur, non peccat non obsistendo narrationi: fieri enim potest, vt quis iustè narret, & consequenter alius faciat iniuriam resistendo narranti, non secùs ac si corriperet hominem de re, quam ignoraret esse peccatum. Quam doctrinam affert noster Bonac. disp. 2. de contract. quæst. 4. puncto 11. nu. 8. Idemq; obseruauit Rebellus de oblig. iust. par. 1. lib. 4. quæst. 6 num. 8. Io. Malderus in 2. 2. tract. 7. cap. 1. dubitat. 15, Antonin. Diana par. 2. tract. 18., Miscellaneo 3. resol. 24., quo loco habet do-

ctrinam

ctrinam hanc à Confessarijs esse notandam, vt potè quæ tollat multos scrupulos, quibus viri timorati in tali casu premi solent, & ob id etiam priuatæ personæ sæpius excusari possint à mortali non resistendo detrahentibus.

Ex quibus potest inferri, si audiens detrahentem aliquando excusatur à peccato, quia præsumere potest peccatum, quod ab alio narratur esse publicum, vel iustè narrari: pari etiam modo dici posse, inferiorem Confessarium, cui certò constet Pœnitentem habere casum reseruatum, vel aliud peccatum non reseruatum (eadem enim est ratio) quod nolit confiteri, posse illi impendere beneficium absolutionis, existimando illum habere iustam causam tale peccatum reticendi.

286 Confirmari item posset hæc opinio secundò ex casu simili apud Doctores controuerso in materia censurarum, in quo quæritur an is, qui publicè, & notoriè percussit Clericum illicò sit vitandus. Cui difficultati communiter respondent Doctores, nos teneri illum vitare, quia ex Concilio Constantiensi habetur publicum Clerici percussorem esse vitandum.

His tamen non obstantibus respondēt aliqui publicum percussorem Clerici non esse illico vitandum, quia ad hoc vt notorius percussor Clerici sit vitandus, necesse est, inquiunt ipsi, vt talis percussio nulla possit tergiuersatione celari & nullo iuris remedio excusari. Cum autem quilibet notorius percussor Clerici possit dicere se fuisse ebrium: aut ob iustam defensionem id fecisse: vel ignorasse excommunicationem, ideo quandiu non constat per iudicis sententiam illum non posse vllo iuris remedio excusari, tandiu non est vitandus. Quam sententiam docet Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 2. num. 7. Fagundez præcep. 1. lib. 2. cap. 5. num. 12. Vbi sic habet, [vt quis dicatur publicus percussor Clerici, vt illum teneamur vitare, requiritur quòd nulla tergiuersatione possit celari: vnde licèt ea percussio sit notoria & patens multis, si tamen non sit notorium ijs, qui illam viderunt, percussorem nullam habuisse legitimam excusationem, qua in eo facto à peccato excusaretur, adhuc non censetur vitandus. Opus est ergo, vt constet percussorem nullam habuisse causam percutiendi, vt vitetur. Nam si potest probabiliter aliquam veram causam allegare, qua à peccato excusetur, quandiu non constiterit non ita esse, non erit vitandus.] Ita Fagundez, qui demum concludit rarò contingere percussorem Clerici ita esse notorium facto, vt non possit aliquo iuris remedio probabilitate aliqua excusari.

Ex quibus posset quis inferre, pari modo Confessarium eum, cui constaret Pœnitentem reticere aliquod peccatum mortale, adhuc tamen posse illum absoluere, quia præsumere possit illum habere iustam causam tale peccatum reticendi. A communi tamen sententia non est recedendum.

DIFFICVLTAS LVI.

An Confessarius possit contra propriam opinionem Pœnitentem absoluere.

287 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*
288 *Respondent aliqui cum distinctione.*
289 *Sententia Authoris affirmat de quocunque Confessario siue proprio siue non proprio.*

290 *Vtrùm aliquando Confessarius teneatur absoluere.*

291 *Quid si Confessarius existimaret sententiam Pœnitentis esse falsam.*

292 *Vtrùm non absoluendo peccaret mortaliter.*

287 Casus hic esse potest. In nostra hac Diœcesi Sodomia est reseruata: Titius verò habuit copulam sodomiticam cum muliere secutus opinionem probabilem, quòd copula hæc non sit verè sodomia, eo quòd non sit inter personas eiusdem sexus. Addit inferiorem Confessarium, à quo petit absolutionem, qui tamen putat copulam hanc esse verè sodomiticam, & consequenter reseruatam. Quæritur vtrùm possit Pœnitentem absoluere. Idemquè quæri potest in casu simili, vt si Confessarius putaret aliquem contractum esse vsurarium: Pœnitens verò secutus opinionem probabilem existimaret illum esse licitum, & omnino vellet illum celebrare; vtrùm Confessarius posset illum absoluere.

288 Respondent aliqui cum distinctione dicendo, quòd si Confessarius sit proprius Pastor Pęnitentis, potest se illius opinioni conformare relicta sua propria: Secùs verò si non sit proprius Pastor, tunc enim peccabit. Ratio horum Doctorum est, quia proprius Pastor audit confessiones ex necessitate officij, alter verò voluntariè. Ita Conrad. tract.7. de contract. quæst. 100. conclus. 3., D. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 20. §. 2., Angel. v. confes. 4. nu. 13. Syluest. Confessor 3. quæst. 7., quam eandem distinctionem affert Medina cod. de confess. quæst. de confess. dimidiata iteranda vers. sequitur iam &c. in casu quo agatur de damno tertij, idest in casu restitutionis; tunc enim vult proprium Pastorem posse contra propriam opinionem absoluere Pœnitentem, sequendo illius opinionem. Secùs verò si non sit proprius, vt Regularis.

289 Ego verò respondeo, vtrumquè Confessarium posse illum absoluere. Et ratio est, quia cùm Pœnitenti licitum sit sequi opinionem probabilem: porrò eam sequendo non caret dispositione requisita ad Sacramentum. Ergo vterque Confessarius poterit sic dispositum absoluere. Ita Nau. in sum. cap. 26. num. 4. Azor to. 1. lib. 2. instit. moral. cap. 17. quæst. 10. Suarez 4. tom. in 3. par. disp. 32. tota sect. 5., Sayrus in Claui Regia lib. 1. ca. 9. à num. 13., Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 5. in comment. littera Z, Vasquez 1. 2. quæst. 19. art. 6. disp. 62. cap. 7. nu. 39. & 40. Cardinalis de Lugo disp. 22. de pęnit. sect. 2. Diana 1. par. tract. 13. resolut. 11. & alij apud ipsos.

290 Maior difficultas est, vtrùm dictus Confessarius teneretur illum absoluere. Respondet cum eadem distinctione Polanus in direct. Confessorum cap. 1. §. de prudentia Confessoris, dicendo si proprius Pastor sit, teneri. Secùs verò si non sit proprius Pastor.

Ego verò respondeo, dato quòd confessio sit audita, vtrumq; teneri ad hanc absolutionem impendendam. Et ratio est, quia post confessionem auditam si Confessarius licitè possit absolutionem impendere, ad illam exigendam Pęnitens habet ius iustitiæ: & licèt ante confessionem non Pastor esset tantùm voluntarius minister, tamen post confessionem est necessarius minister, & tam ille, quam proprius Pastor tenetur ex ipsa Sacramenti institutione, ac officio Confessarij Pęnitentem bene dispositum absoluere. Ita Suar. Henriq., Azor, Sayrus superius citati, quibus addo Victoriam in sum.

vbi de confessione num. 177.

291 Et hoc etiam procedit contra Manuelem 1. tom. sum. in 2. edit. cap. 62. num. 11., licèt Confessarius existimaret opinionem Pęnitentis esse falsam: dummodò tamen ea probabilis reputaretur inter Doctores probatę authoritatis. Et ratio est, quia cùm Pęnitens non teneatur potius acquiescere consilio Confessarij, quàm aliorum, non dicitur illi deesse debita dispositio, quia sequatur sententiam contrariam ab ea, quam sequitur Confessarius. Ita Valent. 2. 2. disp. 5. quæst. 7. puncto vltimo in fine.

292. Addit tamen hoc loco Vasquez citatus, Sacerdotem non proprium non teneri absoluere sub mortali. Idemq; sentit Salas in 1. 2. quæst. 21. tract. 8. sect. 9. à num. 82. Ego verò existimo peccare mortaliter, si de mortalibus sit facta confessio. Et ratio est, quia onus graue est Pęnitentem obligare ad sua crimina detegenda alteri Confessario absq; necessitate. Ita Sancius in select. disp. 33. num. 54, Sanch. in sum. lib. 1. cap. 9. num. 29. quo loco addit ratione paruitatis materiæ, culpam hanc futuram venialem, vt si Cõfessio esset de solis venialibus; pariterquè habet Confessarium sæpè excusatum iri ob bonam fidem.

Obijcies: Iudex non potest ferre sententiam secundum opinionem probabilem, relicta probabiliore saltem quando magna est inæqualitas inter probabilitates vtriusquè partis; Ergo nequ: Confessarius poterit absoluere pęnitentem secundum illius probabilem opinionem, relicta sua probabiliore; Confessarius enim est iudex.

Respondeo concesso antecedente, negandam esse consequentiam. Ratio autem disparitatis in eo est, quia iudex constituitur à Principe, vel à Republica vt fidelis Minister veritatis, seu vt diligenter conetur inuenire veritatem, & pro ea iudicare; sicut Oeconomus constituitur à Domino, vt diligenter prouideat rebus domesticis, & Medicus vt diligenter prouideat sanitati. Ac sicuti nemo excusabit Oeconomum, qui inuento duplici tritico ęqualis pretij, sed valde inæqualis bonitatis, emat deterius, relicto meliori. Sicuti damnabitur Medicus, qui dederit medicinam minus securam relicta multò securiore, licèt vtraquè sit probabilis: ita damnandus est iudex, qui propositis duabus vijs assequendi veritatem eligit minus securam, & minus bonam, relicta securiore, & meliore. Quare iudex in humanis cum à Principe, aut Republica sit constitutus ad diligenter inuestigandam veritatem in litibus occurrentibus, inde est, vt debito suo non satisfaciat si relicta via securiore inueniendi veritatem eligat minus securam: At verò Confessarius non constituitur ad inuestigandam veritatem circa ius, sed circa factum; an, scilicet, pęnitens peccauerit ita contrahendo; & ad absoluendum quem inuenit rectè dispositum; quare tenetur illum absoluere quem inuenit habere dolorem & propositum seruandi omnia mandata Dei eo modo, qui sufficit ad non peccandum, ad quod sufficit operari iuxta opinionem probabilem.

QVÆSTIO QVARTA.

De facultate absoluendi à casibus reseruatis in Iubileo.

IN hac quæstione per varias casuum decisiones agemus de facultate

tate absoluendi à censuris & casibus reseruatis, quæ conceditur in Iubileo. Ad id tamen oportet eius clausulam referre. Clausula ergo Iubilei, quoad casus reseruatos, huiusmodi esse solet: [Vniuersis & singulis, vtriusquè sexus, tam Laicis, quàm Ecclesiasticis Secularibus & Regularibus cuiusuis Ordinis, Congregationis, & instituti licentiam concedimus & facultatem damus, vt sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunquè Presbyterum Confessorem tam Secularem, quàm cuiusuis Ordinis Regularem, ex approbatis à locorum Ordinarijs, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & alijs Ecclesiasticis sententijs, & censuris à iure, vel ab homine quauis causa latis, seu inflictis; nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumuis grauibus & enormibus, etiam locorum Ordinarijs, siue nobis & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis, contentis; & aliàs per quascunquè nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocunquè reseruatis in foro conscientiæ, & hac vice tantùm; non tamen à crimine hæresis absoluere & liberare valeant &c.] Quæ clausula desumpta est ex Iubileo conceſso ab Vrbano Papa VIII. anno 1636. non eadem tamen in omnibus Iubileis conceditur facultas, sed aliquando magis, aliquãdo minùs limitata, vt proinde cùm hoc sit quid facti, non possit assignari certa regula, sed solùm dicere possimus eam tantam esse, quantam Summus Pontifex concedit.

DIFFICVLTAS I.

An quando Summus Pontifex tribuit in Iubileo facultatem absoluendi à casibus Papalibus, possit Confessarius electus absoluere à censuris Papæ reseruatis.

1 *Responsio est affirmatiua.*

2 *Vtrùm si Episcopus concedat facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, facultas hæc extendatur ad censuras illi reseruatas.*

1 Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia, vt diximus superius, nullus est casus Papæ reseruatus, cui non sit adnexa censura, & censurâ ablatâ desinit Papalis reseruatio. Ita Caiet. in sum. v. casus. Barbosa de potest. Episc. parte 3. alleg. 50. num. 159. Nau. in manual. cap. 27. num 261. Lauor. de iub. parte 2. cap. 28. num. 24. Graf lib. 4. decis. aurea. cap. 15. num. 3. Duard. in Bullam Cœnæ lib. . §. 2. q. 1. num. 57. & alij communiter.

Vnde patet minùs veram esse sententiam Rodriquez in Bullam Cruciatæ §. 9. num. 44. Zerulæ in praxi pœnit. cap. 15. quæst 17. asserentium Papam in Bulla Cruciatæ expressam mentionem facere de casibus, & censuris, quia nisi adderet particulam illam, a censuris, diceretur concessise facultatem pro solis casibus, non verò pro censuris: quibus verbis innuere videntur nomine facultatis absoluendi a casibus Papalibus, non venire facultatem absoluendi à censuris Papæ reseruatis.

2 Si tamen Episcopus alicui tribueret facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, facultas hæc non exten-

extenderetur ad censuras ipsi reseruatas, vt diximus q. 1. diffic. 1. à diuersis enim, non fit illatio .l. Papin. ff. de Minor. & aliud est peccatum Episcopo reseruatum, aliud verò censura illi reseruata. Ita Nau. sup. cit. Duardus cit. quæst. 11. nu. 12. Alphonsus Vega 2. parte sum. cap. 7. cas. 41. Zerul. in praxi pœnit. cap. 24. quæst. 19. ac demum alij DD. communiter.

DIFFICVLTAS II.

An quando Papa tribuit in Iubileo facultatem absoluendi à censuris, nulla facta mentione censurarum reseruatarum, facultas hæc extendatur etiam ad censuras reseruatas.

3 *Responsio est affirmatiua.*

3 RESpondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia alioqui priuilegium redderetur inutile, & talis concessio nullum effectum haberet, quoties per illam non liceret absoluere à censuris Papæ reseruatis, nam absquè alia concessione quilibet Sacerdos expositus, iure communi potest absoluere à censuris non reseruatis, vnde hoc loco valet regula, quòd verba generalia generaliter sunt intelligenda. Ita Lauor. de Iub. parte 2. cap. 28. nu. 24. August. Barb. de potest. Episcop. parte 2. alleg. 50. num. 180. Bonac. disp. 1. de cens. quæst. 3. pun. 1. num. 11. qui Azor. Emman. Sà pro se citat. Marcus Alter. tomo 1. de censuris lib. 4. disp. 4. cap. 2. dub. 1. & alij.

Dices, quando in iubileis conceditur facultas absoluendi à censuris apponitur illa particula, etiam reseruatis; ergo signum est per generalem facultatem absoluendi à censuris non venire censuras reseruatas.

Respondeo dictionem illam, etiam, non apponi augmentatiuè, quasi verò per eam augeatur facultas, sed significatiuè tantum, & gratia maioris claritatis.

DIFFICVLTAS III.

An quando in Iubileo conceditur facultas absoluendi à censuris Papæ reseruatis, vi huius facultatis Confessarius electus possit absoluere à censura, quæ incurritur ob abortum fœtus animati effectu secuto.

4 *Refertur sententia negatiua.*
5 *Sententia Authoris.*
6 *Vtrùm in concessione facta ab Episcopo absoluendi à censuris & casibus reseruatis comprehendatur facultas absoluendi à peccato abortus effectu secuto.*

4 RESpondet negatiuè Lauor. de Iubil. par. 2. cap. 28. num. 23. ea nixus ratione quod Syxtus V. in sua Bulla quæ incipit. Effrænatam, edita die 16. Nouembr. anno 1586. procurantes abortum fœtus animati effectu secuto affecerit excommunicatione ipso facto incurrenda, & illam Sedi Apostolicæ reseruauerit, addideritquè vlterius, censuram hanc non censeri comprehensam in facultate generali etiam per iubileum concessa.

5 Ego vero respondeo posse absoluere, dato quòd in iubileo fuerit concessa facultas absoluendi à casibus reseruatis Episcopis. Et ratio est, quia

post constitutionem Gregorij XIV. quæ incipit, Sedes Apostolica, editam pridie Kalendas Iunij 1591. abortus fœtus animati non est amplius casus Papalis, sed Episcopalis, vt patet ex ipsa constitutione Gregoriana ijs verbis: [vt à peccato, & excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quoad eos, qui hactenùs deliquerunt, quàm quoad illos, qui post nostram constitutionem in ijsdem casibus deliquerint, quilibet Presbyter, tam Secularis, quàm cuiusus Ordinis Regularis ad Christifidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam & liberam in foro conscientiæ tantùm habeat facultatem, eandem prorsus, quam idem Syxtus prædecessor sibi ac suis successoribus reseruauit &c] Per quam moderationem, vt patet ex progressu Bullæ, remanserunt quidem aliæ pœnæ impositæ à Syxto V. procurantibus abortum, fœtus animati effectu secuto, priuationis videlicet, inhabilitatis, degradationis, traditionis Curiæ Seculari. Cęterùm absolutio à peccato, & censura fuit concessa cuilibet Confessario specialiter deputato ab Ordinario loci in foro conscientiæ tantùm, vt videre est apud Quarantam v. abort. Gauantum in Manual. Episc. v. abort. num. 4. & v. absol. num. 36. Rodriquez in Bulla Cruciatæ §. 9. num. 88. Vide Anton. Dianam de hoc casu par. 7. tract. 9. resolut. 19. Bossium de iubil. sect. 1. casu 6. num. 1. & 2.

Dixi in responsione, dato quòd in iubileo fuerit concessa facultas absoluendi à casibus reseruatis Episcopis, quia vt videbimus inferiùs, facultas concesa in iubileo absoluendi à censuris Papæ reseruatis, non extenditur ad censuras Episcopis reseruatas, quoties hæ non exprimantur.

6 Dubiũ hoc loco superest, vtrùm saltem in facultate generali concessa ab Episcopo, absoluendi à censuris, & casibus sibi reseruatis, comprehẽdatur abortus fętus animati effectu secuto.

Respondeo non comprehendi, vt patet ex ipsa Gregorij constitutione, nisi specificetur. Tũ verò hoc habetur ex Concilio nostro Prouin. 7. tit. de Sacram. pęnit. ijs verbis [sciant Confessarij omnes siue Regulares, siue Seculares, prætextu cuiusuis generalis facultatis absoluendi à casibus reseruatis, sibi non licere eos, qui abortum fętus animati procurauerint, effectu secuto, aut à peccato, aut ab excommunicatione contra eos Pontificia sanctione lata absoluere, nisi per loci Ordinarium fuerit ad hos casus specialiter deputatus, vt constitutione fel. rec. Gregorij XIV. cautum fuit.]

DIFFICVLTAS IV.

An quando in Iubileo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus, & censuris Papæ reseruatis, vi huius facultatis Cõfessarius electus possit absoluere à censuris contentis in Bulla Cœnæ, etiamsi hoc non exprimatur.

7 *Refertur sententia affirmatiua.*
8 *Sententia Authoris.*
9 *Si Casus Bullæ concedantur non sunt in indiuiduo exprimendi.*

7 RΕspondent aliqui posse absoluere, quorum ratio est, quia dictio illa, ab omnibus, est vniuersalis, vt proinde nullum excludat, sed casus omnes videatur comprehendere; tum

quia

quia hoc videtur colligi ex fine concessionis; finis enim concessionis est consecutio iubilei, seu plenariæ Indulgentiæ, quam Christifideles consequi non possent, quoties facultas absoluendi à casibus Papæ reseruatis non extenderetur ad casus contentos in Bulla Cœnæ; quod si alicubi definitum sit facultatem absoluendi à casibus Papæ reseruatis non extendi ad casus Bullæ, respondent hoc verum esse de facultatibus respicientibus particulares personas, seu particulares vniuersitates, vt certos Ordines Religiosorum, Monasteria, Confraternitates: non verò de indultis, & facultatibus vniuersalibus, putà omnium fidelium, cuiusmodi est iubileum omnibus Christifidelibus concessum; & hanc sententiam videntur sustinere Doctores ij, qui asserunt, quando in iubileo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, posse Confessarium electum absoluere ab hæresi, etiamsi casus iste non fuisset in facultate expressus: eandemquè non improbabilem existimat Boss. in suo tract. de iub. priuil. edit. sect. 1. cas. 7. num 2.

8 Ego verò respondeo iuxta dicta in quæst sup. diffic. 4 casus Bullæ Cœnæ non comprehendi sub facultate generali in iubileo concessa absoluendi ab omnibus casibus Papæ reseruatis. Ita Leo de iub. par. 2. num. 40. & 41. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 12. num. 13. Vgol. de cens. tab. 1. cap. 10. §. 4. nu 8. Suar. 5. tom. in 3. par. disp. 21. sect. 3. num. 3. Graff. lib. 4 cap. 18. num. 2. Antonin. Diana par. 5. tract. 12. resol. 34. Duard. in Bul. Cœnæ lib. 3. §. 2. quæst. 1. num. 14 vers. imò hoc &c. Bonac. de cens. disp. 1. quæst. 3. pun. 1. num. 12. & hæc sententia est magis communis apud DD. Probatur autem, quia cùm casus Bullæ specialissimè reseruentur, speciali etiam expressione indigent, exprimendo casus Cœnæ; vnde valet hoc loco regula illa iur. in 6. quòd in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Tum quia quando conceduntur, secundùm vsum & stylum Curiæ Romanæ in Bullis iubileorum solent exprimi in specie; ergo non facta tali expressione non censendi sunt comprehendi sub facultate generali absoluendi à casibus Papalibus.

Demùm verò, quia Bulla Cœnæ in clausula reseruationis absolutionis à casibus ibi contentis, derogat omnibus priuilegijs concessis & concedendis, in quibus in genere, vel etiam in specie detur facultas ab illis absoluendi; ergo signum est ad obtinendam facultatem ab illis absoluendi requiri expresſionem Bullæ.

9 Aduertam tamen cum Graff. Suar. ll. cc. quando Pontifex per iubileum, aut aliud priuilegium concedit alicui facultatem absoluendi à casibus Bullæ, non requiri, vt casus in Bulla contentos in indiuiduo exprimat. Quidquid in contrarium sentiat Duar. cit. num. 35. & 36. sed satis esse si in specie exprimantur, dicendo concedimus facultatem à casibus Bullæ Cœnæ. Et ratio est, quia per hæc verba satis indicatur intentio Papæ, & speciali modo dicuntur concessi.

DIFFICVLTAS V.

An quando in Iubileo vniuersali conceditur facultas absoluendi à casibus Bullæ, facultas hæc absquè vlla alia declaratione extendatur ad casum hæresis.

10 *Refertur sententia affirmatiua.*
11 *Sententia Authoris verior est quia communior.*
12 *Vtrùm facultas absoluendi à casibus Bullæ extendatur ad fautores & receptatores hæreticorum.*

10 EXistimarunt DD. plures quando in iubileo conceditur facultas absoluendi à casibus contentis in Bulla, vi prædictæ facultatis posse Confessarium electum absoluere hæreticos pęnitentes iam emendatos. Probant autem, quia facultas ita concessa vt in specie exprimat casus Bullæ est amplissima, vt proinde videatur extendenda etiam ad hæresim, vt potè quæ inter casus Bullæ enumeretur, licèt enim in odiosis sit facienda restrictio, quo modo nomine Clericorum Beneficiariorum, & Dignitatum non veniunt Episcopi, neque Regulares; tamen in fauorabilibus fit extensio, quomodo legatum Ceiæ relictum si nubat, eidem esse soluendum si Religionem ingrediatur diximus suo loco. Tum quia in iubileis interdum excipitur casus hæresis, vt in iubileo concesso à Syxto V. anno 1589. Mense Decembr. & iubileo concesso ab Vrbano VIII. anno 1629. & promulgato 22. die Nouembris & die 16. Iulij anno 1636. ergo signum est quando Papa nullam facit exceptionem, concessam esse facultatem ab illo absoluendi. Tum quia hoc videtur necessarium ad finem recipiendi thesaurum Indulgentiæ à Papa intentum, alioqui multi essent destituti necessaria facultate ad se disponendum pro eius receptione. Ac demum ita fuisse responsum in Sacra Pęnitētiaria anno 1617. occasione iubilei Mense Iunio à Sanctissimo D. N. Paulo V. promulgati testatur Filliuc. tract. 8. cap. 10. num. 265. quo loco addit hoc esse in vsu, & praxi Romæ in sacra Pęnitentiaria. Vnde ob auctoritatem huius Doctoris qui Romæ Pęnitentiarij munus obiuit sententiam hanc non existimo improbabilem, quinimò in praxi tutam, ita tamen vt in iubileo tantùm vi huius facultatis generalis possint fideles à peccato hæresis absolui, non verò extra iubileum, etiamsi ita generalis concederetur, & hoc ex peculiari fine iubilei; & hanc sententiam sustinent alij quamplures, vt Cord in sum. quæst. 8. in fine. Viual. in candel. aur. in explicat. Bullæ Cęnæ cas. 20. §. quòd si fortè nu 141. & de absolutione nu. 13. & 16. Sanctarel. de iubil. c. 7. dub. 13. Leo de iub. par. 2. nu. 41. limit. 1. & alij plures.

11 Verùm oppositam sententiam sustinent alij asserentes in facultate generali absoluendi à casibus Bullæ non comprehendi casum hæresis. Ita Graff. lib. 4. decis. aurea. cap. 25. nu. 25. Henriq. lib. 6. sum. cap. 26. num. 2. Flor. de cas. reser. par. 2. cap. 4. §. 22. num. 6. Lauor. de iub. par. 2. cap. 28. num. 24 August. Barb. 2. par. de off. Episc. alleg. 40. num. 31. ad quod faciunt adducta à nobis in quæst. super. diffic. 5. vt proinde auctoritate tot DD. ab hac sententia tanquam communiore non sit recedendum.

12 Dubitant hoc loco aliqui, vtrùm hoc idem sit dicendum de receptatoribus, fautoribus, defensoribus hæreticorum, legentibus, tenentibus, & imprimentibus eorum libros, vtrùm videlicet sicuti virtute iubilei concedentis casus Cęnæ, non facta expressa mentione hæresis non possunt absolui hæretici, ita nec possint absolui eorum fautores, receptatores &c. Et negatiuam sententiam sustinet Azor tom. 1. lib. 8. instit. moral. cap. 19. quæst. 2. Pet. de Ledes. 2. tom. sum. tract. 1. cap. 6.

in

in fine, qui hoc idem aſserit de Schiſmatico, ſeu recedente ab obedientia Romani Pontificis.

Ego verò reſpondeo hos omnes virtute illius facultatis poſse abſolui, quoties non ſint hæretici; & ratio eſt quia nullo iure probatur contrarium. Tum quia caſus hi non afficiuntur tam ſpeciali reſeruatione, ac hæreſis, vt ſpeciali mentione indigeant. Ita Henriq. cit. in comment. lit. I. Sanch. in ſum. lib. 2. cap. 12. num. 12.

DIFFICVLTAS VI.

An quando in iubileo conceditur facultas abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ, excepta tamen hæreſi, Confeſſarius electus vi huius facultatis poſſit abſoluere hæreticum occultum, & emendatum.

13 *Proponuntur fundamenta pro ſententia affirmatiua.*

14 *Contraria tamen ſententia in praxi conſulenda.*

Difficultas hæc ſupponit ſententiam, quam in ſuperiore difficultate non improbabilem exiſtimauimus, aſſerentem in generali facultate conceſſa in iubileo abſoluendi à caſibus Bullæ comprehendi etiam hæreſim. Vnde hac ſententia retenta quæritur vtrùm clauſula illa, quæ in iubileis aliquando apponitur (excepta tamen hæreſi) adimat facultatem abſoluendi ab omni peccato hæreſis, etiam occultæ, an verò excipiat tantùm hæreticos publicos, & nominatim denuntiatos.

Aduertendum autem duobus modis eſſe peccatum hæreſis excipi in iubileo. Primò ſi excipiantur tantùm hæretici denuntiati, quo modo in iubileo Syxti V. extant ea verba, [non tamen hæreticos declaratos, & nominatim denuntiatos abſoluere valeant.] Et in hoc caſu certum eſt, quòd Confeſſarius electus poſſet vi facultatis conceſsæ per tale iubileum abſoluere hęreticum occultum, & emendatum, exceptio enim firmat regulam in contrarium.

Secundò ſi abſolutè excipiatur crimen hæreſis, quomodo in iubileis conceſſis ab Vrbano VIII. extant ea verba, [non tamen à crimine hæreſis abſoluere, & liberare valeant;] & in hoc caſu peculiaris eſſe poteſt difficultas, vtrùm non obſtante hac exceptione poſſet hæreticus occultus, & emendatus in iubileo abſolui.

13 Ac quidem non deſunt rationes, quæ videntur ſuadere poſse abſolui. Primò quia odia ſunt reſtringenda; cùm ergo exceptio hæc ſit odioſa ea videtur reſtringenda ad hæreticos publicos, vel denuntiatos; ſic enim exceptio hęc aliquid operatur, quod non operatur prior, in qua excipiuntur ſoli hæretici declarati, & nominatim denuntiati, per hanc verò hæretici omnes publici, licèt non ſpeciatim declarati, & denuntiati. Secundò quia reſtrictio hæc videtur eſse neceſsaria ad finem lucrandi pleniſſimam Indulgentiam à Summo Pontifice conceſſam, alioqui multi eſsent deſtituti neceſsaria facultate ad ſe diſponendum pro eius receptione, cùm præſertim optimè ſaluari poſſit mens Pontificis, ſi intelligatur per illam clauſulam velle excludere tantùm publicos hæreticos, & declaratos, quorum crimen meritò reſeruetur ob publicum ſcandalum aliorum fidelium. Tertiò quia in probabili ſententia, quam ſuſtinet Vel.

de pœnit. delictor. cap. 14. vers. iure verò canonico. Cord. in sum. quæst. 8. pun. 1. Angles de flor. par. 1. vbi de confess. quæst. 4. art 5. diffic. 6. Catan. in sum. verb. Episcop. §. Episcopi quos Spirit. Sanc. cas. 10. Nau. in sum. cap. 27. nu. 260. Gutier. qq. can. lib. 1. cap. 13. ad finem. Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 7. eandemquè probabilem esse cum Suar. 5. tom. in 3. par. disp. 25. sect. 3. num. 5. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 11. num. 27. & alijs concessimus nos ipsi in quæst. superiore, diffic. §. nu. potest Episcopus absoluere ab hæresi occulta virtute Concil. Triden. cap. 6. sess. 24. de refor. concedentis cuilibet Episcopo, vt possit absoluere à casibus occultis Papæ reseruatis, quam sententiam sustinent cit. DD. non obstante vltima Bullæ Cœnæ clausula, in qua habetur, vt à casibus ibi expressis nulla persona etiam Episcopali dignitate prædita possit absoluere prætextu cuiuscunque facultatis, etiam per cuiusuis Concilij decreta in genere, vel in specie concessa, eò quòd clausulam hanc intelligant derogare tantùm facultatibus, quæ concedunt absolutionem casuū Bullæ quando publici sunt; cùm ergo hæresis occulta sit vnum ex peccatis à quibus Episcopus potest absoluere, porrò optimè intelligere possumus, quando Summus Pontifex in iubileo concedit facultatem absoluendi ab omnibus casibus Papæ reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis (hæresi excepta) exceptionem hanc esse tantùm de eo peccato hæresis, à quo solus Papa potest absoluere, quale est peccatum hæresis publicæ; cùm enim restrictio hæc sit odiosa, ea est limitanda, si verba talem limitationem patiantur. Atqui restrictio hæc optimè potest alligari soli absolutioni hæresis publicæ. Ergo solùm respectu huius negabitur in iubileo facultas absoluendi.

Et ad hoc videtur facere quod habet Sanch. in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 27., quo loco intendit probare Confessarium posse vi Bullæ Cruciatæ pluries absoluere Pœnitentem à casibus Papæ reseruatis sed occultis, quia videlicet Bulla excipiat quidem casus Pontifici reseruatos, ita vt non liceat ab illis absoluere toties, quoties, sed tantùm semel in vita, & semel in mortis articulo: sed quando hi casus sunt occulti, iam non sunt casus reseruati Summo Pontifici, sed iure ordinario non verò speciali competunt Episcopis, & annexi sunt dignitati Episcopali: cùm autem Bulla Cruciatæ concedat absolutionem à reseruatis Episcopo toties, quoties, dicendum etiam est eam concedere absolutionem à casibus Papalibus occultis toties, quoties, ex eo quòd per Concil. Triden casus Papales occulti non sint Papales, sed Episcopales: qui licèt casus Papalis non desinat esse talis, eo quòd Pontifex illos concedat aliquoties Episcopo: imò licèt illos semper concedat Episcopo speciali: at desinunt esse Papales per generalem constitutionem concedentem eos in perpetuum cuilibet Episcopo.

Idemquè habet Ægidius Trullench. in Bulla Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 6. num. 3. vbi sic ait. [Bulla enim solos casus Pontifici reseruatos excipit, ne liceat ab illis absoluere toties, quoties. At casus occulti non sunt casus Papæ reseruati, sed competunt Episcopis, non ex aliqua delegatione speciali, vt existimat Henriquez, sed iure ordinario sunt perpetuo adnexi dignitati Episcopali, neq; exigitur industria personæ Episcopi; aliter enim ita essent personales, vt eos delegare non posset,

quod

quod est falsum. Ergo eis talis facultas competit iure ordinario, & eo iure casus Papales si occulti sint censentur casus Episcopis reseruati.] Quam sententiam ita confirmat ex Sanchez superiùs cit.: quia licèt casus Episcopales non desinant esse tales per concessionem peculiarem factam ab Episcopo: at desinerent esse si constitutione Synodali Parochis omnibus concederentur, & solis illis reseruati essent; ergo similiter licèt casus Papales non desinant esse tales, eo quòd illos semel, aut iterum Pontifex concedat Episcopo; imò licèt semper illos concedat Episcopo speciali; at desinunt esse tales per generalem cōstitutionem concedentem eos in perpetuum cuicunq; Episcopo, vt factum fuit in Tridentino respectu casuum Papalium occultorum.

Ex quibus videtur posse inferri, cùm hæresis occulta sit casus Episcopalis ex eo quòd illius absolutio iure ordinario competat Episcopis: quoties Papa in iubileo concedit absolutam facultatem absoluendi ab omnibus casibus Episcopalibus, & à casibus Papalibus excipit hæresim, exceptionem intelligendam esse de hæresi, quæ est casus Papalis, idest de hæresi publica.

14 Et hæc sunt fundamenta, quæ non improbabilem videntur facere sententiam hanc. In praxi tamen consulerem, vt Confessarius vi iubilei electus, stante hac generali exceptione peccati hæresis, nullum hæreticum absolueret, cùm enim prædicta exceptio sit absolutè prolata, videtur tollere omnem facultatem circa hæreticos, siue ij publici sint, & nominatim denunciati, siue occulti, vt bene aduertit Antonin. Diana par.5. tract.12. resol.35. Versic. Verùm hæc opinio.

DIFFICVLTAS VII.

An quando Papa in iubileo concedit facultatem absoluendi ab omnibus casibus, & censuris sibi reseruatis facultas hæc sit extendenda ad casus reseruatos Episcopis.

15 *Refertur sententia affirmans.*
16 *Contraria sententia probabilior.*

CAsum hunc disputauimus in quæst. super. diffic.6. Verùm quia specialior videtur esse difficultas in iubileo, ideò non abs re futurum existimaui eundem hoc loco examinare.

15 Respondent ergo quamplures DD. ijquè grauissimi, si in iubileo concedatur facultas absoluendi à quibuscunquè casibus, & censuris Papæ reseruatis, posse Confessarium electum vi illius facultatis absoluere à casibus à iure, vel ab homine réseruatis Episcopis, etiamsi in Bulla iubilei nulla fiat mentio casuum Episcopis reseruatorum. Probant autem primò ex fine, propter quem in iubileo conceditur illa generalis facultas absoluendi; hic enim non alius est quàm disponere Pœnitentes ad consequendam plenissimam indulgentiam, quam consequi non possunt nisi intelligamus concessam esse facultatem absoluendi ab omnibus casibus tam Papalibus quàm Episcopalibus. Secundò quia Papa potest iurisdictionem hanc generaliter concedere, ita vt extendatur etiam ad casus Episcopis reseruatos. Ergo dicere debemus in iubileo saltem illam concedere, in quo plenissimam facultatem tribuit absoluedi nab omnibus casibus sibi reseruatis, vt fideles omnes

ablato peccatorum impedimento possint indulgentiam illam consequi.

Quòd si aliquis obijciat praxim iubileorum, in quibus Pontifices volentes concedere facultatem à casibus Episcopis reseruatis expressam faciunt de illis mentionem, vt proinde dicendum videatur, quoties ij non exprimantur, nullam intelligi tributam facultatem.

Respondent DD. citan. expressionem eam valere tantùm ad clariùs declarandam facultatem, non verò ad eam concedendam.

Pariter ad Decretum Clementis VIII. quod nos ipsi obiecimus in quæst. super. diff. 6. in quo decernitur ne vllus prætextu cuiuscunq; priuilegij absoluat à casibus Bullæ Cęnæ, & a casibus, quos Ordinarij locorum sibi reseruant.

Respondent decretum hoc ita esse intelligendum, vt nullus Confessarius siue Regularis, siue Secularis virtute alicuius priuilegij particularis, putà personæ particulari, vel certo Ordini Religiosorum concessi præsumat ab ijs absoluere: Secùs verò si priuilegiū sit vniuersale, quale est illud iubilei. Et hanc sententiam sustinent Layman. lib. 1. tract. 5. cap. 7. num. 5. Aug. Barb. 3. par. de potest. Episcop. alleg. 52. nu. 7. Leo de iub. par. 2. nu. 34. & 38. Suar. tom. 5. in 3. par. disp. 7. sect. 5. num. 14. Io. à Cruz de statu relig. & de priuil. lib. 1. cap. 6. disp. 25. concl. 4. Alter. tom. 1. de cens. lib. 4. disp. 4. cap. 2. dub. 2. Antonin. Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 149. Boss. de iub. sect. 1. cas. 3. nu. 4. & alij plures quos ipse citat. quam sententiam existimo probabilem.

16 Respondeo tamen probabilius esse dictum Confessarium non posse in iubileo absoluere à casibus Episcopis reseruatis, nisi illorum sit facta mentio. Et ratio est, quia quando Pontifex condit aliquam legem non intendit derogare statutis, & consuetudinibus particularibus locorum cap. 1. de constit. in 6. Videte quæ diximus diff. 6. cit. Et ita sententiam hanc præter DD. ac decreta ibi cit. sustinent Graf. lib. 4. decis. aurea. cap. 15. num. 28. Farinac. de hær. quæst. 92. num. 63. Bonac. disp. 1. de cens. quæst. 3. pun. 1. nu. 10. qui citat Nau. in Manual. cap. 26. num. 261.

DIFFICVLTAS VIII.

An facultas absoluendi à reseruatis extendatur ad reseruata commissa intuitu iubilei.

17 *Proponitur sententia negans.*
18 *Sententia Authoris.*

CAsus hic esse potest. Titius commisit incestum cum consanguinea in secundo gradu, seu occidit Clericum sub spe obtinendi vigore iubilei absolutionem à tali casu reseruato, vel censura. Quæritur, vtrùm possit absolui.

17 Respondent aliqui negatiuè, quorum ratio est, quia priuilegium meretur amittere, qui spe priuilegij, & immunitatis peccat, vt generaliter probat Couar. 2. variar. cap. 20. nu. 11. pro qua sententia plures alios refert Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 9. in comment. lit. N.

18 Respondeo tamen posse absolui. Et ratio est, quia priuilegium iubilei est generale, vt proinde nulla sit causa excludendi eos, qui spe absolutionis per illud obtinendæ peccant; vbi enim priuilegium non distinguit, tantum valet, quantum sonat, vt explicat Extrauagans. Vnigenitus. ver.

Adiuuantes. Sic etiam tempore iubilei posse commutari vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute iubilei, habent Suar. to. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 13. in fine. Sanch. in sum. lib. 4. cap. 54. num 18. Demum verò sententiæ nostræ fauent. DD. plures. Graff. lib. 1. decis. aurea. cap. 13. num. 59. & cap. 20. num. 5. & lib 4 cap. 15. num. 16. Lauor. de iubil. par. 1. cap. 21. num. 63. Filliuc. tract. 8. cap 11. nu. 262. Flor. de cas. reser par. 1. cap 4 §. 3. num. 22. & 23. Suar. Henriq. Sanch. cit. Bossius de iubil. sect. 1. casu 13.

DIFFICVLTAS IX.

An absolutio ab excommunicatione, & alijs censuris vi iubilei collata, non satisfacta Parte, sit valida.

19 *Quid intelligatur nomine Partis.*
20 *Quid veniat nomine satisfactionis.*
21 *Refertur sententia docens talem absolutionem esse nullam.*
22 *Sententia Authoris.*
23 *Intelligenda tamen est dummodò satisfactio non exigatur tanquam conditio necessaria.*

19 ADuertendum primò pro praxi, nomine, Partis, eum tantùm intelligi, cui irrogata fuit iniuria per illud delictum, ob quod fuit inflicta excommunicatio, siue sit persona publica, siue priuata. Ita Henriq. lib. 13. cap. 28. nu. 1. Bonac. de cens. disp. 1 quæst. 3. pun. 9. Quare nomine Partis non intelligitur Superior Prælatus, qui tulit censuram, aut Ecclesia, sed alia persona distincta, quæ fuerit læsa, offensio enim Prælati, vel Ecclesiæ generalis est in omni censura: & similiter cautio parendi Ecclesiæ generaliter requiritur in omni censura. Per illam autem clausulam, satisfacta priùs Parte, aliquid speciale proponitur. Sic etiam nomine Partis non intelligitur Iudex, cui ipso iure applicatur pœna pecuniaria, sed tertia persona inter Partes: vnde hæc potest absolui antequam soluat iura Iudici, vel Tabellioni. Vt bene Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. post 3. concl.

20 Aduertendum secundò nomine, satisfactionis, in proposito intelligi restitutionem honoris, famæ, aut aliorum bonorum. Vt benè aduertit Suar. in 3. par. to. 5. disp. 7. sect. 5 nu. 47. Cuius rei exemplum satis idoneum habemus in Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. de refor. quo loco habetur eos, qui decimas dare nolunt, aut dantes impediunt, excommunicandos esse, nequè ab hoc crimine nisi plena restitutione esse absoluendos: quòd si talis satisfactio realiter non possit dari, tunc pro foro externo danda est cautio sufficiẽs, scilicet pignoraticia, vel fideiussoria; ac si hæc præstari non possit dandum est iuramẽtum de satisfaciendo ad primam opportunitatem: & in hoc sensu, pro foro videlicet externo, intelligenda sunt quæ diximus in quæst. superiore difficult 45. Cęterùm pro foro conscientiæ, vel pœnitentiali, quando constaret Pœnitentem non posse realiter satisfacere, tunc sufficeret, spectata eius qualitate, efficax propositum satisfaciendi; in foro enim conscientiæ satis est credere Pœnitenti; quod verum est non solùm in casu, quo censura sit occulta, qualis esse potest excommunicatio, quæ pro certo furto sit generaliter lata; sed etiamsi ea sit lata ob offensam publicam, & notoriam; adhùc enim posset in foro conscien-

tiæ absolui cum solo proposito satisfaciendi cùm primùm poterit, quia in foro conscientiæ attenditur solùm id, quod in confessione aperitur: neque hoc modo iuris ordo perturbatur, cũ adhuc liberum sit Iudici procedere in foro externo contra hunc sic absolutum. Ita Nau. in Man. cap. 27. num. 272. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 6. num. 7. vers. Dico quarto. Henriq. lib. 7. cap. 13. num. 2. lit. S. & cap. 28. num. 3. lit. A. Io. Valer. v. absolu. differ. 5. nu. 3. apud quos alij. His præmissis.

21 Ad difficultatem propositam respondent aliqui dicendo, absolutionem collatam in iubileo absquè satisfactione Partis esse nullam, proindeq; sic absolutum teneri iterum confiteri, tanquàm non legitimè & nulliter absolutum. Ita Suar. de censf. disp. 7. sect. 5. num. 32. & de leg. lib. 8. cap. 13. num. 4. in fine. Graff. lib. 4. decis. aurea. cap. 15. num. 6. Fil. tom. 1. tract. 11. cap. 9. num. 295. Sayr. de cens. lib. 2. cap. 18. nu. 10. Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 13. num. 2. quorum ratio est, quia ille ablatiuus absolutus, satisfacta priùs Parte, habet vim conditionis & formæ essentialis, vt proinde illa non seruatâ, seù satisfactione non præmissa, irrita sit absolutio. Confirmatur ex Glossa in Clementina 1. v. inhibentes, de Iure Patronatus, quo loco habetur, non valere actum ab eo, cui data est potestas faciendi illum, adiecta forma, si non seruet illam, nec habeat aliunde potestatem, qua illum faciat; ergo delegatus in iubileo ad absoluẽdum à censura, satisfacta priùs Parte, inualidè absoluet, si cùm possit præmittere satisfactionem, illam non præmittet.

22 Ego verò respondeo, talem absolutionem valere, etiamsi collata sit sine præuia satisfactione. Et probatur, quia clausula illa, satisfacta priùs Parte, non apponitur tanquàm conditio necessaria limitans iurisdictionem, sed tantùm veluti quædam admonitio, vt videlicet Confessarius inexpertus sciat, quid facere debeat, iuxta præceptum, seu formam iuris; quando enim in commissione exprimitur forma iuris communis eo modo, quo inest, non est intentio committentis inducere nouam formam & conditionem, sed est pura quædam admonitio, vt forma iuris communis seruetur, qua prætermissa actus non irritatur, qui aliàs esset validus, nisi in commissione ea forma fuisset expressa: expressio enim eius, quod tacitè inest nihil prorsus operatur; Cùm ergo iure communi hæc forma sit seruanda, vt ante absolutionem præmittatur satisfactio, inde est, vt huius formæ expressio nihil operetur, neque facultatem magis restringat, quàm si non exprimatur. Et ad hoc facit, quod habet Innocentius in cap. Prudentiam, de officio delegati num. 9. vbi ait commissione facta Iudici, vt condemnet Titium, si Petrus probauerit debitum, valere sententiam Iudicis cõdemnantis, Petro etiam non probante, eo quòd conditio hæc iure ipso insit. Et in cap. fin. de præsump. in principio habet, si in delegatione dicatur, conferto beneficium Petro, si fuerit idoneus, valere collationem, etiam non probata idoneitate, quia non exprimitur noua forma, quæ iure communi non insit. Secùs verò esset, si Pontifex diceret, committo tibi, vt des beneficium Petro, si per solertem indaginẽ inueneris illum esse idoneum: tunc enim, quia conditio exprimeretur alio modo, quàm inest, induceret nouam formam & conditionem. Demùm verò ad hoc faciunt, quæ diximus in tractatu de Matrimonio, videlicet si

Paro-

Parochus alicui Sacerdoti committat, vt assistat matrimonio præmissis denuntiationibus, Sacerdotem eum validè assistere, etiamsi denuntiationes nō præmittat, ex eo quòd conditio hæc iure ipso insit, & sicuti non expressa non limitat facultatem, ita neq; eandem limitat expressa; Ergo a pari, delegatus in iubileo ad absoluendum ab aliqua censura, præmissa satisfactione Partis, validè absoluet, etiamsi Parti non fuerit satisfactum. Ita Layman. lib.1. tract. 5. par.2. cap.6. num.7. vers. Quod si verò. Auil.de cens.2.par.cap. 7. disp.3. dub. 9. concl. 2. Sanch. lib.3. de Matrim. disp. 33. num. 3. Valer. in differ. vtriusq; fori. v. absolutio. differ. 5. num.5. Antonin.Diana par.5. tract. 9. resolut.12. Bonac. cit. & alij.

Monuerim tamen sententiam hanc valere, quando in Bulla iubilei, vel alio simili priuilegio facultas sic absoluendi exprimitur modo affirmatiuo: vt si dicat, committimus, vel concedimus facultatem absoluendi, satisfacta priùs Parte: vel absoluas eum, si satisfecerit, vel satisfacta Parte absoluatur. Cęterùm si facultas exprimatur modo negatiuo, non poterit sic delegatus absoluere, nisi præmissa Partis satisfactione, quoties absquè notabili incommodo possit satisfacere, vt si dicat absolutio sit nulla: vel non valeat: aut non possit absoluere, nisi priùs satisfacta Parte. Verè enim modus ille restringit iurisdictionem, & hoc clarius est attenta ea forma concessionis, quā in suo iubileo promulgato die 11. Iunij 1636. vsurpauit Vrbanus VIII. quæ est huiusmodi: [Nequè etiam easdem præsentes ijs, qui à nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Iudice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denuntiati fuerint, nisi intra tempus celebrationis huiusmodi iubilei satisfecerint, aut cum Partibus concordauerint, vllo modo suffragari posse, aut debere.] Si tamen priuilegium hac forma fuisset concessum, nullatenus detur absolutio nisi satisfacta Parte; absolutio hæc teneret, nulla etiam præmissa satisfactione, quia forma hęc æquipollet illi, absoluas si Parti satisfecerit.

23 Ex quibus inferas, priuilegium hoc dupliciter posse à Superiore limitatè concedi. Primò si ita limitatè concedatur, vt satisfactionem exigat tanquàm conditionem necessariam. Secundò si eam non exigat tanquàm conditionem necessariam, sed eam tantùm apponat pro admonitione eius quod facere debeat Confessarius. Si primo modo concedatur, absolutio est nulla, non præmissa satisfactione. Secùs verò, si posteriore modo. Ad sciendum autem, vtrùm primo modo sit concessum priuilegium, attendenda sunt illius verba. Si enim verba priuilegij huiusmodi sint, non possit absoluere; non possit dari absolutio; vel nullius sit roboris; vel non suffragetur; vel aliter non possit absolui, forma hæc limitat iurisdictionem; & satisfactionem exigit tanquàm conditionem necessariam: Quòd si priuilegij verba sint huiusmodi, absoluas satisfacta Parte; vel si Parti satisfecerit; vel nullatenus detur absolutio, nisi Parti satisfecerit, forma hæc non requirit satisfactionem tanquàm conditionem necessariam limitantem potestatem, sed est tantùm quædam monitio facta Confessario, vt sciat quid facere debeat antequàm absoluat. Eo modo, quo in facultatibus, quæ Parochis, vel alijs Confessarijs conceduntur, vt possint in alienis Parochijs audire confessiones,

ſiones, apponitur clauſula illa, de conſenſu Rectoris, per quam tamen non reddi facultatem conditionatam docet Bonac. diſp. 5. quæſt. 7. pun. 4. § 1. num. 18., & in facultatibus, quæ Confeſſarijs Oblatis conceduntur apponitur ea, de conſenſu tamen tui Præpoſiti, quæ particulæ non ita apponuntur, vt limitatam faciant iuriſdictionem, aut dependentem ab alterius conſenſu, ſed tantùm vt doceant modum, quem Confeſſarius ſeruare debeat, antequàm tali facultate vtatur.

Dices, ablatiuus abſolutus importat conditionem. l. a teſtatore ff. de condit. & demonſtr. conditio verò importat formam. l. Memmius ff. eodem tit. Ergo priuilegium conceſſum cum hoc ablatiuo abſoluto, ſatisfacta tamen Parte, importabit conditionem, & conſequenter inducet nouam formam, ita vt abſolutio ſit dicenda nulla, quoties deſit hæc Partis ſatisfactio.

Reſpondeo ablatiuum abſolutum importare conditionem faciendi aliquid licitè, aut validè: in præſenti verò caſu importare tantùm conditionem abſoluendi licitè, non verò validè; proindequè etiamſi hæc conditio deſit, validam eſſe abſolutionem; licèt peccaret, qui Pœnitentem abſolueret non præmiſſa reali ſatisfactione, quando poſſet commodè ſatisfacere. Vt benè Sylu. v. abſolu. 3. num. 3. in fine. Couar. in cap. Alma Mater par. 1 § 11. num. 7. Henriq. lib. 13. cap. 28. num. 2. Quinimò Auil. 2. par. cap. 7. diſp. 3. dub. 9. concl. 2. Coninc. diſp. 14. dub 16. nu. 205. Henriq. cit. exiſtimant etiam, Confeſſarium, qui ex facultate ordinaria, vel delegata abſoluat, mortaliter peccare quoties inuita Parte ante realem ſatisfactionem abſoluat, quod eſt veriſſimum. Vtrùm verò non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam peccet ſic abſoluendo, vt ſentiunt DD. iſti, patet ex dictis in ſuper. quæſt. diff. 54.

DIFFICVLTAS X.

An Confeſſarius vi iubilei habens priuilegium abſoluendi cum limitatione ſatisfactionis, poſſit abſoluere Pœnitentem, qui moraliter ſit impotens ad ſatisfaciendum.

24 *Reſponſio eſt affirmatiua.*

25 *Quomodò intelligenda reſeruatio, vi cuius recipientes munera à Religioſis abſolui non poſſunt niſi præmiſſa reali ſatisfactione.*

26 *Quomodò item intelligenda reſeruatio lata à Gregorio XIII. contra dantes, vel accipientes pro gratia, vel iuſtitia à Sede Apoſtolica obtinenda.*

27 *Quomodò item intelligenda reſeruatio lata à Concil. Triden. contra detrahentes decimas.*

28 *Quid ſi Pœnitens ſine graui damno ſtatus, bonorum, vel famæ non poſſit reſtituere.*

PRæſens difficultas eſt inſtituta pro caſu, in quo Confeſſarius habeat iuriſdictionem limitatam, vt nullo modo poſſit a cenſuris abſoluere, niſi ſatisfacta priùs Parte. Et quæritur, vtrùm vi facultatis hoc modo limitatę poſſit abſoluere Pœnitentem, qui moraliter ſit impotens ad ſatisfaciendum Parti læſæ.

24 Reſpondeo affirmatiuè. Et ratio eſt, quia verba priuilegij ſunt benignè explicanda, non enim credibile eſt Superiorem velle obligare Pœnitentem ad impoſſibile, cùm ad impoſſibile

sibile nullus teneatur l. Impossibilium ff. de reg. iur. Ita Auil. 2. par. cap. 7. disp. 3. dub. 9. concl. 2. Rodri. 1. par. cap. 83. nu. 3. Henriq. lib. 13. cap. 28. Suar. de cens. disp. 7. sect. 5. num. 41. Bonac. disp. 1. de cens. quæst. 3. pun. 9. num. 4. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 20. num. 19. qui plures alios citat.

25 Sic in motu proprio Clementis VIII. de largitione munerum Religiosis interdicta, decernitur, vt recipientes munera ab ipsis, restitutione ipsa realiter non facta, neque in foro conscientiæ absolui possint. Et tamen Sosa in eius expositione num. 96. asserit reseruationem hanc esse intelligendã quoties moraliter possint restituere.

26 Sic in motu proprio Gregorij XIII. de datis, vel acceptis pro iustitia, vel gratia à Sede Apostolica obtinenda habetur, nullum esse admittendũ ad absolutionis gratiam nisi priùs erogatum sit pauperibus quantum ille dederit, vel acceperit. Et tamen Nauar. in comment. illius num. 38. ait eos posse absolui, qui præ impotentia excusantur à restitutione. Idemque sentit Moli. tom. 1. de iust. disp. 92. colum. 3. vers. Pœnæ. Quo loco habet, motum hunc esse intelligendum, quando absoluendus est potens restituere, & per illum stat quo minùs restitutio sequatur.

27 Sic Tridentinum sess. 25. de refor. cap. 12. habet, detrahentes decimas esse excommunicandos, neque ab hoc crimine esse absoluendos, nisi plena restitutione secuta. Et tamen Nauar. in sum. cap. 17. num. 59. Moli. to. 3. de iust. disp. 756. in fine. Manu. 1. tom. sum. cap. 87. num. 8. Henriq. lib. 13. de excommu. cap. 28. nu. 1. in comment. lit. R. existimant decretum hoc esse tantùm intelligendum, quando is, qui decimas defraudauit est potens commodè restituere; Ergo à pari idem dicendũ in nostro casu, videlicet, etiamsi Confessario fuerit limitata facultas per conditionem irritantem, vt nullo modo possit absoluere, nisi satisfacta priùs Parte, adhuc tamen posse absoluere quoties Pœnitens sit moraliter impotens ad satisfaciendum. Quinimò cum Sanch. cit. hoc idem assero, etiamsi in priuilegio solus mortis articulus fuisset exceptus: vt si diceret, nullo modo possit Confessarius absoluere, nisi præmissa reali satisfactione, excepto tamen mortis articulo; huius enim exceptionis hic esset sensus, quòd in mortis articulo posset Pœnitens absq; reali satisfactione absolui, etiamsi paupertas non excusaret; at verò extra mortis articulum nullo modo posset absolui absquè reali satisfactione, nisi paupertas, seù impotentia excusaret.

28 Quæ autem diximus in casu, quo Pœnitens sit impotens ad satisfaciendum, eadem sunt dicenda in casu, quo sinè graui damno famæ, vel status, vel bonorum non possit satisfacere; casus enim hic æquiparatur impotentiæ: Intellige tamen, dummodò creditor, seù pars læsa non sentiat æquale damnum illi, quod patitur absoluendus: tunc enim is nullo modo excusaretur, quia in æquali damno potior est conditio creditoris innocentis, vt patet ex dictis suo loco de causis excusantibus à restitutione.

DIFFICVLTAS XI.

An Confessarius qui virtute iubilei habet facultatem absoluendi à censuris reseruatis possit ab ijsdem absoluere extra Sacramentum Pœnitentiæ.

29 *Quotuplex sit forum.*
30 *Forum Pœnitentiale Sacramentale est non sic verò forum conscientiæ.*
31 *Doctores plures respondent cum distinctione.*
32 *Sententia Authoris.*
33 *Respondetur fundamentis aduersariorum.*

29 PRO solutione huius difficultatis aduertendum, tripliciter ab Auctoribus communiter distingui forum; ita vt aliud dicatur forum externum, quod contentiosum dicitur, seu forum fori, eo quòd in loco publico exerceatur. Aliud dicatur forum Pœnitentiæ, in quo secretè exercetur animę iudicium per sententiam Sacramentalem, seu per confessionem. Aliud verò dicatur forum conscientię, in quo iudicium secretè quidem exercetur, sed tamen extra confessionem. Quæ duo fora vno nomine dicuntur forum Poli, quatenus distinguuntur à foro fori. Quare absolutio à censura in foro externo collata vna tantùm est; in foro verò interno duplex esse potest, vna in foro Pœnitentiali, seu Sacramentali, quæ impenditur tantùm in ipso Sacramento pœnitentiæ, & in ordine ad absolutionem Sacramentalem; altera in foro conscientiæ, quę extra confessionem impendi potest. Ita Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 11. nu. 6. Henriq. lib. 7. cap 13. nu. 2. Homob. de cas. res. cap 5. cas. 3. obser. 4. Man. tom. 1. quæst. 61. art. 10. Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 34. num. 29. & alij communiter.

30 Ex quibus patet forum pœnitentię esse Sacramentale, proindequè idem esse dicere in foro pœnitentię, ac in foro Sacramentali: forum verò cõscientiæ distingui à pœnitentiali, seu Sacramentali: sed conscientiæ dici, vt contradistinguitur à foro externo, & contentioso. Quare absolutio à censura, quæ in foro externo impenditur, ea est, quæ cum strepitu iudiciali impenditur & publicè, adhibitis testibus. Quæ impenditur in foro pœnitentiæ, ea est, quæ impenditur audita confessione peccatorum, & per absolutionē Sacramentalem. Quæ verò impenditur in foro conscientiæ ea est, quæ extra forum Sacramentale impenditur & occultè, non adhibitis testibus, aut Notario. Quinimò etiamsi ea detur aliquibus videntibus, quoties tamen detur sine strepitu, adhuc dicitur in foro conscientiæ collata. Vt benè Rodriq. qq. regul. tom. 1. quæst. 61. art. 10.

Præsens ergo difficultas illud petit, vtrùm virtute iubilei possit quis extrà confessionem à censuris reseruatis absolui.

31 Respondet Filliuc. to. 1. tract. 11. cap. 9. nu. 294. cum hac distinctione: vel enim potestas, quæ in iubileo conceditur, absolutè conceditur; vel ea conceditur tantùm in ordine ad forum conscientiæ, & ad bonam animæ dispositionem, vt ordinariè solet concedi. Si primo modo, existimat posse Pœnitentem absolui à censuris extra Sacramentum; secùs verò si posteriore modo. Hoc idem docet Suarez in 3. par. tom. 5 disp. 7. sect. 5. num. 35. Vasq. in 3. par. to. 4. tract. de excommu. dub. 20. nu. 9. Sanctar. de iub cap. 8. num. 8. Zecch. de Sacram. pœniten. cap. 19. Zerul. in praxi Episcop. 2 par. verb. absolutio. §. 1. Cord. in sum. q. 19. Duar. in Bullam Cœnę lib. 3. §. 2. q. 1. nu. 40. Vega in sum. par. 1. cap. 19. casu 49. circa finem, & alij qui absolutè asserunt; quotiescunquè datur facultas per iubilea absoluendi à censuris reseruatis, absolutionem hanc esse impendendam in Sacramento confessionis: Hocquè

què multò verius esse, si in Bulla extent eæ clausulę [in foro conscientiæ] vel [auditis confessionibus,] quæ ordinariè solent apponi. Fundamentum autem horum DD. est, quia cùm hęc concessio fiat tantùm in ordine ad bonam & internam animæ dispositionem, dicendum etiam videtur, potestatem hanc à censuris absoluendi esse tantùm concessam intra Sacramentũ Pœnitentiæ. Tum quia in iubileis plerumquè apponitur illa particula, [auditis confessionibus] vel si hæc non apponitur, habetur tamen alia ęquiualens, videlicet, quòd fideles possint eligere Confessarium à quo possint absolui à peccatis & censuris. Demum quia ita videtur declarasse Pius V. in Bulla iubilei per eum concessi die 17. Octobris anno 1568., quam refert Rodriq. in Bulla Cruciatæ §. 9. num. 55. in hæc verba. [Declarantes insuper, tam præsentes, quàm alias quascunq; super concessione similium, vel dissimilium indulgentiarum à Nobis, & à prædecessoribus nostris hactenus emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas litteras Christifidelibus ipsis, nisi ad earum effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiæ consequendum dumtaxat, non autem in foro fori, aut contentioso, nisi satisfecerint vllatenus suffragari.]

32 His tamen non obstantibus respondeo, Confessarium virtute iubilei posse à censuris absoluere extra Sacramentum pœnitentiæ. Et probatur primò, quia in multis iubileis apponitur tantùm clausula illa [in foro conscientiæ,] facultas autem concessa pro foro conscientiæ, non exigit absolutionem Sacramentalem, cum forum conscientiæ, & forum Sacramentale inter se distinguantur. Secundò quia licèt in iubileo apponatur clausula illa, [audita confessione] adhuc tamen ea non obstat, quominùs absolutio à censura non possit impendi extra Sacramentum. Et ratio est, quia cùm maximè distent inter se absoluere à peccatis, & absoluere à censura, neque ad hoc necessaria sit Sacramentalis absolutio, non est censendus Pontifex velle totum priuilegium limitare per illum ablatiuum absolutum in principio positum, sed singula singulis referenda sunt, & ita ille refertur ad absolutionem à peccatis, quæ immediatè sequitur. Et hac ratione probat Sanch. in sum. lib. 4. cap. 64. num. 16. Confessarium virtute iubilei posse commutare vota extra confessionem, & lib. 8. de Matrim. disp. 34. num. 30. hoc idem asserit loquens de clausulis dispensationum, quę in foro conscientiæ circa matrimonij impedimenta expediuntur in Sacra Pœnitentiaria Romana: & loquentes de Bulla Cruciatę hoc docent Auila de cens. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 13. Villal. in sum. to. 1. tract. 27. claus. 9. §. 2. num. 23. Vega in sum. to. 1. cap. 6. num. 3. Coninc. de Sacram. disp. 14. dub 16. nu. 253. Io. à Cruz in director. conscien. par. 2. tract. de excommun. dub. 5. conclus. 3. & hanc sententiam sæpiùs se consuluisse, & practicasse asserit Diana parte 1. tract. 11. resol. 24. idemq; docet par. 4. tract. 5. resol. 18. & non obstante particula apponi solita in litteris Sacræ Pęnitentiariæ [audita Sacramentali confessione] posse Oratorem validè recipere commutationem, dilationem votorum, absolutionem à censuris, dispensationem super irregularitate, rehabilitationem ad beneficia &c. etiamsi confessio sacrilega sit, docet Paulus Leo in sua praxi ad litteras Maioris Pęnitẽtiarij.

33 Ad declarationem Pij V. respondetur Pontificis mentem esse, vt tales

tales absolutiones non prosint pro foro externo, nisi Parti sit satisfactum. Vt clarè patet ex ipsis verbis.

Obijcies, clausula posita in vna parte dispositionis, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, censetur referri ad omnia contenta in illa dispositione, vt obseruant DD. in cap. Secundò requiris; de appel. Ergo clausula illa, [audita confessione,] apposita in iubileo censenda est referri ad omnia in illo contenta, idest tam ad absolutionem à censuris, quam ad absolutionem à peccatis.

Respondeo regulam illam valere quando omnium est eadem ratio, vt multis citatis tradit Menoch. de præsumptionibus lib. 4. præsumpt. par. 181. num. 2. quod hic non contingit, absolutio enim a censuris non necessariò est Sacramentalis, qualis necessariò est absolutio à peccatis.

Et hæc, quæ diximus veriora sunt, si in iubileo, vel alio simili priuilegio absolutè, & nullo alio addito concessa sit facultas absoluendi à peccatis & censuris reseruatis; tunc enim Confessarium electum posse à censuris extra confessionem absoluere suadet ea ratio, quòd priuilegia Principis sint latissimè interpretanda textu in cap. quamuis plenissima, de præbendis in 6.

DIFFICVLTAS XII.

Balbus confitetur Superiori habenti facultatem absoluendi ab omnibus censuris, etiam reseruatis: vtrùm remaneat absolutus ab ijs, quarum inculpabiliter sit oblitus.

34 *Si Pœnitens confiteatur Superiori habenti facultatem absoluendi ab omnibus censuris, etiam reseruatis, ab eoq; generalem absolutionem petat, remanet absolutus etiam ab ijs, quarum inculpabiliter fuit in confessione oblitus.*

35 *Quid si confessio fiat extra casum iubilei: neq; vlla fiat mentio censurarum.*

36 *Aliqui negant remanere absolutum.*

37 *Sententia Authoris affirmat.*

38 *Quid si Pœnitens censuram aliquam culpabiliter, aut etiam dolosè tacuerit.*

39 *Responsio est illum remanere absolutum, quoties absolutio sit collata ab habente auctoritatem ordinariam.*

40 *Quid si Pœnitens oblitus sit censuræ exigentis satisfactionem Partis. Affirmant aliqui. ibidem.*

41 *Sententia Authoris probabilior.*

42 *In censuris Papæ reseruatis ablatâ censurâ, ablata etiam illico est omnis reseruatio: Secùs verò in ijs, quæ Episcopis sunt reseruatæ.*

34 IN hoc conueniunt Doctores omnes, eum qui confitetur Sacerdoti habenti facultatem per iubileum, aut aliud priuilegium absoluendi ab omnibus censuris Papæ & Episcopis reseruatis si ab eo generalem absolutionem à censuris omnibus petat & obtineat, remanere absolutum, non solùm à censuris expressis, sed etiam ab ijs, quarum inculpabiliter fuerit in cōfessione oblitus. Ita Suar. de censur. disp. 7. sect. 5. num. 16. & sequentibus. Sanch. lib. 2. sum. cap. 12. nu 9 Alphon. Vega. 2. par. sum. cap. 17. cas. 17. Bonac de cens. disp. 1. quæst. 3. pun. 6 nu 3. Filliuc. 1. par. tract 8. cap. 10. nu 279. Lauor. de iubil. par. 1. cap. 14. num. 96. Et ratio est, quia ablatio censuræ pendet tantùm à voluntate & potestate Superioris; vnde est, vt censuræ absolutio in absentem dirigi possit, quinimò

imò etiam in inuitum. Ergo quoties Superior intendat absoluere ab omni censura, absolutio hæc cadet etiam super oblitas. Nequè verò necesse est, vt Superior absoluens habeat notitiā omnium censurarum in particulari: sicut enim ignorans potest ligari censura, ita & absolui. Tum quia hoc patet ex ipsa forma absolutionis, qua vtuntur Confessarij in absoluendo à peccatis: semper enim præmittunt clausulam illam generalem, absoluo te ab omni excommunicatione, suspensione & interdicto, quantum possum, & tu indiges: quæ absolutio conditionalis est, vt si fortè Pœnitens aliqua censura sit innodatus, ea tollatur, etiamsi non manifestetur.

35 Potior difficultas est in casu, quo Pœnitens extrà casum iubilei confiteatur Superiori habenti facultatem, vel ordinariam, vel delegatam absoluendi à censuris reseruatis. Vtrùm si nullam faciat mentionem cēsurarum, remaneat absolutus à censuris ijs, quarum sit inculpabiliter oblitus; etiamsi Superior non habuisset expressam intentionem ab ijs absoluendi.

36 Respondent aliqui negatiuè; ea autem ratione nituntur, quia sicuti Superior concedens generalem facultatem absoluendi à censuris, non dicitur concedere facultatem à censuris reseruatis, ita absoluendo generaliter à censuris, non dicitur absoluere à censuris reseruatis, cùm in generali clausula non contineantur specialia. Vt habetur cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6.

37 Ego verò respondeo illum remanere absolutum ab omnibus censuris, tam reseruatis, quam non reseruatis, saltem inculpabiliter oblitis. Et ratio est, quia absolutio illa impenditur in ordine ad absolutionem Sacramentalem, ad quam necessaria est absolutio ab omnibus censuris etiam reseruatis. Ita Boss. de iubil. sect. 1. cas. 28. num. 15. Vide quæ in simili dixi de casu reseruato oblito quæst. 3. superiore diff. 26.

Dices censuram tolli ad effectum obtinendi absolutionem à peccatis: cęterùm post hunc effectum eam redire. Sed contra, quia Superior potest illam simpliciter & absolutè auferre. Ergo dicendus est illam absolutè tollere, non verò ad reincidentiam. Tum quia, vt benè habet Suar. cit. num. 35. reincidentia non contingit nisi in casibus in iure expressis.

38 Dixi in responsione, ab omnibus cēsuris saltem inculpabiliter oblitis: vtrùm enim remaneat absolutus ab ijs, quas culpabiliter, vel dolosè tacuit, in hoc pleriquè discordant. Alij enim putant tantùm tolli quoad forum externum, nō verò quoad Deum. Alij existimant eas tolli si extra Sacramentum Pœnitentiæ absolutio conferatur, secùs verò si hæc conferatur in ipso Sacramento Pœnitentiæ.

39 Ego verò respondeo cum Henriq. lib. 13. cap. 29. num. 1. lit. E. Pœnitentem hunc remanere absolutum etiam ab ijs, quas culpabiliter non expresserit quoties absolutio sit collata ab habente potestatem ordinariam. Et ratio est, quia absolutio ab excommunicatione pendet à potestate, & intentione absoluentis. Ergo si absoluentis intētio est ab omnibus absoluendi, tenebit absolutio, etiamsi aliqua culpabiliter non fuerit expressa. Et hanc eandem sententiam veriorem esse existimat Boss. cit. num. 21.

40 Quæret hoc loco aliquis, quid dicendum sit in casu, quo Pœnitens oblitus sit censuræ exigentis satisfactionem Partis; vtrùm videlicet per generalem absolutionem collatam ab haben-

habente facultatem ab ea absoluendi dicatur absolutus, cùm tamen non præmiserit satisfactionem Partis.

Affirmant aliqui remanere absolutum, dato quòd inculpabiliter obliuiscatur. Ratio illorum est, quia stante hac obliuione inculpabili, nullum adest impedimentum, neque ex parte Confessarij, neque ex parte Pœnitentis, quominùs possit & validè,& licitè absolui; cùm sufficiat efficax propositum satisfaciendi, quando impossibilis est realis satisfactio. Sed quando quis inculpabiliter ignorat, seu obliuiscitur se teneri ad satisfaciendum, verè pro eo tempore satisfactio hæc dici potest impossibilis. Ergo pro eo tempore sufficiet propositum restituēdi. Ergo stante hoc proposito dicendus erit Pœnitens absolutus. Ita plerique ex DD. quos superiùs citaui, qui absolutè & sine vlla exceptione asserunt Pęnitentem remanere absolutum à censuris oblitis, dato quòd sit confessus Sacerdoti habenti facultatem ab illis absoluendi, quibus accedit Boss. de iub. loco superius cit. num. 27. Et hæc sententia est probabilis.

41 Respondeo tamen probabilius esse Pœnitentem hunc non remanere absolutum. Et ratio est, quia non est credibile Confessarium velle absoluere ab aliqua censura non expressa, à qua etiam expressa non potest licitè absoluere, nisi præmissa reali satisfactione. Ita Auil. de cens. 2. par. cap. 7. disput. 3. dub. 9. Coninc. de pœnit. disput. 8. dub. 17. num. 97. Bonac. de censur. disput. 1. quæst. 3. punct. 6. num. 4. Leo de iubil. par. 2. num. 200. Cardinalis de Lugo disp. 20. de pœnit. sect. 7. num. 114.

42 Pro coronide huius difficultatis vnum monuerim quod alibi docui, alias esse censuras, quæ soli Papæ sunt reseruatæ; alias verò, quæ Episcopis. Quare si Pęnitens in aliqua confessione oblitus sit censuræ, hęc tollitur, & si ea soli Papę erat reseruata, non tenetur amplius illam fateri, sed solùm peccatum, cui erat adnexa censura, quod tamen non remanet ampliùs reseruatum, cùm in casibus Papę reseruatis, ablatâ censurâ tollatur reseruatio. Vndè si quispiam in duello pugnasset, & inter confitendum sua peccata Superiori oblitus fuisset huius cēsurę, non teneretur in sequente confessione adire Superiorem pro absolutione huius peccati; sed posset per quemcunquè expositum absolui. Secùs verò si censura esset alicui Episcopo reseruata; cùm enim Episcopi soliti sint non solùm reseruare censuras, sed etiam peccata, quibus eę sunt adnexę; inde est, vt ablatâ censurâ, adhuc intelligatur remanere reseruatio culpæ, & consequenter pro hac sit adeundus Superior; nisi fortè absoluens à cēsura impendisset absolutionem animo liberandi Pœnitentem etiam à reseruatione culpę, vt regulariter contingit in absolutione Sacramentali, quę per Superiorem impenditur, in qua Confessarius intendit absoluere quantùm potest, & maximè eâ, quę impenditur vigore iubilei.

DIFFICVLTAS XIII.

Titius confessus est tempore iubilei, & inculpabiliter est oblitus alicuius peccati reseruati. Quæritur verùm liber sit à reseruatione.

43 *Responsio est affirmatiua.*

44 *Quid si confessio facta sit habenti tantùm facultatem delegatam.*

45 *Quo*

45 *Quo dispari modo tollantur censuræ in confessione oblitæ, & peccata reseruata oblita.*

43 Casum hunc in superiore quęstione disputauimus diff. 26. ideo breuissimè illum hoc loco expediemus.

Respondeo ergo Titium, qui virtute iubilei confessus est sua peccata Confessario approbato manere liberum à reseruatione eorum peccatorum, quorum inculpabiliter fuit oblitus, ita vt post iubileum possit illa cuicunq; Confessario exposito confiteri. Ita Suar. de pœnit. disp. 31. sect. 4 num. 20. Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 15. num. 21. & in sum. lib. 4. cap. 54. nu. 45. Graff. lib. 4. decis. aurea. cap. 15. nu. 5. Bonac. de pœnit. disp. 5. quęst. 7. pun. 5. §. 5. num. 8. Lauor. de iubil. par. 2. cap. 28. num. 65. Coriol. de cas. reser. par. 1. sect. 1. art. 9. num. 4. & sect. 7. art. 17. num. 2. Cardinalis de Lugo disp. 20. de pœnit. sect. 7. num. 104. Anton. Diana par 3. tract. 4. de Sacram. resol. 145. & alij communiter, & ratio est, quia cùm Confessarius vigore iubilei habeat facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis, porrò absoluendo dicitur voluisse absoluere quantùm potuit; ergo si culpam directè non potuit auferre, vt pote quæ non fuerit in confessione expressa, dicendus est saltem abstulisse reseruationem.

Dices, hoc quidem verum esse posse, dato quòd confessio sit facta Superiori habenti facultatem ordinariam absoluendi a reseruatis, ex eo quòd ille possit extra confessionem tollere reseruationem, & facultatem dare Pœnitenti, vt alteri confiteatur. Cæterùm si confessio fiat habenti tantùm facultatem delegatam, qualis est ea, quam in iubileo habent omnes Confessarij, intelligi non posse quomodò tollatur reseruatio peccati obliti, cùm delegatus non possit facultatem dare Pœnitenti, vt alteri confiteatur suum peccatum reseruatum.

44 Respondeo tamen, siue confessio sit facta Ordinario, siue Delegato adhuc tolli reseruationem peccatorum oblitorum, vt patet ex ijs, quæ diximus in diffic. 26. cit. Et ratio est, quia Confessarius delegatus dicitur accepisse facultatem à Superiore ad absoluendum sicut exigit dispositio & intentio Pœnitentis & quantùm ipse Superior potest, cùm vices suas illi committat; vt proinde licèt delegatus non possit committere alteri facultatem absoluendi ab ijs peccatis reseruatis, à quibus ipse ex potestate delegata valet absoluere, possit tamen auferre impedimentum reseruationis, quo ablato peccatum remanet sub communi iurisdictione. Vt benè Cardinalis cit. num. 105. Boss. de iubil. sect. 1. casu 29. num. 5.

45 Ex quibus patet in hoc conuenire censuras oblitas, & peccata reseruata oblita, quòd & censura, & reseruatio tollitur; in hoc verò differre, quòd censuræ tolluntur, etiamsi culpabiliter fuerint oblitæ, non sic verò peccata reseruata. Pariter in hoc differre, quòd censuræ oblitę tolluntur directè; vnde etiamsi in memoriam veniant non sunt confitendę; at verò peccata reseruata oblita tolluntur tãtùm indirectè: vnde est, vt teneatur Pœnitens illa confiteri si ad memoriam redierint, sed satis sit, si illa confiteatur inferiori.

DIFFICVLTAS XIV.

Titius tempore iubilei præstitit omnia opera necessaria ad iubi-

nec non et vota commutare &c.] Sicut si Papa facienti certo die eleemosynam priuilegium aliquod indulgeret, eleemosyna alligaretur tempori, non tamen priuilegium. Ita Sanch. superiùs cit. & in sum. lib.4. cap.54. num. 39. Sanctar. de iub. cap.13. dub.2. Cardinalis de Lugo de Sacram. pœnit. disp. 20. sect. 7. num. 102. Antonin. Diana par.3. tract.4. resol. 150. Boss. de iubil. sect.1. cas.30. & alij apud ipsos.

Hæc tamen vera sunt retenta opinione probabili, quòd is, qui non est confessus tempore iubilei, eo quòd præmissa sufficienti cosciențiæ discussione non sit recordatus alicuius peccati mortalis, lucretur iubileum, quoties præstet cœtera opera in iubileo præscripta, quàm sententiam sustinet Henriq. lib.7. de Indug. cap.17. num.2. vbi tantùm vocat contrariam tutiorem, & tenentur sustinere ij omnes, quos pro nostra sententia citaui.

Dices repugnare, quod pœnitens affectus peccato læthali acquirat iubileum, & per iubileum acquirat ius, vi cuius possit absolui a reseruatis oblitis. Si enim habebat peccata mortalia, quomodo potuit iubileum acquirere? Esto enim, quod probabilis sit sententia, quæ docet confessionem Sacramentalem non requiri ad lucrandum iubileum; id tamen comparari nullo modo potest ab homine habente conscientiam peccati mortalis, etiamsi inculpabiliter illius obliuiscatur.

Respondeo posse id intelligi, primò si pœnitens præmiserit actum contritionis. Secundò, si ante iubileum confessus iam fuerat, sed oblitus erat illorum reseruatorum: quare ab illis quidem fuerat indirectè absolutus, sed tamen pro directa absolutione tenebatur præsentare se Superiori, à qua obligatione fuit liberatus lucrando iubileum. Tertiò, licet propter statum peccati, in quo pœnitens supponatur, non sit lucratus iubileum, non improbabiliter tamen dici posset, cum fecerit quantum potuit pro lucrando iubileo, & bona fide præstiterit quæcunq; opera, quæ fuerant iniuncta, eum acquisiuisse iura, & facultates, quæ volenti lucrari iubileum dabantur, & hęc durare transacto etiam tempore iubilei. Et sic à reseruatis oblitis per quemcunquè Confessarium absolui posse: & votorum oblitorum commutationem petere.

48. Ex quibus inferas primò Titium, qui tempore iubilei non est confessus, eo quòd putaret se nullius culpæ mortalis habere conscientiam, dici liberum à reseruatione eius peccati, cuius inculpabiliter fuit oblitus, non quia reseruatio ipsa sit ablata; cùm enim à tali peccato, nequè directè, nequè indirectè fuerit absolutus inde est, vt reseruatio adhuc duret; sed quia iubileum tribuit illi priuilegium, vt possit à quocunquè Confessario electo absolui, etiamsi Confessarius electus non haberet aliundè facultatem absoluendi à reseruatis.

49. Secundò, si post consecutionē iubilei commiserit alia peccata reseruata, non posse ab illis absolui, & ratio est, quia priuilegium hoc extenditur tantùm ad peccata reseruata commissa vsquè ad finem iubilei comparati. Sicut loquens de commutatione votorum sic habet Sanch. cit. in sum.

50. Tertiò, si quispiam tempore iubilei non habuerit copiam Confessarij, & contritus sumpserit Sacram Eucharistiam, ac demum omnia pro lucrando iubileo præstiterit; hunc iubileo etiam transacto posse a censuris, & casibus reseruatis absolui, quia priuilegium hoc obtinuit per iubilei con-

ſecutionem. Ita Alphon. de Leone tract. de iub. par.2. quæſt.17. num.197. Zanar. in Director. Confeſſor par.1.de Sacram. pœnit. cap. 2.quæſt 20.Diana 3.par. tract.4. reſol.150.

Intellige ſi bona fide ita communicauerit. Verè enim caſus iſte non eſt ex ijs, in quibus liceat abſq; præuia confeſſione communicare, niſi ſcandali periculum concurrat.

51 Quartò, ſi quiſpiam in Confeſſione facta tempore iubilei non manifeſtauerit peccatũ reſeruatum ne manifeſtaret complicem, vel ex alia iuſta cauſa, poſſe ab eo peccato poſt tranſactum iubileum per quemcunquè Confeſſarium abſolui. Ita Homob.in exam. Eccl. par.1.tract.5. ca.6. quæſt.38.Cardin. de Lugo loco cit. num. 116.

52 Quintò eum, qui tranſacto iubileo recordetur alicuius voti emiſſi ante illius conſecutionem, adhuc tamen poſſe illius commutationem petere, ſiue ab eodem Confeſſario, ſiue ab alio ex approbatis ab Ordinario; valet enim ratio allata pro caſibus reſeruatis. Ita Sayrus in Claui reg.lib.6. cap. 12. num. 17. Sanch. in ſum. loco cit. quidquid in contrarium ſentiant Suar. Beia, & alij, Et hoc eſt maximè notandum propter vota peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, quæ commutari in quodcunque opius pium poſſunt tempore iubilei, & alias ſoli Pontifici reſeruantur.

Dices iubileum concedit pro vna tantùm vice facultatem eligendi Confeſſarium, qui a reſeruatis abſoluat, & vota commutet, ſed iam ſemel illum elegit, & à reſeruatis fuit abſolutus, ac præterea aliorum votorum commutationem obtinuit (totum enim hoc poteſt in caſu ſupponi) ergo non poteſt amplius eligere Confeſſarium, qui vota oblita commutet.

Reſpondet Sanch. cit. in ſum. & lib. 8. de Matrim. diſp. 15. num. 17. hanc Confeſſionum diſtinctionem eſſe quaſi materialem, & omnes complere quaſi vnum integrum Miniſtrum, à quo omnia illa vota commutantur; Sic enim, retenta noſtra ſententia, Pœnitens tempore iubilei poteſt Confeſſarium eligere, a quo extra confeſſionem à cenſuris abſoluatur: poſtmodùm verò alterum eligere, à quo abſoluatur à caſibus reſeruatis.

53 Sextò, addit idem Sanch. cit. in ſum.num.40.& de Matrim.num.18., licèt Pœnitens tempore iubilei memor alicuius voti emiſſi noluiſſet illius cõmutationem petere, adhuc tamen poſt tranſactum iubileum poſſe mutata voluntate illam petere, pro qua ſententia tacito nomine citat alios Neothericos. Et ratio eſt, quia licèt ſemel noluerit vti priuilegio iubilei, cùm tamẽ illud ſit perpetuum nec tempori alligatum pro caſibus & votis præcedentibus ipſam iubilei conſecutionem, inde eſt vt poſſit mutata voluntate illo vti. Sic illum, qui à Papa impetrauit diſpenſationem, etiamſi illi renuntiauerit, ac literas ipſas conciderit, adhuc tamen quandiu Superior non acceptauerit illam renuntiationem, poſſe mutata voluntate vti illa diſpenſatione vel priuilegio; diximus ſuo loco cum Sanch. lib.8. de Matrim. diſp.32 quod dictum limitauimus, niſi fortè diſpenſatio fuiſſet circa votum vel iuramentum: vnde eſt vt loquentes de Titio, qui diſpenſatione obtenta, vt poſſet inire matrimonium cum Ceia conſanguinea, & mutata voluntate aliam duxit, cum Doctoribus citatis dixerimus illum viduum effectum poſſe virtute prioris diſpenſationis Ceiam conſanguineam in Matrimonium ducere,

non

non obstante illa citata renuntiatione per transitum ad aliás nuptias facta, ex eo quòd renuntiatio illa non fuerit à concedente acceptata; ergo pari modo, licèt quis tempore iubilei renuntiauerit priuilegio commutationis voti, quod habebat, quandiu tamen talis renuntiatio non erit acceptata à concedente priuilegium, poterit ille mutata voluntate etiam post transactum iubileum sui voti commutationem petere, dato quòd iubileum sit consecutus.

Intellige tamen, nisi fortè post iubileum confirmasset votum: hæc enim voti confirmatio, cùm sit quædam voti emissio obstaret quominùs posset illius commutationem petere, ex eo quòd votum illud diceretur emissum post iubileum; Sicuti, qui semel renunciauit dispensationi voti, vel iuramenti, non potest mutata voluntate illâ vti, quia perinde est dispensationi voti, vel iuramenti perfectè concessæ renunciare, ac denuò ad prioris illius voti, vel iuramenti obligationem redire, ac denuò his vinculis Deo obligari. Sedulo autem dixi, perfectè concessæ, quia si dispensatio non fuisset perfectè concessa, sed pura commissio dispensationis, etiamsi voti, ac iuramenti esset, adhuc tamen ante acceptatam à Superiore renunciationem posset eo dispensationis priuilegio vti, vt bene Sanch. cit.

DIFFICVLTAS XV.

Titius habens animum lucrandi iubileum fuit absolutus à reseruatis, & inculpabiliter oblitus est alicuius peccati reseruati. Quæritur vtrùm, si postmodùm voluntariè sua culpa non lucretur iubileum, possit illud peccatum cuicunquè exposito confiteri.

54 *Refertur fundamentum sententiæ negantis.*
55 *Sententia Authoris.*

54 Casum hunc proponit Suar. de pœnit. disp. 31. sect. 4. num. 32. & licèt sententiam negantem hunc posse à quocunq; Confessario absolui existimet esse valdè probabilem, & maximè tutam; affirmantem tamen non putat ita improbabilem, quin possit aliquis illi probabiliter adhærere. Pro parte ergo negatiua ea potissimū vtitur ratione, quia omnia hæc priuilegia conceduntur ad lucrandum iubileum, & ideo donec illud obtentum sit non videtur Pœnitens posse vti ijs priuilegijs, quæ ad effectum, vt sic dicam, non peruenerunt; licèt ergo peccata reseruata confessa non maneant amplius reseruata, tamen peccata oblita, quia adhuc sunt subijcienda clauibus, videntur manere in suo priore statu, cùm beneficio iubilei non possint dici liberari à reseruatione, vt potè quod non fuerit obtentum.

55 His tamen non obstantibus respondeo, Titium etiamsi sua culpa non sit lucratus iubileum, adhuc tamen posse per quemcunquè Confessarium absolui à peccatis reseruatis oblitis, dato quòd tempore confessionis habuerit animum lucrandi iubileum. Et ratio ea est, quam attulimus in diff. 13. superiore; Cōfessarius enim absoluens virtute iubilei intendit absoluere quātùm potest, & quantùm Pœnitens indiget; Ergo cùm à peccatis oblitis possit tollere reseruationem, dicendus est illam tollere. Ita Henriq. lib. 7. cap. 11. num. 3. & 4. Sanch. in sum. lib. 4.

cap.54.& 45. Coriol.de caf.refer.par.1. fect. 3.cap. 17.num.2. Sanci.de iubil. cap.12.dub.2. Lauor.de iub.par.2.cap. 28.num.66 Leo de iub par.2.num.198. & 202. Antonin. Diana par.3.tract.4. de Sacram refol.145. Hieron. Pharao. in fuo Promptuario tract.1.feff.18.c.6. Quare peccatum illud oblitum non eft amplius referuatum : vnde eft,vt ab eo pœnitens pofsit per quemcunquè Confeffarium abfolui.

Monuerim tamen cum Sanch. loco cit. num 46. hoc verùm effe dummodò tempore iubilei aliquam Cõfeffionem præmiferit, vel peccatorum mortalium, vel venialium, fi enim nullam præmiferit confeffionem, adhuc manet referuatio cùm hæc in iubileo per abfolutionem Sacramentalem tantum auferatur. Vndè cùm non fit ablata referuatio, nec modò poffit auferri,ex eo quòd nõ acquifierit iubileum, inde effet vt teneretur Superiorem adire.

Reftat hoc loco dubium, an ficuti dictus Titius poffet abfolui à peccatis referuatis oblitis, non obftante quod culpabiliter non fit lucratus iubileum; ita & poffet petere commutationem votorum oblitorum.

Refpondet affirmatiuè Alphonfus de Leone de iubil.par.2.num.203 cuius ratio eft, quia eodem tenore conceditur facultas abfoluendi à referuatis, & commutandi vota. Sed per confeffionem factam tempore iubilei animo illud lucrandi ablata eft omnis referuatio peccatorum; ergo & votorum.

Ego verò refpondeo non poffe. Et ratio difparitatis eft, quia per illam confeffionem verè fuit ablata omnis referuatio, tam peccatorum referuatorum expreflorum, quàm oblitorum, & hoc ob rationem allatam. At verò cum vota nequè fuerint commutata, nequè pro ijs commutandis vllum ius acquifierit, iubileo non comparato, inde eft, vt iubilei tempore tranfacto nullius voti obliti commutationem petere poffit. Ita Sanch. cit. num. 51. Boffius de iubil. fect.2. cafu 45. num. 2. Filliuc.tom.1.tract,8. cap.10 num.279. Portel in dubijs Regul. v. Indulgentia pro iubileo num.19 quos citat & fequi videtur Diana par.5.tract.1.1. refol.41. Vnde patet ad rationem allatam pro contraria fententia.

Addo hoc procedere, licet tempore iubilei dictus Titius alicuius fpecialis voti commutationem obtinuiffet, adhuc enim oblita nequibunt commutari.

Pariter fi Confeffarius tempore iubilei non commutauit vota, fed commutationem diftulit maturiùs confiderandam, iubileo non obtento non poterunt commutari. Ita Sanch. cit. num.52. Et ratio eft allata, quia priuilegium & ius commutationis votorum acquiritur per iubilei confecutionem, quacunq; ergo ex caufa illud non cõparetur, ius hoc non acquiritur.

DIFFICVLTAS XVI.

An is, qui initio iubilei fuit à referuatis abfolutus, & votorum commutationem obtinuit, peccet mortaliter fi poftmodùm non præftet opera neceffaria ad lucrandum iubileum, & culpabiliter nolit illud lucrari.

56 *Refertur fententia affirmans.*
57 *Sententia Authoris negat.*
58 *Vtrùm peccet faltem venialiter.*

56 EXiftimarunt aliqui hunc grauiter peccare, ea ratione nixi quia

quia videtur defraudare intentionem concedentis hanc facultatem absoluendi à reseruatis, & commutandi vota, cùm ea sit concessa in ordine ad lucrandum iubileum; tum quia in hac concessione videtur includi quoddam pactum, vt nimirum teneatur præstare omnia necessaria ad iubileum, dato quòd velit à reseruatis absolui. Ita Suar.tom.2. de relig.lib.6. cap. 16.num. 11.de pœnit. disp.31.sect.4.nu.5. Vasq. de pœnit quæst.91 art.3. dub.6 num.7. ad finem. Filliuc. tom. 2. tract. 26 cap. 10. num. 301. Georg. Polach in Bull. Vrbani VIII. sess.42. num. 69. & alij.

57 His tamen non obstantibus respondeo hunc non peccare mortaliter. Et ratio est, quia hic nihil promisit, neque aliquam obligationem illi imposuit Confessarius: neq; iubileum ipsum talem obligationem petit: neque de tali Pontificis intentione constat, quæ si talis foret, aliquando illam explicasset, cùm facilè possit: neque in ipsa actione absoluendi à reseruatis, aut commutandi vota includitur tale pactum, cùm satis sit si absoluendus habeat propositum illud lucrandi; sicut enim ad hoc vt posit quis absolui à peccatis, sufficit propositum bona fide vitandi, in posterum peccata absque noua obligatione, quæ imponatur virtute absolutionis impensæ cum illo proposito; ita ad hoc vt quis posit in iubileo absolui à reseruatis, vel obtinere votorum commutationem, sufficit propositum illud lucrandi, absque eo quòd intelligatur aliqua obligatio pacti consurgere ex vi absolutionis obtentæ, ad lucrandum iubileum; cùm præsertim si illud non lucretur nulli faciat iniuriam, sed sibi tãtùm noceat. Confirmatur, quia non est imponendum præceptum absque vrgenti fundamento, eo vel maximè, quòd quando dubitatur de impositione præcepti, iudicandum est in fauorem possidentis suam libertatem, vt constat ex dictis de voto, & iuramento. Ita Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 6. Sanch. lib.1. de Matrim.disp.43.nu.9. & lib.8. de Matrim. disp.15. num.24. & lib.4. in sum.cap.54. num.54. Sanctarel. de iub. cap.12.nu.8. Floron.de cas.reser.par.1. cap.6. §.6. num. 2. vers. Nec obstat, in fine. Leo de iub par.2. num 9. Bonac. de Sacram disp. 5. quæst. 7. pun. 5. §.5. num.17. Antonin. Diana 3. par. tract. 4. de Sacram. resol. 145. & par.5. tract. 11. resol. 42. Et alij apud ipsos.

58 Dixi in responsione, hunc non peccare mortaliter: quòd enim peccaret venialiter saltem, hoc probabilius esse putat Boss. de iub. sect.1. cas.33. in fine; videtur enim adesse quædam de ordinatio, dum quis vsus est priuilegio, nolle postmodùm præstare cætera, ad quæ fuit concessum priuilegium.

DIFFICVLTAS XVII.

An is, qui tempore iubilei fuit absolutus à censura, & casibus reseruatis cum proposito lucrandi iubileum, reincidat in easdem censuras, aut reseruationem si culpabiliter non lucretur iubileum.

59 *Refertur sententia affirmans.*
60 *Authoris sententia negat.*
61 *Vtrùm vota commutata redeant si ex negligentia culpabili nolit iubileum lucrari.*
62 *Quid si priori voto nullum opus in particulari Confessarius subrogasset, sed illud tantùm, quod ab alio fuisset taxatum, & iubileum fuisset transactum antequam opus illud taxaretur.*

63 *Quid si commutatio fuisset dilata.*
64 *Vtrùm votum oblitum posset in hoc casu commutari.*

59 EXistimarunt plures hunc reincidere in pristinam censurarum reseruationem, eo quòd putent talem absolutionem tacitam quandam habere conditionem, si postea iubileũ obtineatur, ita vt non impleta conditione redeat reseruatio: vel quia putent, etiamsi Confessarius absolutam impendat absolutionem, nec pendentem ex futuro euentu, Pœnitentem tamen, qui post absolutionem ex sua negligentia culpabili nolit lucrari iubileum, reincidere in pristinam excommunicationem reseruatam, vel in pristinam casuum reseruationem, quia fit absolutio ad reincidentiam. Et confirmatur quia quando voluntariè, vel culpabiliter Pęnitens omittit necessaria ad iubileum consequendum, meritò videtur dignus, qui priuetur priuilegio concesso ad finem iubilei. Ita Angles Floron. par. 1. vbi de confess. quæst. 3. art. 5. dift. 4. Vgol. de cens. tab. 1. cap. 10. §. 4. num. 4. Marcus Alter. lib. 4. de excommu. disp. 4. dub. 2. quo loco habet Pęnitentem non incidere si absquè sua culpa, sed ob aliquod impedimentũm superueniens omiserit præstare opera necessaria. Ac demum alij Neotherici, quos tacito nomine refert. Cord. in sum. quæst. 21.

60 Ego verò respondeo ita remanere absolutum, vt licèt postmodùm non præstet opera necessaria ad iubileum, & ex sua culpa nolit illud lucrari, non tamen ob id reincidat in priores censuras, neque reuiuiscat reseruatio semel ablata. Et probatur quia licèt illa absolutio fuerit impensa in ordine ad futuram consecutionem iubilei, at non pendet ab ea tanquàm à conditione de futuro; Sic enim absoluere, præsertim à peccatis, non licet, neque in illa absolutione facta est vlla mentio reincidentiæ, neque iubileum hoc explicat: & ex alia parte Pontifex quando id intendit solet suam intentionem explicare. Tum quia absolutio ad reincidentiam non potest dari, nisi cum hoc modo facultas absoluendi sit concessa, vel in casibus à iure expressis. Ita Cord. in sum. quæst. 21. Graff. lib. 4. decis. aurea. cap. 15. nu. 37. Zerul. in praxi Episc. par. 1. verb. absolutio §. 11. & lib. 1. de iub. cap. 15. dub. 7. & cap. 17. dub. 6. Sanch. de Matrim. lib. 8. disp. 15. num. 22. & in sum. lib 4. cap. 54. nu. 44. Bonac. de Sacram. disp. 5. quæst. 7. pun. 5. §. 5. num 26. Sanctarel. de iubil. cap. 12. dub. 1. Leo de iub. par. 2. num. 7.

61 Ex quibus patet idem esse dicendum de votis commutatis virtute iubilei, quod Pœnitens quando petijt commutationem intendebat quidem lucrari, sed tamen mutata voluntate, & ex negligentia culpabili noluit lucrari. Respondeo enim vota illa adhuc manere commutata. Et ratio est, quia per illam commutationem absolutè, & legitimè factam fuit extincta prior obligatio circa pristinam materiam: obligatio autem semel extincta non ampliùs reuiuiscit. Tum quia cum illa commutatio statim sortiatur suum effectum, ac liceat Pœnitenti non obseruare prius votum, commutatio hæc non potest dici conditionalis; alioqui tandiu teneretur ad prius votum, quãdiu esset impleta conditio, & consequenter non satisfaceret si ante iubilei consecutionem vellet implere votum subrogatum. Ita Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 11. num 4. & lib. 6. de pœnit. cap. 16. nu. 6. Viual. in candel. Sacram. 3. par. cap. 14. num. 59. & 60. Emman.

Sà in ſum. verb. abſolutio num. 19. Manuel. 1. to. ſum. cap. 184 num. 15. Sanch. loc. cit. ſum 49. Et alij apud ipſos.

62 Addit Sanch. cit. hoc idem eſſe dicendum, licèt Confeſſarius tempore iubilei commutaſſet votum non præſcribens in particulari opera ſubrogata, ſed ea ab alio, vel à ſe poſtea præſcribenda remittens, etiamſi Confeſſarius ignoraſſet votum commutandum; ſed generaliter ita commutaſſet omnia vota vſquè ad illud tempus à Pęnitente emiſſa, quatenus poteſt virtute iubilei; verè enim commutatio eſſet facta, & loco prioris materiæ eſſet ſubrogata ea, quæ vel ab ipſo Confeſſario, vel ab alio de ipſius conſenſu eſſet pręſcribenda.

63 Contrarium tamen eſſet dicendum ſi Confeſſarius tunc temporis noluiſſet votum commutare, ſed illius commutationem tranſtuliſſet maturiùs cōſiderandam: tunc enim ex quacunquè cauſa, ſaltem culpabili, Pœnitens non fuiſset lucratus iubileum, non poſset voti commutationem petere. Et ratio eſt, quia iubileo non lucrato non dicitur acquiſitum priuilegium ad hanc commutationem. Ita Suar. tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 16. num. 15. in fine. Sanch. cit. num. 52.

64 Idemquè dicendum, ſi Pœnitens fuiſſet oblitus aliquod votum; huius enim commutationem iubileo non comparato non poſſet petere, etiamſi alia ſpecialia vota tēpore iubilei fuiſſent illi commutata. Et ratio eſt, quia nullum priuilegium eſſet acquiſitum pro eo commutando. Ita Sanch. cit. nu. 51. idemq; docuimus iam in diffic. 15. ſuperiore.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm conceſſo iubileo, quod ſit obtinendum in vna, aut altera ex duabus hebdomadis; ſi quis illud obtineat in prima, poſſit repetitis operibus, denuo illud lucrari in ſecunda hebdomada, & ſic ſi poſt iubileum obtentum alia peccata reſeruata commiſerit, poſſit ab ijs abſolui.

65 *Referuntur fundamenta ſententiæ negantis.*

66 *Referuntur fundamenta ſententiæ affirmantis, quam non improbabilem appellat Author, licèt contrariam probabiliorem, & in praxi ſuſtinendam.*

67 *Reſpondetur rationibus primæ ſententiæ.*

65 IN duas partes in huius caſus ſolutione diſtrahuntur Auctorum ſententiæ. Senſerunt enim aliqui, eum, qui fuit lucratus iubileum in prima hebdomada non poſſe abſolui à reſeruatis in ſecunda. Fundamentum illorum eſt primò, quia ideo conceditur illi facultas, vt poſsit à reſeruatis abſolui, vt lucretur iubileum; ſed illud iam eſt lucratus; Ergo non poteſt amplius à reſeruatis abſolui: facultas enim a reſeruatis abſoluendi penes Confeſſarium eſt in ordine ad iubileum: hoc ergo obtento ceſſabit facultas, cùm ceſſet finis, propter quem talis facultas fuit conceſſa. Secundò, quia iubileum conceditur ſub forma diſiunctiua, ita vt illud poſſit lucrari in prima, vel ſecunda hebdomada: quoties ergo illud fuerit lucratus in prima hebdomada,

non poterit illud lucrari in secunda. Tertiò quia in forma iubilei apponitur particula, [hac vice tantùm,] idest pro vna vice; ergo si semel sit absolutus à reseruatis in prima hebdomada, non poterit secundò absolui in secunda. Quartò, quia si post obtentum iubilcum, & factam commutationem votorum, noua vota in secunda hebdomada emitteret, non haberet ius commutationis eorum votorum, quæ postremò emisit. Ergo neque habebit priuilegium absolutionis a reseruatis, quæ postremò commisit. Quintò, quia sermo simpliciter prolatus in primo actu verificatur. l. Dotis promissio ff. iure dotis Et l. Boues. §. hoc sermone ff. de verborum significatione Quomodò securitatem veniendi datam Bannito intelligi debere de primo veniendi actu habet Baldus l. 1. ff. ad l. Iul. de adult. & Panor. in cap. 2 de tregua & pace; ergo concessio facta in iubileo intelligenda tantùm est de primo actu. Sextò, quia hinc sequeretur, quòd toties posset quis lucrari indulgentiam pro certa die, putà Assumptionis Beatę Virg. Mariæ concessam, quoties in tali die Ecclesiam visitaret, quod tamen non videtur admittẽdum. Septimò, quia contraria sententia videtur dare ansam & occasionem peccandi. Demum verò quia extat decretum Sacræ Congregationis Concilij editum mense Maij anno 1620., quod definit semel tantùm acquiri posse iubileum, proindeq; semel tantùm posse virtute iubilei Fideles a reseruatis absolui. Cuius sanè decreti meminit. Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 10. de iubil. quæst. 7. & hanc sententiam sustinent Suar. de Indulg. tom. 4. in 3. par. disp. 57. sect. 1. num. 7. & tom. 1. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 16. nu vltimo. Sanch. in sum. lib. 4. cap. 54. num. 30. Laym. lib. 5. tract. 7. cap. 8. num. 8. Bonac. de Sacram. disp. 5. quæst. 7. pun. 5. §. 2. num. 17. Rodriq. in sum. tom. 4. cap. 188. num. 2. Raphael. de la Torre tom. 1. in 2. 2. quæst. 88. art. 12. disp. 6. num. 8. qui contrariam sententiam falsam appellat. Ac demũ alij apud ipsos.

66 Verùm his non obstantibus alij existimant eum, qui in prima hebdomada consecutus est iubileum, posse in secunda hebdomada repetere opera, & illud denuo lucrari, & consequenter absolui a reseruatis de nouo commissis. Ratio autem illorum est, quia concessio hæc est fauor, qui non est restringendus, sed ampliandus. Tum quia ante consecutionem iubilei per totum illud tempus potest quis pluries absolui à reseruatis; ergo ab ijsdem absolui poterit etiam consecuto iubileo. Tum quia in Bullis, quæ pro iubileis expediuntur, non dicitur vt in vna tantùm hebdomada quis possit lucrari iubileum, sed in vna, aut altera, quæ alternatiua non ponitur a Papa ad restringendum priuilegium ad vnicum actum tantùm, sed quia Papa concedit, vt Fideles possint vna ex duabus hebdomadis iubileum lucrari, vt qui in prima non est dispositus, possit in secunda disponi: Vnde non prohibet, vt qui benè dispositus in prima illud est consecutus, non possit illud idem consequi in secunda. Ita Graff. in append. ad suas decis. lib. 2. cap. 5. nu. 23. Alphon. Vega 2. par. sum. cap. 7. casu 19. Henriq. de Indulg. lib. 7. cap. 11. num. 1., & de pœnit. lib. 6. cap. 16. nu. 3. Reginal. in sua praxi tom. 1. lib. 8. cap. 5. sect. 2. num. 64. Mols. in sum. tom. 1. tract. 7. cap 16. num. 45. Lauor. de iub. par. 1. cap. 21. num. 65. Floron. de cas. reser. par. 1. cap. 6. §. 5. num. 2 Leo de iub. par. 2. num. 183. Nald. in sum verb. Indulg. num. 4. & 5. Sanctarellus de iubileo

bileo cap. 5. dub. 4. Diana par. 2. tract. 17. resol. 49. & par. 5. tract. 12. resol. 28. Zerola de iubil. lib. 1. cap. 16. quæst. 20. & alij plures; quorum sententia non est improbabilis, licèt contraria probabilior sit & in praxi sustinenda.

67 Si quis tamen hanc secundam sententiam sequi vellet ad rationes in contrarium sic posset respondere. Et quidem ad primam, dicendo absolutionem à reseruatis concedi quidem per ordinem ad iubileum, non ita tamen, vt eo obtento cesset facultas à reseruatis absoluendi; cùm enim concessio hæc sit fauorabilis, ea non est limitanda ad vnicum actum, sed latè est interpretanda; ita vt possit quis pluries consequi iubileum, & consequenter pro eo pluries obtinendo, pluries etiam à peccatis reseruatis absolui. Sic quando Papa concedit certam Indulgentiam visitanti talem Ecclesiam, absquè expressione seu determinatione temporis, posse aliquem sæpius in die indulgentiam illam consequi, habent Nauar. de Indulg. notab. 31. num. 36. & 37. Sylu. verb. indulg. §. 8. Cord. lib. 5. quæstionarij q. 33. & alij ab ipso Cord. cc. Quinimò etiamsi Indulgentia fuisset concessa pro determinato tempore, puta visitantibus talem Ecclesiam singulis sextis ferijs, aut à primis in secundas vesperas; adhuc tamen posse huiusmodi Indulgentiam sæpius comparari, sustinent. Rodriq. in Bull. Crucia. §. 8. num. 15. Vega 2. par. sum. cap. 7. cas. 30. Nau. cit. notab. 32. verb. Deuotè num. 46. & hoc ob rationem iam allatã, quia videtur priuilegium, quod fauorabile est, nec tertio præiudicat latè esse interpretandum in fauorem priuilegiati, quantùm iuxta propriam verborum significationem permittitur; ergo etiam quando conceditur iubileum vna ex duabus hebdomadis obtinendum, poterit quis pluries illud lucrari, & sic pluries à peccatis reseruatis absolui.

Ad secundam rationem patet responsio ex dictis; non enim in Bulla iubilei dicitur, vt Fideles in vna tantùm hebdomada possint illud lucrari, sed in vna, aut altera, quæ particula non fuit apposita ad priuilegium restringendum ad vnicum actum, sed ad ostendendum liberum esse cuilibet præstare opera præscripta in prima, vel secunda hebdomada pro iubileo cõsequendo; hinc tamen non infertur, eum qui in prima hebdomada sit illud lucratus, non posse illud lucrari in secunda. Quare illa particula alternatiua, vt refert Molf. cit. respicit tantùm commoditatem Fidelium, vt qui non potuit, vel noluit opera præscripta implere in prima hebdomada, impleat in secunda; at non sequitur exclusio, vt non possit indulgẽtiam iubileam duabus vicibus lucrari, si opera faciat.

Ad tertiam responderi potest dicendo particulam illam, hac vice tantùm, non significare, quòd quis possit semel tantùm à reseruatis absolui, sed quòd possit tantùm pro tempore iubilei à reseruatis absolui. Sic enim per hanc particulam non limitari priuilegium commutandi vota habet Sanch. in sum. cap. 54. num. 26. existimans vota posse pro toto tempore iubilei commutari toties, quoties fuerint emissa. Vnde huius particulæ, hac vice tantùm, sensus est, occasione huius iubilei, seu pro toto tempore huius iubilei.

Ad quartam responderi potest dicendo, vota etiam de nouo emissa posse commutari: proportionaliter enim de his est loquendum, ac de casibus reseruatis, & censuris.

Ad quintam, quòd videlicet sermo simpliciter prolatus intelligendus est

de

de primo actu, responderi potest dicendo, hoc procedere tantùm in odiosis & onerosis, non verò in fauorabilibus, in quibus Principis beneficium latè est interpretandum, vt tradit Oldrad. conf. 32.

Ad sextam responderi potest in sententia plurimorum Doctorum, quos superiùs citaui asserentium indulgentiam posse pluries comparari, siue perpetua sit, qualis est ea, quæ absolutè & sine determinatione temporis conceditur visitantibus talem Ecclesiam, vel orantibus ad præsentiam talis Imaginis; siue temporalis sit, qualis est ea, quam Pontifex concedit cum determinatione ad certum tempus, putà ijs, qui tali die Ecclesiam à primis vsquè ad secundas vesperas visitauerint, vel tali hebdomada sacram confessionē, & Communionem fecerint.

Ad septimam responderem dicendo, sententiam hanc non dare ansam & occasionem peccandi, sed potiùs saluti Fidelium, & deuotioni fauere; alioqui damnanda essent omnia iubilea, cùm plerique ex eorum praua fiducia casus reseruatos committant, quos tamen diximus superiùs posse absolui. Damnandum item esse factū Christi, qui Sacramenta instituit, cùm plerique ad veneficia, superstitiones, atq; alios prauos fines illis abutantur.

Demùm verò ad declarationem Cardinalium respondendum esset, illi standum esse, quoties illa extet. Verùm cùm multi Doctores de illa dubitent, posse Confessarios donec certò constet de prædicta declaratione in praxi tutè sequi hanc opinionem, quæ communior & fauorabilior est.

DIFFICVLTAS XIX.

Titius lucratus est iubileum Mediolani, postea negotiationis causa pergit Venetias vbi iubileum celebratur. Quæritur an possit denuo illud lucrari, & sic à peccatis reseruatis absolui.

68 *Retentà sententià, quòd qui in prima hebdomada lucratus est iubileum, non possit illud lucrari in secunda, negatiuè respondetur ad casum.*

69 *Refertur sententia affirmans.*

70 *Si quispiam in patria neglexißet lucrari iubileum poßet pro eo comparando aliò migrare.*

71 *Si iubilei nullam notitiam habuißet, eò etiam transacto poßet intra quindecim dies à die notitiæ illud comparare.*

68 Retenta opinione, quam in superiore difficultate diximus esse probabiliorem, & in praxi sustinendam, patet quid sit dicendum ad casum præsentem. Titius enim dato quòd Mediolani semel fuisset lucratus iubileum, non posset illud denuo lucrari Venetijs; & sic si in aliquos casus reseruatos incidisset, non posset ab illis absolui, tum ob rationes allatas in superiore difficultate, tum ob declarationem Cardinalium ibi citatam. Ac demum quia fertur Clementem VIII. de casu hoc interrogatum respondisse, semel tantùm posse sumi iubileum, tam in anno Sancto, quam in alijs, quæ extra Vrbem Romæ conceduntur, vt videre est apud Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 278.

69 Non reticeam tamen contrariam

riam sententiam à plerisquè Doctoribus sustineri: & ita expresè hanc sententiam docet Alphon. de Leone par. 2. quæst. 17. num. 196., eandemquè interrogati sustinerent Doctores in superiore difficultate cc. asserentes, in anno Sancto Romæ pluries posse obtineri Indulgentiã iubileam illius anni: & in iubileo extraordinario duarum hebdomadarum posse aliquem repetitis diligentijs iubileum pluries comparare; quæ enim rationes probant posse aliquem in eodem loco pluries lucrari iubileum, probant etiam posse illud lucrari pluries in diuersis locis.

70 Aduertam tamen primò hoc loco, si quispiam in patria degens neglexisset lucrari iubileum, hunc posse transacto tempore pro iubileo comparando præscripto aliò migrare vbi iubileum adhuc duret, & sic præstitis operibus, quæ in iubileo præscribuntur illud lucrari, atquè à reseruatis absolui. Ita Sanctar. de iub. cap. 7 dic. 1. Vgol. de potest. Episc. cap. 4. §. 4 nu. 5. Antoniu. Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 151.

71 Secundò, si quispiam toto eo tempore, quo fuit publicatum iubileum in sua patria ex ignorantia inuincibili, nullam illius notitiam habuisset, hunc posse illud lucrari intra duas hebdomadas a die notitiæ, & sic a reseruatis absolui. Ita Bottonus in obseruationibus iubilei Syxti V. folio 131. & alij.

DIFFICVLTAS XX.

Titius die Sabbathi secundæ hebdomadæ accessit ad Confessarium animo lucrandi iubileum, sed ob longam confessionem Confessarius non potest præ temporis angustia illum integrè audire: vel quia habet casus multùm intricatos: vel quia est obnoxius restitutionibus: vel quia præteritæ confessiones fuerunt nullæ, vnde oportet eas reiterare. Quæritur an saltem possit intra tempus iubilei illum absoluere à censuris, & casuum reseruatione, cœterorum verò peccatorum absolutionem differre in aliud tempus, ita quòd ab omnibus peccatis postmodùm absolutus consequi valeat iubileum.

72 *Refertur sententia affirmans.*
73 *Sententia Authoris est, quòd censuras tollere possit Confessarius, & vota commutare, non tamen reseruationem peccatorum.*
74 *Quid possit in tali casu facere Confessarius.*
75 *An ille, cui fuit prorogatum tempus iubilei, si noua peccata reseruata committat, vel noua vota emittat, possit ab illis absolui, & horum commutationem petere.*
Aliqui negant. ibidem.
76 *Author affirmat.*

72 Respondet affirmatiuè Bossius de triplici iubilei priuilegio sect. 1. casu 39. quo loco docet posse Confessarium huiusmodi Pœnitenti impendere absolutionem à censuris, casuum reseruationem auferre, ac votorum commutationem dare, dilata in aliud tempus Sacramentali peccatorum absolutione. Pro qua sententia citat Henriq. lib. 7. cap. 10. litera G. Graff. in appen. ad decis. aurea. lib. 2. cap. 5. nu. 22. Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 15.

disp. 15. num. 17. Floron. de cas. reser. par. 1. cap. 6. § 5. num. 1. Nald. in sum. v. Indulg. num. 10. Sanctarel. de. iubil. cap. 8. dub. 7 Leon. de iub. par. 2. n. 188. & alios. Ratio autem illius est, quia cœpta causa durat delegati potestas donec ea causa terminetur. C. in literis de Offic. deleg. C. relatũ de Cleric. non resid. Atqui Titius tempore iubilei incœpit confessionem; Ergo tandiu durabit Confessarij iurisdictio, quandiu confessio non erit finita, eaquè finitã, ac præstitis cęteris in Bulla requisitis comparabitur iubileum.

Quòd si quis obijciat, quando potestas delegati ad præfixum terminum fuit concessa, eam omnino finiri termino transacto, etiam quoad res incœptas, vt expressè deciditur cap. de causis de offic. delegati: vt proindè cùm potestas, quæ in iubileo conceditur, ad præfixum terminum concedatur, ea dicenda sit extingui etiam quoad confessiones cœptas, transacto illo termino duarum hebdomadarum.

Respondet hoc verum esse nisi terminus ipse ante illius transitum communi partium consensu fuerit prorogatus; si enim fuerit ita prorogatus, vt contingit quando intra tempus iubilei cœpta est confessio, & ex iusta causa consentientibus Confessario, & Pœnitente reliqua pars Confessionis, aut absolutio differtur, tunc prorogatur iurisdictio.

73 Ego verò existimo Titium posse quidem à censuris absolui, & votorum commutationem petere; peccatorum verò reseruationem non posse auferri, nisi etiam a peccatis absoluatur. Quod à censuris possit absolui probatur ex dictis superiùs in difficult. 11. quo loco docuimus Confessarium posse virtute iubilei absoluere a censuris extra Sacramentum Pœnitentiæ. Quod idem potiori ratione diximus de commutatione votorum. Quòd verò peccatorum reseruatio non possit auferri dilata in alium tempus Sacramentali peccatorum absolutione, probatur, quia facultas absoluendi à reseruatis tempore iubilei est restricta ad forum Pœnitentiæ, vt patet ex clausulis ijs, quæ in Bulla solent exprimi; Ergo non potest Pœnitens tempore iubilei à reseruatione eximi, nisi etiam à peccatis absoluatur. Vide quæ diximus in difficult. 11. cit.

Poterit ergo in tali casu Confessarius electus intra tempus iubilei vti facultate Bullæ prorogando dicto Titio tempus à Bulla præscriptum, vt possit confiteri, & cętera necessaria pro iubileo comparando præstare, cùm supposito tali statu dictus Titius videatur habere morale impedimentum. Quem modum docent Naldus, & Leo ll. cc. Bonac. de Sacram disp. 6 quæst. 1. puncto 5. num. 36. Eundemquè tutiorem esse testatur Bossius citatus.

75 Maior hoc loco difficultas est, an si fortè Titius, cui fuit prorogatum tempus à Bulla præscriptum, incidat in noua peccata reseruata, vel noua vota emittat, possit ab illis absolui, & horum commutationem petere.

Respondent aliqui negatiuè. Quorum ratio est, quia facultas a reseruatis absoluendi, aut vota commutandi videtur se extendere tantùm ad ea peccata, aut vota, quæ fuerunt commissa, aut emissa antequam finiretur tempus pręscriptum in Bulla pro iubileo comparando; Ergo si tali tempore transacto quis noua peccata reseruata committat non poterit ab ijs absolui. Ita Sanctarel. & Leo ll. cc. Cardinalis de Lugo disp. 20 de Sacram. pœnit sect. 8. num. 134.

76 Ego verò respondeo in tali casu

ſu Titium poſſe abſolui ab ijs peccatis reſeruatis, quæ commiſit poſt tranſactum tempus in Bulla præſcriptum: idemq; eſſe dicendum de votis de nouo emiſſis. Et ratio eſt, quia per illam dilationem, & prorogationem, quam Pontifex concedit Confeſſarijs, vt ex iuſta cauſa faciant, Pontifex ipſe intendit inducere pęnitentes ad lucrandum iubileum. Sed qui de conſenſu Confeſſarij confeſſionem diſtulit, & in nouos caſus incidit, non poteſt iubileum lucrari niſi priùs ab illis abſoluatur; Ergo verè poterit ab ijs abſolui ad finem comparandi indulgentiam iubileam; & ſic dicere debemus facta prorogatione idem eſſe, ac ſi tempus iubilei non eſſet tranſactum; Ac ſicuti Confeſſarius poteſt abſoluere à peccatis reſeruatis commiſſis intra tempus iubilei, ita etiam poterit abſoluere à peccatis reſeruatis commiſſis intra illam prorogationem. Alioqui dicendum foret illum, qui Confeſſario obtemperauit differendo conſecutionem iubilei vltra tempus Bullæ, ſi fortè ex mera fragilitate incidat in noua reſeruata, non poſſe iubileum amplius conſequi, & ſic ex ſua obedientia reportare damnum. Ita Barthol. à S. Fauſto. in tract. de iubil. nu 4. quæſt. 133 Boſs. l.c. nu. 6. Antonin. Diana par 5. tract. 12. reſol. 27. & par 3. tract. 4. de Sacramentis reſol. 147. & probabilem hanc eſſe ſententiam putant Sanctarel. & Leo cit.

DIFFICVLTAS XXI.

Titius noluit lucrari iubileum, & die Dominico ſecundæ hebdomadæ terminante ipſam ſecundam hebdomadam à Deo inſpiratus mutat propoſitum. Quæritur an poſſit à reſeruatis abſolui, & ſic lucrari iubileum.

77 *Refertur ſententia negans.*

78 *Sententia Authoris affirmat dummodò ieiunia in aliud opus pium commutentur.*

79 *Reſpondetur declarationi Clementis VIII. quæ videtur in contrarium obſtare.*

80 *Quid ſi Pœnitens vltimo die aliquid comedisſet, ita vt non poſſet communicare pro iubileo comparando: vtrùm poſſet adhuc à reſeruatis abſolui.*

81 *Quid ſi ieiunaſſet atq; Eccleſias viſitaſſet, & dum vltimo die iubilei vellet confiteri, Confeſſarius cognoſceret illum non poſſe tunc abſolui: vtrùm abſolutio hæc poſſet differri cum ſpe iubilei.*

77 Exiſtimarunt aliqui Titium in tali caſu non poſse à reſeruatis abſolui, proindequè nec poſse comparare iubileum, eò quòd putent facultatem abſoluendi à reſeruatis ſpirare media nocte Sabbathi ſecundæ hebdomadæ. Probatur hæc opinio, ex verbis textus Bullæ iubilei. ibi enim dicitur [intra hoc tempus] primæ ſcilicet, vel ſecundæ hebdomadæ [confiteantur, & Dominica prima, vel ſecunda ſumant Euchariſtiam.] Tum quia fertur Clemens VIII. viuo vocis oraculo declaraſſe, confeſſionem eſſe faciendam ante diem Dominicum ſecundæ hebdomadæ. Et hanc ſententiam ſuſtinent Georg. Polach. in Bullam Vrbani VIII. ſect. 62. num. 66. Lauor. de iub. par 1. cap 21. Filliuc. tom. 1. tract 8 cap. 10. num 272. quo loco addit, licèt facultas a reſeruatis abſoluendi ſpiret media nocte Sabbathi ſe-

cundæ hebdomadæ, facultatem tamen commutandi vota probabilius esse extingui tantùm cum ipso iubileo; proindequè ipso die dominico terminante secundam hebdomadam, licèt non possit Confessarius à reseruatione absoluere, posse tamen vota commutare, & sic facultatem absoluendi esse restrictam ad quatuordecim dies ante secundam Dominicam, facultatem verò commutandi vota pro toto iubilei tempore esse concessam, & spirare ad meridiem secundæ Dominicæ, quo tempore nullus potest communicare.

78 Respondeo tamen cum communi sententia, Titium posse die Dominico terminante secundam hebdomadam absolui à reseruatis, & sic lucrari iubileum, dummodò ieiunia in aliud opus pium cõmutentur. Probatur, quia facultas absoluendi à reseruatis durat pro toto tempore iubilei. Ergo cùm eo die possit iubileum lucrari, poterit etiam à reseruatis absolui. Tum quia, vt patet ex dictis superiùs, facultas absoluendi à reseruatis extenditur ad omnia peccata commissa ante iubileum obtentum. Ergo quousquè illud non sit lucratus poterit à reseruatis absolui. Tum quia dies Dominicus terminans secundam hebdomadam comprehenditur intra tempus duarum hebdomadarum, vt proinde nostræ sententiæ non obstet particula illa, intra hoc tempus, cùm illius sensus sit, intra tempus duarum hebdomadarum. Demum quia hoc in praxi communiter seruant Confessarij, inter quos cùm reperiantur Viri & doctrinarum & pietatis laude pręstantissimi, non est credendum eos errare. Ita Henriq. lib. 7. cap. 10. num. 8. lit. S. Alphon. Vega 2. par. sum cap. 7. casu 5. Viuald. tract. de confessione. tit. de circumst. peccat. num. 27. Graff. lib 2. in append. ad decis. aurear. cap. 5. num. 49. Bonac. de Sacram. disp. 6. quæst. 1. pun. 5. num. 34. Sanctar. de iub. cap. 7. dub. 1. Leo de iubil. par. 2. num. 160. & alij apud ipsos.

79 Ad declarationem Clementis VIII. responderi potest, de illa non constare: vel certè illam intelligendam esse de priuato iubileo ab eodem Clemente promulgato, in quo Pœnitentiarijs Sancti Petri dicitur concessisse, vt etiam die Dominico à reseruatis absoluerent.

Dixi in responsione, dummodò cõmutentur ieiunia in aliud opus pium; licèt enim ad consecutionem iubilei necessarium sit ieiunium: tamen legitimè impedito potest illud in aliud opus commutari; cùm ergo in nostro casu Titius dicatur habere morale impedimentum, quominùs possit ieiunare; inde est, vt obligatio hæc in aliud opus sit illi commutanda: cętera tamen opera, putà Ecclesiæ visitationem, orationem eodem die Dominico posset præstare.

80 Quæret hoc loco aliquis, quid esset dicendum, si eo die Dominico inaduertenter aliquid cibi deglutiuisset, ita vt non posset communicare, vtrùm adhuc posset Titius à reseruatis absolui pro iubileo comparando.

Respondent aliqui, posse adhuc absolui, & iubileum lucrari, existimantes posse per Confessarium commutari communionem in aliud opus pium. Ita Sanctarel. de iubil. cap. 7. dub. 1. Graff. in appendice lib. 2. cap. 5. nu 50. Henriq. lib. 7. cap 10. nu. 8. in fine. Antonin. Diana par. 3. tract. 4. de Sacram resol. 152. Sed vtrum hodie attentis Bullis modernis possit communio commutari, videbimus inferiùs diffic. 27.

Ego verò respondeo posse illi differri consecutionem iubilei, proindeq;

Con-

Confeſsarium poſse cum illo diſpenſare ſicut cum infirmo; Bulla enim iubilei regulariter concedit, vt Confeſsarius poſsit illius conſecutionem, atquè alia opera ad illud lucrandum neceſſaria in tempus proximum prorogare, non ſolùm carceratis, & infirmis, ſed etiam alijs quocunquè impedimento detentis. Nequè obſtaret, quòd voluntariè omittens non dicatur impeditus. Cap. final. de elect. & Cap. commiſsa eodem tit. in 6. quia impedimentum hoc non diceretur amplius voluntarium, ſed neceſsarium ex ſuppoſitione; licèt enim ex culpa noluiſset iubileum lucrari, modò tamen eſt paratus illud lucrari, ſi poteſt. Ita Sanctarel. de iub. cap. 7. dub. 1. Bonac. ſuperiùs cit. num. 36. Filliuc. loco cit. num. 268. Georg. Polach. cit. num. 65. Leo cit. num. 186. Lauor. de iub. par. 1. cap. 21. num. 53. & alij DD. communiter.

81 Ex quibus patet, quid eſset dicendum ſi Titius ſtatutis diebus ieiunaſset, Eccleſias viſitaſset, & die Dominico terminante ſecundam hebdomadam vellet confiteri, & communicare prò iubileo lucrando: ſed Confeſsarius cognoſceret ſe non poſse illi impendere abſolutionem, eo quòd ſit in proxima occaſione peccādi, & probabiliter timeri poſsit illum lapſurum in eadem peccata: vtrùm videlicet poſset Confeſsarius illi differre abſolutionem etiam per plures hebdomadas, vt erueret illum ab occaſione peccandi, & multo etiam tempore tranſacto impendere abſolutionem à reſeruatis. Reſpōdeo enim poſse, & ſic Titium poſse lucrari iubileum, quia fuit legitima cauſa differendi abſolutionem, & communionem. Et hoc etiam patet ex ijs, quæ diximus in diff. 20. ſuperiore. Ita Graff. cit. num. 21. Vega loco cit. caſu 19. vbi ait à quodam Fratre ſui Ordinis de hoc caſu conſultos Mirandam, & Toletum ita reſpondiſse; idemquè viuo vocis oraculo declaraſſe tres Pontifices ab ipſo Toleto conſultos, Pium V. Gregorium XIII. & Syxtum V.

DIFFICVLTAS XXII.

Titius ieiunauit & viſitauit Eccleſias in prima hebdomada: in ſecunda verò vellet confiteri & communicare ad finem lucrandi iubileum. Quæritur an poſſit illud lucrari, & ſic an poſſit à cenſuris & caſibus reſeruatis abſolui.

82 *An volens lucrari iubileum teneatur opera, vna, & eadem hebdomada præſtare.*
Aliqui affirmant. ibidem.
83 *Refertur ſententia docens non omnia opera eſſe neceſſariò præſtanda in vnà & eadem hebdomada.*
84 *Reſpondetur fundamentis contrariæ ſententiæ.*
85 *Reſpondetur difficultati propoſitæ.*
86 *Refertur opinio ſecurior.*

82 Difficultas hæc à Doctoribus communiter inſtituitur ſub his terminis: An volens lucrari iubileum teneatur omnia opera pro illo comparando præſcripta præſtare vna & eadem hebdomada: an verò ſi aliqua prętet in prima, aliqua verò in ſecunda poſsit adhuc illud comparare.

Duplex in hac re adeſt opinio. Prima eſt eorum, qui aſserunt opera omnia eſse præſtanda in vnâ & eadem hebdomada. Ratio autem illorum eſt, quia iubileum non obtinetur, niſi præſtentur ea, quæ in Bulla præſcri-

buntur; atqui in Bulla præſcribitur, vt omnia fiant vna & eadem hebdomada; dicitur enim [qui feria quarta, ſexta, & Sabbatho alterius ex duabus hebdomadis ieiunauerint, pariterquè peccata ſua confeſsi, & Sanctiſsima Communione refecti fuerint &c.] Vndè expendunt particulam illam, pariter, ac particulam, &, quæ ſignificant coniunctionem & vnionem in eadem hebdomada. Tum quia non licet feria quarta, & ſexta vnius hebdomadæ, tum verò Sabbatho alterius hebdomadæ ieiunare. Ergo ſignum eſt omnia opera in vnà, & eadem hebdomada eſſe præſtanda. Ita Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 7. num 2. vbi ſic ait [Si quis prima hebdomada ieiunauit, & dedit eleemoſynam, non ſatis eſt, vt in ſecunda hebdomada ſolùm communicet, ſed omnia opera intra illam hebdomadam expleri debent.] Eandemquè ſententiam ſuſtinent Lauor. de iub. par. 1. cap. 21. num. 52. Nugnus in 3. par. tom. 2. quæſt. 27. art. 3. dub. 5. Vgol. de poteſt. Epiſc. cap. 41. §. 4. nu. 5. Fernand. in examine theologiæ moralis par. 3. cap. 7. §. 8. num. 5. & alij.

83 Secunda ſententia eſt eorum, qui aſſerunt omnia opera in iubileo præſcripta non eſſe neceſsariò præſtanda in vna & eadem hebdomada. Et probari poteſt, quia in Bulla iubilei non habetur expreſsè, vt omnia hæc opera, ſint in vna tantùm hebdomada præſtanda; ſed ad ſummum habetur, vt ea ſint præſtanda altera ex duabus hebdomadis, quorum verborum ſenſus eſt, vt opera illa præſcripta expleantur intra illas duas hebdomadas, ſeu intra tempus iubilei. Tum quia, qui in prima hebdomada ieiunat & Eccleſias viſitat, in ſecunda verò confitetur & communicat, verè dicitur hæc opera præſtare altera ex duabus hebdomadis. Demum quia iubileum eſt fauor. Ergo latè eſt explicandum, quantùm fieri poteſt ſeruata verborum proprietate. Et hanc ſententiam probabilem eſſe putant Molſeſ. in ſum. tom. 1. tract. 7. cap. 6. num. 49. & 50. Bonac. de Sacram. diſp. 6. quæſt. 1. pun. 5. num. 34. quo loco addit hoc idem docuiſſe pleroſquè PP. doctiſsimæ Societatis Ieſu & Nald. in ſum. verb. Indulg. num. 14. vbi habet ita reſpondiſſe PP. Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ in iubileo anno 1620. Antonin. Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 153.

84 Nequè obſtant rationes pro contraria ſententia adductæ. Ad primam enim reſponderi poteſt opera præſcripta ſufficienter atquè opportunè ad iubileum conſequendum præſtari quocunquè tempore intra illas duas hebdomadas præſcriptas præſtentur, nequè alium ſenſum facere particulas illas [Et, pariter] vt potè quæ actiones tantùm connectant, non tamen illas eidem hebdomadę alligent: ita vt ſenſus ſit, qui ieiunauerit, Eccleſias viſitauerit, eleemoſynam fecerit, pariterquè fuerit confeſſus & communionem ſumpſerit altera ex duabus hebdomadis, iubileum conſequatur: adhuc enim ſi quiſpiam in prima hebdomada ieiunet & Eccleſiam viſitet; in ſecunda verò confiteatur & Sacram Euchariſtiam ſumat, iſte dicitur ieiunare, Eccleſiam viſitare, confiteri, & communicare altera ex duabus hebdomadis: alioqui, ſi particula illa [pariter] alligaret has omnes actiones eidem tempori, deberemus dicere illas alligare eidem diei, in qua eſt ieiunandum, quod tamen nullus dicit. Quem eundem ſenſum facit particula illa [altera ex duabus hebdomadis] vt potè quæ in Bulla non ſumatur reſtrictiuè, & limitatiuè ad facultatem reſtringen-

gendam ad vnam tantùm, vel alteram hebdomadam: sed ampliatiuè ad illam ampliandam ad vtramquè hebdomadam, primam videlicet, vel secundam; ita tamen, vt vltra illas non differatur consecutio iubilei.

Ad secundam responderi potest idem sentiendo de ieiunio, ac de alijs operibus, ita vt dicamus eum satisfacere posseque iubileum comparare, qui in prima hebdomada feria quarta ieiunet, in secunda verò ieiunet feria sexta & Sabbatho: vel certè dicere possumus, hoc esse peculiare in ieiunio, vt potè quod sit præscriptum ad modum Sacrorum Temporum, quæ ieiunio eiusdem hebdomadæ coluntur. Et hæc opinio est probabilis: licèt in praxi contrariam suaderem, cùm ad consequendum iubileum nihil prosit probabilitas opinionis, si veritas sit in oppositum.

Hoc loco vnum monuerim, quòd si opinio contraria esset vera, licèt is qui opera non præstaret in vna, & eadem hebdomada nō compararet iubileum, remaneret tamen absolutus à censuris & casibus reseruatis, ex eo quòd probabilis opinio conferat iurisdictionem, vt patet ex ijs, quæ suo loco diximus de titulo colorato. Et hoc est valde notandum: nam in materia indulgentiarum plures ad sunt opiniones, quæ inter se contrariæ sunt, & in materia iubilei plures opiniones inuenientur, quæ negabunt in tali, vel tali casu acquiri iubileum; & tamen si quis affirmatiuam sententiam probabiliter sequi vellet, quæ à parte rei non esset vera, licèt iubileum non lucraretur, validè à censuris & casibus reseruatis absolueretur; sicut etiam validè commutarentur vota ob iurisdictionem, quam in tali casu Ecclesia suppleret.

85 Ex quibus patet, quid sit dicendum ad casum propositum. Respondeo enim Titium, qui in prima hebdomada ieiunauit, eleemosynam fecit, & Ecclesias visitauit, posse in secunda hebdomada à censuris & casibus reseruatis absolui ad finem lucrandi iubileum, cùm ex probabili sententia, opera, quæ præscribuntur pro eo consequendo non sint necessariò facienda in vna & eadem hebdomada.

86 Ceterùm consultius, & tutiùs acturum, si in eadem hebdomada præstet opera omnia ad acquisitionem iubilei requisita: id enim est iuxta fidelium praxim, & iuxta verba ipsius Bullæ, in qua specialiter conceditur, quod Communio fieri possit, *saltem die Dominico sequenti post ieiunia*; si autem opera possent indifferenter fieri partim in prima, partim in secunda hebdomada, communio non solum fieri posset die Dominico sequenti post ieiunia, sed etiam feria secunda, vel tertia post ieiunium. Ita Cardinalis de Lugo disp. 27. de Sacramen. pœnit. sect. 7. num. 105.

Dices ex verbis Bullæ colligi, quod opera omnia non sint prętlanda in eadem hebdomada, quia si *die Dominico sequenti post ieiunia* fieri potest communio, porrò dies ille Dominicus non ad præcedentem, sed ad sequentem hebdomadam spectat.

Respondent alij, vt Ioannes Salas de casu hoc consultus, diem illum Dominicum pertinere ad hebdomadam antecedētem & illam complere: quare consequenter dicere debent, primâ Dominicâ non posse aliquem absolui à reseruatis. Sed hoc est contra praxim: eâ enim ipsa primâ die Dominica, qua iubileum promulgatur Confessarij absq; vllo scrupulo absoluunt à reseruatis: & debet ita fieri iuxta Ecclesię morem, quæ hebdomada sem-

per incipit à Die Dominica, vnde sequentem diem appellat feriam Secundam, quia illa iam est secunda hebdomadæ dies.

Respondeo ergo vere Dominicam illam sequentem esse extra hebdomadam præcedentem: vnde sedulò dixi specialiter esse concessum, vt Communio fieri possit *die Dominico sequenti post ieiunia*, quod indultum quia de communione est, intelligitur etiam de confessione, quæ Communionem comitatur. Et ita declaratum esse à Gregor. XIII. anno Domini 1576. Mensis Maij die 10. testatur Antoninus Diana par. 2. tract. 15. 1. Miscellan. resol. 28. hanc rationem reddente, quoniam dies Dominica habetur pro complemento hebdomadæ transactæ, in qua ieiunatum est. Et hæc sententia hodie est communis, quam sustinent Nauarrus, Sebastianus Acosta, Henriquez, Reginaldus, Molfesius, Sanctarellus, & alij, quos refert, & sequitur Diana cit.

DIFFICVLTAS XXIII.

Sempronius tempore iubilei habet animum lucrandi iubileum, sed tamen facit confessionem nullam ex defectu integritatis, vel doloris. Quæritur vtrùm remaneat absolutus à censuris & casibus reseruatis, etiamsi postmodùm non lucretur iubileum.

87 *Refertur sententia negans.*
88 *Quid si confessio sit quidem valida, sed informis.*
89 *Refertur sententia docens in confessione inualida factâ tamen cum animo lucrandi iubileum Pœnitentem absolui à censuris & casibus reseruatis.*
90 *Vtrùm in confessione inualida facta cum animo lucrandi iubileum tollatur reseruatio casuum oblitorum, aut etiam scienter tacitorum.*
91 *Sententia Authoris, & pro praxi.*

87 RESpondent Doctores plures ijquè grauissimi, Sempronium teneri denuò adire Superiorem pro absolutione à censuris & casibus reseruatis, & sic iubileum nihil illi prodesse, nequè quoad censuras, neque quoad commutationem votorum. Probant autem sic, quia sicuti facta confessione inualida non obtinetur iubileum, ita neque obtinentur prædicti fauores, cùm & consecutio iubilei, & omnis fauor illi adiunctus supponat confessionem validam tanquam conditionem præquisitam. Tum quia prædicti fauores, absolutionis videlicet à censuris & casibus reseruatis, cōceduntur in ordine ad confessionem Sacramentalem necessariò requisitam ad iubileum. Ergo si culpabiliter talis confessio nulla sit, nulla item erit absolutio à censuris & casibus reseruatis. Ita Suar. de pœnit. disp. 31. num. 22. & 24. Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 6. num. 149. Laym. lib. 5. tract. 7. cap. 8. num. 9. Lauor. de iub. 1. par. cap. 14. num. 93. & par. 2. cap. 28. num. 68. Flor. de cas. reser. par. 1. cap. 4. §. 9. num. 3. & cap. 6. §. 6. num. 2. Rodriq. in sum. cap. 184. num. 13. Regin. lib. 8. num. 63. Molf. in sum. tract. 7. de pœnit. cap. 21. num. 31. & alij plures.

88 Addit hoc loco Suar. cit. si cōfessio sit valida licèt informis, tunc valere absolutionem à censuris & casibus reseruatis, ac prætere commutationem votorum, & cęteros alios fauores virtute iubilei concessos: cuius ratio est,

est, quia cùm confessio informis sit verùm Sacramentum, tunc verè dicitur adimpleta conditio, sub qua & iubileum & omnis fauor adiunctus fuit concessus.

89 His tamen non obstantibus respondent alij, Sempronium, qui inualidè fuit confessus, manere liberum à censuris, & casuum reseruatione, quoties tempore cõfessionis habuerit animum lucrandi iubileum. Et probant quia Confessarius electus tempore iubilei habet veram facultatem à censuris omnibus & casibus reseruatis absoluendi, commutandi vota &c. quæ facultas non est conditionata, sed absoluta; & sicuti absolutio à censuris non pendet à validitate confessionis, vt potè quæ possit impendi extra confessionem, ita etiam absolutio à reseruatione. Ergo si absoluat, validè absoluet, etiamsi confessio inualida sit. Ita Henriq. lib. 7. in sum. cap. 11. §. 4. & lib. 6. cap. 16. §. 5. Cæsar Botton. in suis obseruationibus circa Bullam Syxti V. versic. conscientia sua &c. pag. 118. & Thom. Vadin. in discursu de iub. pag. 58. Comit. in resp. moral. lib. 1. quæst. 30 n. 2. quo loco de casu hoc ita disputat [Num qui tempore iubilei fictè cõfessus est de casu reseruato, nec quidquam ei profuit confessio ad salutem, post iubileum meliore mente quærere possit quemlibet Confessarium, qui tum ab alijs casibus, tum à reseruatis possit illum absoluere] pro cuius casus solutione citat Caiet. in sum. verb. casuum reseruatio in fine. Armil. eodem tit. n 4. Sylu. verb. confess. 1. quæst. 19. asserentes, eum qui fictè confessus est casum reseruatum posse à quouis Confessario absolui: propterea quòd legi Ecclesiasticæ reseruationis iam satisfecerit, quamuis legi Diuinæ confitendi nulla ratione satisfecerit.

90 Quinimò addit Henriquez per hanc confessionem inualidam tolli etiam reseruationem peccatorum reseruatorum oblitorum. Adduntque vlterius Botton. & Vadin. locis cc. idem esse dicendum de casibus reseruatis scienter tacitis, qui tamen fuit intelligendi in casu, quo Sempronius generalem absolutionem petierit: quæ sententia fortè nõ videbitur alicui improbabilis, quia sicuti Pœnitens affectus censura non solùm remanet absolutus à censuris oblitis inculpabiliter, sed etiam à dolosè tacitis, si confiteatur Superiori habenti facultatem ab illis absoluendi, & generalem absolutionem petat, vt tradit Henriq. quem citat, & sequitur Bos. de iub. sect. 1. cas. 34. num. 10. ita etiam videtur remanere liber à reseruatione peccatorum dolosè tacitorum, cùm ablatio reseruationis in hoc tantùm differat ab ablatione censuræ, quòd illa fieri debet in confessione, hæc verò fieri potest extra confessionem.

91 Ego verò respondeo primò, absolutionem à censuris tenere, & validam esse, etiamsi confessio fuerit inualida, dummodò pœnitens habuerit animum lucrandi iubileum. Et ratio est, quia absolutio à censuris non pendet ab absolutione peccatorum. Vnde est, vt in difficult. 11. superiore ex probabili plurium Doctorum opinione docuerimus vi iubilei posse extra confessionem Sacramentalem impendi absolutionem à censuris reseruatis. Ita Doctores cit. num. 88. quibus adde Manuelem to. 1. qq. reg. quæst. 21. art. 7. Alphonsum Vegam 1. par. sum. cap. 44. casu 5. Bonacinam disp. 5. de Sacramen. quæst. 7. pun. 5. §. 5. num. 9. vbi sic habet [hoc tamen non videtur procedere in absolutione censurarum obtenta ab eo, qui inualidè confessus est,

sed nihilominus intentionem habebat iterum valide confitendi ad obtinendum iubileum, nam absolutio censurarum per se loquendo potest extra confessionem obtineri, nisi aliter decernatur &c.] Bossium de iubil. loco cit. nu. 9. ac demum Eminentiss. de Lugo disp. 20. de sacram pœnit. sect. 7. nu. 112.

Addo prædictum pœnitentem absolutum iri non solum ab excommunicationibus expressis, sed etiam ab oblitis, & dolosè tacitis, vel culpabiliter omissis; intentio enim Confessarij erat absoluendi ab omnibus secundum plenitudinem suæ potestatis: & pariter pœnitens ipse censendus est velle ab omnibus absolui; si enim censuram dolosè tacuit, non illam tacuit, quia ab ea nollet absolui, sed ne peccatum, cui ea erat adnexa manifestaret. Quare si peccatum non nisi ratione censuræ erat reseruatum, censurâ ablatâ non erit amplius reseruatum, & poterit a quocunq; exposito per legitimam absolutionem tolli, vt constat ex dictis alibi.

Respondeo secundò votorum commutationem tenere, etiamsi pœnitens inualidè fuerit confessus, quoties tamen, cum votorum commutationem petijt, habuerit animum præstandi omnia ad lucrandum iubileum necessaria. Et ratio est eadem cum Superiore, quia votorum commutatio potest fieri extra confessionem, nullamq; habet dependentiam à confessione Sacramentali: indispositio ergo ad iustificationem sicuti non impedit absolutionem ab excommunicatione, multò minus impediet votorum commutationem, vel dispensationem super irregularitate, Ita Bonacina, Bossius cit.

Respondeo tertiò, si Confessarius absoluat vigore Bullæ Cruciatæ per confessionem fictam, & inualidam tolli reseruationem peccatorum, etiam tacitorum, & culpabiliter omissorum, Et ratio est, quia reseruatio non aufertur à Confessario absoluente, sed ab ipso Pontifice, posita illa vnica conditione sumendi Bullam, & dandi eleemosinam; positâ igitur eâ conditione pœnitens acquisiuit ius, & priuilegium eligendi Confessarium, à quo absolui possit ab omnibus peccatis reseruatis vsq; ad illud tempus commissis; quod ius remanet in eo ratione illius conditionis positæ. Ita Cardinalis de Lugo cit. num. 109.

Respondeo quartò, si Confessarius absoluat vigore facultatis concessæ per iubileum, & pœnitens non aduertat defectum, & nullitatem confessionis, in probabili sententia, virtute illius absolutionis etiam inualidæ ablatam esse reseruationem, saltem peccatorum reseruatorum expressorum, dato quod habuerit animum lucrandi iubileum. Et ratio est, quia dato quod non aduertat defectum suæ confessionis, facit, quod exigitur ad obtinendam facultatem, & priuilegia, quæ in iubileis conceduntur; ergo debet illis gaudere.

Dixi primò, saltem peccatorum reseruatorum expressorum; quia si postmodum iubileum nollet lucrari, non tolleretur reseruatio oblitorum, & multo minus culpabiliter tacitorum; nullum enim ius acquisiuisset, vi cuius ab illis posset per quemcunq; absolui.

Dixi secundò, dato quod habuerit animum lucrandi iubileum, quia id est necessarium ad gaudendum priuilegio iubilei: & reseruatio remaneret ablata, etiamsi postmodum non ponerentur requisita pro iubileo comparando.

Grauius dubium est, si pœnitens aduertat defectum suæ confessionis, quia Pontifex non dat hoc priuilegium nisi

habenti

habenti intentionem lucrandi iubileum, & præstandi necessaria ad illius consecutionem; cum autem inter ea, quæ sunt necessaria numeretur confessio & absolutio Sacramentalis, porrò qui fictam confessionem aduertenter ponit, non dicitur habere intentionem lucrandi iubileum.

Respondeo tamen, quoties pœnitens cum illa aduertentia haberet animum lucrandi iubileum, & ponendi omnia requisita; si, v. g. haberet animum confitendi postea validè ante finem hebdomadæ, probabile esse, illum etiam tunc remanere liberum à reseruatione peccatorum expressorũ. Et ratio est, quia sicut Confessarius ex priuilegio & delegatione absoluens, validè tollit reseruationem peccati, licet confessio sit inualida ex defectu etiam pœnitentis ipsi cognito; dummodo non sit circa integritatem debitam in reseruatis: ita absoluens virtute iubilei nulla est ratio, cur non possit dici, quod soluat vinculum reseruationis peccati, licet propter indispositionem pœnitentis non absoluat ab ipso peccato; cum hac enim confessionis inualiditate, & aduertentia inualiditatis stare potest animus lucrandi iubileum.

Sedulò autem dixi, peccatorum expressorum, quia si postea iubileum non compararet, peccata reseruata oblita, & culpabiliter tacita adhuc manerent reseruata. Vnde est, vt de Lugo cit. num. 113. sententiam hanc existimet probabilem, dato quod defectus non sit in integritate circa ipsa reseruata.

Dices absolutio illa, licet inualida, tolleret censuras, etiam oblitas, & culpabiliter tacitas; Ergo etiam tolleret reseruationem peccatorum nõ expressorum. Resp. negando consequentiam; cum enim censuræ extra Sacramentum auferri possint, inde est, vt etiam tacitæ, & omissæ per generalem absolutionem tollantur. At verò reseruatio in iubileo non nisi per Sacramentum tolli potest, quod si validum est, tollit quidem reseruationem peccatorum etiam oblitorum, ob ius & priuilegium, quod pœnitens acquirit per iubilei acquisitionem; sicuti etiam vota oblita possunt commutari, licet transacto iubileo: si verò inualidum; non nisi peccatorum cõfessorum, quia illa tantum ad Superiorem fuerunt delata.

Ex quibus patet ad casum propositum; Sempronius enim per illam confessionem inualidam factam animo lucrandi iubileum, dato quod defectus non sit in integritate circa reseruata, remanet absolutus ab omnibus censuris; ac licet postmodùm non lucretur iubileum, peccata illa reseruata potest cuicunquè Confessario confiteri: & si talis absolutio non valet vt Sacramentalis, valet saltem vt ablatio reseruationis, cùm ablatio reseruationis non pendeat à culpæ ablatione; vt enim habetur ex reg. iuris, cap. de spons. Impub. in 6. Si quod ago non valet, vt ago, valet vt valere potest. Sic enim professio facta à Marito inuita Vxore, si non valet vt professio, valet vt votum simplex castitatis.

DIFFICVLTAS XXIV.

Fulgentius tempore iubilei fuit inualidè absolutus à casibus reseruatis, & censuris, ex eo quòd Confessarius careret approbatione Episcopi iuxta iubilei tenorem in confessione requisita.

Quæritur vtrùm si transacto iubileo veniat in cognitionem nulli-

nullitatis confessionis, possit à quocunq; Confessario ab illis absolui.

92 *Proponuntur fundamenta sententiæ negantis.*

93 *Refertur sententia docens dictum Fulgentium lucratum fuisse iubileum, quoties actum contritionis emiserit.*

94 *Etiamsi nullum actum contritionis elicuerit, adhuc tamen habita notitia defectus approbationis in Confessario, atq; errore detecto potest eligere Confessarium, à quo à reseruatis absoluatur.*

92 HVic difficultati responderet illico aliquis dicendo non posse per quemcunquè Confessarium à reseruatis absolui; eà autem ratione potissimum niti posset, quia si potest ab illis absolui per quemcunq; Confessarium, maximè quia acquisiuit aliquod ius, vt ab illis valeat absolui: sed nullum ius acquisiuit; ergo &c. Maior probatur ex dictis in difficultate 14. proximè superiore, quo loco egimus de eo, qui nullius culpæ mortalis conscius prestitit cetera opera ad iubileum lucrandum necessaria, omissa tamen confessione, quem diximus si iubileo transacto recordetur alicuius peccati reseruati, posse illius absolutionem à quocunquè Confessario petere, ea ratione nixi, quòd tale ius acquisierit per iubileum obtentum, quod idem diximus de votis oblitis, ea videlicet iubileo etiam transacto posse commutari virtute iuris acquisiti. Minor item probatur, quia non potest acquisiuisse hoc ius nisi iubileum sit lucratus, atqui iubileum non est lucratus; ergo &c. Tum quia facultas absoluendi à censuris & casibus reseruatis, & commutandi vota est concessa à Papa pro tempore iubilei. Ergo eo transacto nullus potest absoluere aut vota commutare. Et hanc sententiam sustinet Coriol. de cas. reser. par. 1. sect. 2. art. 18. num. 2. qui citat Rutilium Benzonium de iub. eandemquè tenentur sustinere ij omnes, quos pro contraria sententia retulimus in difficultate 14. cit.

93 His tamen non obstantibus, respondeo primò valdè probabile esse, dictum Fulgentium lucratum fuisse iubileum, dato quòd emiserit actum cõtritionis; & ratio est, quia in probabili sententia, quam sustinent D. Anton. 1. par. tit. 10. cap. 3. §. 5. colum. 3. Zerul. de iub. lib. 1. cap. 15. dub. 13. & 60. Alphon. Vega 2. par. sum. cap. 7. cas. 31. Henriq. lib. 7. sum. cap. 10. in coment. lit. N. & cap. 12. §. 2. lit. H. Laym. lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 7. vers. Dico tertiò; in fine; quando in concessione Indulgentiæ, non exigitur confessio tanquã opus principale, seu tanquam actus propter quem conceditur indulgentia, sed tantùm requiritur vt melior dispositio ad securius obtinendam indulgentiam (vt contingit in Bullis iubileorum, in quibus plura opera præscribuntur) si cuipiam physicè, vel moraliter sit impossibilis actualis confessio, illi sufficit contritio, seu confessio in voto. At in nostro casu Fulgentio fuit impossibilis confessio Sacramentalis, cum supponamus Confessarium caruisse approbatione Episcopi, & impedimentum hoc fuisse dicto Fulgentio ignotum; Ergo si actum contritionis elicuerit, & cœtera præstiterit ad iubileum lucrandum necessaria, dici poterit illi sufficeisse contritionem pro confessione, & sic iubileum fuisse consecutum.

Vnde retenta hac sententia facillimum est respondere ad casum, dicendo illum vi iubilei obtenti acquisiuisse ius,

ius, vt possit detecto errore absolui à quocunq; Confessario exposito, & obtinere commutationem votorum; iubileum enim semel obtentum ab eo, qui intra tempus in iubileo præscriptum præstitit opera necessaria, dat ius omni tempore eligendi Confessarium pro ijs peccatis, quæ vsquè ad tempus finitum iubilei sunt reseruata. Quinimò addit Leo de iub. par. 1. num. 82. & par. 2. num. 205. hoc idem dicendum, etiamsi Pœnitens dubitaret an esset lucratus iubileum.

94 Respondeo secundò, si fortè Fulgentius in confessione facta tempore iubilei non elicuerit actum contritionis, & sic non sit lucratus iubileum, adhuc tamen detecto errore, & habita notitia defectus approbationis Confessarij, posse eligere Confessariũ, & ab eo absolui à reseruatis, fruiquè cęteris priuilegijs Bullæ, eo modo quo id possunt præstare ij, qui tempore duarum hebdomadarum fuerunt nauigatione, itinere, aut ægritudine legitimè impediti: aut ij qui nullam vnquam iubilei notitiam habuerunt, nisi post transactum iubileum. Ita Bossius de iubil. sect. 1. casu 35. num. 5.

DIFFICVLTAS XXV.

Sempronius cum sclopos rotatos in nostra hac Diœcesi detulisset incidit in excommunicationem, qua censura innodatus celebrans contraxit irregularitatem. Quæritur vtrùm vi facultatis concessæ in iubileo possit super ea dispensari.

95 *Quotuplex sit irregularitas.*
96 *Refertur sententia negans.*
97 *Refertur sententia affirmans.*
98 *Respondetur difficultati propositæ iuxta communiorem sententiam.*

Difficultatem hanc in terminis generalibus instituunt Doctores in tractatu de iubileo, quærentes an facultas ea, quæ solet concedi tempore iubilei, absoluendi videlicet ab omnibus censuris & casibus reseruatis in Bulla Cęnæ contentis, includat facultatem dispensandi super irregularitate propter culpam seù delictum contracta.

95 Pro cuius solutione aduertendum, alias esse irregularitates, quæ propter peccatum incurruntur, cuius generis ea est, quæ ex publica, aut etiã occulta baptismi iteratione contrahitur, vt patet ex cap. Ex litterarum, de Apostatis. Cap. Confirmandum dist. 50. & Cap. Qui in qualibet 1. quæst. 7. Ea item quæ incurritur ab eo, qui ligatus maiore excommunicatione scienter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata Ordines Sacros suscipiat Cap. Cùm illorum, de sentent. excommunic. in 6. & cap. 1. de eo, qui furtiuè Ordines suscepit: licèt Suarez, Coninc. Filliuc. & alij existiment hunc non remanere irregularẽ, sed tantùm suspensum ab vsu Ordinis ita suscepti. Cuius generis item ea est, quæ incurritur ab eo, qui ligatus maiori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, etiamsi occultus sit & toleratus, actus Ordinis maioris solemniter, vel ex officio exerceat, cap. Si quis Episcopus in Concil. 11. quęst. 3. cap. 1. & Cap. Is cui, de sent. excommunicat. Et quæ incurritur à Clerico scienter, seriò & ex officio, seu solemniter exercente actum ordinis, quem non habet. Cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato ministrante. Vel demum aliæ similes ex delicto prouenientes,

nientes, de quibus egimus suo loco.

Alias verò esse irregularitates, quæ nullum peccatum supponunt, sed absque vlla culpa contrahuntur, quales eæ sunt quæ ex defectu incurruntur, animi videlicet, corporis, natalium, ætatis & libertatis, ex defectu Sacramenti, idest bigamia, & ex defectu lenitatis. In hoc autem differunt hæ irregularitates, quòd primi generis sunt propriæ pœnæ, quæ culpam supponunt; vnde est vt eæ non contrahantur si non adsit culpa: Secundi verò generis sunt merè impedimenta, seu inhabilitates, ad quas incurrendas nulla est necessaria culpa: & de his non procedit difficultas; conuenit enim inter Doctores omnes, eas non compræhendi sub facultate in iubileo concessa absoluendi ab omnibus censuris reseruatis: sed tota difficultas est de irregularitatibus primi generis: & quærimus an vi illius facultatis quæ in Bulla Iubilei solet concedi possit Confessarius electus dispensare cum Pœnitente super irregularitate, in quam ratione peccati, seu ob delictum inciderit.

96 Respondent negatiuè Doctores plures. Probant autem primò, quia irregularitas non est censura, sed pœna quædam, seu inhabilitas: vnde est vt Doctores illam definientes dicant esse canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proueniens, directè impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum vsum ob reuerentiam Diuinorum. Et Innocentius III, interrogatus quid intelligi debeat nomine censuræ, quando in litteris Apostolicis conceditur facultas absoluendi à censuris, fertur respondisse, intelligi excommunicationem, suspensionem, & interdictum, nulla facta mentione irregularitatis. Tum quia si irregularitas esset censura, celebrans cum illa nouam incurreret irregularitatem: generale enim inter morales Theologos principium est, violatorem censuræ per celebrationem fieri irregularem: quod falsum esse & contra communem sententiam docui suo loco; ergo cùm potestas Bullæ ex vi verborum priuilegij ad censuras limitata sit, non potest rationabiliter ad aliquam irregularitatē extendi. Quòd si quispiam dicat in aliquibus Bullis ea verba legi (à censuris, & pœnis) vt proindè licèt irregularitas non sit censura, cùm tamen sit pœna, legitimè fieri possit hæc extensio, contra est.

Secundò, quia irregularitas propriè non tollitur absolutione, sed dispensatione: in Bullis autem iubileorum adhibetur tantùm verbum, absoluere, quod si propriè & in rigore accipiatur, solet tantùm accommodari relaxationi censurarum.

Tertiò, quia ideo in iubileis conceditur facultas absoluendi à censuris & alijs pœnis, vt Christi Fideles consequantur iubileum, cuius consecutio impeditur per iubileum, cùm Sacramenta recipi possint nō nisi censuris sublatis. Atqui irregularitas non præstat impedimentum consecutioni iubilei, cùm Sacramentorum receptionem nō impediat. Ergo facultas per iubileum concessa non comprehendit irregularitatem, licèt possit esse pœna delicti, sed tantùm censuram, aut pœnam eam quæ peccatorum absolutionem, Eucharistiæ receptionem, ac demum iubilei cōsecutionem impediat; Quòd si quispiam dicat nullam esse pœnam, quæ Eucharistiæ receptionem, aut iubilei consecutionem impediat, nisi sit censura; proindeque censuram & pœnam videri synonymè accipi, respondet Suarez citatus id non esse mirum, cùm in priuilegijs interdum adiungi

soleant

ſoleant duæ voces ſynonymæ ad maiorem explicationem. Tum quia in rigore nomen hoc pœnæ, etiamſi ad illas limitetur quæ Euchariſtiæ receptionem impediunt, adhuc tamen plus comprehendit, quàm nomen cenſuræ, quia poteſt aliquis eſse priuatus ad tempus vſu alicuius Sacramenti in pœnam, quæ propriè cenſura non ſit, & ex vi huius vocis poterit Pœnitens in iubileo ab illa abſolui.

Quartò, quia iuxta ſtylum Curiæ Romanæ nunquam cenſetur conceſsa facultas diſpenſandi in irregularitate niſi fiat illius expreſſa mentio, vt notat Nauar. cap. 27. num. 250.

Demum verò quia in priuilegijs ſeu Bullis Pontificijs poſt illa generalia verba interdum additur facultas diſpenſandi in irregularitate, quando Pontifex vult illam concedere, vt ex *Bulla* iubilei conceſsi à Clemen. VIII. anno 1593. notat Vgolinus de cenſur. tabula 1. cap. 2c num 2. E contra verò Gregor. XIII. in iubileo edito anno primo ſui Pontificatus conceſsa facultate abſoluendi a cenſuris & caſibus reſeruatis etiam in Bulla Cœnæ contentis; negauit facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate ex delicto orta: eandemque negauit Gregor. XIV. qui facultatem à ſe conceſsam in iubileo anni 1593. apertè declarauit nō extendi ad vllam irregularitatem publicam, aut occultam. Et Clemens VIII. ipſe in nouo iubileo promulgato anno 1597. poſtquam conceſſit facultatem abſoluendi ab omnibus Eccleſiaſticis ſententijs & cenſuris, apertè declarauit ſe non tribuere facultatem diſpenſandi ſuper aliqua irregularitate publica, aut occulta: quam Bullę formam poſtmodùm ſeruarunt inſequentes Pontifices; vnde eſt vt in Bulla Vrbani VIII. edita anno 1638. die 3. Martij extent ea verba [non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate, quoquomodo contracta diſpenſare, vel aliquā facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ] Ita Vgolinus de cenſuris tabula 1. cap. 10. §. 4. num. 11. Zerula in praxi Epiſcopali 1. par. verb. irregularitas §. 13. & 2. par. eod. verb. § 7. in praxi pœnitentiali cap. 24. quæſt. 18. Philiarch. de officio Sacerd. 1. par. lib. 4. cap. 6. Ludouic. Beia in reſponſ. caſuum conſcientiæ caſu decimo ſeptimo ad finē Zechius de caſ. reſeru. caſu 1. de irregularitate ſub num 40. Graff. lib. 1. cap. 32. num 14. & lib 4. cap. 15. num. 27. & de caſibus reſeru. lib. 2. cap. 17. num. 35. Henriq. in ſum lib. 7. cap. 13 §. 6. & lib. 14. cap. 17 § 4. Toletus in ſum. lib. 1. cap. 85. num. 7. Garzias de beneficijs par. 7. cap. 11. num. 57. & 58. Floronus de caſ. refer. par. 1. cap 4 §. 3 num. 37. Homobonus de caſibus reſeru. par. 1. cap. 5. pag. 83. Sanctarel. de iubil. cap. 7. dub. 5. Bonac. de cenſuris diſp. 7. q. 5. pun. 2. num. 8. Suarez de cenſur. diſp. 1. ſect. 3. num. 5. & 6. & diſp. 40. ſect. 3. nu. 3. quo loco habet contrariam ſententiam eſſe falſam.

97 His tamen non obſtantibus reſpondent alij dicendo facultatem eam, quæ in Bullis iubileorum conceditur, abſoluendi videlicet ab omnibus cenſuris, extendi ad irregularitatem contractam ratione peccati. Probant autem.

Primò, quia in Bullis antiquis concedebatur facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris, & alijs pœnis Eccleſiaſticis, quam vltimam particulam volunt fuiſſe appoſitam propter eos qui putabant nullam irregularitatem con-

tineri sub generali facultate absoluendi à censuris, quas Bullas se vidisse testatur Bannes de iust. & iure quæst. 64. art. 8.

Secundò, quia licèt in iubileis, quæ nunc à Summis Pontificibus expediuntur, fiat mentio tantùm facultatis absoluendi à censuris, id tamen putant sufficere ad hoc vt Confessarius electus posit dispensare super irregularitate proueniente ex delicto, quia irregularitas orta ex delicto venit nomine censuræ, & est verè ac propriè pœna Ecclesiastica; ergo habens facultatem absoluendi ab omnibus censuris, poterit etiam liberare à prædicta irregularitate. Antecedens autem probant, quia in quibusdam Bullis, præsertim ijs, quæ à Pio V. emanarunt, primò concedebatur facultas absoluendi ab excommunicatione, suspensione, & interdicto; deinde addebatur, & à quacunquè alia censura & pœna Ecclesiastica; Ergo præter illas tres reperitur alia censura, alioqui si nulla alia reperiretur, ineptè fuisset addita illa particula, & à quacunquè alia censura: quo modo qui Sanctissimæ Trinitatis Personas esse tantùm tres fide certissmum teneret, ineptè loqueretur si diceret, Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & in quamcunq; aliam Diuinæ Trinitatis Personam. Confirmatur, quia censura nihil aliud est, quā pęna Ecclesiastica qua Fideles ob peccata commissa puniuntur, & à committendis retrahuntur. Sed etiam hæ irregularitates, de quibus est sermo, sunt verè & propriè pœna à iure imposita ob delictum commissum, ergo; saltem in fauorabilibus, in quibus fit ampliatio, venire possunt nomine censuræ.

Tertiò, quia in iubileis conceditur facultas absoluendi à suspensione, licèt hæc non impediat receptionem Eucharistiæ, absolutionem à peccatis, aut iubilei consecutionem; Ergo pari modo, licèt dispensatio super irregularitate nihil conducat ad iubilei consecutionem, ea tamen potest intelligi concessa: eo vel maximè, quòd concessio hæc valde conducere posit ad Animarum salutem: tum quia irregularitatis ablatio spectat ad concessionem absoluendi à censuris, & casibus reseruatis; sicut ad eandem spectat absolutio à suspensione: & si in iubileo conceditur facultas ab ipsa culpa, meritò etiam est concedenda facultas auferendi irregularitates ex tali culpa prouenientes; ad quid enim auferre causam relicto effectu.

Quartò, quia distinguuntur inter se hi duo modi loquendi, absoluere ab irregularitate, & dispensare super irregularitate; illud enim dicit ordinem ad confessionem, hoc verò nequaquā; & dispensatio respicit irregularitates absquè culpa prouenientes, absolutio verò eas respicit, quæ culpam supponunt. In suis ergo Bullis si quando Pontifices dicunt se negare huiusmodi facultatem, vtuntur verbo dispensandi, vt patet ex Bullis Vrbani VIII. vt proinde ij intelligendi sint loqui de irregularitatibus prouenientibus ex defectu significationis, vel ex indecentia, seu vitio corporis, & absq; culpa contractis, quæ verè & propriè irregularitates sunt, & non censuræ; non verò de ijs, quæ ratione peccati, seu ob delictum contrahuntur. Ita Bannes l. cit. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. qui lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 4. non est dicendus contrarium sentire, cum ibi loquatur de irregularitatibus, quę non sunt pœnæ Bartholomeus Medina 1. 2. quæst. 99. art. 4. & in instit. Confess. cap. 11. § 9. Corduba dę Indulg. quæst. 43. art 4.

43.art.4. Gutierez qq. can. lib.1.cap.3. Alphonsus Vega in summa par.2. cap. 12. casu 2. 7. & latißimè in octauo vbi refert Canum hanc sententiam primùm docuisse in Scholis Salmanticæ. Hanc item sententiam probabiliorem esse putat Arragon 2.2. quæst.64.art.8. & licèt contrariam in praxi sustinendam tanquam tutiorem existimet Bossius de iubil.sect.1. casu 11. nu. 4. hanc tamen ob rationes allatas, & ob Doctorum auctoritatem probabilem esse putat, non verò falsam, vt habet Suarez. Pro hac eadem sententia citari possunt Doctores asserentes impetrationem beneficij factam à Summo Pōtifice per irregularem, seu homicidam valere propter clausulam in litteris Apostolicis apponi solitam, teque à quibusuis &c. de quo casu loquens Corduba in summa quæst.41.dicit, ordinarium stylum Curię Romanæ esse, quod dispensetur simul in censuris, vt collatio teneat, & sic homicidam, cui facta est collatio manere tutum, ex quo per dispensationem sublata est irregularitas, & ipse mansit habilitatus. Idemq; docent Ludouicus Lopez 1. tomo cap. 245. vers. Secundum à nobis. Rodriquez 1.tom. cap. 179. num.1. Vega 1. par. summæ cap. 36. casu 15. Lessius lib.2.cap.34. dubit.38. num.203. vbi sic habet [Vnde is, cui pensio reseruatur solet in litteris absolui ad cautelam, sicut in litteris prouisionis beneficiarię. Idem videtur dicendum de cęteris cēsuris & irregularitate; nam ab his omnibus ad cautelam absolui solet.]

98 Hæ sunt rationes quibus nituntur hæ duæ inter se oppositæ sententiæ, quarum neutram licèt damnem, assero tamen primam esse communiorem & in praxi omnino sustinendam: eademque approbatur in Concilio 3. Prouinciali tit. De his, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent versic. Ne Confessarij, vbi D. Carolus sic decernit. [Ne Confessarij Sacerdotes cùm sibi facultate, vel ex iubileo, vel ex alijs Apostolicis litteris concessa Pęnitentium confessiones audire, eosdemquè à peccatis etiam grauioribus, quæ admiserunt, & à pœnis item, ac censuris, quibus irretiti sunt absoluere licèt, cum eo qui in irregularitatem incurrerit, dispensent, nisi eius facultate illis litteris nominatim expressa.] Accedit viros doctos & in Curia Romana versatos affirmare, illius stylum esse, vt nunquam censeatur concessa facultas dispensandi in irregularitatibus, nisi illarum fiat expressa mentio. Et licèt Doctores contrariæ sententiæ stylum hunc concedant tantùm in casu earum irregularitatum, quæ sunt merè inhabilitates, ita vt hæ non intelligantur concessæ nisi exprimantur: secùs verò si de ijs sit sermo, quæ propter delictum directè impositæ sunt, à quibus absoluēdi auctoritatem dicunt comprehendi sub facultate absoluendi ab omni censura: in contrarium tamen facit auctoritas Magistri S. Pallatij, qui in aphorismis Confessariorum Emmanuelis Sà, verbo absolutio pag. 6.nu. 19. ita emendauit. [Non est vllo modo tenenda sententia quorundam affirmantium, quia in contrarium est praxis Romanæ Curiæ, & omnis Canonistarum doctrina, quæ optima nititur ratione; potestas enim absoluendi non potest extendi ad irregularitatem, quæ tollitur dispensatione, non absolutione.]

Ex quibus patet, quid dicendum ad casum propositum in principio difficultatis; respondeo enim posse quidem absolui a censura, non tamen ab irregularitate inde contracta, quod censurâ innodatus celebrauerit.

DIFFICVLTAS XXVI.

Soluuntur quædam dubia circa ea, quæ necessaria sunt pro iubilei consecutione.

99 *An is, qui conscientiam peccati mortalis non habet, pro consecutione iubilei teneatur præmittere confessionem.*

100 *An opus iniunctum confessionis impleri possit per confessioné sacrilegã.*

101 *An qui semel est confessus, si iterum peccet teneatur iterum confiteri.*

102 *An confessio sit facienda intra hebdomadam, an verò possit fieri Dominica sequente.*

CVM in hac quæstione egerimus de facultate absoluendi a reseruatis virtute iubilei, optimè facturum me existimauero, si potiora quædam dubia dissoluam, quæ in materia iubilei proponi, & afferri posse videntur. Cum autem sex pietatis opera exigi soleant, videlicet, confessio, Communio, Oratio, ieiunium, eleemosina, & visitatio Ecclesiarum: quæ nisi ritè impleantur, vel legitimè impeditis à Cõfessario commutentur, non acquiritur iubileum, de singulis seorsim agemus.

DE CONFESSIONE.

99 QVæres primò, an pro iubilei consecutione præmittenda sit confessio ab eo, qui non habeat peccata mortalia.

Respondent aliqui affirmatiuè, Sanchez lib. 8. de Matrim. disp 15. num. 19. qui communiorem hanc, & veriorem opinionem vocat, Nunnus, Acosta, Floronus, Pollachus, Lauorius, Vega, Fernandez, & alij apud Dianam par. 1. tract. 11. de Bulla Cruciatę resol. 107. & par. 5. tract. 12. resolut. 30. quorum ratio ea potissima est, quia Bulla iubilei exigit confessionem tanquam iniunctum opus.

Ego verò respondeo non esse præmittendam. Et ratio est, quia vsus Ecclesiæ est, vt quando præcipit confessionem, intelligatur de mortalibus, vt constat *ex Cap. Omnis vtriusque sexus.* Vbi eadem verba intelliguntur de sola confessione mortalium; ergo eadem formula posita in iubileo intelligenda est in eodem sensu, quia sicuti nomine, peccatorum, simpliciter, veniunt mortalia; ita nomine, confessionis, simpliciter, venit confessio mortalium. Pontifex igitur præcipiendo in iubileis confessionem intelligendus est suppositiuè, v. g. si lucraturus iubileum indiget confessione. Ita Suarez to 4. disp. 52. sect. 3. num 5. Henriquez lib. 7. cap. 12. num. 2. Conincus de Sacram. disp. 12 dub. 7. num. 38. Comitol. in respons. moral. lib. 1. quæst. 39. Cardinalis de Lugo disp. 27. de Sacram. pœnit. sect. 7. num. 100. Anton. Diana locis cit. apud quem alij plures.

Ad rationem in contrarium respondetur, Bullam non exigere confessionem, vt opus iniunctum, quomodo exigit eleemosinam, & ieiunium, sed vt dispositionem.

Addunt Conincus cit. Leo de iubileo par. 1. quæst. 1. num. 36. sententiam nostram procedere, etiamsi in Bulla legerentur hæc verba, *Præmissa confessione communicauerit*, quia adhuc ea intelligenda est de mortalibus.

Quinimò, etiamsi in Bulla Iubilei, vel indulgentiæ ita dicatur, *Omnibus vere pœnitentibus & confessis, vel omnibus contritis, & confessis, qui visitauerint Ecclesiam &c. concedimus plenariam indulgen-*

dulgentiam, ad hanc indulgentiam cōparandam sufficere veram, & perfectam contritionem cum confessione in voto, seu cum proposito confitendi tempore debito, secundum Ecclesiæ præceptum, licèt pœnitens haberet conscientiam peccati mortalis, docent Comitol. cit. Suarez cit. num. 12. Filliucius tom. 1. tract. 8. cap 6 nu. 148. & alij apud Dianam par. 5. cit. Et ratio est allata, quia confessio exigitur tantùm, vt dispositio ad statum gratiæ. Tum quia illa verba iuxta subiectam materiam possunt intelligi distributiuè, vt si diceret, *Ciuibus, & peregrinis*: vult enim tunc Pontifex vtrisq; concedere, dummodo contritionem, vel confessionem præmittant. Contrariū tamen cum Nauarro, Graffio, & alijs sentit noster Bonacina disp. 6. de Sacram. quæst. 1. pun. 5. num. 5. vbi ait, si in Bulla exprimatur confessio, vt si dicatur, *Contritis, & confessis*, & pœnitens existat in statu peccati mortalis, quoties velit lucrari indulgentiam, teneri ad actualem confessionem. Et affert rationem, quia Indulgentiæ explicandæ sunt, vt in Bullis exprimitur; quoties ergo in Bullis exprimatur confessio, & contritio, necessariam putat cōfessionem, & contritionem. Tum quia particula, &, est coniunctiua, non disiunctiua; dispositio autem copulata exigit vtriusque partis veritatem, seu existentiam vtriusque termini, l. si hæredi plures, ff. de conditionibus. Sed ratio hæc nimis probaret, quia probaret præter confessionem necessariam esse contritionem perfectam.

Vnde patet differentia inter confessionem, & communionem. Si enim in Bulla exprimatur confessio, & communio, hæc semper est necessaria, illa non item, saltem quando lucraturus indulgentiam habet sola venialia.

100 Quæres secundò, an qui intra hebdomadam fecit confessionem sacrilegam satisfaciat pro consecutione indulgentiæ, si ante finem hebdomadæ eliciat actum contritionis.

Respondeo teneri iterum validè cōfiteri. Et ratio est, quia sicuti præcepto Ecclesiæ non satisfit nisi per validam confessionem, ita si ad indulgentiæ consecutionem necessaria sit confessio, ea debet esse valida: nam illa alia non est confessio, sed irrisio. Ita Cardinalis de Lugo superiùs cit. num. 103. qui Sanctarellum, Zanardum, & Alphonsum de Leone pro hac sententia refert. Contrariam tamen sententiam probabilem putat Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 148. etiamsi confessio, & communio sacrilegā fuerit, dummodo in vltimo instanti, in quo vltimum opus fuit perfectum, lucraturus iubileum fuerit in statu gratiæ. Ego verò sententiam hanc admitto quidem quoad Communionem, quomodo per Communionem sacrilegam satisfit præcepto Ecclesiæ, quia communio licèt sacrilega est communio, sed sine fructu propter obicem peccati; non tamen quoad confessionem.

101 Quæres tertiò, an qui semel ad finem iubilei intra vnam hebdomadam fuit confessus, si ante finem hebdomadæ mortaliter peccet, teneatur iterum confiteri, an verò pro iubilei consecutione satis sit si actum contritionis eliciat.

Respondet affirmatiuè Suarez sect. 3. superiùs cit. num. 7. addens idem esse dicendum, si post primam confessionem recordetur alicuius peccati, cuius in confessione fuerat oblitus.

Ego verò respondeo, quantum est ex vi iubilei, seu indulgentiæ consequendæ, hunc non teneri ad nouam confes-

confessionem. Et ratio est, quia in iubileo exigitur vnica confessio, quæ iam posita fuit: ad effectum autem indulgentiæ sufficit status gratię per cõfessionem comparatus, vel si fortè perditus fuit per nouum peccatum, reparatus postea per contritionem. Tum quia ita satisfit præcepto Ecclesiæ exigentis annuam confessionem; si enim post confessionem, nouum peccatum mortale committat; vel de nouo recordetur alicuius peccati in priore cõfessione omissi, non tenetur ex vi illius pręcepti iterùm confiteri: eo quòd Ecclesia vnicam confessionem, præcipiat; Ergo etiam pro consecutione iubilei sufficiet vnica confessio. Ita Bonacina superiùs cit. num. 9. qui tamen pro praxi contrariam sententiam consulit, & bene, cum in materia indulgentiarum non iuuet opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam, si oppositum sit verum. Nugnus in addit. quæst. 27. art. 3. dub. 4. Cardinalis de Lugo loco cit. num. 101.

Dixi, quantum est ex vi iubilei, seu indulgentiæ consequendæ; nam ratione alterius tituli, puta ratione sumptionis Eucharistiæ, quia suscepturus Eucharistiam tenetur ex præcepto diuino præmittere confessionèm omniũ mortalium, non sufficeret illa prima confessio, sed in statu gratiæ teneretur se constituere per nouam confessionem, non quidem ratione indulgentię, sed ratione communionis necessariæ pro indulgentiæ consecutione. Vnde si ad indulgentiam non exigeretur communio, nequè necessaria esset noua confessio.

102 Quæres quartò, an confessio sit facienda intra hebdomadam, an verò possit fieri Dominica sequenti. Causam huius difficultatis dant verba Bullæ, quæ talia leguntur. *Qui in eadem, vel sequenti hebdomada dictas Ecclesias visitauerint, nec non feria quarta, & sexta, ac Sabbatho eiusdem, vel sequentis hebdomadæ ieiunauerint, atque peccata sua confessi, sequenti saltem die Dominico, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerenter sumpserint &c.* Quibus verbis opera omnia præter communionem exigi videntur intra alteram ex hebdomadis designandis. Cum igitur hebdomada incipiat à die Dominico, & duret vsquè ad Sabbathum inclusiuè, sequitur vt sicut eleemosyna, vel Ecclesiarum visitatio non potest fieri die Dominica sequenti, ita nequè confessio. Et ita sentiunt Portel in dubijs regular. v. indulgentia 2. num. 6. Filliucius to. 1. tract. 8. cap. 10. nu. 272. vbi dicit referri etiam responsum tale Clementis VIII. licet permiserit Pœnitentiarijs Sancti Petri, vt die etiam Dominica à reseruatis absoluerent.

Ego verò respondeo posse fieri Dominica sequente, quam sententiam multis citatis docet Antonin. Diana par. 1. tract. 15. 1. Miscellan. resol. 28. Eandemquè nos ipsi sustinuimus cum Cardinali de Lugo difficult. 22. superiore, num. 86. Tum quia verba illa Bullæ, *Atque peccata sua confessi, sequenti saltem die Dominico Eucharistiam sumpserint* non cogunt ad asserendum, quod sola communio differri possit; imo potiùs idem indicant de confessione; Cum igitur verba ea vtrumq; sensum habere possint; & ex alia parte vsus & consuetudo fidelium sit coniungendi confessionem cum communione, quem vsum & consuetudinem Episcopi, & Ecclesiarum Prælati, quinimò Pontifex ipse ignorare non potest; non est cur ad aliũ sensum magis strictum prædicta verba alligemus: eo etiam maximè, quod difficilimum foret

ret operarios, ac rusticos homines assuefactos iam ad confitendum eo die, quo communicant, inducere ad præstandam confessionem intra hebdomadam.

DE COMMVNIONE.

103 *Qualis communio necessaria sit pro consecutione iubilei.*
An sufficiat sacrilega, num. eodem.

103 QVæres quintò, quæ, & qualis esse debeat communio necessaria ad consequendam indulgentiam iubileam.

Cum ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 8. Sacramentum Eucharistiæ tripliciter sumi possit. Primò spiritualiter tantùm, quomodo communicant fideles ij, qui existentes in statu gratiæ, nec valentes Eucharistiam realiter, & actualiter sumere propter aliquod impedimentum, illa sumunt in voto & desiderio, & per actum interiorem fidei viuæ, & deuotionis percipiunt eius effectum. Secundò sacramentaliter tantùm, quo modo communicant peccatores habentes conscientiam peccati mortalis, qui Sacramentum actu recipiunt; non tamen effectum, & gratiā Sacramenti. Tertiò sacramentaliter, & spiritualiter, quo modo communicat is, qui rectè dispositus ad hoc Sacramentum accedit, & percipit eius effectum, seu gratiam.

Supponendum tanquam certum, ad consequendam indulgentiam concessam cum onere Sacræ Communionis non sufficere communionem spiritualem. Id clarè constat ex verbis Bullarum, quibus dictum onus communionis iniungitur, cum ita dicant; *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerenter sumpserint*, quæ verba sacramentalem, & nō spiritualem tantùm communionem important.

Respondeo communionem Sacramentalem omnino requiri, & sufficere pro consecutione iubilei, etiamsi tantum sacramentalis sit, dummodo vltimum opus perficiatur in gratia. Et ratio à nobis fuit superius allata nu. 100., quia communio facta in peccato mortali sufficit ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico, vt aliàs docuimus cum Corduba, Soto, Couarruuia, Suarez, & Doctoribus alijs magis communiter; ergo etiam sufficiet ad satisfaciendum oneri communioni imposito à Papa pro consequenda indulgentia; quia non videtur verisimile, quod Papa strictiore nexu obliget ad opus iniunctum pro consecutione iubilei, quàm ad opus requisitum pro impletione præcepti Ecclesiastici.

Dices obstare particulas illas, *reuerenter, & deuotè*, quæ in Bullis leguntur, dum de Sacramento Eucharistiæ fit mentio; sic enim legitur, *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerenter, & deuotè sumpserint*. Respondeo particulas illas sumi non præceptiuè, sed consultiuè: itaut Papa solum inuitet, & consulat id quod perfectius est; si enim Communionem deuotam præciperet, is qui cum voluntaria distractione communicaret non lucraretur iubileum, quia non communicaret deuotè, & reuerenter, quod tamen est falsum. Ita Cardinalis de Lugo a nobis cit. num. 100. Fernandez in examin. theol. moral. par. 3. cap. 7. §. 8. num. 1. Antonin. Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 148. Bossius de iubil. sect. 4. casu 20. num. 10.

DE ORATIONE.

104 *Qualis oratio requiratur; an mentalis sufficiat.*
105 *An quæcunq; etiam minima, & licèt aliàs debita.*
106 *An requiratur expressa intentio impetrandi quod Papa intendit.*

104 QVæres septimò, qualis oratio requiratur pro consecutione iubilei. Respondeo, cum duplex sit oratio; mentalis, quæ fit sola mente; & altera vocalis, quæ præter internam eleuationem mentis in Deum requirit prolationem verborum: ideo autem dixi, præter internam mentis eleuationem in Deum, quia vocalis non ita est distincta à mentali, quin illam includat, seu cum illa fieri debeat, vt Deo sit grata, & ab illo exaudiatur, iuxta illud apud Glos. in c. cantantes 92. distinct.

Non vox, sed votum, non musica cordula, sed cor.
Non clamans, sed amans clamat in aure Dei.

Cum, inquam, duplex sit oratio, mentalis, & vocalis, communiter requiri solet oratio vocalis; sed tamen mentalis sufficit: quia in Bullis solum exigitur, vt fideles deuotè orent pro necessitatibus ibi expressis: orare autem indifferens est ad orationem mentalem, & vocalem. Ita Cardinalis de Lugo loco cit. num. 111. Tutius tamen erit aliquam orationem vocalem admiscere, puta Rosarium, vel Litanias B. Virginis. Nequè obstat, quod in Bulla exigatur, vt oretur Deus, per Litanias autem, & Rosariũ orari B. Virginem: nam B. Virginem orando, mediate oramus Deum, cum à Virgine petamus, vt apud Deum pro nobis intercedat.

105 Pariter sufficit quæcunq; oratio, etiam minima, dummodo ea deuotè fiat, id est absq; voluntaria mentis euagatione, & distractione. Sufficit etiam, licet sit aliàs debita, puta ex obligatione voti, aut pœnitentiæ; sic enim sufficere ieiunium, & communionem aliàs debitam patet ex praxi, qua sæpè ieiunium promulgatur tempore ieiunij quadragesimę: vel in duabus vltimis hebdomadis quadragesimæ, in quibus ex vsu Ecclesiæ existimatur sufficiens confessio, & communio, quæ eo tempore fit ad implendum præceptum Ecclesiasticum. Ita Henriq. lib. 7. cap. 10. num. 5 & 6. Comitolus lib. 1. respons. moral. quæst. 38. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 8. num. 13.

Si tamen in Bulla concessionis alicuius Indulgentiæ præciperentur certæ preces ad Deum fundendæ, vt contingit in multis indulgentijs concessis numismatibus benedictis, si ab habente tale numisma benedictum toties recitetur Oratio Dominicalis, & Angelica salutatio: aut Psalmus Miserere; tunc pro lucro illius Indulgentiæ necesse esset illas preces effundere. Et ratio est, quia seruanda est forma per Bullam præscripta.

106 Non esset autem necesse pro iubilei consecutione illas preces, seu orationem effundere cum expressa, & formali intentione impetrandi a Deo finem à Papa intentum; sed sufficeret intentio virtualis: seu sufficeret, vt lucraturus iubileum haberet propositum orandi, & præstandi reliqua iuxta Papæ intentionem, licet dum orat, aut cętera opera præstat, actualiter non recordaretur. Ita Sanctarellus cap 7. dub. 1. Versic. quando s'ordina. Lauor. de iubil. 1. par. cap. 18. num. 4. Cæsar

Bottonus in obseruationibus circa Bullam Syxti V. verbo, Orationibus à Deo impetrare studeant, pag. 205. & 206.

DE IEIVNIO.

107 *An in ieiunijs iubilei possint edi lacticinia.*

108 *An qui tenetur ex voto ieiunare, satisfaciat voto, si in Quadragesima edat lacticinia. Author affirmat. Et sic satisfacit ieiunio pœnitentiæ, vel ieiunij.*

109 *Peccaret tamen in præceptum Ecclesiæ.*

110 *An satisfiat iubileo per ieiunia aliunde debita.*

107 QVæres octauò, an in ieiunijs iubilei possint edi lacticinia. Alij affirmant. Alij negant. Alij negant in Quadragesima; extra Quadragesimam verò affirmant. Resp. attendendum esse vsum prouinciæ seruari solitum in communibus ieiunijs. Quare si in his possunt edi lacticinia, poterunt etiam edi in ieiunijs iubilei. Ita Sanch. in sum. lib. 4. cap. 11. num. 50. Cardinalis de Lugo de pœnit. disp. 27. sect. 7. num. 108.

108 Quinimò addit Sanch. num. 53. valdè probabiliter sustineri posse, quod qui ex voto, pœnitentia, vel iubileo, tenetur ieiunare, satisfaciat his ieiunijs, etiam in Quadragesima, licet edat lacticinia: Nisi fortè Pontifex in iubileo; vouens in voto; vel Confessarius pœnitentiam imponens, expressè esum lacticiniorum prohibuerint. Et affert rationem, quia votum, pœnitentia, iubileum illam solam abstinētiam iniungunt, quam exigunt ieiunia communia, qualia sunt quæ obseruari solent per annum: hæc autem non exigunt abstinentiam à lacticinijs. Tum quia ieiunium Quadragesimale intrinsecè non includit abstinentiam à lacticinijs, sed hæc debetur ex alio præcepto omnino independenti à præcepto ieiunij. Quod inde constat, quia Cap. denique 4. d. vbi hæc abstinentia præcipitur in Quadragesima, nulla fit mētio præcepti ieiunij; neque ratione ieiunij ea præcipitur, sed tantùm dicitur sic, *par est, vt qui his diebus à carnibus abstinemus, ab his, quæ sementinam trahunt originem à carnibus, ieiunemus.* Et ita in Dominicis Quadragesimæ abstinentia hæc est seruanda, licèt in ijs non ieiunetur: & pueri, alijq; omnes à ieiunij obligatione immunes adhuc tenentur à lacticinijs abstinere: Quare abstinentia à lacticinijs in Quadragesima non est quid intrinsecum ieiunio, sed quid omnino independens, & ad eam non tenemur eo ipso, quod teneamur ieiunare, sed ex alio præcepto.

109 Verùm tamen est, quod iste peccaret in præceptum Ecclesiæ eo tempore prohibentis vsum lacticiniorum, non habens vllum priuilegium Bullæ: at ieiunio voti, pœnitentiæ, vel iubilei omnino satisfaceret.

Dixi; non habens vllum priuilegiū Bullæ; si enim haberet priuilegium Bullæ Cruciatæ, posset etiam absquè peccato in ieiunio Quadragesimali edere lacticinia, & sic lucrari iubileum; vt bene Sanch. Cardinalis de Lugo cit. Antonin. Diana par. 1. tract. 9. de ieiunio resol. 17. & tract. 11. de Bulla Cruciatæ, resol. 3. apud quem alij plures.

Obijcies, habens priuilegium Bullæ Cruciatæ satisfacit ieiunio iubilei in Quadragesima comedendo lacticinia; Ergo habens priuilegium comedendi carnes, vel cenandi in diebus ieiunij, satisfaciet ieiunio iubilei carnes co-

medendo, vel cenando.

Resp. concesso antecedente negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia cum priuilegio comedendi carnes, seu cum comestione carnium non stat ieiunium, cum abstinentia à carnibus sit essentialis ieiunio; cum priuilegio autem edendi lacticinia stat ieiunium: vnde est, vt sic priuilegiatus possit verè ieiunare, & satisfacere voto, pęnitentiæ, vel iubileo. Quare priuilegium comedendi carnes, & cenandi est priuilegium non ieiunandi, quod non concedit, vt possit iubileum obtineri nō ieiunando. Secus verò est de alijs priuilegijs, puta comedendi lacticinia, vel aliquantulum anticipandi horam prandij, quæ salua ieiunij substantia possunt in omni ieiunio prodesse.

110 Quæres nonò, an satisfiat iubileo per ieiunia aliunde debita, puta ex voto, pœnitentia, vel Ecclesiæ præcepto.

Resp. satisfieri, vt patet ex dictis superius de Oratione num. 106. & ex ijs, quæ mox dicemus de eleemosyna. Falsum ergo est, quod requirantur opera aliunde indebita: sed requirantur talia, qualia sufficerent ad satisfaciendum nouo præcepto, cui constat satisfieri per opera aliunde debita. Tum quia si opus omnino indebitum exigeretur ad consecutionem iubilei, sequeretur quod qui ex voto teneretur ieiunare omnibus sextis ferijs nullo modo posset lucrari iubileum. Ita Cardinalis de Lugo cit. num. 110.

DE ELEEMOSYNA.

111 *An satisfaciat qui pauperi dat pecuniam aliunde illi debitam.*

112 *An satisfaceret Dominus, qui seruo traderet eleemosynam dandam pauperi, quam tamen seruus sibi retineret.*

113 *An sufficiat spiritualis eleemosyna. An etiam pauperes teneantur ad eleemosynam num. eodem.*

114 *An satisfaciat pauper, si curet vt eleemosyna ab alio detur pro se: vel si ratam habeat eleemosynam ab Amico datam nomine suo.*

115 *Vtrum diuites teneantur ad eleemosynam statui competentem sufficit quælibet, attentis Bullis nouis, num. eodem.*

116 *Quid attentis Bullis antiquis.*

117 *An satisfiat dandi illi eleemosynam, quem puto esse pauperem, licet re-uera non sit pauper.*

118 *An etiam Religiosi teneantur ad eleemosynam.*

119 *Quomodo Fratres Minores possint facere eleemosynam, qui carent dominio.*

120 *An satisfaciat Superior dando eleemosynam, subditis id ignorantibus.*

121 *Potest illis commutari eleemosyna in aliud opus pium.*

111 QVæres decimò, an satisfaceret is, qui pauperi daret pecuniam, quam aliunde illi deberet ex iustitia. Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia ista non esset eleemosyna, quæ est donatio gratuita, sed solutio. Si tamen quis teneretur ex voto, vel ex charitate sub mortali ad dandam eleemosynam, porrò hac eadem eleemosyna posset comparare iubileū, quia actus iste esset veræ eleemosynæ. Ita Cardinalis cit.

112 Quęres vndecimò, an sufficeret si Dominus traderet famulo eleemosynam ad finem illam dandi pauperi, quàm tamen famulus non traderet, sed sibi retineret.

Respon-

Respondent aliqui affirmatiuè. Et ratio esse potest, quia iam Dominus dedit ex parte sua, nec decet illum pati damnum ex alterius culpa. Ita Sa, verbo, indulgentia, num. 4. Vega tom. 2. sum. cap. 7. casu 24. Eandemque sententiam non improbabilem putat Bossius de iubileo sect. 4. casu 8. num. 19.

Ego verò resp. non satisfacere. Et ratio est quia pro comparatione iubilei requiritur executio operis iniuncti, illa autem eleemosyna verè non esset facta, cum illius dominium needum esset translatum in pauperem. Ita ex Corduba Cardinalis cit. num. 112. qui idem docet, si eleemosyna tempore iubilei mittatur ad pauperem ita distantem, vt ad illum non possit ea peruenire intra tempus iubilei, quia eleemosyna non diceretur facta intra tempus legitimum, cum pro toto illo tempore posset reuocari mandatum. Si tamen aliquis intra tempus iubilei pro ipso paupere illā eleemosynam acceptasset, tunc valeret, per illam enim acceptationem donatio ea esset facta irreuocabilis.

113 Quæres duodecimò, an necessariò debeat esse realis, seu temporalis, per quam aliquid detur pauperi; an verò sufficiat spiritualis, quæ versu hoc exprimitur.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Resp. debere esse realem & temporalem; hæc enim sola vera, & propria eleemosyna est. Ita communiter. Hæc etiam facienda omninò est a pauperibus, licet indigentibus, nisi à Confessario obtineant cōmutationem in aliud opus pium. Et ratio est, quia pro lucro indulgentiæ seruanda est forma Bullæ, nec sufficit bona voluntas, sed requiritur operis impletio: alioqui si impotentia excusaret pauperem, eadem etiā excusaret à ieiunio infirmum, & à communione patientem tussim, aut vomitum. Ita Cæsar Bottonus in Bullam Syxti V. pag. 194. Lauor. de iub. par. 1. cap. 19. num. 6.

114 Satisfaceret tamen pauper, si curaret, vt eleemosyna ab alio daretur pro se; verè enim diceretur facere eleemosynam. Pariter si ratificaret eleemosynam datam nomine suo ab aliquo Amico ad finem iubilei, dummodò ratificatio illa fieret intra tempus legitimum pro operum impletione, & iubilei consecutione. Ita Bossius de iubil. sect. 4. casu 21. num. 6. qui num sequente non improbabile existimat futurum vt satisfaceret pauper ille, qui cum consensu Confessarij sibi tanquam pauperi eleemosynam illam applicaret, sicuti enim debitor rei incertę dicitur restituere, si rem illam sibi tanquam pauperi applicet; ita & facere eleemosynam, si quam alteri pauperi teneretur dare pro indulgentię cōsecutione, eam sibi ipsi applicet.

115 Quęres decimotertiò, vtrum diuites teneantur tradere eleemosynam statui cōpetentem. Resp. attentis Bullis nouis sufficere qualemcunq; eleemosynam, etiam minimam, tam in diuite, quam in paupere. Et ratio est, quia Bullæ nouę pręcipiunt eleemosynam indeterminatè, remittendo determinationem deuotioni, seu arbitrio cuiuscunque fidelis: verba enim sunt hęc, *Et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint.* Et rursus. *Et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint.*

116 Dixi, attentis Bullis nouis; difficultas enim hęc grauior est attentis Bullis antiquis, in quibus petebatur eleemosyna, *quantum pro sua cuiq; facultate visum fuerit.*

Respondent aliqui sufficere dare id,

quod alij suæ conditionis in simili casu dare solent, licet non sit secundum proportionem facultatum, & reddituum. Et hæc sententia est probabilis. Quare eleemosyna hæc non esset mensuranda mathematicè, mensurando, vt aiunt, facultates ac redditus calamo, & atramento; sed moraliter, & prudentis Viri arbitrio, vt in simili explicat Panorm. cap. 1. de sequestran. possess. & idem est secundum eundem in cap. 1. de iudicijs, si dicatur Iudici, *Fac quod tibi videtur*, intelligitur enim iuxta rationem. Prudens autem Vir eam existimaret eleemosyna statui competentem, quam homines talis status communiter solent facere extra iubileum. Quare si Vir nobilis faciendo eleemosynā consueuit dare iulium vnum; talis eleemosynam sufficiet ad consequendam indulgentiam concessam sub onere eleemosynæ iuxta facultatem: & si triplex eleemosyna sit iniuncta, tres iulij sufficient. Si artifex consueuit dare assem pro eleemosyna; eleemosyna assis sufficiet pro lucro indulgentiæ. Ita Bottonus cit. pag. 200. Monuerim tamen, cæteris paribus abundantiorem eleemosynam multū profuturam ad meriti, & præmij essentialis acquisitionem.

117 Quæres 14. an satisfiat dando illi eleemosynam, quem puto esse pauperem, sed reuera non est pauper. Ratio difficultatis est, quia reuera nihil datur pauperi; sed sicuti ille est pauper existimatus; ita & eleemosyna existimata, qualis non sufficit.

Resp. tamen satisfieri. Et ratio est, quia Bullæ modernæ non exigunt, vt eleemosyna detur pauperi; sed solum, quod fiant eleemosynæ; de substantia autem eleemosinæ non videtur, vt ea verò pauperi erogetur; sed, quod detur ad subleuandam miseriam inopis; tunc autem verè datur ex tali fine.

118 Quæres 15. an etiam Religiosi teneantur ad eleemosinam. Resp. affirmatiuè, seruanda enim est forma Bullæ actualem eleemosynam exigentis. Quare si de suorum Superiorum licentia expressa, vel tacita habeant vsum pecuniarum, habent etiam virtualiter licentiam faciendi eleemosynam moderatam, vt bene Sanch. in sum. lib. 7. cap. 19. num. 92. 93. & 100. Si verò in particulari nihil habeant, sed tantùm in communi, possunt de licentia Superioris dare aliquid Monasterij ad satisfaciendum oneri eleemosynæ iniuncto. Poterit etiam Religiosus dare eleemosynam per alium, vt si amicus secularis pro eo daret: tunc interueniret duplex contractus: alter quo Secularis dat Religioso illam pecuniam; alter quo Religiosus per Secularem illam dat pauperi, & ad vtrumquè requiritur licentia Prælati.

119 Quomodo autem Fratres Minores possint facere eleemosynam, qui neque etiam in communi habent dominium; Respondeo posse: habent enim vsum cum facultate libera transferendi dominium, & alienandi, quod sufficit, vt illa sit vera eleemosyna, & pauperi acquiratur dominium rei acceptæ; licet qui dat nō habuerit illud.

120 Dices, quid si Superior ex bonis communibus Monasterij dat eleemosynam pro omnibus Religiosis subditis, ipsis id ignorantibus. Resp. non satisfieri, eo modo quo ego non satisfacerem, si me ignorāte aliquis traderet pauperi eleemosynam pro me; quia dare eleemosynam est actio moralis, ad quam requiritur aliqua cognitio & voluntas: & quidem cognitio habenda est intra tempus legitimum ad acquirendum iubileum; ac demum habita illius eleemosynæ notitia requiri-

tur,

tur, vt illam ratam habeant. Ita Cardinalis de Lugo disp. 27. cit. de pœnit. sect. 7. num. 117.

121 Demùm verò, si neq; in particulari, neque in communi habeant vnde facere possint eleemosynam poterunt per Confessarium petere commutationem in aliud opus pium, quia in Bullis regulariter conceditur talis facultas commutandi; vndè est vt superius num. 114. loquentes de pauperibus dixerimus, eos omnino teneri ad eleemosynam, vel ad obtinendam à Confessario commutationem in aliud opus pium.

DIFFICVLTAS XXVII.

De facultate commutandi prædicta in alia pietatis opera.

122 *Quæ nam opera possint commutari in iubileo.*

123 *Confessio, & Communio an possint commutari.*

124 *An saltem prorogari.*

125 *An qui tempore, quo fuit publicatum iubileum in sua patria, ex ignorantia inuincibili non habuit notitiam illius, possit illud lucrari habita notitia.*

126 *An is, cui est impossibilis communio possit lucrari iubileum.*

127 *An commutatio possit fieri propria auctoritate, & à quo sit facienda.*

122 QVærimus in hac difficulate, quænam opera possint cõmutari. Et quidem si Bullæ antiquæ attendantur, in quibus sic legebatur, *Eos quoquè qui morbo, vel aliquo impedimento detenti præmissa adimplere nequiuerint, si alia opera fecerint, in quæ arbitrio suorum Confessorum, quibus super hoc facultatem impartimur, commutata fuerint, ipsius indulgentiæ, & doni, ac aliorum prædictorum participes esse volumus:* meritò sustinere, ac docere poterant multi, non solum ieiunia, eleemosynas, visitationem Ecclesiarum, sed etiam communionem ipsam, quinimò, & confessionem potuisse ex iusta causa in alia opera aliquando commutari. Vnde pueri, qui præ ętate communicare non poterant: carcere detenti, qui communionem facere; vel ob defectum Confessarij fortè neq; confiteri, facta prædictorum commutatione in alia pia opera, lucrari poterant iubileum.

Quod si Bullæ modernæ verba attentè legantur, facultas hæc commutandi non videtur ita ampla, sed aliquantulum restricta; sic enim legitur, *Regularibus autem personis vtriusquè sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, nec non alijs quibuscunque, tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut in captiuitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocunq; impedimento detentis, qui supra expressa, scilicet, ieiunium, eleemosynam, Ecclesiæque, seu Ecclesiarum visitationem, ac interuentum in processione, & orationem, vel eorum aliqua præstare nequiuerint, vt illa Confessarius, quē vt infra elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tēpus prorogare possit, eaq; iniungere, quæ ipsi pœnitentes efficere potuerunt, pariter concedimus, & indulgemus.*

123 Ex quibus verbis clarè eruitur facultatem commutandi hodie limitatam esse ad ea solùm opera ibi expressa, scilicet, *ieiunium, eleemosynam, Ecclesiæque, seu Ecclesiarum visitationem, ac interuentum in processione, & orationem*, in quibus non est confessio, neq; communio: quia fortè Pontifex hæc omninò exigat à lucraturis iubileum. Ita Cardinalis de Lugo disp. 27. de pœnit. sect. 7. num. 118.

124 Ad id verò, quòd subdit Cardinalis cit. videri sibi ex vi huius clausulæ non posse impeditis prorogari confessionem, & communionem, & prorogationem nõ nisi de ijs operibus esse intelligendã, de quibus intelligenda est facultas cõmutandi (exceptis nauigantibus, & iter agentibus, quibus Bulla expresse indulget, vt consequi possint iubileum, cum primum ad sua se domicilia receperint) verius existimauerim posse legitimè impeditis prorogari confessionem, & communionem; si enim prorogari potest iubileum, videtur etiam concessa facultas prorogandi confessionem: vt si pœnitens reiterare deberet confessiones illucusq; factas, & præ temporis angustijs non posset, de quo casu egimus in difficult. 20. Vel si esset in proxima occasione peccandi, neque illi in tantis angustijs posset ritè prouideri, de quo egimus in difficult. 21. & confessione prorogata, etiam Communione prorogatur. Commutari ergo confessio, & Communio non poterunt; prorogari verò poterunt.

125 Ex quibus inferas primò, quid dicendum ad casum, de quo tractat Bottonus in obseruationibus iubilei Sixti V. fol. 131., an videlicet is, qui tẽpore, quo fuit publicatum iubileum in sua patria, ex aliqua ignorantia inuincibili non habuit notitiam illius, possit postea illud lucrari quando habet notitiam.

Respondet Eminentiss. de Lugo cit. non posse, ex eo quod stante clausula prędicta solis nauigantibus, & iter agẽtibus sit cõcessa prorogatio iubilei; cęteris verò impeditis solum sit concessa prorogatio aliquorum operum, & non omnium, puta ieiunij, eleemosynę, orationis, visitationis Ecclesiarum, & interuentus in processionibus, sed non confessionis, neq; communionis.

Ego verò resp. cum Bottono cit quẽ refert, & sequitur Diana resol. 151. cit. posse trãsacto etiam iubileo intra duas hebdomadas à die notitię illud lucrari. Et ratio est, quia fuit legitimè impeditus. Ita etiam Bonac. de Sacram. disp. 6. quæst. 1. pun. 5. num. 36. Bossius de iubil. sect. 4. casu 6. & alij communiter.

126 Secundò quid dicendum de eo, cui sit physicè, vel moraliter impossibilis communio, vtrum possit illi in aliud opus pium commutari: cui difficultati respondet de Lugo cit. num. 119. iuxta antiquarum Bullarum formulam potuisse commutari; hodie verò non posse; quia præsentes Bullæ non dent facultatem cõmutandi communionem. Verùm Sanctarellus, Graffius, Henriquez, quos citat & sequitur Diana cit. resol. 52. Bossius de iubileo sect. 4. casu 20. nu. 6. asserunt adhuc posse commutari, eo quod adsit legitima causa cõmutandi. Et sic commutari posse primò infirmis, & patientibus tussim, vel vomitum, vel quid simile. Secundò pueris, quibus ob ętatis defectum non permittitur communicare. Tertiò illi, qui ex obliuione & incuria, seu inaduertenter die designato cõmunionis, nempe Dominico aliquid deglutiuerit.

127 Aduertam autem commutationem non posse fieri propria auctoritate, sed per Confessarium electum; sic enim exigit Bulla. Pariter non requiri, vt ea fiat ab eo Confessario, cui tacta est confessio, sed posse fieri à quocunq;, quia potest pęnitens, vel vnum & eundem eligere ad omnes effectus concessos in Bulla; vel plures eligere ad effectus plures: neq; necesse est, vt quem ad vnum effectum elegit, eligat ad omnes alios. Ita Cardinalis cit. num. 120.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA
DE CASIBVS RESERVATIS
In particulari.

PRiora hæc de casibus reseruatis in communi præmisimus, vt eorundem in particulari facilior esset intelligentia clariorquè doctrina. Præsens ergo disputatio de ijs erit, quos sibi huiusce Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopi identidem reseruarunt. Et quidem ordinem sequemur eum, quem in ijs enumerandis retinent Acta Ecclesiæ Mediolanensis, seruatquè eundem libellus ille ad Confessarios editus, sermone italico vulgari sic inscriptus [Auuertenze dell'Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor Cardinale di Santa Prassede Arciuescouo di Milano.] Sed quoniam hi ad numero vigintitres enumerantur, eos breuiter omnes recensebimus, vt ab integro eorum prima hac pagina numero integram eorum tractationem polliceri lectori videamur. Hoc ergo ordine ij omnes recensentur.

1 Raptores virginum.
2 Qui Moniales violauerint tactibus etiam impudicis.
3 Qui abortum procurauerint.
4 Qui in secundo, vel propinquiore cognationis gradu, incestum commiserint.
5 Incendiarij, & qui damni, iniuriæue causa arbores alienas inciderint.
6 Ecclesiam polluentes.
7 Homicidæ voluntarij.
8 Qui Parentes percusserint.
9 Qui locis pijs infantes exposuerint, cùm habeant vnde ipsos alant, neq; eorum locorum damna resarcierint.
10 Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia huius generis Eucharistia, sacrisuè rebus abutuntur.
11 Qui stateras, mensuras, monetasuè adulterauerint, corruperintuè.
12 Qui sponsalia contraxerint, si vnà ante coierint, quàm matrimonium celebratum sit.
13 Casus restitutionis rerum, quæ incertum est, quibus restitui debeant.
14 Qui ieiunij diebus, alijsuè cùm ab Ecclesia vetitum est, nulla legitima

gitima causa, aut facultate non impetrata carne vescuntur.

15 Confessores quemadmodùm à Sacra Tridentina Synodo iussum est publicè peccantibus publicam pœnitentiam imponant, neq; illud publicæ pœnitentiæ genus, nisi data ab Illustrissimo Archiepiscopo facultate secretà aliâ pœnâ commutare audeant.

16 Qui Deum aut Sanctissimam eius Matrem blasphemauerit.

17 Pater, aut Mater, aut vir, qui consenserint, vt filia, aut vxor se prostituat.

18 Qui falsa instrumenta, aut falsas singraphas, apochasuè in damnum alterius confecerit, vel conficienda mandauerit, consiliumuè dederit.

19 Qui in iudicio falsum deposuerit.

20 Qui solutionem ex legato pio debitam diutiùs biennio distulerit.

21 Qui in secundo, vel propinquiore gradu incestum, etiam in cognatione spirituali commiserint.

22 Qui sodomiam commiserint.

23 Qui virginem deflorauerint.

AC quidem horum casuum primi vndecim in Concilio Prouinciali primo reseruantur, titulo, De ijs, quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem: secundus tamen in Synodo trigesimatertia fuit extensus etiam ad tactus impudicos. Duodecimus in Concilio Prouinciali 2. titulo 1. decreto 27. Decimus tertius in Concilio Prouinciali 4. titulo, de ijs, quæ pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ. Decimus quartus additur in Synodo Diœcesana 2. decreto 18. vbi iam citati casus denuo reseruantur, & sub excommunicationis pœna præcipitur Confessarijs, ne à casibus hisce, vel ijs quorum absolutio Canonum iure, & Apostolica auctoritate Episcopis reseruata est sine facultate in scriptis obtenta Pœnitentem aliquem absoluant. Decimus quintus habetur in Concilio Prouinciali 1. titulo iam citato. Septem in sequentes reseruati fuerunt in Synodali sessione habita 1606. die 12. Mensis Aprilis. Postremus verò in Synodo Diœcesana 32. habita die 9. Aprilis 1636. His præmissis præsentem disputationem in tot capita secabimus, quot sunt casus.

Sed priùs aduertendum, quòd in superiore disput. intulimus quæstione 1. difficult. 1. nomine casuum reseruatorum non venire censuras: ij enim peccata sunt; hæ verò pœnæ peccatorum. Verum tamen est in nostra hac Diœcesi etiam censuras omnes esse reseruatas, vt patet Actorum par. 6. tit. tabula censurarum, & casuum reseruatorum, pagina mihi 988. in hæc verba. [Et verò nos præter casus, quos anniuersaria tabella pro temporum ratione nobis reseruandos iudicauerimus, censuras etiam, & casus omnes ac singulos, quos Episcopis, siue iure Canonum, siue Pontificijs sanctionibus, siue decretis Tridentini, siue Conciliorum nostrorum iure reseruatos infra ordine distinctos, certoquè numero notatos edimus: eos ne de huiusmodi reseruatione quispiam

hæsitet, & dubitet nobis planè reseruatos declaramus, & denuò iam nunc perpetuò reseruamus. Proindè caueat vnusquisq; ne ab ijs censuris, & casibus aliquem sine scripta nostra facultate, auctoritateq; absoluat pœna excommunicationis proposita, quam ipso facto, qui contrafecerit subire iam decreuimus, & rursus decernimus, atq; declaramus.] Et Actorum par.4.tit. Instrutione generale dell'Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor Carlo Cardinale Borromeo Arciuescouo di Milano pagina mihi 806. columna 1. monentur Parochi, & Confessarij, vt neminem ab excommunicatione maiori absoluant sine speciali facultate ad id concessa. His positis sit.

CAPVT PRIMVM

Qui virgines rapuerint.

CAput hoc tribus quæstionibus cõcludemus. In prima quæremus de raptu in genere: ac quidem hęc duo potissimùm, quid videlicet ille sit; & quænam pœnæ sint latæ in raptores. In secunda quinam incidant in hunc casum reseruatum. In tertia quinam excusentur ab hac reseruatione.

QVÆSTIO PRIMA

De raptu.

VT clarior sit huius quæstionis intelligentia repetenda hoc locò à nobis sunt quædam tractatui de matrimonio communia, quid videlicet raptus sit, & quænam ad raptum requirantur.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo definiatur raptus.

1 *Generaliter acceptus raptus quomodò definiatur.*
2 *Propriè sumptus quomodo definiatur.*
3 *Quænam requirantur ad raptum strictè sumptum.*

1 DVpliciter sumi potest raptus. Primò latè, & generaliter. Secundò strictè, & propriè. Generaliter acceptus sumitur pro quacunquè violentia mulieri, seu alteri personę facta, etiamsi causa libidinis non adducatur, vt si ea raperetur, ne matrimonium cum inæquali contraheret, vel vt testamentum mutaret. Ita Chapeau. de casibus reseruatis cap.12. quæst.1. Gãbar. cap. 15. Belloch. par. 2. de casibus reseruatis quæst. 8. in explicatione casus duodecimi tabellæ maceratensis.

2 Propriè sumptus accipitur pro violentia, quæ personæ alicui inferatur, vel eius Curatoribus, illam per vim abducendo causa explendæ libidinis, vel matrimonij contrahendi. Vnde sic potest definiri, quòd sit violenta abductio mulieris de loco ad locum causa explendæ libidinis, vel matrimonij contrahendi. Ita DD. cit., quibus accedit Sanch. lib. 7. de matrimonio disput. 12. num. 3. Bonac. quæst. 4. de matrimon. pun. 18 num. 5. Agimus autem hoc loco de raptu propriè sumpto.

3 Ex qua definitione inferas primò, raptum, de quo nos loquimur tria dicere. Primo violentiam, quæ vel raptæ, vel Parentibus eius, vel Tutoribus inferatur: ad quam inferendam non necessarius est metus expressus, sed sufficit etiam implicitus, vt si mulieri obijcerentur viri armati ad illam

per vim abducendam, & cogendam, quoties renueret.

Secundò abductionem de loco ad locum.

Tertiò abductionem hanc debere fieri causa libidinis explendæ, vel matrimonij contrahendi. Nam si virginem aliquam quis abduceret, vt eam in seruitutem redigeret, non diceretur raptus, sed plagium: raptus enim propriè sumptus, vt ait Sanch. num. 17. est species luxuriæ, cuius specifica malitia in eo consistit, quòd homo affectu luxuriæ impulsus eò perueniat, vt quo libidinem expleat vim inferat fœminæ, aut ijs, sub quorum potestate, & cura est constituta.

Secundò inferas abductionem hanc debere esse de loco ad locum. Vnde si absquè hac abductione fœmina aliqua violenter cognosceretur, non iam esset raptus, sed copula vi extorta. Vt bene Manu. 1. tomo sum. cap. 232. nu 2. Vega 2. tom. sum. cap. 34. casu 157. notabili 2. Sanch. cit. num. 20. Emman. Sà in sum. v. matrimonium in principio num. 2. nequè qualemcunq; abductionem sufficere de loco ad locum, sed debere esse ad effectum abducendi, & non gratia commodioris coitus, vt clariùs patebit inferiùs.

DIFFICVLTAS II.

Quasnam conditiones exigat raptus ad hoc vt subiaceat pęnis iure antiquo latis.

4 *Recensentur pœnæ iure antiquo latæ in Raptores.*
5 *Conditiones requisitæ ad raptum subiectum pœnis iuris antiqui.*
6 *Vtrùm pœna excommunicationis iure antiquo lata in raptores sit lata sententiæ, an ferendæ.*
7 *Aliqui putant esse latæ sententiæ.*
8 *Sententia Authoris.*

4 ADuertendum lege vnica c. de raptu virginum, has omnes pœnas latas fuisse in raptores mulieris honestæ: pœnam videlicet mortis: & vt bona raptoris, ac eorum omnium, qui opem tulerint ad dominium raptæ transeant; ac demum pœnam excommunicationis, quæ afficit ipsum raptorem, ac omnes eius fautores, cap. si quis virginem 36. quæst. 2. ibi [si quis virginem, vel viduam (nisi desponsauerit) rapuerit, anathema sit.]

5 Ex quibus patet quatuor conditiones requiri ad raptum pœnis iuris antiqui subiectum.

Prima est, vt adsit violentia.

Secunda, vt sit traductio de loco ad locum.

Tertia, vt fiat causa libidinis.

Quarta, vt mulier rapta sit honestæ vitæ. Quod patet ex lege vnica cit. statim in principio c. de raptu virginum honestarum, vel quarumlibet viduarum, vbi Glossa v. virginum, dicit particulam illam, honestarum, determinare etiam sequentia, ita vt in quocunque casu, & in quacunquè muliere intelligatur, dummodò sit honesta. Vnde si quis meretricem raperet non incideret in pœnas huius legis, ex eo quòd ad illas incurrendas requiratur honestas in muliere. Quod tamen temperandum est primò, nisi meretrix illa resipuerit. Secundò, nisi illa esset coniugata: tunc enim illius marito iniuria irrogaretur. Tertiò, nisi meretrix haberet iustam causam contradicendi, puta si consanguinitatis, vel affinitatis vinculo esset coniuncta raptori. Ita DD. plures apud Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 12. num. 23.

6 Dubium

6 Dubium hoc loco maius est, vtrùm pœna excommunicationis, quã diximus capite illo, si quis virginem, citato esse latam in raptores, atq; eius fautores, sit latæ sententię, an ferendę.

7 Respondent aliqui esse latę sententiæ. Ita Martin de Magistris tract. de temperantia q. de raptu concl. 6. & alij. Et probari potest ijs verbis, anathema sit, quæ verba videntur importare Canonem latæ sententiæ.

8 Respondeo tamen verius esse, censuram hanc non esse latæ sententiæ, sed ferendæ proindeq; ad eam incurrendam desiderari sententiam, ex eo quòd dictio illa, anathema sit, sententiam ferendam importet, quoties nihil aliud addatur, quòd ad latã trahat, vt testatur Bald. c. at si Clerici num. 20. de iudicijs. Et ita in terminis docent Caiet. 2. 2. quæst. 154. artic. 7. in solutione ad tertium dubium, qui verba illa capituli, si quis virginem, anathema sit, explicat, idest anathema fiat. Eo modo, quo Glossa cap. 2. de foro competenti, vbi in fine cum textus dicat, sit sequestratus, explicat per sententiam. Veracruz appendice ad Speculum vbi de raptu fol. 83. §. sed tamen fatuè. Petrus de Ledes. de matrim. quæst. 50 art. vnico d. 2. Sanch. loco sup. cit. num. 2.

DIFFICVLTAS III.

Quænam conditiones requirantur ad hoc vt raptus subiaceat pœnis Tridentini.

9 *Pœnæ latæ à Concilio Tridentino contra raptores.*

10 *Excommunicatio lata à Concilio Tridentino contra raptores est latæ sententiæ.*

Vtrùm ea sit Papæ reseruata. ibidem.

11 *Cæteræ pœnæ in decreto Tridentini contentæ, vt perpetua infamia, pęna depositionis proprij gradus, & aliæ sententiam iudicis requirunt.*

12 *Vtrùm hoc idem sit dicendum de pœna incapacitatis dignitatum.*

Aliqui negant, ibidem.

13 *Author affirmat.*

14 *Recensentur conditiones requisitæ ad hoc vt raptus subiaceat pœnis Tridentini.*

9 ADuertendum Concilium Tridentinum sess. 24. de matrim. cap. 6. aliquot pœnas raptoribus statuisse: videlicet vt quandiu rapta manserit in potestate raptoris non possit inter illos consistere matrimonium, & contractum ipso iure sit nullum. Deinde vt raptores, consilium item, auxilium, aut fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, perpetuò infames, omnium dignitatum incapaces: ac si Clerici sint de proprio gradu decidant. Demum verò, vt raptor teneatur raptam decenter arbitrio iudicis dotare, siue illam duxerit, siue non.

10 Aduertendum 2. pœnam excommunicationis esse latæ sententiæ, proindequè nullum Iudicis actum desiderari. Quod constat ex verbis ijs Trindentini [sint ipso iure excommunicati] particula autem, ipso iure, denotat sententiam latam. Ita Veracruz appendice ad Speculum vbi de raptu fol. 83. §. relicta ergo, & fol. 81. §. hic considerandum, Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 13. num. 1. ac demum DD. omnes. Vtrùm verò excommunicatio hæc sit Papæ reseruata. Respondet affirmatiuè Manuel. 1. tom. sum. cap. 23. num. 7. Verùm contraria sententia est omnino sustinenda, proindequè asserendum illam non esse reseruatam, cùm

cùm Tridentinum nullam omnino huius reseruationis mentionem faciat.

11 Aduertendum 3. cœteras pœnas in eo decreto contentas requirere sententiam Iudicis. Sic raptor non tenetur ad raptam dotandam, nisi post sententiam Iudicis. Quòd clarè constat cùm Tridentinum dicat, teneri arbitrio Iudicis decenter dotare. Et ita sentit Veracruz cit. fol. 84. Henriq. lib. 11. de Matrim. cap. 14. num. 5. quo loco addit arbitrium hoc Iudicis futurum attenta qualitate raptoris, & raptæ. Et meritò, quia cùm sit pœna iniuriæ illatæ, & hæc sit maior, vel minor attenta cōditione raptoris & raptæ: porro hęc ad huiusmodi arbitrium est attendenda. Hęc tamen vera sunt, spectato solo decreto Tridentini: nam si ex raptu aliquod damnum sequeretur raptæ, porro illud ante omnem sententiam esset resarciendum.

Sic etiam perpetua infamia sententiam Iudicis postulat, vt benè cum Nauar. sentit Sanch. cit. Quod idem dicendum de pœna depositionis proprij gradus: hoc enim clarè significat verbum illud, decidant, quod non importat ipso facto clericum raptorem esse deiectum à proprio gradu, sed deijciendum. Quidquid in contrarium sentiat Bonac. quæst. 4. de Matrimon. pun. 18. num. 10.

12 Maior difficultas est de pœna incapacitatis dignitatum, vtrùm videlicet ea incurratur absq; vlla alia Iudicis sententia. Respondet affirmatiuè Bonac. citatus, dicendo eam ipso facto incurri. Cuius ratio esse potest, quia hæc pœna est priuatiua: pœnæ autem priuatiuæ incurruntur absq; vlla alia Iudicis sententia. Vt habet Caiet. 2. 2. quæst. 62. art. 3. Sic enim pęna, quam incurrit coniux habēdo copulam cum consanguinea alterius coniugis, vt videlicet priuetur potestate petendi debitum, est pœna priuatiua, eamquè incurri absq; vlla alia Iudicis sententia condemnante, aut crimen declarante tanquam certissimum est tenendum: licèt hoc controuersum reliquerit Simanchas de institutione catholica tit. 9. num. 202. dicens incertum esse, an incestuosus cum consanguineis vxoris incidat statim in foro conscientiæ in hanc pœnam.

13 Respondeo tamen ad pœnam hanc incurrendam opus esse sententia Iudicis. Et hoc ob huius pœnæ maximam acerbitatem. Ita Naua. in extrauagante Gregorij XIII. de datis pro iustitia, vel gratia, notabili 31. nu. 44. Mol. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 96 §. quòd attinet ad pœnam.

Sic licèt inhabilitas ad suffragium ferendum sit pœna priuatiua, ad eam tamen incurrendam necessariam esse sententiam Iudicis docet Sot. lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 6. ad 4. & lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad finem.

Sic pœna, qua quis condemnatur vt fame moriatur, videtur priuatiua, cùm ad illius executionem nulla sit necessaria actio, sed sola negatio comestionis: & tamen ad illam necessaria est Iudicis sententia. Tum quia hoc colligi potest ex ipso decreto Tridentini, quo loco pęna incapacitatis dignitatum immediatè posita est post pœnam infamiæ: infamia autem non incurritur nisi post Iudicis sententiam. Vnde patet peculiare hoc esse in coniuge incestuosam in affinitatem, aut cognationem contrahente, vt videlicet absquè vlla alia Iudicis sententia priuetur potestate petendi debitū. His præmissis.

14 Ad difficultatem propositam respondeo, ad hoc vt raptus subiaceat pœnis Tridentini tres conditiones requiri.

Prima,

Prima, vt adsit violentia.

Secunda, vt sit traductio de loco ad locum.

Tertia, vt fiat causa incundi matrimonium. Vnde si altera ex his conditionibus desit, neque inducitur impedimentum dirimens, neq; incurritur pœna Tridentini. Sed quoniam circa has conditiones, peculiares consurgunt difficultates, ideo sit.

DIFFICVLTAS IV.

Titius libidinis causa rapit virginem, & cum illa adhuc in sua potestate existente matrimonium contraxit. Quæritur an tale matrimonium fuerit validum.

15 *Refertur sententia negans.*
16 *Sententia Authoris affirmat.*
17 *Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ.*
18 *Qualis raptus sit qui Tridentini decreto punitur, & quale discrimen intercedat inter hunc & illum qui iure antiquo prohibitus est.*
19 *Ad incurrendas pœnas Tridentini latas contra raptores nō requiritur vt raptus sit coniunctus cum copula. Vtrùm hæc requiratur ad incurrendas pœnas antiquorum Canonum. Referuntur variæ sententiæ. Author respondet remissiuè. ibidem.*

15 RESpondent aliqui non esse validum, existimantes raptum inducere impedimentū dirimens quandiu rapta manet in potestate raptoris, siue abducta fuerit causa explendæ libidinis, siue contrahendi matrimoniū. Fundamentum illorum est, quia iure antiquo sub pœnis comprehendebatur raptus fœminæ etiam causa explendi libidinem. Tridentinum autem videtur innouasse pœnas antiquorum Canonum, quia intendit consulere libertati matrimonij, quæ impeditur quacunq; intentione fœmina rapiatur. Tū quia Tridentinum punit raptorem & fautores, si Clerici fuerint, ea pœna, vt à proprio gradu decidant, ac supponit raptorem aliquando futurum Clericū, qui tamen si in Sacris sit constitutus nō potest rapere ad finem contrahendi matrimonium, cùm illud contrahere possibile non sit. Tum quia Tridentinum punit raptorem, siue ducat in matrimoniū raptam, siue non verba Concilij sunt hæc: *teneatur præterea raptor mulierē raptā, siue eam in vxorē duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio* iudicis dotare: quæ verba sub alternatiua posita exigūt, quod siue raptus fiat intuitu matrimonij, siue non, rapta de bonis raptoris sit dotanda: quoties autem matrimonium non sequatur præsumēdum est, raptum fuisse perpetratum ad libidinem explendam, & non ad matrimonium contrahendum. Cuius sententiæ sunt Emman. Sa in sum. verb. matrim. in principio num. 9. dicens sic declarasse Congregationem Cardinalium. Vela de pœnis delictorum cap. 29. §. Sed ego indistinctè, Bonac. quęst. 4. de matrim. pun. 17. nu. 2. eandemq; videtur sustinere Veracruz appendice ad Speculum, vbi de raptu fol. 81. §. hic considerandum, vbi dicit decretum hoc esse intelligendum de omni raptore. Paulus de Leone in sua praxi ad literas Maioris Pœnit. par. 2. pag. 221.

16 His tamen non obstantibus respondeo tale matrimonium fuisse validum, ex eo quòd putem raptum tunc tantùm inducere impedimentum dirimens, quando puella rapitur ad finem contrahendi cum illa matrimonium: atqui

atqui Titius, vt supponitur in casu, illam non rapuit ad finem matrimonij, sed causa explendæ libidinis. Ergo nullum huiusmodi impedimentum cõtraxit; ergo non comprehenditur in decreto Tridentini. Maior probatur, quia decretum Tridentini est strictè interpætandum, cùm sit correctorium capitis finalis, de raptoribus. Tum quia hoc colligitur ex principio illius capitis sexti; ibi enim Tridentinum statim incipit verba facere de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam, vt proinde hoc sit optimum indicium, quod de eo solo raptu ibi agatur, qui causa matrimonij admittitur. Tum quia decretum hoc ponitur sub rubrica de reformatione matrimonij, ad quod videtur extra propositum tractare de raptu facto causa explendi libidinem. Et ita sententiam hanc sustinent Manuel. 1. tom. sum. cap. 213. num 7. Vega 2. tom. sum. cap. 34. casu 157. notab. 1. Reg'n. lib. 31. num. 164. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 13. nu. 4. Eandemq; probabilem putat Coninc. disp. 31. dub. 4. num. 48.

17 Ad fundamenta verò contrariæ sententiæ respondetur, mentem Tridentini non fuisse innouare pœnas antiquorum Canonum, sed tãtùm imponere pœnas offendentibus libertatem matrimonij per raptum; proindequè mentem illius fuisse consulere libertati matrimonij, cui directè solùm opponitur raptus fœminæ ad finem ineundi matrimonium. Neq; obstat, quòd Concilium ibi comprehendat etiam Clericos: nam etiam in minoribus constituti Clerici sunt, & tamen possunt rapere fœminam ad finem cõtrahendi matrimonium: quòd si in Sacris sint constituti, adhuc possunt rapere fęminam causa ineundi matrimonium de facto, licèt non de iure; vnde etiam Clericus meritò potuit sub his pęnis comprehendi. Neque præsumi potest Concilium Tridentinum comprehendere voluisse raptum commissum causa explendæ libidinis, ex eo quod raptori imponat pęnam dotandi raptam, siue matrimonium sequatur, siue non; vt enim raptum omnem intuitu matrimonij factum puniret, eum etiam comprehẽdere voluit, ad quem matrimonium ipsum non sequatur; vel causa indignationis Parentum, odijq; implacabilis inde secuti; vel puellæ ipsius cõtradicentia; vel demum, quod nonnunquam euenit, quia satiata libido odium, & nauseam pariat.

Ad declarationem Cardinalium, quę pro contraria sententia refertur, respondeo aliam Cardinalium Congregationem pro nostra sententia adduci à Marzilla, quem citat, & sequitur Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 261.

18 Ex quibus patet 1. in hoc decreto non puniri raptum, qui est species luxuriæ; raptus enim, qui est species luxuriæ, ille dicitur, qui fit causa explendæ libidinis. Vnde hoc inter cętera inest discrimen inter raptum, qui iure antiquo, & raptum qui iure nouo punitur: ille enim debet esse causa explendæ libidinis; hic verò causa ineundi matrimonij. Et sic ille duplicem includit malitiam, alteram castitati oppositam, quæ in eo consistit, quòd homo affectu luxuriæ impulsus eò perueniat, vt quo libidinem expleat vim inferat fœminæ, aut ijs sub quorũ potestate est constituta: alteram oppositam iustitiæ ratione violentiæ, quam importat: Et sic est duplex species, sicut adulterium, incestus, & sacrilegium duas species diuersis virtutibus aduersas continens: hic verò includit solam malitiam violentiæ oppositam virtuti iustitiæ. Nisi dicamus nouam

addi

addi malitiam per animum sic contrahendi cum rapta: verùm non semper reperitur, cùm eam consentientem, quis rapere possit inuitis parentibus, in quo casu adest raptus, nec tamen incurritur impedimentum dirimens, vt patebit in difficultate sequenti.

19 Secundò, raptum subijci pœnis Tridentini, siue sequatur copula, siue non. Et ratio est, quia Concilium non habuit rationem copulę, sed matrimonij ineundi. Ita Sanch. cit. num. 8. Regin. lib. 31. nu. 165. & alij communiter. Vtrùm verò ad incurrendas pœnas antiquorum Canonum requiratur copula, variant Doctores apud Sanch disp. 12. num. 18. Aliqui enim affirmant. Quod colligunt ex lege vnica C. de raptu virginũ, paulo post principium, ibi (cùm virginitas vel castitas corrupta restitui non possit.) Tum quia pœnæ illius legis eò tẽdunt, vt copula vitetur. Alij verò contrarium sustinent asserentes non desiderari copulam. Demũ verò Sanch. communi illa Doctorum distinctione sic respondet. Vel enim raptor à copula abstinuit pœnitentia ductus, quamuis posset illam habere: Et tunc putat illum non esse puniendũ pœnis ordinarijs raptorum. Vel a copula abstinuit, quia ad illam peruenire non potuerit: Et tunc putat nihil esse remittendum de pœna ordinaria, quia per illum nõ stetit; quominus copulam haberet. Quod limitant aliqui: nisi fortè mulier rapta sit Monialis; tunc enim raptor pœna ordinaria erit puniendus quacunque ex causa non sit subsecuta copula. Verùm quid nobis sit dicendum patebit inferius.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm ad incurrendas pœnas Tridentini, & ad hoc vt raptus sit impedimentum dirimens satis sit si violentia inferatur Parentibus, vel Tutoribus.

20 *Committitur verus raptus si puella etiam consentiens abducatur inuitis tamen Parentibus. Quid si abducatur Parentibus ignorantibus.*

21 *Abductio puellæ consentientis Parentibus ignorantibus facta dato etiam quòd raptus foret, non tamen raptus iste esset subiectus pœnis Tridentini.*

22 *Difficultati propositæ respondent aliqui affirmatiuè.*

23 *Sententia Authoris est tunc tantùm pœnis Tridentini subijci raptum, quando vis infertur puellæ.*

24 *Ad incurrendas pœnas antiquorum Canonum sufficit violentia Parentibus puellæ illata.*

25 *Validum est Matrimonium celebratum cum puella, quam quis consentientem quidem, sed repugnantibus Parentibus rapuit.*

26 *Si puellam inuitam quis rapiat, etiam de consensu Parentum, incurrit pœnas Tridentini.*

20 Certum hoc loco suppono primò, esse propriè raptũ, quando puella sub Parentum custodia constituta ex eorum domo ipsis inuitis abducitur, quamuis ipsa consentiat. Patet hoc ex dictis à nobis in prima difficultate. Ratio verò est, quia iniuria maxima irrogatur Parẽtibus, quam puella ipsa non potest remittere, licèt consentiat abductioni. Vnde ad hoc valet; quod in simili notat Glossa cap. contingit 1. de sententia excommunicationis, versiculo, iniuriosa, videlicet, licèt Clericus consentiat, vt in ipsum manus inijciantur, non tamen liberari inijcientem ab excommunicatione, ex

eò quòd Clericus possit quidem iniuriæ præbere assensum, quatenus propriæ personæ est offensa, non tamen quatenus est iniuria status clericalis. Addunt aliqui, adhuc dici raptum, quando Parētibus ignorantibus virgo consentiens, & sub illorum cura existens abducitur, quorum ratio est, quia licèt tunc non interueniat ipsorum contradictio positiua, adest tamen voluntatis ipsorum defectus, qui nolitio appellatur, quod satis est, vt de iniuria sibi ipsis illata iustam querelam concipiant. Idemq; putant quando puella sub Tutorum, aut Mariti potestate, vel Fratrum custodia constituta ex eorum domo absq; ipsorum voluntate consentiens abducitur. Sed de hoc patebit inferius in quæst. 3. num. 66.

21 Suppono 2. tanquam certum dato etiam quòd raptus dicatur si virgo consentiens ignorantibus Parentibus abducatur, tamen raptum hunc non esse subiectum pœnis Tridentini, ex eo quòd non sit propriè raptus, cùm ad rationem raptus requiratur violentia: & si fœmina sub nullius potestate sit, eaquè consentiens abducatur, non raptus sit, sed fuga voluntaria. Ita Veracruz appendice ad Speculum, vbi de raptu fol. 81. §. verum animaduersione, Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 14. n. 5. Emman. Sà in sum. v. matrim. num. 9. In præsenti autem difficultate quærimus, vtrùm si puella consentiens Parentibus inuitis, & contradicentibus rapiatur, raptus iste sit subiectus pęnis Tridentini.

22 Respondent aliqui affirmatiuè ea nixi ratione, quia abductio hæc est propriè raptus. Ergo si fiat causa matrimonij, illico inducet impedimentū dirimens, & cęteræ etiam pœnæ Tridentini incurrentur. Et huius sententiæ sunt Henriq. cit. num. 4. Emman. Sà loco cit. Vega 2. tom. sum. cap. 34. casu 157. notabili 1. Manuel. 1. tomo sum. cap. 232. num. 1. Idemquè videtur docere Toletus lib. 7. sum cap. 13. num. 2. in fine, vbi explicans hoc decretum Tridentini, ait esse illi locum, cùm fęmina e domo Parentum, vel eorum, quorum curæ subest ipsis inuitis abducitur.

23 His tamen non obstantibus respondeo tunc solum pęnis Tridentini raptum subijci, quando vis infertur ipsi fęminæ: vnde si quispiam fęminam aliquam consentientem inuitis etiam Parentibus abducat, licèt raptor dicatur, non tamen afficitur pęnis Tridentini. Et ratio est, quia Tridentinum voluit solùm fauere libertati matrimonij, ne scilicet rapta minùs liberè consentiret: ad hoc autem impertinēs est consensus Parentum. Cuius rei optimum argumentum petitur ex eodem Tridentino, quia vt benè ponderat Less. citandus, Concilium decernit, vt matrimonium semper sit validum quoties puella suæ libertati fuerit restituta, nec requirit consensum Parentum; ergo signum est Concilium Tridentinum de eò tantùm raptu loqui, qui fit puella dissentiente. Ita Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 13. num. 13. Coninc. disp. 27. num. 48. Less. lib. 4. cap. 3. num. 70. Regin. lib. 31. num. 165. Philiar. tom. 1. tract. 10. par. 2. cap. 8. num. 265. & alij apud ipsos.

24 Ex quibus inferas tria. Primùm est ad incurrendas pęnas antiquorum Canonum satis quidem esse, si fęmina inuitis Parentibus rapiatur. Secùs verò ad incurrendas pœnas Tridentini, quia Tridentinū respexit tantùm consensum fęminæ, ex eo quòd libertati matrimonij intenderet fauere.

25 Alterum est, validum esse matrimonium contractum cùm puella, quam

quam quis consentientem, sed repugnantibus Parentibus rapuit: raptus enim qui impedimentimum dirimens inducit est ille, qui committitur cum puella dissentiente.

26 Tertium est, si quis rapiat feminam inuitam etiam de consensu Parentum incurrere penas Tridentini, & oriri impedimentum dirimens, quia Tridentinum habuit solùm rationem consensus feminæ. Vt benè Sanch. cit.

DIFFICVLTAS VI.

Qualis violentia requiratur ad incurrendas pœnas Tridentini.

27 *Requiritur violentia grauis ipsi fœminæ illata, & quidem in principio abductionis.*

28 *Non committitur raptus si fœmina per dolum abducatur sine vlla violentia: idemq; est si illam dormientem cognoscat carnaliter; circumstantia tamen hæc esset confitenda.*

29 *Ad incurrendas pœnas antiquorum Canonum sufficit si per dolum mulier circumuenta abducatur.*

30 *Preces importunæ non sufficiunt ad raptum.*

27 RESpondeo requiri violentiam grauem ipsi feminæ illatam: non tamen desiderari expresse, vt violentia inferatur, sed sufficere metum violentiæ: vt si puella inspiciat homines armatos ad eam renitentem cogendam. Vt benè Sanch. lib. 7. disp. 12. nu. 5. quo loco aduertit requiri, vt violentia adfuerit initio. Vnde si femina initio consentiens abducatur, sed postea abducta resistat copulæ, tunc non est raptus, sed copula vi extorta; cũ enim raptus abductionem violentam desideret, vbi hęc desit non est raptus. Vt benè Sanch. cit. num. 7. E contra verò si fœmina initio resistat abductioni, & postmodùm consentiat copulæ, esse raptum. Ita Sanch. cit. & disp. 13. nu. 9.

Potior difficultas est, vtrùm ad incurrendas pęnas Tridentini sufficiat si femina dolo, vel precibus importunis abducatur.

28 Respondeo 1. si femina per dolum abducatur sine vlla violentia, non esse raptum, nequè incurri pęnas Tridentini. Et ratio est, quia licèt dolus repugnet libertati matrimonij, nullam tamen continet violentiam. Quare si quis falsis promissionibus pecuniæ, fauoris, munerum abduceret feminam consentientem, non incurreret in pęnas Tridentini, neq; consurgeret impedimentum dirimens. Pariter si quis fraudibus copulam extorqueret, vel rem haberet cum femina dormiente, aut putante esse virum suum, non diceretur raptor: licèt enim fraus, & ignorantia auferant voluntarium, nullam tamen inferunt violentiam, quæ ad raptum est necessaria: sicuti non est rapina auferre rem à Domino ignorante, aut dolis circumuento. Verum tamen est, quòd circumstantia illa esset confitenda, quia verè diceretur irrogasse iniuriam feminæ, illam præter voluntatem carnaliter cognoscendo: vnde duplex adesset malitia: altera opposita virtuti castitatis: altera verò opposita virtuti iustitiæ, & sic copula ea reduceretur ad raptum. Sicuti copulam habitam cum cognata legali existimat Martinus de Magistris tract. de temperantia quæst. 9. conclu. 7. continere circumstantiam necessariò explicandam, & ad incestum reduci. Pariterque eandem circumstantiam contineri in accessu ad consanguineam in primo gradu propriæ sponsæ de futuro

contra impedimentum publicæ honestatis dirimens in eo gradu matrimonium, sustinet Petrus de Ledes. de matrim. quęst. 55. art. 4 in dubio, quod mouet circa solutionem ad secundum §. nihilominus tamen: cùm tamen copula hæc non sit propriè incestus, vt potè qui in sola copula cum consanguineis, vel affinibus reperiatur.

29 Verùm tamen est, quod ad incurrendas pęnas antiquorum Canonū satis est, si per dolum mulier circumuentà abducatur. Et hoc ideo est, quia in dicta lege vnica c. de raptu virginum, habetur etiam mentio de dolo, ijs verbis (nisi dolosis artibus circumuenerit.) Vbi textus dum decidit raptorem fęminæ consentientis esse puniendum pœnis ibi statutis, eam reddit rationem; quià consensus ille præsumitur extortus dolosis artibus; ergo quoties constabit adesse dolum, incurrentur hæ pęnæ.

30 Respondeo 2. neq; preces importunas sufficere ad raptum, proindeq; si puellam aliquam quis precibus importunis abducat, non incidere in pęnas latas contra raptores. Et ratio est; quià ad raptum requiritur violentia, quàm non includunt preces importunæ. Et hóc verum est, etiamsi metui reuerentiali cõiunctæ sint: adhuc enim non videntur tantam vim habere, vt constantem virum meritò mouere debeant. Et hanc sententiam docet Abbas cap. Cùm inter, num. 8. de elect. vbi ait preces instantissimas Principum non inducere iustum motum ad rescindendum actum, nisi sæuire soleant in sibi non obtemperantes. Eandemquè tenentur sustinere ij omnes, qui expressè docent, preces importunas metui reuerentiali coniunctas non annullare matrimonium. Vt Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 9 num. 5. Ludou Lopez 2. par. instruct. de matrim. ca. 40. fol. 1072. §. adde tamen, & alij. Quidquid in contrarium sentiat Sanch. lib. 7. disp. 12. num. 10. quo loco habet preces importunas æquiparari violentiæ quando aliæ circumstantiæ cum illis concurrunt, vt maximus reuerentiæ timor, ita vt persona sic instanti non audeat puella contradicere.

DIFFICVLTAS VII.

Qualis abductio de loco ad locum requiratur ad raptum.

31 *Requiritur traductio fœmina de loco ad locum ad finem illam adducendi.*

32 *Quid si fœmina de loco ad locum abducatur quidem, sed tamen non possit perduci ad locum destinatum ob impedimentum occurrens.*

31 Respondeo requiri traductionem fœminæ de loco ad locum ad finem illam abducendi. Vnde si gratia commodioris vsus, & coitus rapiatur puella de vna camera in aliā, non est raptus, ex eo quòd id non fiat ad effectum abducendi. Idemquè dicendum, si à via publica seorsum adducatur, & trahatur in aliquem vicinum locum secretum, quia id fit gratia commodè coeundi: is etenim actus occultum locum petit. Pariter si fœmina in agro reperta per aliquot passus abducatur, vt carnaliter cognoscatur: vel si de via in campum gratia commodioris vsus trahatur, vt secretò violetur, quoniam id totum fit ad cõmodiùs coeundum, actus iste non est raptus, sed stuprum, vel copula per vim extorta. Quæ omnia docet Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 12. num. 21. Molin. disp. 105. num. 3. quo loco notat, si quis puellam aliquam ex agro abduceret

ceret in aliquam domum extra eum agrum, abductionem hanc esse raptum. Ego verò contrarium existimo esse verius, quoties domus sit vicina,& abductio fiat ad cômodiùs coeundum.

32 Hoc tamen monuerim cum Sanch. cit. committi crimen raptus quandocunq; fęmina per vim de loco ad locum abducitur,etiamsi non possit perduci ad locum destinatum, vel quia pœnitet, vel quia occurrit aliquod impedimentum. Et ratio est, quia intercedit vera de loco ad locum abductio, & animo abducendi facta.

DIFFICVLTAS VIII.

An si fęmina rapiat virum,& cum illo contrahat matrimonium incidat in pœnas Tridentini.

33 *Responsio est negatiua.*
34 *An valida sint sponsalia contracta inter raptorem, & raptam antequā hæc loco tuto restituatur.*
Referuntur fundamenta satis bona pro sententia affirmante, ibidem.
35 *Sententia Authoris negat.*
36 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ.*

33 Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia decretum Tridentini facit tantùm mētionem de viro raptore. Vt patet ex ijs verbis [quandiu ipsa in potestate raptoris manserit.] Et statim, [quòd si raptor.] Et postea pęnas decernens ait, [& nihilominùs ipse raptor.] Vt proindè cùm decretum hoc sit pęnale, non sit extendendum ad fęminam viri raptricem. Tum quia ob eandem rationem multi sentiunt, viricidium non esse impedimentum impediens matrimonium; ex eo quòd iura meminerint tantùm occisionis vxoris, seu vxoricidij, & illud delictum sit rarum,hoc verò vsu frequens, quam sententiam Authoribus relatis secuti sumus in tractatu de matrimonio. Demùm verò, quia leges non adaptantur ijs, quæ rarissime contingunt, sed ea sola comprehendunt,quæ frequenter accidunt. leg. nam ad ea ff. de leg. Atqui rarissimum, & vix vnquā auditum, virum à fęmina rapi. Ita Veracruz append. ad Speculum, vbi de raptu fol. 84.§. respondetur quod,Sanchez lib. 7. de matrim. disp.13. nu.16. qui disp. 12. num. 24. hoc idem asserit loquendo de pęnis iure antiquo latis, videlicet ijs non subijci fęminas virorum raptrices. Quidquid in contrarium sentiat Henriq.lib.11.de matrim. cap.14.num.4.Manuel 1.tom.sum.cap. 232.num.4. Vega 2. tomo sum.cap.34. casu 157. notabili 5.

34 Quæret hoc loco aliquis,vtrùm sicuti Tridentinum irritat matrimonium inter raptorem, & raptam antequam constituatur in loco tuto, ita etiam dirimat sponsalia. Sententia enim affirmans talia sponsalia esse valida videtur inde suaderi, quia decretum illud Tridentini est pęnale,& correctorium iuris communis, vt proindè cùm de solo matrimonio loquatur, nō videatur ad sponsalia extendendum, reg. quæ à iure,de regulis iuris in 6.Sic Tridentinum sess.24 de matrim.cap.1. irritat matrimonium clādestinum,nec tamen decretum illud extenditur ad sponsalia clandestina, cùm hæc etiam clam contracta valida esse sustinuerimus in tractatu de matrimonio.

Sic etiam pęnam appositam contrahentibus matrimonium in gradibus prohibitis, contentam in Clementina vnica de consanguinitate, non ligare sola sponsalia celebrantes., eo quòd in

odiosis nomine matrimonij non veniant sponsalia, docet noster Bonac. disp.2. de censuris extra Bullam Cœnæ quæst.2. pun.7. num.13. & alij.

35 His tamen non obstantibus respondeo talia sponsalia esse nulla. Et ratio est, quia eadem est ratio de sponsalibus, ac de matrimonio: illa enim non minùs requirunt liberum consensum sponsæ, quam requirat matrimonium. Nec sufficienter Concilium prouidisset malo euitando, quod ea definitione intendebat vitare, si non eodem modo inualida reddidisset sponsalia sic celebrata, quæ sunt via ad matrimonium. Quare ergo, licèt Concilium de solo matrimonio locutum sit, tamẽ per epicheiam existimare debemus idem etiam de spõsalibus eodem tempore celebratis decreuisse. Ita Nauar. lib. 5. consiliorum tit. de raptoribus consil.5. num.vltimo. Manuel 1.tom. sum.cap.232. num.2. Vega 2.tom.sum. cap. 34. casu 157. notabili 3. Molina disp. 105. num. 22. quo loco addit sic declarasse Congregationem Cardinalium Romæ deputatorum ad respondendum dubijs circa definitiones Concilij Tridentini.

36 Ad rationes in contrarium respondetur legem pœnalem, & correctoriam extendi debere quoties militat eadem ratio, vt proinde quando militat eadem ratio, quod in vno dispositum est, censeatur etiam dispositum in alio: hoc autem in nostro casu contingere; Tridentinum enim irritauit tale matrimonium, vt plenæ illius libertati consuleret, quæ non omnino plena est dum rapta manet in potestate raptoris. Quæ ratio etiam in sponsalibus militat, ad quæ iura quoque plenam libertatem requirunt. Atquè hinc esse, vt licèt Tridentinum decreuerit irritum esse matrimonium clandestinum, non tamen irrita sint sponsalia clandestina, quia videlicet non militat eadem ratio prohibendi: matrimonium enim clandestinum fuit prohibitum ad vitandum concubinatum, quia plures primo matrimonio clam contracto spreto aliud inibant, quòd verè concubinatus erat: quod non habet locum in sponsalibus, cùm matrimonium contractum prioribus sponsalibus contemptis sit validum.

DIFFICVLTAS IX.

An ad incurrendas pœnas Tridentini requiratur, vt fœmina sit honestæ vitæ.

37 *Responsio est negatiua.*

38 *An Tridentinum puniat eum tantùm raptum, quando inter raptorem, & raptam potest consistere matrimoniũ.*

37 Respondeo negatiuè, sed comprehendi quemcunque raptum, cuiuscunquè fœminæ sit, siue virginis, siue corruptæ, siue coniugatæ, siue solutæ, siue meretricis & inhonestæ: ac demum cuiuscunquè status sit. Et ratio est, quia Tridentinum ideo punit raptum, quia obstat libertati matrimonij, hæc autem non minus offenditur, quando ad finem contrahendi matrimonium rapitur mulier inhonesta, quàm quando rapitur virgo. Ita Veracruz append. ad Speculum vbi de raptu. fol. 81. §. hic considerandum. Sanch. lib.7. de matrim.disp.13.nu.14.

38 Addunt hoc loco aliqui raptorem non subijci his pœnis, quando inter raptorem, & raptam adest aliquod impedimentum, vi cuius non possit subsistere matrimonium inter illos cõtractum, vt si rapta esset coniugata,

con-

consanguinea, vel aliud simile impedimentum adesset, siue ex parte raptoris, siue ex parte raptæ: & hoc colligi potest ex ijs verbis Tridentini [quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit eam raptor in vxorem habeat] quibus verbis Tridentinum videtur supponere raptorem, & raptam tales esse, vt inter eos possit verum matrimonium consistere. Atq; hoc videtur innuere Manuel 1. tom. sum. cap. 232. num. 1. quo loco explicans hoc decretum ait, si quis non rapiat sponsam alienam (intellige de præsenti) sed viduam, sed solutam, statuere Tridentinum, vt raptor incurrat pœnas.

Verum contrarium in nostra sententia est sustinendum, videlicet puniri quemcunq; raptum factum in ordine ad matrimonium, siue inter raptorem, & raptam possit subsistere matrimonium, siue non: quia licèt non semper possit subsistere de iure, potest tamen subsistere de facto, vt diximus de Clerico Sacris initiato.

DIFFICVLTAS X.

An raptor propriæ sponsæ de futuro subijciatur pœnis Tridentini.

39 *Si quispiam rapiat propriam sponsam de futuro, sed consentientem, licet eam rapiat reclamantibus Parentibus non afficitur pœnis iuris ciuilis.*

40 *Nec item afficitur pœnis Concilij Tridentini.*

41 *Responsio est affirmatiua.*

42 *Quid si quis rapiat sponsam de præsenti, sed intra bimestre concessum ad deliberandum pro ingressu in Religionem.*

39 Certum hoc loco suppono 1. Si quispiam sponsam de futuro consentientem rapiat, licèt illam rapiat reclamatibus Parentibus, hunc non subijci pœnis iuris ciuilis, cùm in hoc per ius canonicum corrigatur, vt patet ex cap. penultimo de raptoribus, ijs verbis [cùm ibi raptus dicatur admitti vbi nil ante de nuptijs agitur, iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam despõsauerit, quàm cognouerit, licèt Parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.] Quem textum esse intelligendum, etiam quando sola sponsalia præcesserunt, patet ijs verbis, [vbi nil ante de nuptijs agitur:] quando enim sponsalia præcesserunt, iam verum est de nuptijs aliquid actum esse. Ita DD. plures apud Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 12. num. 15.

40 Suppono 2. eum qui rapit sponsam de futuro consentientem, licèt illam rapiat reclamantibus Parentibus non subijci pœnis Tridentini. Et hoc patet ex dictis à nobis in difficultate 5. superiore, quo loco diximus eum tantùm raptum sub decreto Tridentini comprehendi, in quo vis infertur ipsi puellæ. Præsens ergo difficultas in eo est, vtrùm si quispiam rapiat propriam sponsam de futuro repugnantem, & contradicentem, subijciatur pœnis Tridentini.

41 Respondeo affirmatiuè cum Rebel. 2. par. lib. 3. quæst. 11. num. 5. Sanch. lib. 7. de matrim disp. 13. nu. 15. Et ratio est, quia etiam in hoc militat ratio Tridentini cùm impediatur libertas matrimonij, nec sponsa possit per vim cogi ad matrimonium. Vnde in horum DD. sententia raptus iste est impedimentum dirimens, & sic inualidum est matrimonium contractum cum sponsa, quæ per vim fuit abducta

post sponsalia liberè celebrata. Vt benè Bonac. quæst. 4. de matrim. pun. 17. num 11. licèt contrarium sentiat Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 14. nu. 5. quo loco asserit siue sponsa de futuro volens abducatur, siue nolens, raptum hunc non subijci pœnis Tridentini.

42 Dices quid si quis raperet propriam sponsam de præsenti, quando videlicet post matrimoniũ ratum vellet vti bimestri ad deliberandum de ingressu Religionis, incurreret ne pœnas Tridentini.

Respondeo solutionem huius dubij patere ex dictis in difficultate 4. quo loco diximus, ad hoc vt raptus subijciatur pœnis Tridentini, requiri vt sit factus ad finem matrimonij: hic autem deesset talis finis, quia matrimonium iam esset liberè celebratum. Nequè obstaret, quod tale matrimonium per copulam illam redderetur indissolubile, cùm in tractatu de matrimonio diximus per copulam hanc intra bimestre extortam matrimonium consummari, ex eo quòd per illam coniuges fiant vna caro, fiat sanguinis commixtio, & contrahatur affinitas: non inquam hoc obstaret, quia Tridentinum non respexit consensum in copulam, sed in matrimonium.

DIFFICVLTAS XI.

An auxilium, & opem ferentes ad raptum afficiantur ea pœna Tridentini, vt non possint contrahere cum rapta.

43 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*

44 *Opem ferens ad raptum validè contrahit cum rapta.*

45 *Si Titius rapiat puellam ad finem matrimonij cum Caio contrahendi, qui tamẽ nullo modo in raptum influxerit, neuter afficitur pœnis Tridentini.*

46 *Si idem Titius rapiat puellam ad instantiam Cai intendentis cum illa matrimonium contrahere, inter raptam & Caium consurgit impedimentum dirimens: non sic verò inter raptam, & Titium.*

47 *Quando nam dicatur fœmina constituta in loco tuto ad hoc vt cesset impedimentum dirimens.*

48 *Definitio raptus prout comprehenditur sub pœnis antiquorum Canonum, ac Tridentini.*

43 CAsus hic esse potest. Titius opem tulit Caio rapienti puellam ad finem matrimonij. Quæritur vtrùm si Titius ipse illam consentientem ducat in matrimonium antequam pristinæ libertati sit restituta, tale matrimonium sit validum.

44 Respondeo esse validum. Et ratio est, quia impedimentum dirimẽs consurgit tantùm inter raptorem, & raptam, vt patet legenti textum. Cum ergo Titius ipse non sit raptor, sed tantùm auxiliator, inde est, vt non afficiatur hoc impedimento. Quare auxilium, & opem ferens incidit quidem in cęteras pœnas Tridentini, puta in excõmunicationem, & alias superiùs recensitas: cœterùm cum ipso potest fœmina validè contrahere antequam in loco tuto reponatur. Vt benè Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 13. num 6. Quo loco duo infert.

45 Primùm est, si Titius proprio motu rapiat fœminam non vt secum, sed vt cum Caio matrimonium ineat, qui nullo modo in raptum influxit, dictum Titium non incurrere in pœnas Tridentini, & præterea valere matrimonium

monium contractum à Caio cum rapta liberè consentiente. Ac quidem, quòd Titius non afficiatur pœnis Tridentini, probatur quia non punitur à Tridentino quicunquè raptus, sed ille tantùm, qui eò ordinatur, vt raptor raptam ducat. At in nostro casu raptor non rapuit ad finem contrahendi matrimonium cùm illa; Ergo non afficitur pœnis Tridentini. Quòd verò Caius possit validè contrahere matrimonium cum illa cōsentiente, etiamsi adhùc non sit extra potestatem raptoris, probatur, quia Caius non fuit raptor; Ergo cum illa poterit validè contrahere.

46 Alterum est si Titius rapuerit fœminam ad instantiam Cai, qui cum illa matrimonium contrahere intendit, inter Caium & fœminam raptam consurgere impedimentum; Titium verò incurrere quidem excommunicationem,& alias pęnas, attamen respectu ipsius non consurgere impedimentum,quia ipse non dicitur propriè raptor, sed pot ùs auxiliator: raptor enim propriè dicitur (quantùm spectat ad inducendum hoc impedimentum) is, qui per se, vel per alium fœminam rapit ad finem illam ducendi in matrimonium.

47 Restat hoc loco dubium,quandonam dicatur fœmina constituta in loco tuto, ita vt cesset impedimentum iuxta dispositionem Tridentini.

Respondeo necessarium esse, vt fęmina sit omnino libera à potestate raptoris,vel illam restituendo Parentibus, aut Iudici, vel alio modo illam collocando in loco tuto, ita vt non amplius possit raptor illam cogere, qua in re, in singulis casibus, prudentis iudicium requiritur. Vnde benè addit Henriq. lib.12.cap.14. num 4 non sufficere vt rapta sub raptoris potestate constituta re vera liberè consentiat, quia Tridentinum non eam solam libertatem petit ad huius matrimonij valorem, sed vt rapta plenè libera sit à raptoris potestate.

48 Ex quibus patet raptum prout est quid commune raptui comprehenso sub pęnis Tridentini, & raptui comprehenso sub pęnis antiquorum Canonum benè à nobis fuisse definitum, quòd sit violenta abductio fęminæ de loco ad locum ad finem explendi libidinem, vel ineundi matrimonium. Cęterùm si eum tantùm raptum definire velimus, qui iuxta Tridentinum inducit impedimentum dirimens, illum sic esse definiendum, quòd sit violenta abductio fęminæ de loco ad locum ad finem contrahendi matrimonium. Si verò illum definire velimus quatenus comprehenditur sub pęnis antiquorum Canonum, sic definiri debere, quòd sit violenta abductio de loco ad locum ad finem explendi libidinem.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam incidant in hunc casum.

49 *Vnde sumatur distinctio raptus à stupro.*

49 Notandum priùs, raptum distingui à stupro: stuprum enim consistit in hoc, quòd fęminæ innitæ auferatur violenter pudor virginalis: raptus verò significat solam copulam violentam cuiuscunq; fęminæ: quinimò si strictè sumatur, necessarium etiam est, vt adsit violenta abductio de loco ad locum. Vtrùm verò stuprum addat malitiam specie distinctā supra simplicem fornicationem,etiam quando

quando virgo consentiens carnaliter cognoscitur, patebit ex dicendis in explicatione vltimi casus reseruati.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo definiatur raptus, qui hoc loco à Concilio reseruatur.

50 *Definitio raptus reseruati.*

50 REspondeo sic definiri, quòd sit violenta abductio virginis de loco ad locum causa explendæ libidinis.

Dicitur violenta, quia ad casum hunc incurrendũ necessaria est violẽtia, quæ vel virgini tantũ fiat, vt quando Parentibus consentientibus puella violenter abducitur: ac certè rarior puellarum esset iactura, si Parentum aliquando lenocinium abesset. Vel Parentibus tantùm: vt si puella raptori consentiat, renuant verò Parentes. Vel vtriusquè, vt si vis & raptæ, & Parentibus inferatur, & ea violenter abducatur.

Dicitur abductio, quia ad raptum requiritur traductio ab vno loco ad alium locum, vt benè habet Sanchez lib. 7. disp. 12. num. 20. Vnde si asquè hac abductione virgo aliqua violenter cognosceretur, peccatum hoc non esset reseruatum, quia non esset raptus, sed stuprum, vt patet ex dictis superiùs.

Dicitur de loco ad locum, quia non sufficit quælibet abductio, sed debet esse de loco ad alium locum, vt inferiùs magis patebit.

Dicitur causa explendæ libidinis. Et ratio est, quia si quis ob alium finem virginem raperet, licèt diceretur raptum committere, non tamen esset raptus, qui hoc loco reseruatur. Quod patet ex fine reseruationis: ideo enim casus iste fuit reseruatus, vt occurreretur iacturæ amissionis virginitatis, quã puellæ quandoquè pati coguntur ex perdita quorundam masculorum audacia, qui eas per vim etiam deflorare aliquando conantur. Ita Gambarup. cap. 15. de casibus reseruat. Belloch. par. 2. quæst. 8. num. 139.

DIFFICVLTAS II.

Quinam incidant in hunc casum.

51 *Incidit in casum qui virginem aliquã abducit, licèt Parentes consentiant.*
52 *Pariter incidit qui puellam consentientem abducit, sed repugnantibus Parentibus.*
53 *Incidit qui per metum & minas virginem abducit.*
54 *Item, qui virginem violenter abducit, licèt postmodùm illam consentientem carnaliter cognoscat.*
55 *Item, qui sponsam de futuro violenter rapit & carnaliter cognoscit.*

51 RÉspondeo incidere eum, qui virginem aliquam inuitam, & violenter ab vno loco ad alium abducit, licèt Parentes ipsi consentiant, vt patet ex explicatione definitionis raptus. Ita DD. omnes citandi.

52 Secundò incidere eum, qui consentientem puellam abdùcit, sed tamẽ repugnantibus Parentibus; licèt enim vis puellæ non inferatur, infertur tamen Parentibus, quòd sufficit ad reseruationem incurrendam.

53 Tertiò comprehendi sub casu eum, qui armata manu puellam aliquam adiret, verboquè tantum illi diceret, vt equum conscenderet, & secum

cum veniret: adesset enim hic sufficiens violentia, cum assensus ille sit per metum extortus. Secùs verò esset si puella liberè assentiretur, & illam abducens comitatus esset viris armatis in eum tantùm finem, ne aliqui sibi impedimento esse possent: in hoc enim casu nulla vis inferretur puellæ, aut illis, sub quorum custodia esset, proindeque neque intercederet raptus. Ita Sanch. l. 7. de matri. disp. 12. nu. 5. & 6.

54 Quartò incidere eum, qui virginem aliquam à domo paterna ad aliam domum transfert, & violenter abducit, etiamsi blanditijs postmodum copulam extorqueret. Ratio est, quia hic verè adessent conditiones omnes ad raptum requisitæ, puta violentia, & abductio à loco ad locum causa explendæ libidinis. Ita Chapeau. cap. 12. quæst. 2. Belloch. par. 2. quæst. 8. num. 140.

55 Quintò comprehendi sub casu eum, qui virginem, quam sibi per verba de futuro desponsasset per vim abduceret, & illam carnaliter cognosceret. Et ratio est, quia adest verus raptus: ac licèt ex ipsa desponsatione acquiratur aliquod ius, tamen ius hoc ordinatur ad solum matrimonium cõtrahendum, non verò ad copulam. Sic in superiore quæst. diffic. 10. diximus raptorem sponsæ de futuro ad finem contrahendi matrimonium subijci pœnis Tridentini. Contrarium tamen sustinet Belloch. cit. num. 152.

QVÆSTIO TERTIA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

56 *Non incidit qui puellam consentientem absque vlla Parentum violentia abducit.*

57 *Neq; is qui puellam sub nullius potestate constitutam et consentientem abducat.*

58 *Mandantes, consulentes, aut fauorem præbentes non incidunt in hanc reseruationem, ij tamen incurrunt in excommunicationem à Concilio Tridentino latam, quoties raptus fiat causa matrimonij.*

59 *Non incidit in hanc reseruationem is, qui ad alium finem virginem abducat, quàm causa libidinis: vnde non incidit is, qui virginem rapiat causa matrimonij contrahendi.*

60 *Non incidit qui rapiat puellam corruptam, licèt eà existimetur esse virgo. In dubio tamen præsumenda esset virgo, & sic casus esset reseruatus.*

61 *Qui per fraudem virginem cognoscat, non incidit.*

62 *Non incidit is qui virginem ab vna tantùm camera ad aliam cameram abducat: vel à via in agrum.*

63 *Neq; is, qui sponsam de præsenti volentem ante consummationem matrimonij ingredi monasterium, rapit & cognoscit.*

64 *Neq; is, qui blanditijs, magnis persuasionibus, aut precibus importunis inducat virginem ad consentiendum abductioni, & illam carnaliter cognoscat.*

65 *Quid si preces importunæ coniunctæ sint cum maximo reuerentiæ timore: vtrùm videlicet in tali casu æquiparentur violentiæ, & sufficiant ad incurrendã hanc reseruationem.*

66 *Vtrùm committatur raptus, quando puella consentiens, Parentibus ignorantibus, abducitur.*

67 *Non incidit qui virginem aliquam abducere attentarit, sed de facto non abduxerit.*

68 *Neq; incidit is qui puerum, seu masculum abducat.*

69 Neq;

69 *Neq; incidit is qui virginem rapit vt ab alio carnaliter cognoscatur. Vtrùm incidat is ad cuius instantiam fuit commissus raptus, ibidem.*

70 *Vtrùm incidat in casum is, qui virginem viro necdum maturam rapit.*

71 *Probabilius est non ligari hac reseruatione eum, qui virginem rapit, sed pœnitentia ductus illam non cognoscit carnaliter.*

72 *Si duo rapiant eandem virginem causa explendi libidinem, solus ille incidit, qui primò illam cognoscit.*

73 *Idem dicendum si duo rapiant virginem cum hac intentione vt cui sors contigerit, primò illam cognoscat. Vterquè tamen incideret in censuram, si ea raperetur ad finem matrimonij.*

56 RESpondeo primò excusari eũ, qui puellam consentientem, & sine vlla Parentum violentia abducat, licèt illam per vim cognoscat, & copulæ resistat. Et ratio est, quia ad raptum necessaria est violenta abductio, & vbi hæc deest, neq; intelligitur adesse raptus. Ita Chapeau.de 12. casu reseruato quæst. 2. Belloch. par.2. quæst.8. num. 155.

57 Secundò non comprehendi eũ, qui puellam sub nullius potestate constitutam consentientem abducat, & cognoscat. Et ratio est, quia scienti, & volenti non fit iniuria: vbi autem cessat ratio iniuriæ, cessat etiam raptus, vt benè Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 12. nu 6. Quidquid in contrarium afferant DD. plures ea ratione nixi, quòd nimirum puella semper præsumatur decepta, & quod ea dominium sui corporis non habeat, vt membra sui raptui exponat. Verùm rationes hæ nullius roboris sunt. Primò enim non est dicendum præsumi puellam deceptam quoties de eius spontanea voluntate constet. Secundò licèt puella non sit sui corporis adeo domina, vt possit licitè assentiri abductioni, & copulæ; est tamen adeo domina, vt possit assentiri absq; eo quòd iniustitiæ crimen committatur, quod quoties absit, abest etiam raptus, qui violentiam iustitiæ contrariam dicit.

58 Tertiò non comprehendi sub hac reseruatione dantes, consulentes, fauorem præbentes, seu alios cooperantes, sed raptores tantùm. Et ratio est, quia vbi lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus, & odia sunt restringenda, non verò amplianda. Cùm ergo lex loquatur de solis raptoribus, eos tantùm intelligere debemus incurrere in casum reseruatum, non verò alios cooperantes. Verùm quidem esset, quòd quoties raptus esset factus in ordine ad matrimonium, hi omnes incurrerent in excommunicationem à Concilio Tridentino latam, quandoquidem illud excommunicatione afficit raptores omnes mulierũ, proindequè etiam virginum, & alios omnes fauorem, auxilium & consilium præbentes, & cooperantes. Verùm in reseruationem à Concilio nostro Prouinciali latam incidunt soli raptores, idest ij soli, qui fœminam abducunt, non verò qui abduci consulunt, vel mandant.

Dices qui per alium facit per se ipsum facere videtur. Ergo qui mandat dicitur ipse rapere.

Respondeo propositionem hanc veram tantùm esse moraliter loquendo, quia eadem culpa imputatur committenti delictum, & illud mandanti: non verò physicè, quia qui tantùm mandat non is est, qui rapit.

59 Quartò non incurrere eum, qui ad alium finem virginem abduceret, quam

quàm causa libidinis. Vnde non incurreret in reseruationem is, qui puellam raperet causa matrimonij contrahendi. Sic enim diximus superiùs hunc non comprehendi sub pęnis antiquorum Canonum. Et ratio est, quia ad reseruationem hanc incurrendam requiritur, vt copula sit subsecuta. Tum quia hoc colligi potest ex fine reseruationis; hæc enim videtur inducta tantùm, vt succurreretur pudicitiæ puellarum plurimarum, quæ sexu imbecilles nonnunquam masculorum audaciæ succumbunt, non autem vt occurreretur libertati matrimonij. Si enim Diuus Carolus intendisset occurrere libertati matrimonij non tantùm raptores virginum sub casu comprehendisset, sed raptores omnes mulierum, quandoquidem in matrimonium non solùm virgines, sed etiam mulieres alię ducuntur. Quare si quispiam virginem raperet causa contrahendi matrimonium, ille quidem incurreret in excómunicationem à Concilio Tridentino latam, non tamen in reseruationem latam à Concilio nostro Prouinciali.

60 Quintò in reseruationem non incidere eum, qui puellam aliquam raperet, quæ virgo non esset, licèt ea talis putaretur; casus enim hic comprehendit tantùm raptores virginum, non verò corruptarum, & in foro cõscientiæ attenditur solùm quod verum est. Ita Belloch. cit. num 161. Sic ad incurrendam censuram Canonis non satis est percutere eum, qui putetur esse Clericus, sed debet esse Clericus: & ad hoc facit tritum illud ac vulgatum sermone prouerbium, opinio non facit casum. In dubio tamen præsumenda esset virgo, & possessio staret pro raptu, quem constaret esse commissum. Ita Gambar. cap. 15. de casibus reseruatis versus finem.

61 Sextò non comprehendi sub casu eum, qui puellam nolentem copulæ consentire per vicinam aliquam amicam in illius vicinæ domum euocet, quam conuocatam postmodùm violenter stupret, etiamsi eo animò fuerit puella, vt si stupratorem ibi adesse cognouisset illius vicinæ domum non accessisset. Et ratio est, quia hic non intercedit violenta abductio ab vno loco ad alium locum: diceretur ergo non raptum, sed stuprum, cum fraude commisisse. Ita Graff. in sua praxi lib. 2. cap. 31. num. 20. Belloch. cit. num. 158.

62 Septimò non incidere eum, qui virginem tantùm ab vna camera, ad aliam cameram violenter abducat, vel violenter super lectum proijciat, vel puellam inuentam cum bestijs in agro per aliquot passus tantùm abducat. Ita Graf. in sua praxi num. 46. Belloch. nu. 256. Gambar. loc cit num. 1. Ratio est, quia non quæcunq; traductio de loco ad locum sufficit, sed talis esse debet, quæ fiat animo abducendi, non verò gratia tantùm commodioris coitus, vel vsus, vt patet ex dictis in prima quæstione difficult. 7. Sic neque ligatur hac reseruatione, qui puellam aliquã rapiat à via publica, & seorsum abducat. Et ratio est eadem, quia abductio hæc fit tantùm gratia cõmodè coeundi, cum actus iste locũ secretum petat.

63 Octauò non comprehendi sub casu eum, qui sponsam de præsenti volentem ante consummationem matrimonij ingredi Monasterium rapit, & cognoscit. Et ratio est, quia vtitur re sua, vt proinde nõ dicatur raptor. Hoc quidem verùm est, quòd grauiter peccaret, quia ante consummationem matrimonij potest Monasterium ingredi. Ita Chapeau. loco superiùs cit. Graff. nu. 50. Belloch. nu. 153.

64 Nono

64 Nono non incidere in casum eum, qui puellam blanditijs, & magnis promissionibus alliceret, vel spe dotis, vel spe matrimonij. Ratio autem est, quia vbi non intercedit violenta abductio, neq; intercedit raptus: hic autem nulla reperitur violentia, saltem vera; licèt enim interpretatiuè intelligatur, ea tamen ad raptum non sufficit. Ita Graff. num. 31. Belloch. num. 155.

Certè Gambar. loco cit. num. 5. habet, nimiam persuasionem habere vim compulsionis, proindeq; putat comprehensum eum sub hoc casu reseruato, qui importunis precibus, & promissionibus induceret virginem aliquam ad consentiendum abductioni. Et probat quia si mulier oblata pecunia inducatur ad adulterium committẽdum illud dicitur inuita committere, & videtur habere locum pœna adulterantis mulierem inuitam. Verum mihi videtur verior nostra sententia. Et ratio est, quia raptus vim desiderat, vt proindè non sufficiant preces importunæ, cum eæ non inferant violentiam.

65 Addit Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 12. nu. 10. preces hasce aliquando violentiæ æquiparari, quando nimirum aliæ circumstantiæ cum illis concurrunt, vt maximus reuerentiæ timor, qualis contingere potest, quando personæ alicui maximi nominis & fortunæ, puta Principi, vel Regi copulam petenti, non audet puella contradicere. Verum neq; in hoc casu mihi videtur raptus habere locum, nulla enim intercedit violentia, quæ vera esse debet, cùm non sufficiat interpretatiua.

66 Ex qua ratione inferas nequè raptum dici, quando puella cõsentiens Parentibus inscijs & ignorantibus abducitur: licèt enim ij dicantur virtualiter repugnare & contradicere, quia tamen nulla adest violentia, inde est vt nequè adsit raptus. Sic inscio Domino, si quis rem alienam auferat, furtum tantùm dicitur committere, non rapinam, etiamsi interpretatiua Domini voluntas contradicat.

67 Decimò non comprehendi sub casu eum, qui virginem aliquam rapere attentarit, sed aliundè impeditus illam abducere nequiuerit. Et ratio est, quia non adest raptus. Quare non incidit in casum reseruatum is, qui cum hominibus armatis accessit ad domum virginis, vt illa rapta potiretur, quoties in domo illam non inueniens, non potuerit perficere delictum: vel certè quoties illam inueniens, raptum quidem attentauerit, & abducere voluerit, sed à Parentibus, vel ab alijs fuerit impeditus. Pari enim modo non est excommunicatus, qui conatur percutere Clericum, & facit quantum potest, vt illum percutiat, sed impeditus non potest percutere. Ita Graff. in praxi num. 38. Belloch. cit.

68 Vndecimò non incidere in casum reseruatum eum, qui masculum abduceret: casus enim loquitur de raptoribus virginum, idest puellarum, vt proinde excludatur raptus puerorum, cùm à cõmuni verborum intelligentia non sit recedendum, nisi constet voluntatem reseruantis aliter intẽdisse. Quare si virgo aliqua, vel mulier masculum abduceret causa libidinis: vel certè si masculus masculũ, non incurreretur reseruatio. Et ratio est, quia cùm reseruatio sit odiosa, inde est, vt ea potiùs sit restringenda, & intelligenda iuxta ordinariam verborum significationem; nomine autem virginum secundùm communem loquẽdi modum veniunt puellæ nondum corruptæ.

69 Duodecimò non incidere in reseruationem eum, qui virginem rapiat, vt ab alio carnaliter cognoscatur. Et

ratio

ratio eſt, quia non dicitur rapere ad finem explendi libidinem. Tum quia ad hoc, vt raptus ſit obnoxius reſeruationi debet eſſe coniunctus cum effectu, vt mox dicemus. Addo neque incidere eum, ad cuius inſtantiam raptus fuiſſet commiſſus. Et ratio eſt, quia ille non eſt raptor, ſed mandans, mandantes autem non comprehenduntur ſub hac reſeruatione, vt patet ex dictis.

70 Decimotertiò non comprehendi eum, qui virginem nondum maturam viro rapiat. Et ratio eſt allata, quia non eſt reſeruatus raptus niſi ſubſecuto effectu. Quidquid in contrarium ſentiat Graff. in ſua praxi loco cit. num. 47. Belloch. cit. num. 42.

71 Decimoquartò probabilius eſſe non incidere eum, qui violenter virginem aliquam abduxerit cauſa libidinis, ſed poſtmodum pœnitentia ductus ſine virginitatis læſione Parentibus illam reſtituerit. Ratio eſt, quia non reſeruatur raptus, niſi ſubſecuto effectu. Id autem ex eo colligi ſatis poteſt, quia hoc loco non reſeruatur quilibet raptus virginis, vt patet ex dictis, ſed ille ſolus, qui fit cauſa explendæ libidinis. Ergo quandiu non eſt expleta libido, eſt inefficax ad præſentem reſeruationem, cùm præſens reſeruatio non de quocunq; raptu loquatur, ſed de eo, qui ad copulam ordinatur; vt proinde non ſecutà copulà raptus iſte ſit imperfectus: reſeruatio autem ſemper intelligitur de actibus exterioribus perfectis, & conſummatis. Ita Chapeau. cap. 12. q. 2. Et ad hoc faciunt, quæ ex ſententia plurium iuris peritorum adducit Sanch. cit. num. 18. aſſerentium ad hoc, vt raptus ſubiaceat pœnis antiquorum canonum, neceſſarium eſſe, vt copula ſit ſecuta: & quæ in ſimili caſu dicemus de patre, matre, aut marito conſentiente, vt filia, aut vxor ſe proſtituat. Et de deflorante virginem. Vnde eſt, vt ad dubium hoc excludendum caſus iſte ſic fuerit Roſſani reſeruatus, raptores virginum, aut illas ſtuprantium. Quidquid in contrarium ſentiat Belloch. cit. num. 42.

Dices primò, ad incurrendam aliquam reſeruationem ſatis eſt ſi fiat ea actio, de qua loquuntur verba reſeruationis: ſed actio, de qua loquuntur verba præſentis reſeruationis eſt raptus virginis, non copula; ergo raptus ipſe abſq; copula ſufficiet ad eam incurrendam. Quòd ſi quiſpiam ſubdat, reſeruationem intelligendam ſemper eſſe de actu perfecto: contra eſt, quia in genere raptus, actio illa eſt perfecta, vt proinde ſufficiat ad reſeruationem.

Reſpondeo verba reſeruationis loqui de raptu ad copulam ordinato, proindequè actum quandiu non eſt ſecuta copula poſſe dici imperfectum, & ob id inſufficientem ad incurrendam hanc reſeruationem, quę in eum finem fuit inducta vt copula cum virgine vitaretur. Eſto ergo, quòd in ratione raptus, vt ſic, actio illa poſſit dici perfecta: non eſt tamen perfecta ſi ſpectetur ille raptus, de quo loquitur reſeruatio, puta raptus ex intentione copulæ commiſſus.

Dices ſecundò ad incurrendas pœnas Tridentini non requiritur, vt ſequatur matrimonium. Ergo neq; ad incurrendam hanc reſeruationem, vel ad incurrendas pęnas antiquorum Canonum requiretur copula.

Reſpondeo conceſſo antecedente negandam eſſe conſequentiam. Tridentinum enim ſuis pęnis afficit quoſcunq; raptores mulierum ad finem cōtrahendi matrimonium, ſiue poſtmodum illud ineatur, ſiue non. Vt clarè patet ex ijs verbis textus [nihilominus raptor ipſe, & omnes illi conſilium, auxi-

auxilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati.] Idem enim est, ac si dicat non minùs incurrere in illas pœnas raptorem, si in matrimonium ducat raptam, quàm si non ducat. Vnde est, vt ad Tridentini pœnas incurrendas dixerimus superiùs non requiri vt rapta sit habilis, nec ne ad matrimonium contrahendum: si quidem matrimonium contrahi, vel non contrahi non confert ad pœnas.

72 Decimoquintò, si duo rapiant eandem virginem causa explendi libidinem, & cum illa copulam habeāt, cum tantùm hac reseruatione affici, qui primus illam carnaliter cognoscat. Et ratio est, quia ille solus dicitur raptor virginis effectu secuto, idest secuta copula cum virgine, cum posterior dicatur habuisse copulam cum corrupta.

73 Decimosextò si duo rapiant eandem virginem cum hac intentione, vt cui sors contigerit primus illam carnaliter cognoscat, eum tantùm sub casu comprehendi, qui primus illam cognoscat. Et ratio est allata. Si duq tamen eandem virginem rapuissent cum hac intentione, vt cui sors contigisset illam duceret in matrimonium, tunc vterquè incidisset in censuram, quia vterq; diceretur rapuisse cum animo illam ducendi, nequè ad censuram hanc incurrendam requiritur matrimonium secutum. Vt patet ex dictis.

DIFFICVLTAS VNICA

De praxi seruanda à Confessario circa confessionem, & absolutionem raptorum virginum.

74 *Quoad confessionem aduertendum primò ex parte raptoris, an sit coniugatus, an in sacris constitutus, quibus nam violentiam intulerit, an alios induxerit.*

75 *Secundò ex parte raptæ, an sit virgo, libera, aliquo voto obstricta, aut alterius sponsa.*

76 *Tertiò ex parte loci, an violenter sit educta, è loco sacro.*

77 *Quartò attendendum etiam est tempus ad numerum peccatorum cognoscendum.*

78 *Quoad absolutionem aduertendum est, an raptus sit commissus causa matrimonij, an verò causa explendi libidinem.*

79 *Raptor tenetur compensare totum damnum ex raptu secutum, licèt rapta sit meretrix.*

80 *Raptor non potest absolui, nisi sit separatus à rapta.*

81 *Ex quibus capitibus colligi possit grauitas huius peccati.*

74. Respondeo primò, quoad confessionem attendenda esse quatuor Primum ex parte raptoris, an sit coniugatus, quia tunc duplici tenetur crimine, adulterij videlicet, & raptus: an sit laicus, vel clericus in sacris constitutus: an violentiam intulerit raptæ tantùm; an verò raptæ, & Parentibus: an alios induxerit ad mulierem rapiendam.

75 Secundum ex parte raptæ, an videlicet sit virgo, libera, an verò aliquo castitatis voto obstricta: an sponsa alterius de præsenti: hæ enim omnes circumstantiæ speciem mutant.

76 Tertium ex parte loci, an sit educta de loco sacro: in eo enim casu, quod non erat sacrilegium respectu personæ, fit respectu loci.

77 Quartum ex parte temporis, vtrum videlicet diu sit, ex quo raptum illum machinatur. Et hoc ad clariùs cognoscendas carnalis copulæ interpolatas volitiones.

78 Respon-

78 Respondeo secundò, quoad absolutionem aduertendum primò esse, vtrùm raptus fuerit factus tantùm causa explendę libidinis: & tunc si sit virgo adest sola reseruatio. Quòd si factus sit causa explendæ libidinis, & matrimonij contrahendi, præter reseruationem adest etiam excommunicatio Tridentini, de qua diximus in prima quæstione.

79. Secundò raptorem teneri satisfacere, & compensare totum damnum ex raptu secutum: quinimò adhuc teneri etiamsi mulier rapta fuerit meretrix. Quidquid in contrarium afferant aliquot iuris periti, vt Decius in lege inuitus num. 7. ff. de regulis iuris; Et ratio est, quia meretrix non tenetur cum quolibet mortale peccatum committere; Ergo a quolibet non potest inuita compelli ad coitum.

80 Tertiò raptorem non posse absolui, nisi sit separatus à rapta, siue hæc consentiat cum illo cohabitare, siue non. Et ratio est, quia licèt consentiat, adhuc tamen non potest illum in maritum habere ob impedimentum dirimens, quod diximus consurgere: quòd si illa non consentiat, iam patet raptorem non posse absolui; quia non solùm peccauit rapiendo, sed etiam peccat retinendo inuitam. Videte Chapeau. de raptu 12. casu reseruato per totam quæstionem tertiam. Belloch. par. 2. quæst. 8. num. 162. & sequentibus.

81 Demùm verò Confessarius inducere debet Pœnitentem ad veram huius delicti contritionem, ostendendo illius grauitatem, quæ primò agnoscitur ex alijs peccatis, quæ cum illo concurrere solent; aliquando enim cũ illo concurrit stuprum, vt si quis rapiat virginem, & illam violenter corrumpat: aliquando etiam concurrit stuprum, & sacrilegium, vt si quis rapiat mulierem Deo dicatam. Tum verò cognoscitur ex pœnis, quibus omni iure punitur raptor. Primò enim iure Diuino pœna mortis punitur, vt patet Deuteronomij cap. 22. Secundò iure ciuili talis raptor debet decapitari. Leg. vnica C. de raptu virginum, & eius bona applicari debent raptæ, si ingenuam rapuit. Si verò ancillam, non amittit substantiam, sed tantùm decapitatur. Iure etiam Canonico, quod temperat pęnam mortis raptor efficitur seruus raptæ, nisi vellet se redimere. Demum verò iure nouo Tridentini ijs pęnis punitur, quas superiùs attulimus.

DISCE LECTOR.

Hominum, Superûmque vltrices iras illi maximè esse timendas, qui Virgini vim intulerit.

CAPVT SECVNDVM

Qui Moniales violarint.

1 *Quænam veniant nomine Monialium.*

1 Caput hoc breuissimè expediemus quærendo tantùm, quinam incidant in hanc reseruationem, & quinam ab ea excusentur. Priùs autem aduertendum cum Graff. lib. 2. in praxi cap. 14. de corruptione Monialium, & cap. 5. de allocutione cum Monialibus sine licentia. Gambar. de casibus reser. casu 2 nu. 3. fol. 190. Belloch. par. 2. quæst. 9. num. 151. nomine Monialium venire solummodò eas, quæ per professionem tria vota emiserint.

Vnde Moniales dicuntur quotquot professionem emiserint, siue sint virgines, siue viduæ, siue choro addictæ, siue conuersæ, siue per veli solius susceptionem, siue per consecrationem; non autem Nouitiæ; quæ professionem non emiserunt. Pro quo citat Graff. Caput viduas 27. q. 1. & casum hunc Caietæ esse reseruatum in hæc verba refert loco cit. Peccatum consummatum cum muliere, quæ emisit votum solemne castitatis. Ad idquè facit quod habet Nauar. lib. 3. consiliorum consil. 8. Monialium ante professionem morientiũ, sicut & abeuntium bona non pertinere ad Monasterium.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam incidant in hunc casum.

2 *Præsens reseruatio incurritur siue in Monasterio, siue extra Monasterium Monialis violetur.*

3 *Incidit in casum qui Monialem etiam consentientem violat.*

2 Respõdeo primò incurrere eum, qui Monialem siue in Monasterio, siue extra Monasterium violauerit, vt habet Graff lib. 2. in praxi cap. 14 num. 18. Et ratio est, quia cùm litera simpliciter loquatur, & violatores omnes comprehendat, inde est, vt casus simpliciter sit intelligendus, siue violatio fiat intra Monasterium, siue extra: nulla enim fit in casu mentio loci, sed Monialium tantummodò, quę tales dicuntur non à loco, sed a professione. Quoties ergo eæ dicentur violatæ, siue intra claustra, siue extra, semper incurretur reseruatio. Hoc quidem verum est, qui intra septa Monasterij Monialem aliquam violauerit præter reseruationem, ipso facto incursurum excommunicationem à Concilio Tridentino latam sess. 25. cap. 5. de reformatione Monialium, & Regularium in omnes, qui sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta Monasterium ingredi ausi fuerint: de cętero non ideo excusabitur quis à reseruatione, quia Monialem aliquam extra Monasterium violauerit, cùm in quocunq; loco sit, ea semper sit Monialis, & illam violans dicatur Monialem violasse.

3 Secundò comprehendi sub casu eum, qui Monialem etiam consentientem violauerit: licèt enim reseruatio vtatur verbo, violauerit, quod videtur importare quandam violentiam, & vim, quę non exercetur in consentientem: tamen in nostro casu, illud significat polluere, vel corrumpere, vt proinde modus hic reseruandi sit idem, ac si diceret, qui Moniales polluerint, corruperintue. Ita Gambar. fol. 190. n. 4.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

4 *Rem habens cum virgine etiam in Monasterio degente, sed non professa, non incidit in casum.*

5 *Excusatur ab hac reseruatione qui virginem aliquam violet vnà cum alijs in separato loco habitantem, & habentem certam regulam viuendi, quoties non emiserit tria vota per professionem.*

Excusatur item violator virginis in domo parentum degentis, licèt voto suo vouisset castitatem, paupertatem, & obedientiam. ibidem.

6 *Si lata esset reseruatio in hæc tantùm verba, qui Moniales violarint, excusaretur is, qui copulam cum Mo-*

nialis

niali inchoaret quidem, sed non perficeret.

7 *Excusaretur etiam, si in vase naturali inchoaret copulam, sed tamen illam consummaret extra vas.*

8 *Attenta præsenti reseruatione vtrùm incidat in casum is, qui Monialem turpiter osculetur, vel illius mammillas tangat.*

9 *Proponuntur fundamenta sententiæ affirmantis.*

10 *Sententia Authoris.*

11 *An inter sponsos de futuro licita sint oscula, amplexus, aliiq; tactus.*

12 *An sit lethale aspicere crura, brachia, pectora nuda, aut pudenda alterius sexus.*

13 *An fœmina dubia de mala intentione tangentis possit aliquando permittere tactus, & quosnam.*

14 *Respondetur fundamentis allatis nu. 9. pro contraria sententia.*

4 RESpondeo primò excusari eos, qui violatores Monialium nõ dicantur, quales dici non possunt ij, qui rem habuerint cum Virgine, vel muliere, quę necdum professionem emiserit, etiamsi intra septa Monasterij degat, vt sunt puellæ, quæ in Monasterio degunt causa educationis, non enim hæ veniunt nomine Monialium.

5 Secundò excusari eum, qui virginem aliquam Deo dicatam violauerit, etiamsi hæc vna cum alijs in separato loco habitet, quæ omnes certum habeant modum viuendi, certam regulam, & omnia communia, sed tamen tria vota per professionem non emittunt, nec obligatæ sunt legibus clausuræ, quales sunt eæ quę dicuntur Beatæ, seu Bizochæ: non enim eæ Moniales sunt, vt proindè earum violatores nullam incurrant reseruationem, sicut nec eorum ingredientes Monasteria dicendi sunt incurrere excommunicationem. Et hoc multo magis dici potest de violatoribus virginum, quæ in domibus parentum degunt, licèt certam regulam & modum viuendi sibi præscripserint, & voto etiam suo vouerint castitatem, obedientiam, & paupertatem.

6 Tertiò si reseruatio lata tantùm esset in hæc verba, qui Monialem violarit, aut qui sacrilegium cum Moniali commiserit, quo modo casus hic aliàs erat reseruatus, excusaretur is, qui copulam cum Moniali non perficeret in vase naturali. Quare qui obscœnos tantùm, & turpes complexus, confabulationes, & oscula cum Moniali haberet: qui literas inhonesta continentes per nuntium mitteret: qui illius pudenda attrectaret, non incideret in casum; licèt contrarium sentiat Graff. lib. 2. in praxi cap. 14. num. 13.

7 Excusaretur item meo iuditio, qui copulam quidem cum Moniali in vase naturali inchoaret, sed illam intus non perficeret. Et in hoc dissentit Gambar. fol. 190. num. 2. dum habet ad hanc reseruationem requiri quidem actum turpem, & inhonestum exercitum in vase naturali, sed tamen eam incurri, etiamsi actus non perficiatur. Ego verò contrarium probabilius esse putarem, ad quod asserendum inducerer ratione hac, quia præsens reseruatio nõ aliam haberet materiam, quàm sacrilegium cum Moniali: sed in odiosis potiùs restringenda est materia, quã amplianda; Ergo ea esset intelligenda de sacrilegio perfecto, non autem tantùm inchoato. Sic si reseruetur incestus, reseruatio intelligitur de incestu perfecto. Si reseruetur raptus virginis, vel sodomia, intelligitur de raptu coniuncto cùm copula, & de sodomia perfecta, ex regula generali, quòd reser-

uatio intelligitur de actibus exterioribus perfectis; & consummatis; Ergo etiam casum hunc intelligere deberemus de sacrilegio perfecto, ita vt incurretur tantùm reseruatio, quando actus esset perfectus, & consummatus, & quidem in vase naturali. Hinc est, vt quidam locorum Ordinarij volentes sub reseruatione comprehendere quodcunq; sacrilegium cum Moniali, casum hunc alio modo reseruauerint, vt Regij, casu vndecimo, qui Moniales attrectauerint. Bononiæ, casu 5. obscœnitates, aut alia crimina cum Monialibus quomodolibet tentantes.

Dices ante extensionem huius casus, de qua mox loquemur, Pœnitentiarijs minoribus in Ecclesia Metropolitana ad confessiones audiendas expositis concedebatur facultas absoluendi à certis casibus reseruatis, & quidem cum hac limitatione (excepto tamen sacrilegio cum Moniali, etiam per simplicem contactum.) Ergo signum est sub hac reseruatione comprehendi quodcunque sacrilegium cum Moniali, etiamsi copula non sit secuta.

Respondeo, reseruationem eam peculiarem fuisse, atq; affecisse solos Pœnitentiarios, & quidem in Ecclesia Metropolitana tantùm: sic fortè aliquo, vel suadente, vel auctore, qui contrariam sententiam sit secutus.

Hæc dixi attenta reseruatione huius casus in Concilio Prouinciali primo lata: cæterùm attenta Synodo 33. in qua casus iste fuit extensus etiam ad tactus impudicos, certum est ligari hac reseruatione eum, qui copulam cum Moniali tantùm inchoet: qui illius pudenda attrectet, vel sua attrectari per Monialem faciat: tactus enim hi verè sunt impudici.

8 Potior hoc loco difficultas est de eo, qui Monialem libidinosè oscularetur: vel illius mammillas tangeret, vtrùm incideret in casum.

9 Responderent fortè aliqui affirmatiuè, existimantes huiusmodi tactus esse impudicos, cùm ordinentur ad venerem. Confirmari potest primò hæc sententia ex ijs, quæ docent Doctores non pœnitendi, vt Couar. 4. decret. 2. par. c. 7. §. 9. num. 3. in fine, quem citat & sequitur Graff. 1. par decis. aur. lib. 2. cap. 11. num 58. Manuel. 1. tom. summæ cap. 99. num. 1. loquens de marito legante vxori, & alij existimantes legatum relictum sub conditione castè & honestè viuendi, amitti à fœmina patiente amplexus virorum; ergo in horum sententia fœmina patiens huiusmodi amplexus non dicitur honestè viuere, sed impudicè.

Confirmari potest secundò, quia amplexus, oscula, tactus ad mamillas sunt causa iusta vt vir possit facere diuortium, & dotem lucrari, vt putant Doctores plures, quos pro *hac sententia* refert Sanch. lib. 10. de diuortio disp. 4. num. 11. Ergo amplexus, oscula, vel tactus ad mammillas denominant fœminam impudicam; ergo sufficiunt ad præsentem reseruationem.

10 Respondeo tamen hunc non incidere in casum. Et ratio est, quia oscula, amplexus, aut tactus ad mammillas habiti ex praua intentione, licèt dicantur tactus impudici, non tamen sufficiunt ad præsentem reseruationem.

Pro cuius rei intelligentia distinguendi sunt triplicis generis tactus. Alij sunt omnino pudici, & honesti, quales sunt oscula, & amplexus habiti secundùm patriæ consuetudinem ex amicitia & beneuolentia, quibus nulla inest turpitudo, sed castus amor, vt benè D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 4. ac demum communis Doctorum omnium sensus.

Alij,

Alij, qui ex obiecto suo pudici quidē & honesti sunt, sed tamen ex intentione vtentis illis ad luxuriam ordinantur, quales sunt oscula, amplexus, ac tactus ij, qui in partibus quidem honestis fiunt, sed tamen illis subest impurus amor, & delectatio venerea.

Alij omninò turpes, & ex obiecto suo impudici, vt ij, qui fiunt in partibus institutis ad generationem. Quare ergo tactus ad mammillas cùm ex obiecto suo pudici sint, vt potè habiti in partibus honestis, & impudici tantùm ex praua intentione tangentis, inde est vt non sufficiant ad præsentem reseruationem: ex regula enim generali, odia sunt restringenda, fauores verò ampliandi: cum autem reseruatio sit odiosa, restringenda est ad eos tactus, qui sunt omninò turpes, & ex obiecto suo impudici, puta ad tactus partium verendarum, aut etiam illis vicinarum; verè enim tactus hi de se turpes sunt, atq; impudici: vnde videmus huius generis tactus latebras semper quærere; & non nisi furtiuè exerceri: e contra verò tactus ad mammillas de se, & ex obiecto suo non est turpis, sed tantùm ratione prauæ intentionis.

11 Hinc est vt in tractatu de Matrimonio quærens an inter sponsos de futuro licita sint oscula, amplexus, aliique tactus, responderim affirmatiuè, quoties non sint omninò turpes & impudici, quales sunt tactus partium verendarum, vel ipsis verēdis vicinarum; hosce enim vtpotè copulæ viciniores diximus illis solis licere, quibus ipsa copula est permissa, vt benè docent Caiet. in summa, verb. sponsalitia, Nauarrus in summa cap. 16. nu. 13. & cap. 14. num. 18. Graff. 1. par. decis. lib. 2. cap. 82. num. 3. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 46. num. 52. apud quem alij plures. Et tactus impudicos inter personas diuersi sexus, puta inter virum & fœminam absque necessitate habitos, nunquam à mortali excusari posse, apertè docuerim cum Nauarro in summa cap. 14. versiculo 19. Sanchez cit. num. 11. cum tamen Nauarrus ibi excuset virum iocosè & absq; mala intentione tangentem mammillas mulieris.

12 Sic inspicere crura, brachia, vel pectora nuda fœminarum, secluso alio periculo nō esse culpam lethalem docet idem Sanchez num. 26. cum tamen partes pudendas alterius sexus aspicere, peccatum mortale sit etiamsi id non ex libidine, sed ex curiositate fiat. Et ratio est, quia aspectus iste nimis repugnat honestati naturali: adeo vt primi parentes post commissum peccatum erubuerint se nudos aspicientes, & illico fecerint sibi perizomata (vt dicitur Genesis 3.) idest velamen pudendorū. Vt indicant D. Greg. lib. 26. moralium cap. 12. D. Ambros. de Paradiso cap. 13. tum quia aspectus iste maximè ad luxuriam incitat & grauissimo lapsus periculo est expositus. Ita D. Antonin. 2 par. tit. 5. cap. 1. §. 7. Rosella v. delectatio num. 5. Nauar. in sum. cap. 14. versic. 19. intellige tamen nisi fortè ratione alicuius circumstantiæ, vt ętatis puerilis, aut senilis, aut frigidissimæ complexionis cessaret periculum grauis commotionis in aspiciente.

13 Sic licèt Doctores concedant fœminam dubiam de mala intentione tangentis posse aliquando permittere amplexus & oscula: tactus tamen impudicos nunquam admittunt: & ex alia parte, etiamsi fœmina sciat se ab alio tangi mala intentione, quoties tamen tactus ex suo genere liciti sint, vt manus prehensatio, contrectatio, amplexus venientis, oscula de more patriæ, consertio manuum in choreis

non peccare illos admittendo coram alijs, docet Filliuccius tract. 30. in sextum præceptum Decalogi cap. 9. num. 198. apud quem alij.

Sic Doctores plures negant confabulationes, cogitationes, nutus, aspectus turpes in Ecclesia habitos continere peculiarem malitiam sacrilegij; affirmant tamen de tactibus impudicis, idest habitis in partibus inhonestis, vt Ludou. Lop. 1. par. instruct. cap. 33. à §. cęterum & alij.

Ex quibus patet tactus impudicos propriè & in rigore dici eos qui ex obiecto suo tales sunt: vt proinde cùm præsens reseruatio loquatur tantùm de tactibus impudicis, ad eos etiam sit restringenda, qui omninò turpes & impudici sunt, quales sunt partium inhonestarum, aut illis vicinarum. Et sic patet ad rationem dubitandi.

14 Ad primam, & alteram confirmationem respondeo me alibi contrariam sententiam docuisse: ac primò quidem cum Nauarro in summa cap. 23 num. 92. statim in principio, sensisse tale legatum amitti tantùm per copulam fornicariam, non verò per amplexus, aut alios tactus impudicos, quia licèt tales repugnent viduali castitati, cum tamen non sint actus consummati in genere impudicitiæ, sed inchoati tãtùm, inde est vt non denominent fœminam simpliciter inhonestam, & impudicam, sed tantùm inchoatiuè: ac demum cum Couar. 4. decret. 2. par. cap. 7. §. 6. nu. 3. Ludou Lop. 1. par. instruct. c. 295. §. ad hæc quæstio hæc, Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 4. num. 12. docuisse, solos tactus inhonestos quantũuis animo perueniendi ad adulterium habitos, eo tamen non secuto, non præbere iustam causam diuortij, aut amissionis dotis, eo potissimùm fundamento nixum, quòd hæc sit pęna, proindeq; non extendenda vltra casus in iure expressos: cùm ergo in iure solum concedatur diuortium, & amittatur dos ob adulterium, extendenda non est hæc pœna ad oscula, amplexus, aut alios tactus inhonestos.

Addo, retenta etiam ea sententia, adhuc tamen nihil inferri contra nostram doctrinam. Esto enim quòd fęmina dicatur inhonestè, & impudicè viuere patiendo amplexus & oscula virorum: dum tamen de tactibus est sermo, dico eos tantùm verè, & propriè impudicos dici, qui exercentur circa partes impudicas, & inhonestas.

DIFFICVLTAS I.

Domitius, vt rem haberet cum Moniali ingressus est septa Monasterij. Quæritur vtrùm possit ab Episcopo absolui.

15 *Refertur excommunicatio lata à Tridentino contra ingredientes claustra Monialium.*

16 *Refertur excommunicatio lata à Gregorio 13. contra personas cuiuscunq; sexus, & conditionis audentes ingredi septa Monialium virtute facultatum aliàs concessarum.*

17 *Refertur excommunicatio ab eodem Gregorio 13. lata in personas Pontificali dignitate præditas, & Regulares Prælatos quibus regimen Monasteriorum Monialium incumbat, si in illa ingrediantur extra casus necessitatis:*

18 *Refertur excommunicatio lata à Pio V. contra fœminas ingredientes Monasteria virorum.*

19 *In quas censuras inciderit Domitius ingrediendo Monasterium, vt rem cum Moniali haberet.*

20 *Propa-*

20 *Proponuntur duo puncta agitanda.*
21 *Refertur sententia docens dictum Domitium ingrediendo septa Monasterij ad finem copulæ cum Moniali incidisse in excommunicationem latam à Gregorio 13. contentam in primo motu edito anno 1575.*
22 *Contraria sententia propabilior.*
23 *An dato, quòd Domitius incidisset in hanc excommunicationem, posset ab ea absolui, si casus esset occultus.*
Refertur sententia negans. Ibidem.
24 *Sententia Authoris.*

15 ADuertendum 1. à Tridentino sess.25. de regularibus cap.5. excommunicationem ipso facto fuisse latam cōtra ingredientes claustra Monialium, præterquam in casibus necessitatis, & ex Superioris licentia in scriptis obtenta, eius tamen absolutionem non fuisse reseruatam. Ex quibus patet ad hoc vt licitus sit extra casus necessitatis ingressus in Monasteria Monialium requiri licentiam in scriptis, ita vt si quispiam absq; hac licētia in scriptis obtenta ingrediatur, etiamsi iustam ac legitimam causam habeat, adhuc tamen excommunicationem ipso facto subeat, vt benè Sanch. in sum. lib. 6. cap. 16. num. 31. non enim hæc licentia in scriptis pro foro tantùm externo necessaria est, vt putat Homobonus de casibus reseruatis par. 2. casu 5. versic. 3. verùm etiam pro foro interno, quia Concilium absolutè exigit hanc licentiam. Neq; absq; mysterio Tridentinum voluit, vt hæc licentia esset in scriptis concedenda, vt videlicet scriptura non tantùm inseruiret in licentiæ testimonium, sed etiam, vt maturiùs, & rariùs ea licentia concederetur. Sic etiam Nauar. lib. 3. consiliorum titulo de Clericis non residentibus in prima editione consil. 3. & in 2. cons. 22. à num. 5. vsq; ad finem docet, licentiam verbo tantùm Prælatis, aut Parochis concessam, vt à suis Diœcesibus, aut Parochijs absint, illos non excusare à fructuum amissione decreta in Tridentino sess. 23. cap. 1. de reformatione in eos, qui absq; licentia in scriptis obtenta absunt.

16 Aduertendū 2. Gregorium decimum tertium in motu proprio edito anno 1575. idibus Iunij, qui incipit, Vbi gratia, tulisse excommunicationem contra personas cuiuscunquè status & conditionis, etiamsi sint Comites, Marchiones, aut Duces, quæ audent ingredi Monasteria Monialium virtute quarumcunq; facultatum à Romano Pontifice, vel Legato, aut alijs concessarū: quàm excommunicationem voluit ipso facto incurri, eisq; Pontifici reseruatam: quinimò eandem præter alias pœnas priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, voluit extendi ad Abbatissas, Abbates, atq; alios Monasteriorum vtriusq; sexus Superiores, permittentes quemquam ingredi prætextu illarum licentiarum, & facultatum.

17 Aduertendum 3. eundem Gregorium 13. edidisse alium motum proprium anno 1581. die 23. Decembris, qui incipit, dubijs, quæ emergunt, in quo in personas pontificali dignitate prędítas, quibus regimen Monasteriorum Monialium, quouis modo incumbit, hasce pœnas statuit, vt si in illa extra casus necessitatis ingrediantur prima vice sint Ecclesiæ ingressu interdicti: secunda vice sint à munere pontificali, & à diuinis suspensi: ac deinceps sint ipso facto excommunicati. Si verò Regulares Prælati sint, ad quos regimen Monasteriorum Monialium quouis modo spectet, præter excōmunicationem ipso facto incurrendam, priuentur omni officio, ac ministerio.

18 Aduertendum 4. Pium V. in motu proprio, qui incipit, Regularium personarum, edito anno 1566. die 23. Octobris interdixisse fœminis ingressum in Monasteria virorum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Papæ ipsi reseruatæ.

19 Ex quibus patet Domitium, qui septa Monasterij fuit ingressus, vt cum Moniali rem haberet incidisse quidem in excommunicationem latam à Tridentino: non tamen in pœnas latas à Pio V. vt poteque sint latæ tantùm in fœminas ingredientes Monasteria virorum: neq; in pœnas latas à Gregorio 13. in 2. motu edito anno 1581. vt poteque comprehendant tantùm personas pontificali dignitate præditas, aut Regulares Prælatos, ad quos regimen Monasteriorum Monialium quouis modo pertineat.

20 Difficultas ergo primò est, vtrum inciderit in excõmunicationem latã ab eodem Gregorio 13. in primo motu proprio edito anno 1575. cõtentam, cuius absolutionem diximus esse Papæ reseruatam. Secundò vtrùm dato, quòd in illam inciderit, possit ab Episcopo absolui, si casus sit occultus.

21 Quoad primum respondent aliqui, dictum Domitium ingrediendo septa Monasterij, vt cum Moniali rem haberet incidisse in hanc excommunicationem, ex eo quòd putent hac pœna affici omnes illicitè ingredientes Monasteria Monialium, ac pariter admittentes. Ita Azor tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 18. quæst. vltima, quo loco ex Nauar. docet ita declarasse Gregorium 13. Beia in suis responsionibus par 1 casu 30. dicens ita praxi receptum esse in tota Italia.

22 His tamen non obstantibus, respondeo Domitium non incidisse in excommunicationem à Gregorio 13. latam, sed tantùm in excommunicationem latam à Concilio Tridentino, quàm diximus non esse Papæ reseruatam. Et ratio est, quia Gregorius 13. non afficit hac excommunicatione quoscunq; ingredientes, & admittentes, sed eos tantùm, qui prætextu licentiarum ingrediuntur, aut admittunt, vt patet ex verbis textus [inhibẽtes ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeant.] Atqui in nostro casu Domitius supponitur absquè vlla prorsus facultate ingressus fuisse in Monasteriũ, vt rem haberet cum Moniali; Ergo dicendus est immunis ab hac excommunicatione. Quod autem aduersarij obijciant Gregorium 13. declarasse suam mentem esse, vt comprehendãtur quicunquè ingredientes, aut admittentes. Respondeo de hac declaratione authenticè non constare. Ita Suar. tom. 1. in tertiam partem disp. 22. sec. 6. num. 11. Philiarc. de officio Sacerdotis tom. 1. par. 1. lib. 3. cap. 30. ad finem Sayr. de censuris lib. 3. cap. 31. num. 20. Sanch. tom. 2. in sum. lib. 6. cap. 16. num. 78. Et alij plures.

Dices, ratio quare tot censuræ, ac pœnæ fuerunt a Gregorio XIII. & Pio V. latæ contra ingredientes in huiusmodi Monasteria fuit ad cõsulendum quieti Regularium, & aduitandas perturbationes, scandala, atq; auocationes mentis à rebus spiritualibus, quę ex ingressu fœminarum in Monasteria virorum, vel quarumcunq; personarum in Monasteria Monialium cõsurgunt: quæ mala tam imminent si quis ingrediatur sub prætextu alicuius facultatis; quamsi illicitè ingrediatur sub nullius facultatis prætextu; Ergo quicunquè ingrediatur in Monasteria Monialium absquè Superioris licentia subijcietur huic censuræ.

Respondeo non solùm hanc fuisse rationem, qua Pontifices moti sunt ad hasce pœnas statuendas, sed etiã aliam, quia videlicet homines multò audaciores sunt ad ingressum, innixi aliquibus facultatibus ingrediendi, quas priùs obtinuerint: vt proinde ad hanc audaciam comprimendam necessariũ fuerit graues pœnas statuere, vt earum metu abstinerent.

Vnde benè infert Sanch. cit. nu. 80. si cuipiam fuisset ante motum Gregorij XIII. concessa facultas ingrediendi in huiusmodi Monasteria, illiq; facultati nihil innitens, sed quasi illa prorsus carens nunc ingrederetur in aliquod Monasterium Monialium, illum futurum immunem ab hac excommunicatione Gregorij XIII. quia verè nõ diceretur ingredi sub prætextu illius facultatis.

23 Quoad secundum, vtrùm videlicet dato quòd Domitius incidisset in hanc excommunicationem Gregorij XIII. cuius absolutio est soli Papæ reseruata, posset ab Episcopo absolui, si casus esset occultus. Respondent negatiuè plures, vt Chapeau. de casibus reseru.cap.14.quæst 3 diffic 2. Graff. in practica lib. 1. cap.5. num. 7. Zecchius de casibus reseru.casu 10.num.1. Aloysius Riccius in praxi tom. 1. resol. 144 num. 5.& alij, quorum ratio est, quia huius excommunicationis reseruatio fuit publicata, & facta post promulgatum Concilium Tridentinum. Et ita asserunt respondisse Sacram Cardinalium Congregationem.

24 Ego vero respondeo Episcopum posse ab illa absoluere quandiu casus est occultus. Et hoc virtute Tridentini sess.24. de reformatione cap.6. vbi omnes casus occulti illi conceduntur. Et ratio est, quia cùm in hac reseruatione nulla fiat mentio Concilij Tridentini non censetur illi derogatũ, cùm nunquam censeatur derogatum decretis Cõcilij generalis, nisi expressa fiat mentio his verbis, non obstante aliqua lege, aut constitutione in Concilio generali edita. Sic licèt hæresis in Bullis Cœnæ sit reseruata post Tridentinum: plures tamen sustinent Episcopum posse virtute huius decreti Tridentini ab illa absoluere, si sit occulta. Vt videre est apud DD. plures, quos refert Sanch. in sum.lib.2.cap.11. nu.2. Et ita hanc sententiam sustinent Homobon. de bonis in examine Ecclesiæ cap. 24. Zerola in praxi Episcoporum par.1.v. Moniales quæst.8. Sanchez in sum. tom.2.lib.6.cap.15.nu.76. & lib.3. de matrim. disp.26.num.7.

DIFFICVLTAS II.

Petreius habuit rem cum Moniali, vtrùm teneatur in confessione dicere se carnaliter cognouisse Monialem, an satisfaciat si dicat se habuisse rem cum muliere voto castitatis obstricta.

25 *Refertur sententia affirmans explicandam esse circumstantiam personæ, quòd sit Monialis.*

26 *Sententia Authoris.*

27 *Obstrictus voto simplici castitatis, & solemni, si faciat contra votum, non tenetur hanc voti diuersitatem in confessione explicare.*

28 *Sacerdos qui passus sit pollutionem voluntariam satisfaciat, si dicat se fregisse votum non polluendi se absq; eo quod explicet obligationem, quã habet ad perfectam castitatem.*

29 *Si professus, Sacerdos, aut Episcopus habeat copulam cum Moniali satisfacit*

facit dicendo se voto castitatis obstrictum habuisse copulam cum obstricta voto castitatis absquè eo quòd manifestetur circumstantia Ordinis, Professionis, aut Episcopatus.

25 RESpondet Belloch. de casibus reseruatis par.2. quæst.12. n. 31. dicendo, hunc teneri manifestare circumstantiam, quòd sit Monialis. Eandemquè sententiam tenentur sustinere, qui asserunt Sacerdotem, vel Religiosum professum non satisfacere in confessione, si dicat se violasse votum castitatis non manifestando votum solemne, quod habet; eo quòd putent votum professionis, seu votum Sacerdotale castitatis differre specie à voto simplici. Vt Azor 3. par. lib.3. cap. 28. quæst. 10. Coninc. de Sacramentis disp.7. dub.4. num.20. Laym. in theologia morali lib.4. tract.10. cap.7. num.4. Med. in sum. lib.1. cap. 14. §. 18. Petrus de Ledes. de Sacramentis, vbi de Sacramento pœnitentiæ cap. 19. circa circũstantiam personæ d.1. & 2. & fol. 619. quo loco etiam docet, si Episcopus sit, teneri in confessione explicare Episcopatum ratione consecrationis.

26 Ego verò respondeo satisfacere si dicat se habuisse copulam cum obstricta voto castitatis, absq; eo quòd explicet, quòd sit Monialis. Et ratio est, quia votum solemne à simplici non differt specie, nequè alterius rationis vinculum est, sed solùm accidentariè differt. Et ita hanc sententiam absolutè docent Megal. 1. par. lib.5. cap.11. num.8. Filliuc. tom 2. tract. 30. cap.9. num.124. & 125. Sanch. de matrim. lib. 7. disp.27. num. 27. quo loco habet Regularem professum fornicando satisfacere in confessione si dicat se violasse votum castitatis habendo rem cum soluta. Et num.32. infert Regularem professum, & Sacerdotem non teneri explicare votum emissum in susceptione ordinis Sacerdotalis, aut professionis, sed satisfacere, si dicat se voto castitatis ligatum esse, ex eo quòd eadem malitia reperiatur in fractione voti solemnis, quæ reperitur in fractione voti simplicis, vt poteque accidentaliter tantùm differant.

27 Ex quibus inferas primò eum, qui dum esset laicus emisit votum simplex castitatis, & postmodùm sumit sacros Ordines, si fornicetur non teneri in confessione dicere se obstrictũ esse duplici voto castitatis, solemni altero, & altero simplici. Et ratio est, quia hæc duo vota non differunt essentialiter inter se, nec votorum multiplicatio facit, vt sit necessariò explicanda in confessione, cum non plus obligetur is, qui millies emisit idem votum, quam obligetur is, qui semel tantùm illud emisit. Sicut qui multa conficit instrumenta eiusdem obligationis cum iisdem hypothecis non plus obligatur, quàm obligetur confecto tantùm vno instrumento: quod idem dicitur de iuramentis reduplicatis circa eandem rem. Ita Henriq. lib.5. de pœnit. cap. 5. num. 6. in commentario littera G, Sanch. loco cit. num.31.

28 Secundò, Sacerdotem, qui passus sit pollutionem voluntariam satisfacere, si in confessione dicat se violasse votum non polluendi se. Et ratio est, quia licèt votum castitatis, quod habet, plura comprehendat, quàm obligationem abstinẽdi à pollutione voluntaria: tamen dum illud votum violatur per solam pollutionem absquè vlla copula, non amplius violatur, quàm si esset tantum votum abstinendi à pollutione voluntaria. Ita Sanch. cit. num. 36.

29 Tertiò, si Professus, Sacerdos, aut

aut Episcopus habeat copulam cum Moniali satisfacere si in confessione dicat se obstrictum voto castitatis habuisse rem cum fœmina eodem voto obstricta, absq; eo quòd explicet circumstantiam professionis, Ordinis Sacerdotalis, vel Episcopatus. Et ratio est, quia hæ circumstantię non mutant speciem. Ita DD. cit. excepto Henriq. qui existimat circumstantiam professionis esse explicandam.

Vtrùm verò attenta reseruatione necessariò sit explicanda circumstantia personæ, quòd sit Monialis, patebit ex dicendis inferiùs in cap. 4. quæst. 1. diffic. 5. in fine.

DIFFICVLTAS III.

Quàm graue sit hoc peccatum.

HVius peccati grauitas patet 1. ex pœnis quæ iure Ciuili, & Canonico latæ sunt in violatores Monialium. Si enim clericus sit, depositione, carcereq; perpetuo punitur. Si laicus, pœna vltimi supplicij. Monialem verò perpetuo carceri edicunt. Videte Graff. in praxi lib. 2. cap. 14. num. 7. & sequentibus alias etiam pœnas iuribus citatis ferentem.

Secundò patet ex eo, quòd secūdùm Glossam in Cap. virginibus 27. quæst. 1. peccatum hoc aliquando vocatur incestus, aliquando adulterium, aliquando sacrilegium. Incestus quidem dicitur, quia committitur cum illa, quæ se Deo iam coniunxerat communi omnium Parenti: vnde specialis quædam affinitas cum alijs fidelibus oritur, qui fideles ideo dicti, quasi Filij Dei. Dicitur etiam adulterium, quia violatur sponsa Christi: vnde Monialis crimen hoc admittens Christi sponsi dicitur adultera. Dicitur item sacrilegium, ex eo quòd Monialis sit persona Deo dicata, & res diuina: rei autem diuinæ iniuriosus vsus est sacrilegium.

Demum verò huius peccati grauitatem satis indicat Cyprianus ad Pomponium sic scribens. [Si superueniens Maritus sponsam suam iacentem cum alio videat, nonne indignatur, & fremit, & præ zeli dolore fortassis & gladium sumit? quid Christus Dominus, & Iudex noster cum virginem suam sibi dicatã, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernit, quàm grauiter indignatur, & irascitur, & quas pœnas incestis huiusmodi coniunctionibus comminatur.]

DISCE LECTOR.

Improbissimum eum esse, qui Deam audeat constuprare.

CAPVT TERTIVM.

Qui abortum procurauerint.

CAput hoc tribus quęstionibus constabit. In prima quæremus vtrùm aliquando licitum sit procurare abortum. In secunda, quinam incidant in hunc casum. In tertia, quinam excusentur ab hac reseruatione.

QVÆSTIO

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm aliquando licitum sit procurare abortum.

1 *Ad quosnam extendatur constitutio Sixti V. contra procurantes abortũ.*
2 *Qualiter hanc Sixti V. constitutionem moderauerit Gregorius XIV.*

1 ADuertendum primò Sixtum V. anno 1588. die 16. Nouembris constitutionem edidisse satis rigorosam contra procurantes abortum, quæ incipit [Effrenatam perditissimorum hominum &c.] & in qua decernit, procurantes abortum fœtus tam inanimati, quàm animati ijs pœnis omnibus esse afficiendos, quæ in Sacris Canonibus contra homicidas sunt latæ. Ac quidem si Clerici sint, priuari ipso facto omni priuilegio clericali, officijs, dignitatibus, beneficijs, reddiq; & fieri illico inhabiles ad Ordines suscipiendos, vel administrandum in susceptis: tum verò ipso etiam facto excommunicatione affici Papæ reseruata, ita vt in nullo casu, præciso mortis articulo, ab alio possint absolui. Quæ pœnæ omnes, & comminatæ, & latæ sunt in eiusdem criminis participes, conscios, socios, dantes auxilium, opem, fauorem, potiones, medicamenta præbentes, scribentes literas priuatas, vel quomodocunq; verbis, signis, aut consilio iuuantes: & pariter eos omnes comprehendunt, qui mulieribus potiones, medicamenta sterilitatis præbent, ne eæ concipiant, quiquè ad hoc quomodocunq; concurrerint auxilio, consilio, ope, vel fauore; ita vt ipsæ etiam mulieres talia medicamenta scienter suscipientes ijsdem pœnis afficiantur.

2 Aduertendum 2. quia excommunicatio hæc obseruatu difficilis in praxi videbatur hanc Syxti V. constitutionem fuisse moderatam per Gregorium XIV. pridie calendas Iunij 1591. Quæ moderatio incipit [Sedes Apostolica] atq; in ea primò decernit, vt Confessarius quilibet tam Secularis, quàm Regularis ex speciali delegatione ab ipso Ordinario obtenta possit in foro conscientię absoluere, & à peccato, & ab excommunicatione, quæ ex constitutione Sixti V. ob quamlibet procurationem abortus incurratur.

Secundò decernit, vt pœnæ eæ superiùs enumeratæ comprehendant tantùm procuratorem abortus, si fœtus sit animatus: secus verò si inanimatus.

Vnde patet ex Gregorij constitutione excommunicationem incurri tantùm à procurante abortum, si fœtus sit animatus, & effectus sequatur, & ab eadem excommunicatione absoluere posse quemlibet Confessarium ab Ordinario approbatum, & ad hoc specialiter deputatum: & quidem in foro conscientiæ tantùm. Cæterùm pro absolutione in foro exteriori obtinenda recurrendum esse ad Summum Pontificem, cui ea est reseruata. Tum verò pęnam hanc eandem incurri ab ijs, qui fauorem, auxilium, consilium, medicamenta præbuerint pro abortu fœtus animati. Quòd si fętus non sit animatus in totum fuisse ablatam cõstitutionem Syxti V. & redactam ad dispositionem iuris communis, vt est in Capite, Sicuti 2. & in cap. si aliquis, de homicidio. Vide dè hoc Quarantam in Sum. Bul. verbo abortus.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit abortus.

3 *Quid sit abortus.*

4 *Quan-*

4 Quando nam fœtus animetur, referuntur de hac re variæ sententiæ.
5 Sententia Authoris.

3 Respondeo esse dolosam eiectionem fœtus maturi, vel immaturi, animati, vel inanimati ex vtero matris vi factam ante debitum tempus à natura præfixum, & determinatum. Ita Chapeau. par. 2. casu 9. pag. 228. Belloch. par. 2. quæst. 8. in declaratione huius casus. Floron. par. 2. casu 5. & alij plures ab ipsi citati. Fœtus autem immaturus, & informis dicitur quando caro est tantùm coagulata in mulieris matrice absquè vlla membrorum naturalium organizatione, & distinctione: inanimatus verò, vbi nondum fuit illi anima rationalis infusa, quæ quandonam infundatur multiplex, ac varia apud Philosophos est controuersia.

4 Alij enim dicunt aliquando infundi tertio die post conceptionem. Ita Auicenna de nat. animal. lib. 9. cap. 3.

Alij verò sustinent eam aliquando, licèt raro, vigesimoquinto die infundi. Ita Albertus Magnus de animal. lib. 9. tract. 2. cap. 5.

Alij cum Aristotele lib. 5. animal. c. 3. & 9. Et Plinio lib. 7. naturalis historiæ cap. 6. existimant animam rationalem in masculis quadragesimo die; in fœminis, octuagesimo & nonagesimo post conceptionem infundi. Ita Sylu. v. homicidium 1. num. 3. Graf. par. 1. decis. aur. lib. 2. cap. 63. num. 31. Finel. de cas. reseru. casu 4 num. 5. vers. & qui abortum, Azor. tomo 3. cap. 4. vers. notandum. Quam sententiam suadent ex Leuit. cap. 21. quo loco præcipitur, vt mulier, quæ marem peperit quadraginta dierum spatio: quæ verò fœminam, per spatium octuaginta dierum ab ingressu templi abstineat.

5 Ego tamen verius esse existimo, vtrumq; fœtum animari simulatq; formatus est: Sic enim Exodi 21 iuxta versionem septuaginta dicitur [qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima: si nondum erat formatus mulctabitur pecunia.] Quibus verbis apertè insinuatur fœtum habere animam simulatq; fuerit formatus, idemq; Medici ipsi docent. Formatio verò fœtus ex Hipocrate lib. de natura fœtus, in maribus absoluitur aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. Formatio verò fœminæ absoluitur aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. & aliquando 50. Ratio autem cur fœtus non formetur eodem tempore in omnibus, prouenit ex caliditate, vel frigiditate matris. Vt ait Azor 3. par. lib. 2. cap. 4. vbi refert Armillam, & Syluestrum. In dubio verò præsumendum esse animatum docet Nauar. in Manuali confessor. cap. 15. num 14. ea ductus ratione, quod in dubio tutior pars est eligenda, & est communis opinio, quam sequitur Sacra Pœnitentiaria, vt testatur Nauar. in consilio 26. de homicidio in noua editione.

DIFFICVLTAS II.

Quid sit procurare abortum.

6 Procurare abortū nihil aliud est, quàm studiosè quærere vt fœtus immaturus ex vtero Matris abigatur.

6 Respōdeo nihil aliud esse, quàm studiose quærere siue per se, siue per alium, vt fœtus immature ex vtero matris eijciatur. Ita Chapeau. Belloch. Floron. locis in superiori difficultate citatis, & alij communiter. Tribus autem modis procuratio hæc contingere

tingere potest. Primò impediendo ne fœmina concipiat, verbi gratia si vir ante concubitum potionem aliquam fęminæ præbeat, per quam ea sterilis euadat: verùm hæc non dicitur procuratio abortus, vt patebit ex dicendis in tertia quęstione. Secundò procurando, vt fętus conceptus quidem, sed necdũ animatus eijciatur. Tertiò procurando, vt fętus iam conceptus, & animatus abigatur. Quare procurator abortus propriè dicitur ille, qui studiosè id agit, vt fętus, siue ille animatus sit, siue inanimatus, ex vtero abigatur. Quæ procuratio multis modis fieri potest, puta potionibus, percussionibus, magnis itineribus, laboribs, oneribus magnis prægnantibus mulieribus impositis, alijsquè sexcentis modis, quos identidem perditarum mulierum excogitat audacia, vel libido, & obiter tangit Bulla Sixti V. cit. Quibus adde vsitatum illum fascinantium vetularũ modum, vt per maleficia abortum procurent: id quod testatur Martinus Delrius disquisitionum magicarum tom. 2. lib. 3. quæst. 4. sect. 3. vbi refert cuiusdam exemplum, qui in Oppido Boltingensi Lausanensis Diœcesis per iudicem detentus confessus est suo se maleficio septem circiter infantes in vtero vxoris cuiusdam per abortum necasse.

DIFFICVLTAS III.

An mulier grauida possit aliquando procurare abortum.

7 *Proponitur casus in hac difficultate controuersus.*
8 *Refertur sententia affirmans.*
9 *Sententia Authoris.*
10 *Quid si mors vtriusquè, puta matris, & fœtus certò immineret neq; huic damno posset occurri, nisi procurando abortum; vtrùm in tali casu liceret illum procurare.*
11 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ.*
12 *Medicamenta ad salutem matris ordinata sumi possunt à muliere grauida, etiamsi ex ijs sit secuturus abortus.*
Id verum est etiamsi fœtus sit animatus, concurrentibus tamen duabus conditionibus: ibidem.
13 *Quoties licet mulieri grauidæ his medicamentis vti, licet etiam medico illa applicare.*
14 *Quando adest spes vt matre ab his medicamentis abstinente possit fœtus in lucem prodire, tenetur ex præcepto charitatis ab ijs abstinere.*
Sacerdos puerum baptizans, si ab hoste inuadatur, non potest fugere, dato quòd puer sine baptismo sit moriturus. ibidem.
15 *Vtrùm licitum sit vti medicamento æqualiter ordinato ad salutem matris, & ad abortum fœtus.*
Refertur sententia negans. ibidem.
16 *Sententia Authoris.*
17 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ.*
18 *Vtrùm liceat vti medicamento, de quo dubium sit, num mortem, an auxilium sit allaturum.*
19 *Non solùm posse medicum tali medicamento vti, sed etiam aliquando teneri.*

7 CAsus in hac difficultate controuersus esse potest de muliere grauida, cuius salus maximè periclitetur, ita vt ea probabiliter existimetur moritura nisi abortiatur. Quæri autem potest maximè de fętu inanimato, vtrũ videlicet licitum sit potionibus, aliouè remedio procurare abortum fętus inanimati

nimati quando nullum aliud ſuppetat remedium pro mulieris ſalute reſtauranda.

8 Reſpondent affirmatiuè DD. plures, qui ea ratione maximè nituntur, quòd in tali caſu fętus dicatur aggreſſor cum ille inuadat quaſi matrem, dum illi periculum mortis creat, eo plane modo, quo praui humores inuadunt naturam; Ergo ſimili ratione poterit ille expelli, & abigi, cùm melius ſit illum nōdum animatum expellere, quàm matrem extingui. Tum quia licitum eſt ob ſalutem totius abſcindere partem: ſic enim ſi quiſpiam eſſet manu alligatus ad cratem ferream, accedente incendio, vel hoſte licitum illi eſſet manum præſcindere: quod verum etiam exiſtimaui in tractatu de reſtitutione in particulari, ſi Tyrannus aliquis, vel iudex hoc præciperet, ſicut Ioſephus Clitoni auctori rebellionis cuiuſdam imperauit, vt mox ſibi manum abſcinderet, vt refert ipſe Ioſephus lib. 2. de bello iudaico cap. vltimo: pro qua ſententia citaui Toletum lib. 5. cap. 6. Leſs. lib. 2 cap. 9. dubit. 14 num. 101. Atqui fętus antequam anima informetur eſt pars ventris; Ergo non eſt ille conſeruandus cū tanto matris diſcrimine, eo vel maximè, quòd matre pereunte fętus ille non animabitur. Ita D. Anton. 3. par. tit. 7. ca. 2. §. 2. quo loco habet medicos dando medicinas prægnantibus ad procurandum abortum, & mortem eius, vt occultetur peccatum, mortaliter peccare: ſed ſi faciunt hoc ad præſeruandum prægnantem à periculo mortis, in quo eſt ex puerperio; tunc ſi puerperium nondum ſit animatum, poſſe & debere dare talem medicinam, Sylu. v. medicus quęſito 4. Fumus V. abortus nu. 2. Cord. in ſum. quæſt. 173 dicto 4 Graf. 1. par. decif. aur. lib. 2. cap. 63. num. 24. Henriq. lib. 11. de matr. cap. 16. num. 8. Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 20. num 9. Et alij.

9 Ego verò reſpondeo nullo modo licere præbere pharmacum eo animo, vt mulier grauida abortiatur; etiāſi, fœtus ſit inanimatus. Et probatur quia ſi ad periculum matris vitandum liceret aliquando procurare abortum fętus inanimati, dari etiam poſſet caſus, vt liceret effundere ſemen extra vas ad vitandam conceptionem: ſeu aliquando liceret aliquid dare mulieri, quo prolis conceptio vitaretur; puta quando fęmina eſſet experta ſe in partu probabiliſſimum mortis periculum ſubire. Atqui hoc non licet, vt patet ex capite, Si quis de homicidio, quo loco deciditur, hunc vt homicidam teneri? Tum quia ſemen fruſtaretur ſuo fine generationis, ad quam ordinatur; Ergo ſi non licet effundere ſemen, multo minus licebit fętum etiam inanimatum per abortum expellere. Tum quia tam intrinſecè mala eſt abortio, quam intrinſecè mala eſt pollutio. Atqui nullo modo licet procurare pollutionem, etiamſi ea ad ſalutem ſit neceſſaria. Ergo nec licet procurare abortum, licèt hic ad mulieris ſanitatem ſit omnino neceſſarius. Tum quia hoc modo liceret puellæ grauidæ ad vitandum periculū vitæ, vel famæ, quod ſibi ex partu probabiliſſimè timeret abortum procurare. Quod tamen negabimus licere in difficultate ſequenti. Ita Couar. Clementina, ſi furioſus par. 2. §. 3. num. 1. Petrus Nauar. lib. 2. cap. 3 nu. 140. quo loco aſſerit hanc eſſe omnium concordem ſententiam Leſſ. lib. 2. c. 10 nu. 61.

10 Addo hoc verum eſſe, etiamſi mors vtriuſq; puta matris, & fętus eſſet certa niſi abhiberetur tale pharmacū, & probabile eſſet poſſe matrem conſeruari eo adhibito: adhuc enim dico

co non licere illud porrigere cum hac directa intentione, vt abortus sequatur, vt patet à simili de pollutione: quamuis enim aliquando liceat permittere pollutionem dando operam rei licitæ, & necessariæ, ex qua per accidens ea præuideatur secutura, quomodo plures inter equitandum sciunt se pati pollutionem: tamen nunquam licèt illam directè intendere, & procurare: ita à pari abortum etiam fętus inanimati permittere quidem potest mulier grauida ex causa legitima, non tamen procurare.

11 Ad rationes in contrarium respondeo, & quidem ad primam dicendo fętum illum inanimatum non dici aggressorem, alioqui dicendus etiam esset vbi anima esset informatus. Pariter dicendũ esset aggressor semen quoties illius abundantia, vel retentio morbum crearet: & sic quoties licitum esset procurare abortum fętus inanimati, licitum item esset procurare pollutionem ad semen abigendum.

Ad secundam respondeo concedendo licitum esse pro conseruatione totius abscindere partem; pars enim naturaliter est propter totum. Sed tamen nego fętum esse propriè partem. Si tamen fętus esset corruptus, tunc liceret directè illum abigere ad cõseruandam salutem matris, quia tunc non diceretur amplius fętus, sed maligna massa.

Ex quibus patet, quid dicendum sit quando fętus est animatus: nullo enim modo licet abortum procurare. Et ratio est, quia intrinsecè malum est innocentis necem procurare: nec potest quis directè occidere innocentem, vt se ipsum seruet. Concedo tamen licitum esse matri grauidæ sumere medicinas ordinatas ad curandam valetudinem etiam cum abortus periculo, dummodo nulla adsit spes, quod matre ab illis medicamentis abstinente possit fętus in lucem prodire. Pro cuius rei intelligentia.

12 Aduertendum duplicis generis esse posse hæc medicamenta. Quædam enim sunt, quæ directè tendunt ad occisionem fętus, vt percussio, venenum, & alia huius generis. Quędam sunt, quæ directè tendunt ad prauos humores expellendos, & ad pristinam sanitatem restituendam, vt sumptio pharmaci deseruientis purgationi ventris, venarum ruptio, balnea, & alia similia. Primi ergo generis medicamenta non licet sumere, siue fętus sit animatus, siue inanimatus, ob rationes allatas. Secundi verò generis licita sunt, etiãsi adsit periculum fętus animati: concurrentibus tamen hisce duabus conditionibus.

Prima quod ad salutem matris necessaria sint.

Altera verò, vt nulla ad sit spes fore, vt matre ab illis medicamentis abstinente possit fętus in lucem prodire. Et probatur quia licèt nefas sit directè occidere innocentem, tamen per accidens, ac præter intentionem licitum est aliquando illum occidere, vt constabit ex dicendis in explicatione septimi casus reseruati. Sic enim inuasus equo insidens potest licitè fugere per viam angustam, vel ostium, in quo puer aliquis sit necessariò proterendus. Sic in bello iusto, vt experientia testatur, ac pariter concedunt DD. omnes agẽtes de bello, licitum est bellica tormẽta, aut ignes dirigere in arcem, seu vrbem, in qua constet esse plures innocentes. Ergo etiam in bello iusto contra lethales humores suscepto licitum erit ægroto sumere pharmaca ad salutem deseruientia, licèt inde præuideatur secutura mors fętus animati; hoc enim non est intendere occisionem

fętus

fętus, ſed tantùm illam permittere. Tum quia tam intrinſecè mala eſt pollutio, quàm mala eſt peremptio fœtus animati. Sed illam licitum eſt permittere, vt diximus: vt ſi valetudinis gratia vtendum eſſet medicamento, aut potu, ex cuius caliditate præuideretur pollutio ſecutura. Ergo etiam licebit hanc permittere. Tum quia fera inuadente poteſt mater grauida fugere, etiam cùm periculo abortus; Ergo pari modo inuadente morbo poterit ſumere pharmacum, etiamſi adſit periculum abortus. Demum verò ſi proles iam nata materno lacte extremè indigeret, matri verò ad vitam tuendam neceſſarium eſſet vbera exſiccare: porrò poſſet illa exſiccare, etiamſi præuideret mortem prolis ſecuturam, quia poſſet vti iure ſuo. Ergo pari modo pro conſeruatione ſuæ vitæ poterit ſumere pharmaca, etiamſi videat talem ſumptionem futuram coniunctam cum periculo abortus. Et ita ſententiam hanc præter DD. ſupra cit. ſuſtinent Cord. in ſum. quæſt. 173. dicto 1. & 2. & in Quæſtionario lib. 1. quæſt. 38. dubio 3. Manuel 1. tom. ſum cap. 5. num. 1. concl. 1. Lud. Lopez 1. par. inſtructorij cap. 63. §. huic ſit appendix, & §. ſequenti. Vega 1. tom. ſum. cap. 5. caſu 3. Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 20. nu. 14. & alij.

13 Vnde inferas, minus benè ac ſine fundamento ſentire quoſdam, quos refert Cord. quæſt. 38. cit. aſſerentes licere quidem mulieri grauidæ vti his medicamentis: non tamen licere medico illa applicare. Si enim illorum vſus licitus eſt mulieri grauidæ, licita etiam erit medico eorundem applicatio. Sic enim in explicatione 8. præcepti Decalogi diximus, ex eo quòd Reo licitum eſt è carcere fugere: licitum etiam cuicunq; eſſe fugam, & vinculorum diruptionem Reo conſulere. Et quia Reo licitum eſt carcerem effringere: licitum etiam cuicunquè eſſe eidem Reo præbere inſtrumenta, quibus vincula incidat, & carcerem effringat: ea ratione nixi, quòd ſi poſſumus conſulere finem, poſſumus etiam porrigere media neceſſaria ad illum conſequendum: ſecuti ſententiam Caietani, Michaelis Salonij, quos citat, & ſequitur Leſſ. lib. 2. cap. 31. dubit. 6. num. 40. & 41. Ergo ſi mulieri grauidæ licitum eſt vti medicinis ad ſalutem neceſſarijs, etiamſi eę coniunctæ ſint cum periculo abortus, ac fœtus ipſe ſit animatus; licebit etiam medico, aut obſtetrici eas applicare. Vt benè Cord. Vega locis cit.

Dixi in reſponſione concurrentibus tamen hiſce duabus conditionibus. Prima, quòd talia medicamenta ſint ad ſalutem neceſſaria. Altera vt nulla adſit ſpes fore, vt matre ab illis medicamentis abſtinente poſſit fœtus in lucem prodire.

De prima conditione conſtat, quia ſi medicamenta illa ad ſalutem neceſſaria non ſint, porrò ea ſumendo dicitur directè intendere abortum, non valetudinem, cum ad valetudinem nihil conducant.

14 De ſecunda item conditione conſtat, quia ſi adſit probabilis ſpes, vt matre ab illis medicamentis abſtinente poſſit fœtus in lucem prodire, & mortaliter peccat contra charitatem medicus talia medicamenta applicando, & mulier aſſumendo. Et ratio eſt quia præceptum charitatis illam obligat ad præferendam vitæ ſuæ corporali vitam ſpiritualem proximi extremè indigentis, qualis eſt puer non baptizatus. Vnde eſt, vt benè doceat Armil. V. defenſio num. 3. Sacerdotem, qui baptiſmum puero miniſtret, ſi ab hoſte

hoste inuadatur non posse fugere gratia conseruandi propriam vitam, dato quòd puer sine baptismo sit moriturus. Ita Less. cit. num. 33. Sanch. loco cit. num. 17. Quo loco addit casum hunc rarissimè posse contingere, proindeq; moraliter esse impossibilem, ex eo quòd corrupti humores matris laborantis morbo lethali, ita inficiant alimentum, quo ipse puer nutritur, vt pene sit miraculum matre pereunte illum incolumem posse remanere. Quare si tali remedio non adhibito valde probabile esset vtrumquè moriturum: eo verò adhibito probabile esset matrem saltem posse conseruari, in tali casu licitè posset illud adhiberi, Vt benè aduertit Less. cit.

15 Dices primò, quid si talis medicina æqualiter tenderet ad salutem matris, & ad fętus abortum, liceretne ea vti?

Respondent negatiuè Cord. in sum. quæst. 173. dicto 2. Manuel 1. tom. sum. cap. 5. concl. 3. nu. 3. Lud. Lopez 1. par. instructorij cap. 63. §. sed in casu dubio. Vega 1. to. sum. cap. 5. casu 3. ea autem potissimum niti possunt ratione, quia hoc esset directè procurare abortum, quoties medicina illa de se tenderet etiam ad abortum.

16 Respondeo tamen, & matrem posse illam licitè sumere, & medicum posse licitè illam applicare. Et ratio est, quia potius ius habet mater ad vitam suam conseruandam, quàm habeat fętus, cùm hic à matre pendeat, & non è contra. Ergo si medicina æqualiter tendat ad salutem matris, & ad necem fętus, præferri potest vita matris saluti fętus: eo etiam maximè quòd matre pereunte pene miraculum sit, si fętus incolumis euadat. Ita Sanchez cit. num. 18. Villalobos in sum. tom. 2. tract. 12. dubio 13. num. 2. vbi sic habet. [Quando la medicina ygualmente se ordena à la salud de la madre, y à la muerte de la creatura, non hauiendo otro rimedio para liberar la madre es licito tomarla; porque se hà da preferir la vida della madre &c. y lo mismo digo quando el medicamento es dudoso &c.]

17 Nequè obstat ratio in contrarium, quia hoc non esset abortum procurare, sed salutem matris quærere; nam principale intentum matris sumentis medicinam, & medici applicantis, esset consulere vitæ matris: actiones autem humanæ suam bonitatem, vel malitiam sumunt ex eo, quod per se primo est in intentione operantis; non autem ex eo, quod per accidens, & præter intentionem sequitur.

18 Dices secundò, quid si medicamentum esset dubium, num mortem, an auxilium esset allaturum, vtrùm in tali casu liceret illo vti.

Respondeo quoties desperata salus esset tam matris, quam pueri, licere illud applicare. Et ratio est quia periculum damni est modicum, supponimus enim esse desperatam salutem: ad summum verò illud damnũ sequetur, quòd mors aliquantulum anticipabitur; at lucrum maximum est, si res feliciter cedat, puta salus matris, quæ videbatur desperata.

Sic si mors certa immineat ab incendio excitato, vel fera inuadente, licitum est detento, seu inuaso è loco alto se præcipitare cum dubio mortis periculo. Ita Sanch. cit. num. 19. Villalobos loc. sup. cit. Quidquid in contrariũ sentiant Cord. cit. dicto 3. Lud. Lopez loco cit. §. Sed quid si medicina Vega cit. Manuel loco cit. concl. 2. num. 2.

19 Quinimò addit idem Sanch. medicum in tali casu teneri tale medicamentum applicare, ex eo quòd teneatur

neatur minus malum ægroti eligere: minùs autem malum est dubia mors spem aliquam salutis habens cum aliquali dubio anticipationis, quam sit mors omnino certa.

DIFFICVLTAS IV.

An liceat procurare abortum ad vitandum periculum vitæ, vel infamiæ alicuius puellæ prægnantis.

20 *Proponitur casus in præsenti difficulte controuersus.*

21 *Certissimum hoc est inter Doctores, si fœtus sit animatus, vel de illius animatione dubitetur, nullo modo posse procurari abortum.*

22 *Refertur sententia affirmans quando fœtus est inanimatus.*

23 *Refertur sententia negans.*

24 *Sententia Authoris.*

20 CAsus in hac difficultate controuersus hic esse potest. Ceia nobilis capta amore cuiusdam adolescentis copulam cum illo habuit, & effecta est grauida: timet autem sibi à patre, vel parentibus certam mortem, & maximam apud omnes infamiam, si grauida comperiatur. Quæritur, vtrùm in tali casu possit ad vitæ suæ, vel famę consulendum procurare abortum.

21 Certum hoc loco apud omnes DD. est, si fœtus sit animatus, non licere tali puellæ abortum procurare. Quod idem dicendum si dubium esset, vtrùm esset animatus, nec ne, ita vt medici, ac obstetrices in neutram partem deflecterent, sed animo fluctuarẽt. Et ratio est allata, quia intrinsecè malum est innocentis necem procurare, vel illius periculo se exponere: Non sunt autem facienda mala, vt eueniant bona. Præsens ergo difficultas est in casu, quo constet fœtum esse inanimatum.

22 Respondet affirmatiuè Franciscus Torreblanca de Magia lib. 2. ca. 43. num. 10. vbi sic habet. [Quando ex partu concepto euidens periculum apparet, vel quod puerpera soleat ad extremum deduci, aut nimis arcta sit, aut fama eius lædatur, aut aliter vitæ discrimen, vel existimationis, possit subire, benè poterit poculum abortionis præberi, dum fœtus tamen non erit animatus.] Ita Torreblanca. Ex quibus verbis constat de mente illius esse, vt si puellæ ex partu concepto immineat periculum vitæ, vel famæ, ea possit ad periculum hoc euadendum procurare abortum fętus inanimati. Quòd idem concedit posse facere fœminam, quæ sępius sit experta se propter arctitudinem, dum parit ad extremum deduci, vt patet ex verbis ipsis.

23 Respondet negatiuè Sanch. li. 9. de matrim. disp. 20. num. 10. ea ductus ratione, quòd in casu proposito fętus non dicatur aggressor, cùm periculum vitæ non manet ab ipso fętu, & ex alia parte periculum sit remotum. Verum contra Sanch. insurgit Basilius Pontius de matrim. lib. 10. cap. 13. num. 2. vbi sic habet. [Si licet euacuatio fętus nondum animati ad vitãdam mortem matris, & restituendam sanitatem: Quare non etiam licet procurare abortum nondum animatum, cum ad famam, & statum conseruandum opus erit? Casus enim se se offerre potest adeo præmens, vt nullo alio medio possit mulier eripi nisi abortu fœtus nondum animati.] Ita ille.

24 Respondeo ergo iuxta dicta in superiori difficultate, nullo modo licere procurare abortum ad vitandum periculum vitæ, vel famæ puellæ gra-

uidæ imminens. Ac nescio quomodo Doctores ij, qui casum hunc concedunt, non etiam concedat fęminæ, quę pluries fuisset experta se inter pariendum grauissimum vitæ periculum subire, atq; ad extremum vitæ solere deduci: non inquam concedant, licere fęminæ illi potionem sumere ad conceptionem impediendam: quæ enim rationes probant fętum conceptum posse abigi ob vitæ, vel famæ periculum, eædem etiam probant possę fętũ impediri per potionem prolis conceptioni obstãtem; quòd tamen nullo modo potest esse licitum, quia sic data opera diceretur impediri semen à suo naturali fine generationis, parumque, & solùm secundum magis & minus hoc distaret à feminis effusione extra vas. Vt bene Caiet. 2. 2. quæst. 154. art. 1. circa solutionem ad 4. §. ad singula autem obiecta. Petrus de Ledes. de matrim. quæst. 49. art. 6. dubio 2. concl. 6. Tabiena V. matrim. 3. in fine. Et alij apud Sanch. cit. num. 2.

Atq; ad hoc facit, quod communiter docent DD. mortaliter peccare fęminam, quæ statim post coitum vrinam effundat aut se ipsam erigat, aut quidquam aliud faciat, quo semen receptum expellat, eo quòd intendat frustare semen suo debito fine, quæ intentio, vel actio nullo bono fine potest cohonestari, Vt benè docet Margarita Confessorum 5. præcepto folio 88. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 16. nu. 8. Quidquid dicat Ang. V. debitum num. 27. quo loco docet posse sustineri hoc non esse peccatum mortale, quando ex iusta causa fiat. Belloch. in praxi de cas. reseru. par. 2 quæst. 4. num. 365. vbi sic habet, [quia sępe solet mulier mingere post coitum, vel se erigere, vt semen emittat, vel ne concipiat, crędo quod non peccat saltem mortaliter; nam ex hoc, vt liquidò patet non impeditur prolis generatio, quandoquidem aiunt Sylu. V. debitum num. 6. & Conradus par. 2. quæst. 315. matrix mulieris habet vim attractiuam, & retentiuam seminis, vt frustra post coitum mingat ad semen effundendum. Verùm licèt hæc sententia vera esset, adhuc tamen mulier mortaliter peccaret ob conscientiam erroneam, quam haberet, quòd hoc pacto possit generatio impediri.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quinam incidant in hunc casum.

25 *Incidit in casum, qui potiones & medicamenta porrigit vt fætus immaturus abigatur.*

26 *Id verum est etiamsi fætus, qui abigitur superuiuat, ita vt baptizetur.*

27 *Incidit in casum procurans abortum, etiamsi non sequatur abortus.*

28 *Tam fæmina procurans abortum, quàm maritus consulens, ac demum cooperãtes omnes incidunt in casum.*

29 *Incurritur reseruatio siue fætus sit animatus, siue inanimatus.*

30 *Vtrùm incidat in casum maritus habens copulam cum vxore grauida cum probabili periculo abortus.*

31 *Vtrùm incidat in casum maritus, qui vxorem suam ita grauiter verberet, vt abortus sequatur.*

32 *Incidit puella abortum procurans, licèt id faciat ad vitandam infamiam vel scandalum.*

33 *Quomodo intelligendum sit dictum hoc, de duobus malis minus est eligendũ, & vtrùm de malis culpę intelligatur.*

34 *Quare possit quis minus malum alteri suadere, non tamen ipse eligere.*

35 *Incidit in casum medicus qui vt experimen-*

vimentum faciat de ingredientibus in pharmaco illud propinat mulieri grauidæ.

36 *Item qui mulieri propinat potionem ad abortum, licèt ea dubiam faciat conceptionem.*

37 *Item qui in præsentia mulieris cum qua rem habuisset diceret nollem te esse grauidam; vnde ea amasio gratificatura abortum procuraret.*

38 *Item medicus qui mulieri periclitanti in partu præbeat medicinam ordinatam ad abigendum partum.*

25 Respondeo primò incurrere omnes eos cuiuscunq; conditionis, & sexus sint, qui potiones, medicamenta, venena, & similia porrigunt, vt fętus immaturus abigatur. Quare siue abortum procurent mulieri prægnāti venam in eius pede incidendo, vel eius pectus, & vterum percutiendo, vel illam oneribus nimijs præmendo, vel immoderatis laboribus vexando, vel tripudijs, & nimijs choreis agitando: quocunq; enim modo conentur, vt fętus immaturus abigatur, semper incurritur reseruatio. Ita Chapeau. de nono casu reseruato quæst. 2. illat. 9. Floron. de cas. reser. par. 2. casu 5. nu. 6. & 7. Belloch. de casibus reseru. par. 2. quæst. 8 num. 69. Ad quod facit, quod habet Nauar. in Man. cap. 15. nu. 14.

26 Adde hoc verum esse, etiamsi fœtus, qui abigitur superuiuat, ita vt ille baptizetur: dummodo enim ille præmaturè dicatur abigi, hoc sufficit ad reseruationem incurrendam; per accidens enim est, quòd fœtus eiectus, vel viuat, vel baptizetur. Ita Chapeau. Belloch. ll. cc. quibus accedit Floron. num. 9. Vnde neque hoc sufficit ad reseruationem tollendam, si fœtus non statim post sumptionem potionis, vel pharmaci eijciatur, vt si duorum, vel trium mensium mora intercederet; hoc enim nihil excusat, cùm semper stet procuratio abortus, cui autem verba legis conueniunt, eidem & dispositio conuenire debet, Vt iuristarum vulgato axiomate probat Floronus.

27 Secundò incurri hanc reseruationem, etiamsi effectus non sequatur, verbi gratia fœmina sumpsit potionē, ex qua putabat abortum secuturum: Medicus medicinam porrexit, & venam in pede secari fecit, vt mulier abortiretur, & tamen non est abortita: adhuc dico reseruationem incurri. Ratio multorum est, quia reseruatio non fuit lata contra abortientes, sed contra abortum procurantes: stat autem abortus procuratio, etiamsi effectus nòn sequatur, & in rigore tam dicitur fœmina abortum procurare medicamenta ad id sumendo, quàm medicus in eum finem ea præparando, & porrigendo. Ita Zecchius in casum 9. de abortu pag. 185. Gambar. pag. 191. num. 2. Bonac. disp. 2. de rest. quæst. vltima puncto 7. num. 6. Belloch. cit. num. 71.

Verùm ego contrarium sentirem cum Chapeau quæst. 2. cit. in principio. Finel. de cāsib. reseru. §. qui abortum, ex eò quòd reseruatio afficiat tantùm actus externos cum effectu: nisi in contrarium obstarent verba Synodi 32. de Sacram. pœnit. vers. impium abortus casum, ijs verbis. [Nos tamen firmam esse volumus Concilij Prouincialis reseruationem, quæ procurantes abortum tam animati, quàm inanimati fętus, etiam non secuto effectu complectitur.]

28 Tertiò comprehendi sub casu tam fœminam sibi abortum procurantem, quàm maritum consulentem, & alios omnes auxilium, consilium, mandatum, fauorem, consensum, opem ferentes, vel aliquo modo cooperantes;

omnes enim hi dicuntur abortum procurare. Quare incidit primo puella grauida, quæ ad id pharmaca sumit, vel corpus suum nimijs laboribus, & oneribus præmit, vt abortiatur: incidit Mater quæ procurat vt Medicus filiæ porrigat medicinam: ancilla item ad hunc finem medicum vocando: Medicus medicinam ordinando: aromatarius illam ad hunc finem præparando: barbitonsor venam secando: ac demū ij omnes, qui aliquo modo concurrunt. Et ratio est, quia hi omnes dicuntur abortum procurare: procurator enim abortus ille dicitur, qui per se, vel per alium studiosè agit, vt fœtus immaturus abigatur. Ita Belloch. loco cit. nu. 74. & 79. Quod si fœtus sit animatus, & abortus sequatur ij omnes excommunicationem incurrunt, Vt patet ex Bullis cit.

29 Quartò incurrere in reseruationem omnes procurantes abortum, siue fœtus sit animatus, siue inanimatus. Et ratio est, quia in vtroque casu dicitur procuratio abortus: vbi autem lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus. Tum quia hoc patet ex illis verbis Synodi 32. sup. cit. [procurantes abortum tam animati, quam inanimati fœtus &c.] Verùm tamen est, quod grauius peccat, qui fœtum animatum aborriri facit, quam qui inanimatum: siquidem ille homicida est, hic verò non. Ita Gambar. in explicat. huius casus, folio 191. num. 3.

30 Quintò existimant aliqui comprehendi sub casu tam mulierem, quæ maritum ex nimia libidine ad coitum alliciat, quàm maritum cum vxore sua rem habentem cum probabili periculo abortus. Quorum ratio est, quia in probabili periculo abortus, quoties cautionem non adhibent ad illum vitandum dicuntur illum intendere, & procurare: licèt enim inter illos licita sit libido, non tamen licita est procuratio abortus. Secus verò si debitam diligentiam, & iustam cautelam adhibeat, quia tunc sicuti excusantur à peccato mortali, ita & à reseruatione. Ita Chapeau. quæst. 2. cit. illat. 10 Belloch. sup. cit. num. 76.

Verùm hoc loco adhibenda ea distinctio est, qua vtitur Floron. de casib. reseru. par. 2. casu 5. nu. 9. vers. sextò locum habet. Si enim vir, & vxor nimia vtantur libidine ea intentione, vt abortus sequatur, tunc incidunt in casum. Secùs verò si abortū non intenderunt, sed tantùm explere libidinem; tunc enim licèt ex magna illa corporis agitatione abortus fuisset secutus, & illum aliquo modo præuidissent, adhuc tamen illos excusarem ab hac reseruatione. Et ratio est, quia licèt ij peccassent mortaliter, & essent in culpa; non tamen dicerentur procurasse abortum, quia non studiosè, nec ex industria ille fuisset quæsitus.

31 Sextò existimant aliqui comprehendi sub casu maritum eum, qui vxorem suam grauiter verberasset: vnde illa furore percita abortum fuisset passa. Ita Chapeau. quæst. 2. cit. illat. 4. Ego verò illum putarem tantùm in hanc reseruationem incidisse, quoties vxorem suam verberasset ea intentione, vt abortus sequeretur: verbū enim ipsum, procurare, significat studiosè, & ex industria quærere. Quare quoties maritus, vel pater vxorem, aut filiam verberando præuidisset periculum abortus, peccasset quidem mortaliter: si tamen illum non intendisset dicendus esset immunis ab hac reseruatione: nō enim in casum hunc incidunt quotquot sunt causa abortus, sed tantùm, qui illum procurant.

32 Septimò incurri in reseruationem,

nem, etiamsi ad vitandam infamiam, vel scandalum puella aliqua abortum procuraret. Et ratio est, quia vt patet ex dictis in superiore quaestione, nequè ad mortem vitãdam potest licitè procurari abortus, cùm non sint facienda mala vt eueniant bona. Vnde est vt dixerimus, si puella nobilis cum aliquo adolescente peccaret, ita vt grauida efficeretur, eam non posse ad honorem suum, vel familiae tegendum procurare abortum: sed si matrem adiret, vt sibi remedium aliquod porrigeret: mater verò ancillae negotium committeret, vt secreto aliquo abortu rem expediret: ancilla medico rem committeret, & de remedio dando deliberarent; medicus aromatario negotium daret; tunc hos omnes in casum incidere, quia dicuntur illius filiae abortum procurare. Ita Chapeau. quaest. 21. cit. in fine. Floron. loco cit. §. 1. Belloch. cit. num. 77.

Dices, ex regula iuris de duobus malis minus est eligendum. Sed minus malum videtur fœtum needum animatum perdere, quàm nobilem puellam subijcere periculo mortis, si Parens hoc sciat, & pariter periculo scandali, & infamiae; ergo illud potius erit eligendum, quàm hoc.

33 Respondeo hanc regulam valere primò in malis poenae non culpae, quandoquidem mala culpae nunquam sunt eligenda, licèt ea minima sint; Domini enim nostri illud effatum est, nihil prodesse homini si vniuersum mundum lucretur, animae verò suae detrimentum patiatur. Quòd si aliquando intelligitur de malis culpae, dictum hoc non est intelligendum de ijs, quae intrinsecè mala sunt, quale est fornicatio, in nullo enim euentu possunt esse licita: sed de ijs, quae mala sunt quia prohibita; sic enim licitum est ad vitãdam mortem frangere diem festum, vel ieiunium, cùm Ecclesia non obliget cum tanto rigore. Vel demum si intelligatur de ijs malis culpae, quae intrinsecè mala sunt, illud intelligi debet non in se ipso, sed in altero: verbi gratia est aliquis homicidium commissurus, possum dissuadere homicidium, quod est maius malum, & suadere fornicationem, quae est minus. Sic dicitur licuisse Loth stuprum suadere dicendo, sunt virgines fœminae, cum quibus poteritis libidinem vestram explere, vt enorme illud sodomiae vitium dissuaderet. De quo latissimè consuli potest Pereira in cap. 19. Genesis disp. 1. nisi fortè cum alijs dicere velimus Loth non obtulisse proprias filias ea mente, vt sodomitae illis abuterentur, sed vt ea submissione illius deflexi ab hospitum sodomitico abusu abstinerent. Vt si quispiam vehementer in se indignanti pugionem offerat dicens, accipe, int erfice me, non eo animo vt interficiat, sed vt tali submissione placatus iram sedet. Qui modus placet Caietano in illum locum Genesis, & inter alios illum approbat Pereira cit.

34 Quare autem possit quis alteri minus malum suadere, & non ipse eligere, hoc ideo est, quia quilibet suae voluntatis est dominus, vnde est vt illam possit remouere à toto malo, & teneatur, quia potest, cùm malum culpae sit semper fugiendum. Alteri verò parato ad maius malum potest consulere minùs, quia voluntatis illius non est dominus: vnde est, vt quia illum non potest remouere à toto malo, benefaciat si illũ ab aliqua parte remoueat, quod efficit si minus malum consulat, quod in ordine ad maximum malum est bonum.

35 Octauò incidere medicum eum, qui vt experimentum faciat de ingre-

dientibus in pharmacum, illud propinet mulieri grauidæ: hic enim dicitur abortum procurare. Ac certè de huiusmodi medico verificaretur, quod cōtra medicos scribit Petrarca in Epistola sua ad Clementem VI. Papam, [experimenta per mortem agunt: discunt periculis nostris, Medicoq; tantùm hominem occidisse impunitas summa est.

36 Nonò incurrere etiam in reseruationem eum, qui mulieri propinet potionem ad abortum faciendum, licèt illa tantùm dubiam faceret partus conceptionem; in dubio enim præsumendū est mulierem fuisse grauidam, proindequè iudicandum contra Pœnitentem, quem constat abortum procurasse. Ita Flor. num. 9.

37 Decimò ligari hac reseruatione eum, qui in præsentia mulieris, cum qua rem habuisset diceret, nollem te esse grauidam, quia inde graue aliquod malum tibi, & mihi suspicor euenturum: vnde ipsa, & malo itura obuiam, & amatori gratificatura abortum procuraret. Intellige tamen hoc verum esse, quoties desiderium hoc exprimendo aduerteret futurum, vt perdita fœmina abortum procuraret: in hoc enim casu diceretur per alium procurare abortum. Ita Flor. num. 14. Belloch. num. 81.

38 Vndecimò affici hac reseruatione medicum eum, qui mulieri periclitanti ex partu concepto licèt necdum animato præbeat medicinam ordinatam ad partum abigendum. Et ratio est, quia verè dicitur procurare abortum, quod ex nulla causa posse esse licitum sup. docuimus.

QVÆSTIO TERTIA.

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

39 *Non incidit is qui millies proposuit procurare abortum, sed tamen nunquam procurauit.*

40 *Non incidit mulier cui ignoranti amator propinauit potionem ad abortū.*

41 *Non incidit qui interrogatus de causis abortiendi remedium aliquod bona fide detegat, quo postea fœmina aliqua ad abortum procurandū vtatur.*

42 *Excusatur Medicus, qui vt Matrem morte liberet illi in partu laboranti potionem præbet vt partus iam maturus nascatur.*

43 *Item qui mulier potionem præbet ne liberos suscipiat.*

44 *Item qui in actu matrimonij vel copulæ se retrahit vel abstinet à seminis emissione, vt conceptio impediatur.*

39 Respōdeo primò excusari eum, qui millies etiam proposuerit se velle abortum procurare, sed tamen nunquam procurauit. In hoc enim casu valet regula, quòd reseruatio intelligitur cum effectu, & quòd reseruentur solùm actus exteriores. Verùm ergo erit eum mortaliter peccasse, & quidem toties, quoties illud animo proposuerit: verùm in nullam reseruationem dicēdus est incidisse, cùm ea comprehendat solùm procurantes, non verò proponentes, aut conantes procurare. Ita Chapeau. casu 9. de procurat. abortus quæst. 2. in principio. Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 8. num. 87.

40 Secundò non incidere mulierem eam, cui insciæ & ignoranti amator medicamentum, & potiones præbuerit, vt abortus sequeretur. Et ratio est, quia non dicitur procurasse. Ita Chapeau. loco cit. etiamsi post sumptionem potionis rem illi amator aperiret, & ipsa facto gauderet, atq; illud ratum haberet; ea enim necdum esset dicenda procurasse, proindequè mortaliter

taliter tantùm peccasse. Ita Floron. par. 2. casu 5. de procurantibus abortum num. 14. vers. 13. excipitur.

Addo hoc idem esse dicendum, etiamsi postquam fuisset monita de procuratione abortus, illum nollet impedire cùm tamen posset; adhuc enim non diceretur incidere in casum, vt potequæ non diceretur abortum procurare, sed illum tantùm permittere.

41 Tertiò non incurrere eum, qui interrogatus de causis abortiendi remedium aliquod bona fide aperiret; quo postea fœminæ aliquæ ad abortum procurandum vterentur: in eo enim si bona fides adfuit, defuit volūtas abortum procurandi, proindeq; in nullam reseruationem dicendus est incidisse. Ita Belloch. num. 23. Homobon. par. 3. in explicatione sexti casus.

42 Quartò excusari Medicum, eum, qui vt matrem morte liberet illi in partu laboranti potiones præbet, vel quid aliud exhibet, vt faciliùs partus iam maturus nascatur: licèt enim partus mortuus nasceretur, adhuc tamen non esset hoc medico imputandū ad peccatum. Et ratio est, quia ille non habebat intētionem procurandi abortum, sed partum naturalem. Ita Floron. n. 12. Homobon. Chapea. locis cit.

43 Quintò excipi illum, qui ne liberos suscipiat, vel alia de causa, puta ex odio mulieri potionem prębet, quominus concipiat. Et ratio est, quia iste non dicitur propriè abortum procurare, sed tantùm impedire conceptionem, siue agere vt semen non sit prolificum, quæ duo distincta sunt, vt patet. Vnde in Tabella Aesina, vt habet Belloch. num 94. vt etiam casus iste comprehenderetur, reseruatio fuit lata in hæc verba, abortus, aut sterilitatis in quauis fęmina procuratio. Ita Homobon. Chapeau. ll. cc.

44 Sextò excusari eum, qui in actu matrimonij, vel copulæ se abstinet, vel retrahit à seminis emissione, vt conceptio, vel generatio impediatur. Et ratio est eadem, quia hoc non est procurare abortum. Ita Chapeau. quæst. 2. cit. illat. 7. Floron. num 13. vers. 7. excipitur. Verùm tamen est mortaliter hunc peccaturum quia dicitur priuare naturam effectu suo, cum priuet semen vita, ad quam directè tendebat. Quare de Onano filio Iudæ dicitur Genesis cap. 38. quod cùm iussus esset ingredi ad vxorem fratris sui Her iam defuncti, & illi sociari, vt fratris sui semen suscitaret percussus est à Domino, eo quòd rem detestabilem faceret fundendo semen in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.

45 Septimò excipi illum, qui ignorauit fœminam esse grauidam. Ita Stephanus Quaranta V. abortus. Et ratio est, quia non dicitur habuisse intentionem, & propositum procurandi abortum. Sic medicus, qui nescius an mulier sit grauida, idquè nec animaduertens, nec animaduertere volens medicinam præberet, ex qua abortus sequeretur, non incideret in casum, etiamsi fortè mortaliter peccaret ob inaduertentiā culpabilem. Et ratio est quia ad casum hunc incurrēdum non sufficit, vt abortus possit alicui imputari, sed debet esse dedita opera, & ex industria quæsitus. Sic ignorantiam quantumuis crassam, dummodo non sit ingens temeritas, excusare à censura imposita scienter aliquid facienti docuimus superiùs in disput. 1. quæst. 4. §. vltimo.

46 Octauò non incidere in casum reseruatum maritum, vel patrem, qui vxorem, vel filiam leuiter castiget, vel verbum aliquod proferat: vnde mulier ira & furore percita abortum patiatur. Et ratio est, quia hoc modo non dicitur procu-

procurare abortum, neq; in se, neq; in sua causa. Ita Chapea. loco cit. Belloch. num. 110. Floron. num. 13. Quod verum esse diximus in superiore quæstione, etiamsi percussio grauis esset, ita vt vel percutiendo, vel obiurgando ad mortalem culpam perueniret: ita tamen vt abortus non fuisset intentus.

47 Nonò excipi mulierem illam, quæ ex repentina aliqua animi passione, puta lætitia, metu, appetitu cibi naturæ repugnantis, vel terribili & formidabili alicuius aspectu, vel terrore ex armatorum, vel rixantium hominum visione causato abortum patiatur. Et ratio est eadem, quia ipsa non dicitur procurare, sed effectus per accidens, & contingenter sequitur: quinimò vt plurimum contra voluntatem sequitur. Addo excusari etiam eum, qui huiusmodi metum mulieri grauidę incutiat, si probabiliter ignorabat periculum abortus. Secus verò, si sciens illius facilitatem in abortiendo alicuius monstri figuram & imaginem dedita opera repręsentauit ad finē abortus. Et ratio est, quia verè dicitur procurator abortus. Ita Chapeau. Floron. ll. cc. Belloch. num. 101.

48 Decimò excusari mulierē, quæ per metum cadentem in constantem virum cogatur sumere potionem, ex qua abortus sequatur. Et ratio est, quia quoties coacta sumat potionem, ex qua sit secuturus abortus, non dicitur studiosè quærere, vt fœtus abigatur; Ergo non dicitur procurare abortum.

49 Vndecimò non incidere in reseruationem mulierem illam grauidā, quæ currendo fugiat, vt se ab hostibus liberet: vel à feris: vel ab irruente in eam ebrio: vel vt incendij, aquarum, aut casus alterius similis ruinam euadat; licèt cursus ille cum magno, & probabili periculo abortus esset coniunctus. Et ratio est quia habet ius vitam propriam conseruandi. Et si non aufugiat imminet illi periculum, & fœtui. Ita Belloch. loco cit. nu. 12.

50 Duodecimò excusatur mulier, quæ aliàs experta se passam esse abortum graue aliquod onus portando, vel scalas conscendendo, illud defert, aut scalas conscendit, sed tamen pręter intentionem faciendi abortum. Et ratio est, quia non dicitur dedita opera, & studiosè illum procurasse. Quod verum est etiamsi casu contingeret, vt ea ob id abortum pateretur.

51 Decimotertiò excusari medicum, qui mulieri grauidæ, atq; in morbo periclitanti medicinā præbeat coniunctam cum probabili periculo abortus: dummodo tamen illa medicina sit ordinata ad valetudinem. Et ratio est, quia nec medicus porrigendo medicinam, nec mulier eam sumendo dicitur ex industria quærere abortum, qui si sequatur, præter intentionem sequitur. Addo hoc verum esse, etiamsi adesset spes, vt matre mortua posset fętus in lucem viuus prodire; licèt enim tunc vterquè peccaret contra charitatem; quia salus spiritualis filij esset præferenda saluti corporali matris, immunis tamen esset ab hac reseruatione, quia nō diceretur abortum procurasse.

52 Decimoquartò non ligari hac reseruatione eum, qui non impedit ne abortus ab alijs procuretur, merè negatiuè se habendo. Vt si maritus sciens vxorem suam velle abortum procurare non impediat. Et ratio est, quia reseruatio afficit tantùm procurantes. Ad hoc autem, vt quis dicatur procurare requiritur, vt positiuè concurrat dando instructionem, scribendo literas, ad id suadendo, dando auxilium, medicamenta &c.

53 Decimoquintò non affici hac

reseruatione medicum eum, qui mulieri grauidæ ordinauerit medicinam tendentem ad abortum, sed tamen ea non fuerit sumpta. Et ratio est, quia non dicitur procurasse, sed potiùs conatus fuisse procurare. Sic licèt Trident. sess. 25. cap. 18. excommunicet cogentes fœminas ad Monasterij ingressum, ad habitus susceptionem, vel ad professionem; si quis tamen puellam aliquam cogeret ad ingressum, & ea tali coactione non obstante non ingrederetur, sic cogens esset immunis ab hac excommunicatione, ex eo quòd non diceretur coegisse, sed conatus fuisse cogere. Quod docent Nauar. lib. 3. consil. tit. de regul. consil. 3. num. 1. Manuel 2. tom. sum. cap. 8. num. 9. Sanch. in sum. lib. 4. cap. 4. num. 19.

Ex qua ratione patet consulentem, mandantem abortum non incidere in casum, nisi ipsa procuratio abortus sit mandata executioni. Vnde si medicus ordinasset medicinam tendentem ad abortum, sed aromatarius illam mutasset, puella tamen illam sumpsisset cum intentione abortus, nec medicus, nec puella incideret in casum, quia illi non dicerentur procurasse abortum, sed tantùm intendisse procurationem.

54 Decimosextò non ligari hac reseruatione fęminam, quæ putans se esse grauidam sumat potionem ordinatam ad abortum, sed postmodùm comperiat se non fuisse grauidam. Et ratio est, quia non dicitur procurasse abortum, cum procurare abortum nihil aliud sit, quam studiosè quærere, vt fœtus abigatur; vt proinde si fętus non adsit, vel animatus, vel inanimatus, abortus nec sequi possit, nec procurari.

55 Decimoseptimò non incidere in casum medicum eum, qui medicinam ordinauerit ad abortum tendentem, vt ea Ceiæ grauidæ porrigeretur, & ea per aromatarij, aut ancillæ imprudentiam fuit porrecta Semproniæ item grauidæ. Et ratio est, quia abortus iste casualis est, proindequè nec medico imputandus.

56 Decimooctauò non incidere in reseruationem eum, qui videns Patrem animo statuisse, ac iam iam velle occidere filiam, quam comperit esse grauidam ex prauo concubitu, illi suadet, vt potiùs abortum procuret. Et ratio est, quia licitè possumus minùs malum suadere, sed quoniam casus iste non mediocrem difficultatem videtur continere, ideo sit sequens difficultas.

DIFFICVLTAS I.

An mulieri grauidæ paratæ se ipsam occidere ad vitandam infamiam possimus suadere, vt potiùs abortum procuret.

57 *An parato facere maius malum licitum sit consulere minus. Aliqui negant.*

58 *Author affirmat.*

59 *An parato facere maius & minus malum diuersis personis licitum sit consulere minus.*

60 *An furi dubio vtrùm furetur Titio, an Sempronio licitum sit suadere, vt potiùs furetur Sempronio.*

61 *Id tamen liceret quando fur esset determinatus inferre damnum vtriq;.*

62 *Si fur paratus esset furari, sed tamen necdum esset determinatus cuinam vellet furari, tunc liceret consulere, vt potiùs furaretur diuiti, quàm pauperi.*

Volenti rapere centum Titio pauperi possum suadere, vt eo relicto furetur potiùs diuiti, nullam personam nominando:

nando: & volenti furari mihi possum suadere, vt potiùs furetur alteri, ibidem.

63 *Satisfit difficultati initio propositæ.*

64 *An habenti votum castitatis, & stimulis carnis ita agitato, vt se continere non possit, licitum sit suadere, vt matrimonium contrahat ad vitandum maius malum. Aliqui affirmant.*

65 *Sententia Authoris.*

HViusce difficultatis solutio ab ea quæstione pendet, an liceat minus malum illi consulere, qui animo firmatus, ac paratus est maius perpetrare.

57 Respondent aliqui hoc nullo modo licere. Quorum rationes, ac fundamenta ex obiectionibus patebunt. Ita Caiet. 2.2. quæst. 78. art. 84. notabili 3. ad finem. Sylu. V. matrimonium 7. quæsito 5. Valent. 2.2. disp. 5. quæst. 21. puncto 4. col. 4. Emmanuel Sà in sum. v. peccatum num. 8. & alij. Quorum DD. pleriq; vt Caiet. Valent. cc. concedunt licere quidem offerre materiam minoris mali illud permittendo, non tamen licere ad illud inducere, ex eo quòd in primo casu voluntas feratur tantùm in vitationem maioris mali, & in declarationem minoris: in secundo verò feratur in ipsam executionem minoris mali, quæ nullo modo potest cohonestari. Et hæc sententia est probabilis.

58 Respondeo tamen licitum esse consulere minus malum ad vitandum maius, quando ille, cui consilium datur apud se omnino statuit maius malum perpetrare, nec alio modo potest ab hoc proposito diuelli. Et probatur ex D. Aug. lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 15. & refertur cap. Si quid verius 33. quæst. 2. ibi, [Si enim facturus est, quòd non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium: vt viuente vxore sua alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat.] Quo loco D. August. illi, qui statuerat occidere suam vxorem, vt posset cum alia contrahere, consulit, vt potius committat adulterium, contrahendò aliud matrimoniũ viuente vxore, quàm occidat vxorem, ex eo quòd adulterij crimen sit minus respectu peccati vxoricidij. Ac licèt Glossa ibi v. adulter, textum hunc explicet de sola permissione, non verò de consilio, vt D. Augustini sensus sit, esse potiùs permittendum minus malum, puta adulterium: tamen illorum verborum interpretatio hæc non videtur esse germana, cùm verba illa (iam faciat adulterium) consilium sonent, non permissionem. Probatur etiam ratione, quia consulens minus malum homini parato facere maius, non dicitur consulere executionem minoris mali, quę est intrinsecè mala, sed ipsam electionem minoris mali, quod obiectum est bonum. Quod inde confirmatur, quia si quis omnino statuerit maius malum patrare, per huiusmodi consilium ad id solùm adducitur, vt peccatum minuat, atq; vt à parte culpę desistat: puta si illi, qui firmiter statuit occidere, & furari, quis consulat, vt tantùm furetur; consilium hoc est bonum, cùm sit causa minoris mali, & ita consulens vtiliter gerit negotium proximi. Ergo non peccat. Ita Nauar. in sum. cap. 17. num. 263., & cap. 24. num. 11. in fine Petrus Nauar. lib. 3. de rest. cap. 4. vbi de iussione, & consilio, notabili 4. Henriq. lib. 4. de pœnit. cap. 27 nu. 9. Mol. tom 2. de iust. disp. 335. §. hac tamen conclusione Graf. 1. par. decis. lib. 2. cap. 127. nu. 11. Lud. Lopez 1. par. instructorij cap. 58. col. 3. §. licèt inducere. Et alij plures.

Obijcies primò Capitulum super eo, de

de vsuris, vbi habentur ea verba. [multò magis prohibēdus est quis, ne etiam pro redimenda vita, captiui vsurarum crimine inuoluatur.] Atqui minus malum est vsura, quàm homicidium. Ergo si non licet hæc pro eo vitando, nec licebit minus malū ad vitandum maius.

Respondeo textum hunc probare tantùm non licere alicui exercere vsuras pro captiuo redimendo. Et hoc verissimum est: nulli enim licet peccatum etiam veniale committere ad vitandum, vel in se ipso, vel in altero peccatum mortale, cum repugnet aliquid esse peccatū, & illud posse licitè eligi.

Obijcies secundò, qui consulit minus malum, semper verum est dicere eum consulere malum. Sed malum consulere non possumus. Ergo nec possumus consulere minus malum. Maior probatur, quia aduerbium illud comparatiuum, minus, non tollit positiuū.

Respondeo non consuli minus malum, sed electionem minoris mali, quæ est quid bonum; facta suppositione, quòd sit paratus committere maius.

Obijcies tertiò peccat is, qui facit minus malum ad vitandum in altero maius. Ergo etiam peccat is, qui minus malū consulit ad vitandum maius. Antecedens est verùm. Consequentia probatur, quia quo ad malitiam peccati spectat, nihil interest inter consiliū, & executionem mali, si obiectum peccati vno, & eodem modo se habeat, & ad consilium, & ad executionem. Sic quo ad malitiam peccati attinet, tam peccat is, qui alteri consulit, vt furetur, quàm qui furatur, & eadem vtriusquè malitia est.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Et ratio est, quia illud minus malum non se habet eodem modo ad consilium, & ad executionem: exequens enim potest ab vtroq; malo abstinere; vnde est vt mortaliter peccet, etiamsi minus malum eligat. At verò consulens cùm non possit ab vtroq; malo retrahere exequentem, inde est, vt bene faciat si saltem illum conetur retrahere à maiori malo, vt sic minus malum committat.

Obijcies quartò non licet illud petere, quod alter non potest licitè facere. Sed is, cui consulitur minus malum peccat illud cōmittendo. Ergo etiam peccabit consulens. Maior probari potest ex ijs, quæ habent Caiet. 2. 2. quæst. 78. art. 4. paulo post principium. Nauar. in sum. cap. 14. num. 39. Cord. in sum. quæst. 5. corolar. 5. Arag. 2. 2. quæst. 78. art. 4. dubib 1. in solut. ad vltimum, docentes etiamsi vsurarius sit paratus dare mutuum tantùm sub vsuris, non licere tamen petenti illud petere sub vsuris. Ex eo quod obiectum huius petitionis sit intrinsecè malum: licèt contrariam sententiam probabiliorem esse existimauerimus disputantes de præceptis Decalogi. Quò loco etiam cum DD. ibi cit. concessimus iusta concurrente causa ab infideli parato tantùm iurare per falsos Deos, licere ab illo petere, vt per falsos Deos iuret: ita vt harum petitionum sit sensus, da mihi mutuum sub tuis illis vsuris: iura per tuos illos falsos Deos: & sic permissio sit, nō inductio. Vt clariùs patebit in ca. 10. agentes de maleficio.

Respondeo negando maiorē, quando illud non petatur absolutè, sed posita determinatione voluntatis ad maius malum, à quo aliter non possit retrahi, quàm proponendo minus: in hoc enim casu licitum est petere id, quod alter non potest licitè facere.

Obijcies quintò hoc modo consulēs esset causa illius minoris damni, quod consuleret. Ergo peccaret.

Respondeo illum futurum tantùm causam

causam illius bonæ electionis, quam suadet, non verò damni.

Obijcies sextò si parato facere maius malum liceret consulere minus, ex eo quòd hoc non sit cōsulere malum, sed electionem minoris mali, quæ est quid bonum: hoc etiam liceret quando damnum non esset inferendū vni, & eidem personę, sed diuersis personis: puta si quispiam esset paratus furari Titio 100. liceret illi consulere, vt potius furaretur Sempronio 50., cum sit minus malum furari 50. quàm 100. & ita consulens diceretur consulere electionem minoris mali. Atqui hoc non licet. Ergo &c. Maior videtur clara. Minor probatur ex dictis à nobis de restitutione: hoc enim modo consulens esset directè causa illius damni Sempronij, quod nullo modo erat inferendum, nisi ipse consuluisset: nec licet vni prodesse cum damno alterius, cum hoc nihil aliud sit, quam vt Hispanorum fertur adagio, [Quitar da vn santo para componer a otro, ò hurtar para dar limosina.]

59 Respōdeo negando sequelam. Disparitas autem in eo est, quia licèt sit minus malum furari Sempronio diuiti, quam Titio pauperi, tamen consilium hoc non est licitum, nec medium proportionatum fini obtinendo cùm sit cōtra ius alterius, & cum illius damno coniunctum: licèt ergo optimum sit consilium aliquem auertere à maiori malo, tamen hoc non licet nisi medijs proportionatis, quæ iustitiam nullo modo violent, quale non est dum consulitur minus malum alicui tertiæ personæ inferendum.

60 Quod verum est licet fur dubius adhuc esset, an esset furaturus Titio, an verò Sempronio: adhuc enim non liceret consulere: vt potiùs furaretur Sempronio, quia hoc modo consulēs iniuriam faceret Sempronio voluntatem dubiam furis determinando ad tale damnum, quod fortè non fuisset secutum, si ita non consuluisset. *Vt* benè Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. notabili 4. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 11. nu 24. Et alij apud ipsos.

61 Quoties tamen fur determinasset vtriquè damnum inferre, nec alio modo posset reuocari ab hac voluntate, quàm consulendo, vt alteri tantùm furaretur; tunc liceret ita consulere, etiam nominando personam, ac dicendo, furare tantùm Sempronio, vel furare tantùm Titio. Et ratio est, quia in hoc casu nulli damnum inferretur, nec hoc esset inducere ad malum, sed ad minus.

62 Pariter si fur paratus quidem esset furari, sed tamen necdum esset determinatus, cuinam personæ vellet damnum inferre, tunc liceret consulere, vt potiùs furaretur diuiti, quàm pauperi. Et ratio est, quia in hoc euentu consulens nulli diceretur irrogasse iniuriam, neq; ad alicuius damnum diceretur determinasse voluntatem furis, sed tantùm illum retraxisse à maiori malo, & damno. Quòd idem est dicendum, quando ille esset paratus furari 100. Titio pauperi, & alter consuleret, minus malum esse eo relicto furari diuiti nullam personam nominando: adhuc enim illius voluntas ad nullius dānum in particulari per tale consilium determinaretur, sed tantùm reuocaretur, ne damnum Titio inferret, cui illud esset magis noxium, quàm foret diuiti. Ita Sanch. cit. qui numero sequente infert, volenti rapere bona mea posse me consulere, vt potiùs rapiat bona alterius nullam personam nominando: puta dicendo, si vis furari, furare alijs, non mihi. Et ratio est, quia hoc modo nullius damnum consulitur, sed

propriurn

proprium auertitur. Quidquid in contrarium sentiat Salonius 2.2. quæst.62. art. 7. controuersia 7. in fine.

63 Ex quibus patet primò solutio ad casum propositum in principio difficultatis, quoties enim Pater esset animo firmatus, ac determinatus occidere filiam suam, quam grauidam comperisse t ex prauo concubitu: vel filia ipsa esset parata se ipsam occidere ad infamiam auertendam, nec alio modo posset ab hac voluntate auerti: in tali casu liceret consulere, & inducere ad abortum procurandum, quia hoc non esset inducere ad malum, sed ad electionem minoris mali, quæ bona est.

64 Secundò patet solutio illius difficultatis, in qua quæritur an habenti votum castitatis, & stimulis carnis ita agitato, vt se continere non possit, sed passim succumbat, licitum sit suadere, vt contrahat matrimonium, vt sic minus peccet. Aliqui enim respondent hoc licere; quorum ratio est, quia matrimonium contrahendo vnicum peccatum committitur. Et si illud non contrahatur, infinita penè sacrilegia committuntur. Ita Ang.V.matrim.3. impedimento 5.in fine Veracruz 1.par. speculi art. 15. dubio vltimo.

65 Respondeo tamen non licere tale consilium præbere. Et ratio est, quia ad hoc vt possit licitè consuli minus malum, debet ille, cui consulitur esse omninò determinatus ad maius perpetrandum, nec sufficit prauus habitus, seu praua inclinatio ad frequentem lapsum impellens. Tum etiam necesse est, vt nullo alio modo possit ille retrahi ab illo maiori malo perpetrando nisi illo minori malo proposito. Quæ duo in nostro casu non concurrunt. Primò enim is, quem voto castitatis supponimus adstrictum, non omnino statuit velle peccata carnalia committere, sed si illa committit, hoc fragilitatis potiùs, & praui habitus contracti vitium est, quàm voluntatis. Secundò alio modo potest huic malo consuli, puta petendo dispensationem voti, quæ facillimè concedi solet allegato periculo incontinentiæ. Ita Sanchez sup. cit. num. 29.

Si tamen talis esset casus, vt ille omnino statuisset venereis operam dare, nec vellet voti dispensationem petere, & ex alia parte speraretur huic malo consultum iri matrimonio contracto: tunc liceret consulere, vt matrimonium contraheret; tot enim circumstantiæ concurrerent, quæ consilium hoc cohonestarent.

DIFFICVLTAS II.

Puella nubilis abortum procurauit, & illius Parentes tale factum suspicantes volunt illam suo Parocho non habenti facultatem absoluendi cōfiteri, & communicare. Vnde si ipsa renuat certissimum hoc habebunt Parentes sceleris argumentum, & illicò eam interficient. Quæritur an in tali casu ad salutem tuendam possit Parocho suo confiteri, & postmodùm ad Sacramentum Eucharistiæ accedere.

66 *Responsio est affirmatiua.*

66 Respondeo cum distinctione. Vel enim in Parocho probabiliter timere potest fractionem sigilli, si manifestet procurationem abortus: vel non. Si primum, potest omnia peccata Parocho confiteri excepto abortu,

abortu, dummodò tamen habeat propositum peccatum hoc confitendi, quoties habuerit copiam Confessarij, à quo possit absolui, & sic poterit communicare. Et hoc pendet ex dictis à nobis de pœnit. quo loco docuimus Pœnitentem semper excusari ab integritate materiali confessionis, quando prudenter sibi aliquod malum timere potest, puta quod peccatum sit Confessarius alteri reuelaturus.

Si secundum, hoc est, si Parochum suum existimat futurum secreti tenacē, nec reuelaturum confessionem, tunc tenebitur illi confiteri omnia peccata, & procurationem abortus, in qua confessione ab alijs peccatis directè absoluetur, indirectè verò ab abortu. Et hoc pendet ex ijs, quæ diximus in disputatione superiore quæst. 3. diff. 16. ratio primi est quia in tali casu adesset integritas formalis, & iusta causa excusans a materiali. Ergo sic posset confiteri, & postea communicare. Ratio secundi est, quia confessio semper est facienda integra quoties fieri possit. Vide Chapeauillam cap. 9. de procurat. abortus quæst. 1. difficult. 3. & quæ in simili casu diximus sup. disp. 1. quæst. 4. diffic. 25. §. 2. vers. Quartò quid dicendum.

DIFFICVLTAS III.

Monialis se grauidam comperiens pugnis, & percussionibus se ipsam percutit ad effectum abortus animati. Quæritur vtrùm non solùm incidat in excommunicationem latam à Sixto V. contra procurantes abortum fœtus animati effectu secuto, sed etiam incurrat in excommunicationem contentam in capite si quis suadente diabolo, eo quòd manum violentam in religiosam inijciat.

67 *Incidit tantùm in excommunicationē latam contra procurantes abortum.*

67 RESpondeo in primam quidem incurrere, non tamen in hanc posteriorem. Ratio est quia licèt manus illa sit violenta naturæ, non est tamen iniuriosa statui Ecclesiastico, nec violenta religiosæ personæ, cùm non intendat sibi iniuriam inferre, sed tantùm fœtui. Ita Caiet. V. excom. cap. 10. Armil. V. eodem 1. de ord. excommunicat. num. 2. Rodriquez in sum. p. 1. c. 80. nu. 13. Fumus V. excommunicat. 1. num. 2. Chapeau. cap. 9. de 9. casu reser. quæst. 3. Belloch. par. 2. q. 8. nu. 108. Quidquid in contrarium alij sentiant.

DIFFICVLTAS IV.

An facultatem habens generalem absoluendi ab omnibus casibus Ordinario reseruatis absoluere possit procurantem abortum fœtus animati effectu secuto.

68 *Proponitur sententia affirmans.*
69 *Sententia Authoris.*

68 RESpondet affirmatiuè huic difficultati Bonac. de excommunicat. in particulari extra Bullam Cœnę disp. 2 q. 2. puncto 10. num. 14. in hæc verba [Quamobrem hic breuiter dico non solùm censeri eum ad hos casus specialiter deputatum, qui facultatem habet absoluendi in indiuiduo ab excommunicatione propter abortū contracta: verùm etiam, qui facultatem habet absoluendi ab omnibus censuris,

ris,& excommunicationibus Episcopo reseruatis. Nam in huiusmodi facultatibus hic etiam comprehendi videtur; illa enim particula, specialiter, non est adiecta ad excludendum absolutionem ab alijs censuris, sed ad indicandum nō posse quem virtute alicuius facultatis absoluere, nisi ea facultas ad hos etiam casus extendatur: non enim sufficit facultas absoluendi ab aliquo casu ab hoc distincto; facultas verò absoluendi ab omnibus casibus Episcopo reseruatis, si distributiuè explicetur, proculdubio casum abortus specialiter comprehendit. Hac de causa censeo Pœnitentiarios Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanensis posse beneficium absolutionis ab hac censura conferre. Tum quia sunt specialiter deputati ad censuras, & casus reseruatos. Tum quia sic vsu est receptum.] Ita Bonac. cuius sententiam probabilem existimarem, si verba tantùm Gregorij XIII. in contrarium extarent asserentis facultatem absoluendi in foro conscientiæ ab hoc casu pęnes eum Confessorem tantùm esse, qui specialiter sit per loci Ordinarium ad hunc casum deputatus: explicari enim posset illa particula, specialiter, ita vt eum haberet sensum, quem affert Bonac.

69 Verùm clariùs obstare videntur verba Concilij nostri prouincialis 7. quæ in superiore disp. citaui quæst. 4. difficul. 2. Quibus verbis Concilium apertè dicit, nullum Confessorem posse prætextu cuiusuis facultatis generalis absoluendi a casibus reseruatis absoluere eum, qui abortum fętus animati procurauerit effectu secuto, aut à peccato, aut ab excommunicatione nisi per loci Ordinarium fuerit ad hos casus specialiter deputatus. Quid autem clarius his verbis? Nam si prætextu cuiusuis facultatis absoluendi à reseruatis nullus potest absoluere eum, qui abortum fœtus animati procurauerit effectu secuto, apertissime hinc infertur facultatem ab hoc casu absoluendi non comprehendi sub generali facultatē à reseruatis absoluendi.

DIFFICVLTAS V.

Quàm graue sit hoc peccatum.

Respondeo huius peccati grauitatem innotescere nobis ex pęnis, quæ multiplici iure sunt statutæ contra procurantes abortum: aliæ enim iure diuino sunt latæ, vt patet Exodi c. 22. vbi si quis percusserit mulierem prægnantem, & abortum faciat, & mors eius subsecuta fuerit, statuitur vt reddat animam pro anima. Aliæ in iure canonico cap. si aliquis de homicidio continentur, vbi in hæc verba prohibetur abortus. [Si aliquis causa explēdæ libidinis, vel odij meditatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, vt homicida teneatur, & vt talis puniendus est &c.] Et si fœtus sit animatus, patet ex dictis excommunicatione affici, ijsq; pœnis omnibus, quę in homicidas sunt latæ. In iure pariter ciuili aliæ continentur, vt patet ex lege necare ff. de liberis agnos. & lege, si mulierem ff. ad legem cornel. de sicarijs & lege, si quis aliqui ff. de pœn. Ac meritò, erat enim pluribus legibus tam immane scelus ab hominibus arcendū, quod eos bestijs crudeliores, & truculentiores declararet. Bestię enim ipsę partus suos accuratissimè fouent: solus homo bestijs ipsis in hoc truculentior, & naturæ legum fractor in propria sęuit viscera, & proprios partus alerę, fouere, in lucem edere negligit.

DISCE LECTOR.

Verissimè illud vulgato adagio ferri, lupum homini hominem esse.

CAPVT QVARTVM

Qui in secundo, vel propinquiore cognationis gradu incestum commiserint.

CAput hoc tribus quęstionibus constabit. In prima vnum hoc principaliter quæremus, quid videlicet sit incestus, & ad quotum vsq; gradum committatur. Cęterùm data occasione de consanguinitate, & affinitate, ac plerisquè alijs ad incestum pertinentibus disputabimus. In secunda, quinam incidant in hunc casum. In tertia, quinam excusentur ab hac reseruatione.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid incestus sit, & ad quotum vsquè gradum committatur.

VNum hoc ad huius casus intelligentiam erat necessariò præmittendum, quod ex tractatu de matrimonio petendum: quid videlicet sit incestus, & ad quotum vsquè gradum committatur; hinc enim facillimè constabit, quandonam incurratur reseruatio.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit incestus,

1 *Quotupliciter sumi possit incestus.*
2 *Definitio incestus.*

1 INcestus dupliciter sumi potest. Primò generaliter, & latè, quo modo comprehendit quamcunquè illegitimam copulam. Et sic fornicatio, adulterium incestus dicuntur, quasi sic dictus à cesto, quem veneris cingulum finxere Antiqui, quo amorem maritalem in legitimis nuptijs conciliari putabant: ita vt incestus dicatur illegitimus quilibet concubitus, cui cingulum illud iustarum nuptiarum insigne non adhibetur. Sed à fabulis ad seria reuertamur.

Secundò sumi potest strictè, & propriè, quatenus significat abusum consanguineorum, vel affinium, ita vt incestuosi dicantur ij, qui abutuntur consanguineis, vel affinibus. Ita D. Tho. 2. 2. quæst. 554. art. 4.

2 Definire ergo incestum possumus sic, quod sit illegitimus concubitus per carnalem copulam cum persona consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos commissus. Ita Graff. in praxi lib. 1. cap. 13. num. 1. Chapeau par. 2. cap. 14. quæst. 1. Gambar. casu 4. nu. 6. folio 193. Clauis Reg. lib. 8. cap. 4. num. 1. Belloch. par. 2. quæst. 1. num. 89. Tolet. lib. 5. cap. 12. nu. 1. Homob. in comment. de cas. reseru. par. 2. cap. 4. sect. 1. vers. definitur. Quare incestuosi secundùm propriam, & strictam interpretationem dicuntur ij, qui abutuntur consanguineis, vel affinibus. cap. lex illa 36. q. 1. §. cum ergo vers. incestus.

Dixi intra gradus prohibitos, qui in consanguinitate, & affinitate orta ex

copula

copula licita extēduntur vſq; ad quartum incluſiuè; in affinitate verò orta ex copula illicita, tantummodo vſq; ad ſecundum incluſiuè. Vnde eſt, vt quo maior eſt coniunctio, eò grauius peccatum ſit, ac proinde, qui inceſtum committit cum conſanguinea grauius peccet, quàm ſi eundem cōmittat cum affine, grauiuſq; idem peccatum ſit ſi committatur in primo gradu, quàm in ſecundo. Sed quoniam conſanguinitatis hæc, & affinitatis mentio: & graduum pariter primi, ſecundi, tertij, & quarti variatio caliginem aliquam hęc nomina ignorātibus infundere poteſt, ideo breuiter pro huius caſus intelligentia hæc omnia declarabo.

DIFFICVLTAS II.

Quid ſit conſanguinitas.

3 *Quid ſit conſanguinitas.*

4 *Quid veniat nomine lineæ: quid item nomine gradus: linea recta & collateralis quæ nam ſit.*

5 *Affertur regula deſeruiens ad cognoſcendos gradus in linea recta.*

6 *Altera ad cognoſcendos gradus in linea collaterali in diſtantia æquali.*

7 *Tertia item inſeruiens pro linea collaterali in diſtantia inæquali.*

3 Conſanguinitas eſt vinculum, ſeu propinquitas perſonarum deſcendentium ab vno, & eodem propinquo ſtipite per carnalem propagationem contracta. Ita communiter Theologi in quarto diſt. 40. vt proindè idem ſit conſanguinitas, ac ſanguinis vnitas; conſanguinei enim ideo dicuntur, quia ex vno ſemine, & ſanguine nati ſunt, & ab eodem ſtipite omnes deſcendunt.

Dicitur primò, vinculum. Et ratio eſt, quia ſanguis eſt veluti quoddam ligamen, per quod ab eodem ſanguine deſcendentes & in eo communicantes dicuntur vniri.

Dicitur perſonarum, & hoc ad differentiam brutorum: quæ licèt ab eodem ſanguine procedant, tamen non dicuntur conſanguinei, quia illi non vniuntur ad amicitiæ vnitatem.

Dicitur ab eodem propinquo &c. Et ratio eſt, quia in conſanguineis debet intelligi virtus ſtipitis perſeuerare, quod non poteſt intelligi reſpectu ſtipitis remoti, ſed tantùm reſpectu proximi. De reliquo ſi haberetur ratio ſtipitis remoti omnes eſſent conſanguinei, quandoquidem omnes ab eodem parente Adamo deſcendunt.

Dicitur ſtipite. Eſt autem ſtipes perſona ea, à qua cęteræ, de quarum coniunctione agitur originem ducunt, verbi gratia Titius habet filios, & nepotes, & alios deſcendentes. Si de horum ſtipite quæramus, eſt Titius, quandoquidem hi omnes ab eo deſcendunt.

Dicitur carnali propagatione, ad indicandum, quod conſanguinitas non contrahitur per quamcunq; dependentiam, ſed per carnalem copulam. Vnde inter Euam, & Adamum non fuit conſanguinitas, etiamſi ea ab huiuſce oſſe eſſet formata. Et ratio eſt, quia non fuit formata per carnalem propagationem. Multò minus Angeli ſunt conſanguinei Deo, quandoquidem ab eo per creationem tantùm, non verò per carnalem, propagationem deſcenderunt. Inter Chriſtum autem, & Mariam fuit vera conſanguinitas. Et ratio eſt, quia Maria miniſtrauit Chriſto materiam ſuam, ideſt puriſſimum ſuum ſanguinem, quem aliæ matres filijs ſolent adminiſtrare.

4 Sed quoniam vinculum hoc eſt duplex, inde eſt, vt duplicem lineam

constituat. Alteram ascendentium, & descendentium, quæ recta dicitur. Alteram verò collateralem, & transuersalem. Linea autem nihil aliud est, quam ordinata collectio, & series personarum descendentium ab vno stipite continens diuersos gradus. Gradus verò est habitudo personarum distantiũ, per quam cognoscitur quanta distantia, seu propinquitate consanguinitatis personæ sint inter se coniunctæ: ita vt linea sit admodum scalæ, quæ sicuti plures gradus continet, ita etiam linea.

Linea verò recta dicitur ea, in qua vna persona ab altera directè trahit originem, siue immediatè, siue mediatè, vt filius, qui à patre immediatè est, nepos verò, qui ab Auo mediatè, & sic deinceps. Eadem verò modo ascendentium dicitur, si nimirum respiciantur propagantes, puta Pater, Auus, Proauus, Abauus, & alij ascendentes. Modò dicitur descendentium, si nimirum respiciantur propagati ab ipsis, vt filius, nepos, pronepos, abnepos.

Collateralis verò, seu transuersalis ea est, in qua vna persona non sic sanguinem trahit ab altera, sed vna stat ad latus alterius, & ambæ ducuntur ab eodem stipite. Pro cuius rei intelligentia constituatur tãquam primus stipes, & fundamentum arboris consanguinitatis Pater. Primum gradum in linea recta constituit filius. Secundum nepos, & sic de ceteris. In linea verò laterali primum gradum constituunt frater, & soror, quatenus sunt ab vno, & eodem Patre. Secundum constituunt Patrueles, & sic de alijs. Quo loco aduertendum stipitem, & fundamentum arboris, siue consanguinitatis, siue affinitatis nunquam facere gradum, sed esse principium, & fundamentum arboris. Gradus enim nihil aliud est, quã determinata propinquitas, seu distantia personæ ad personam. Vnde est, vt Pater, qui nec sibi propinquus est, nec distans nullum faciat gradum: primum verò constituat filius, qui immediatè distat à Patre: secundum nepos, qui mediante tantùm filio: & sic deinceps.

Pro gradibus verò consanguinitatis computandis, ad hoc vt cognoscatur in quo gradu vnus sit alteri cõiunctus, vel ab eo distet, triplex regula ab Auctoribus assignatur communiter.

5 Prima regula est pro linea recta ascendentium, & descendentium, ita vt quot personæ sunt in linea, tot sint gradus vna dempta, idest dempto stipite. Quare in linea recta descendentium sunt Pater & Filius. Filij ergo erunt cõiuncti in primo gradu eo quod dempto stipite, idest Patre remaneat tantùm vna persona, quæ est filius. Pater, & nepos erunt in secundo. Et ratio est, quia tot sunt gradus, quot sunt personæ dempto stipite. Sed dempto stipite, idest Patre, personæ sunt duæ, puta filius, & nepos, cum Patre erit in secundo: & sic deinceps.

6 Secunda regula pro linea collaterali in distantia æquali, quando scilicet vtraq; persona distat æqualiter à communi stipite hæc est. Quoto gradu distãt à communi stipite, eodem etiam distant inter se. Quare duo fratres, qui sunt in æquali distantia à communi stipite vno gradu distant inter se, ex eo quòd vno etiam gradu tantùm distent à Patre, qui est stipes. Duo patrueles, idest filij duorum fratrum distabunt in secundo, ex eo quòd in eodem distent à communi stipite.

7 Tertia regula pro linea item collaterali in distantia inæquali, quando videlicet inequaliter distant à communi stipite, hæc est. Eo gradu distant inter se, quo remotior distat à stipite. Maioris

ioris autem claritatis gratia ponamus exemplum. Titius habet duos filios Petrum, & Franciscum, & quidem Petrus habet filium, qui vocatur Seius. Si quæramus in quo gradu Franciscus sit coniunctus cum Seio vidēdum est quoto gradu Seius, qui est remotior distet à communi stipite. Cum ergo duobus tantùm gradibus distet à stipite, quandoquidem eo dempto remanent duæ personę puta Petrus, & Seius, in secundo etiam gradu erit coniunctus Francisco. Sic si Seius haberet filium nomine Marcellū, hic distaret tertio gradu à Francisco, quandoquidem tribus tantùm gradibus distat à Stipite, hoc enim dempto sunt tres personæ, puta Petrus, Seius, & Marcellus. Ex regula autem à nobis assignata tot sunt gradus in linea recta, quot sunt personæ dempto stipite. Videte de his fusiùs apud Sanchez lib. 7. disp. 50. Verùm si gradus omnes cōsanguinitatis sua expressos arbore fortè velitis, videte Sylvestrum v. matrim. 8. quæst. 8.

DIFFICVLTAS III.

Quid sit affinitas.

8 *Definitio affinitatis.*
9 *Etimologia huius nominis, affinitas.*
10 *Quotuplex sit affinitas, & ad quotum gradum extendatur.*
11 *Assertur regula inseruiens ad dignoscendos gradus affinitatis.*
12 *Quinam sit stipes in affinitate.*
13 *Quinam sint ascendentes in affinitate, & quinam descendentes.*

8 Affinitas est proximitas personarum, quarum vna cum consanguinea alterius copulam carnalem habuit. Ita communiter definitur per Canonistas, vt testatur Grass. lib. 1. de incestu cap. 16. nu. 7. Cæterum si exactiorem eius descriptionem velimus, sic potest definiri, quod sit proximitas personarum ex carnali copula prouenniens omni carens parentela. Ita communiter Doctores.

Dicitur proximitas. Et in hoc conuenit cum consanguinitate, & alijs cognationibus.

Dicitur ex carnali copula prouenniens. Et in hoc distinguitur à consanguitate.

Dicitur omni carens parentela, quæ particula intelligitur per se loquendo, & ex parte affinitatis: Nam illi per accidens est, quod aliquando affinitas, & consanguinitas in eodem reperiantur.

9 Quod si nominis ethymologiam spectemus, affinitas est dicta ex eo quod duæ, & diuersæ cognationes per nuptias, & coitum copulentur, & alter ad alterius cognationis finem accedat lege non facile §. affines. ff. de gradibus affinitatis. Vnde affinis dicitur, qui accedit ad finem consanguinitatis & cognationis alterius propter copulam cum aliquo de illa consanguinitate habitam: nam per copulam carnalem masculus, & fœmina efficiuntur vna caro, siue sit licita copula, siue illicita.

10 Hæc autem affinitas duplex est. Vna, quæ oritur ex copula perfecta sine matrimonio, quæ appellatur copula illegitima, cap. si quis vno 3. quæst. 4. Et in cap. in eo 32. quæst. 4. & in cap. de incestuosis 35. quæst. 3. Et hæc extenditur tantùm vsq; ad secundum gradum inclusiuè. Ita enim restrinxit Cōciliū Trid. sess. 24. c. 4. de reformat. matrim. Ac demum ita declarauit Pius V. in constitutione, quæ incipit ad Romanum. Altera, quæ nascitur ex copula legitima, ordinaria, perfecta cum matrimonio, & habetur in capite. Nec

eam 35. quæst. 3. Concilio Triden. & Bulla Pij V. cit. Quæ affinitas extenditur vsq; ad quartum gradum inclusiuè.

11 Ad gradus autem affinitatis dignoscendos, aduertendum est, quandoquidem diximus affinitatem oriri ex copula, in quo gradu persona sit marito consanguinea, in eo enim erit affinis vxori, & vice versa. Sic frater, qui in primo gradu est marito consanguineus, in primo etiam gradu est vxori fratris sui affinis. Pariter vice versa, soror quæ in primo gradu est vxori cõsanguinea, in primo etiam gradu est marito affinis. Quare hæc regula generalis est, vt quoto gradu quis distet in consanguinitate à marito, toto distet in affinitate ab vxore: sicuti in consanguinitate quoto gradu distant aliquæ personæ à stipite, toto distant inter se. Cui regulæ similis illa alia est, in quo gradu est aliquis consanguineus personæ cognoscenti, in eo sit affinis personæ cognitæ. Et è contra, In quo gradu est aliquis consanguineus personæ cognitæ, in eo sit affinis personæ cognoscenti. Exemplum esse potest de Berta, & Titio, qui coniuges sint; frater enim Titij, qui est in primo gradu consanguinitatis cum ipso Titio, est in primo gradu affinitatis cum Berta: & è contra, frater Bertæ, qui est in primo gradu consanguinitatis cum ipsa Berta, est in primo gradu affinitatis cũ Titio. Et sic de singulis iuxta regulam citatam.

12 Stipes verò in affinitate, seu origo affinitatis est duplex illa persona, quę per carnis copulam commiscetur. Quare vir, & vxor non sunt inter se affines, sed principium affinitatis.

13 Demum linea affinitatis duplex est, sicut, & consanguinitatis. Vna recta ascendentium, & descendentium. Ascendentes sunt socer, socrus, vitricus, & nouerca. Descendentes Gener, Nurus, Priuignus, Priuigna. Altera est trãsuersa collateraliũm, idest illorum, qui sunt alteri coniugi consanguinei: sũt enim in eo gradu vni affines, in quo alteri sunt consanguinei, vt diximus.

DIFFICVLTAS IV.

Quidnam requiratur ad contrahendam affinitatem.

14 *Requiritur copula perfecta intra vas naturale fœminæ.*

15 *Non oritur affinitas ex copula, in qua sola fœmina seminet.*

16 *Nec itẽ ex copula sodomitica etiamsi semen in vase præpostero recipiatur.*

17 *An copula hæc impediat matrimonium.*

18 *Ex congressu spadonum consummantium intra vas naturale non oritur affinitas.*

19 *Nec item ex pollutione extra vas, multòquè minus ex tactibus impudicis.*

20 *Vtrùm sufficiat ad contrahendam affinitatem copula extra vas ita secuta, vt aliquid seminis fuerit à matrice attractum. Affirmant aliqui. Alij negant.*

21 *An ad affinitatem hanc cõtrahendam sufficiat seminatio solius viri. Aliqui affirmant.*

22 *Sententiam negantem esse satis probabilem putat Author.*

23 *Habens copulam cum sorore vxoris, ea non seminante, potest retenta sententia probabili, petere debitum ab vxore.*

24 *Pariter non seminante fœmina, si vir seminet adhuc potest per professionem dissolui matrimonium.*

25 *Item si vxor nunquam seminarit, & maritus vxore defuncta aliam ducat non sit bigamus.*

14 Req-

14 Respondeo requiri copulam perfectam intra vas naturale fęminæ. Et probatur primò, quia tota ratio, ob quam dicatur ex copula oriri affinitatem est, quia per eam vir, & fęmina efficiuntur vna caro, ac proinde consanguinei vnius fiunt affines alterius. Vt patet ex cap. affinitatis 35. quæst. 10. Atqui non fiunt vna caro nisi per copulam perfectam, & sufficientem ad generationem. Ergo &c. Secundò hoc probatur ex cap. extraordinaria 35. quæst. 3. Vbi Vrbanus II. ait pollutionem non impedire matrimonium cum consanguineis mulieris pollutæ nisi in naturalibus admissa sit. Ergo ad affinitatem necessaria est pollutio intra vas. Tertiò hoc idem habetur ex cap. lex diuina 27. quæst. 2. vbi Benedictus Pontifex sic habet. [Sed neq; osculum parit propinquitatem, quia nullam facit sanguinis commixtionem.] Demum verò, quia copula illa ad hanc affinitatem requiritur, ex qua potest sequi generatio: ob id enim communiter docent DD. copulam sodomiticam non sufficere ad affinitatē, etiamsi semen sit receptum intra vas præposterum. Atqui ad generationem requiritur copula intra vas naturale fœminæ perfecta. Ergo etiam ad affinitatem. Ita Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 1. Toletus lib. 7. sum. cap. 21. nu 3. Manuel 1. tom. sum. cap. 228. num. 1. Vega 2. tom. sum. 34. casu 171. concl. 4. & 6. Graff. 1. par. decis. lib. 2. cap. 80. num. 7. & 8. Nau. in sum. cap. 22. num. 42. Sylu. V. matrim. 8. quæst. 15. dicto 2. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 64. nu. 8. apud quem alij plures. Quidquid in contrarium senserit Michael Med lib. 5. de sacrorum hominum continentia cap. 26. asserens ad affinitatē contrahendam sufficere penetrationem vasis fœminei absq; seminis effusione. Verùm nos Medinæ opinionem tanquam singularem, & à communi recedentem reijcimus.

15 Vnde inferas primò non oriri affinitatem ex copula, in qua sola fęmina seminet. Et ratio est, quia ad affinitatem cōtrahendam requiritur copula sufficiens ad generationem. Atqui hæc non sufficit ad generationem. Ergo neq; ad affinitatem. Et ita in proprijs terminis docent Tol., Manuel, Sanchez cit.

16 Secundò ex dictis constat ex copula sodomitica non manare affinitatem, etiamsi semen in vase præpostero emittatur. Et ratio est, quia copula hæc est inepta ad generationem. Et ita in proprijs terminis docent. Ang. v. matrim. 3. impedimento 13. nu. 5. Sylu. v. matrim. 8. quæst. 15. dicto 1. Armil. v. matrim. num. 26. Sanch. cit num. 13.

17 Existimant tamen hoc loco aliqui per copulam sodomiticam impediri matrimonium ob criminis enormitatem. Ita DD. plures apud Sanch. Verùm sententia hæc meritò communiter reijcitur, ex eo quod hæc pœna nullibi exprimatur. Non est autem statuendum aliquod impedimentum, nisi illud iure exprimatur. Quinimò in capite extraordinariæ, contrarium videtur esse decisum; ibi enim habetur, tunc tantùm pollutionē impedire matrimonium contrahendum cum consanguineis alterius, quando semen in vase naturali recipitur. Ergo si recipiatur in vase præpostero, & contra naturam non impedit. Vnde est, vt bene doceat Petrus de Led de matr. q. 55. art. 3. dubio 1. in corolario, quod infert ex 2. concl. si duo viri sodomiticè se ipsos congnouerint, posse alterutrum ducere filiam alterius.

18 Tertiò infertur ex congressu spadonum consummantium intra vas na-

turale & legitimum non contrahi affinitatem. Et ratio est quia ad hanc contrahendam requiritur semen aptum ad generationē: spadonum autem semen non est sufficiens ad generationem, & humor quidam potius aqueus est, quàm semen. Ita Ledes. 2. par. quæst. 57. art. 3. ad finem vers. ad hoc dico: licèt contrariam sententiam existimet esse tutiorem Io: de Friburgo in sum. Confess. lib. 4. tit. 6 q. 3.

19 Quartò affinitatem hanc nullo modo oriri ex pollutione extra vas, & multò minus ex tactibus impudicis. Et quidem quòd pollutio extra vas non sufficiat ad hanc affinitatem contrahendam patet expressè ex textu Vrbani II. sup. cit.

20 Quintò infert Sanchez ad affinitatem contrahendam aliquando sufficere copulam extra vas, puta in casu quo matrix virile semen attrahat; ita vt illud in vas fœmineum subintret. Cuius ratio est quia hoc ad prolis generationem sufficit. Eandemq; sententiā sustinent Petrus de Led. de matri. q. 55. art. 3. dubio 2. in solutione ad quartum Vega 2 tom sum. cap. 34. casu 171. conclus. 3. Lud. Lopez 2. par. instructor. vbi de matrim. cap. 50. fol. 1157. Et alij plures. Quinimò addit idem Sanchez cum Petro de Ledes. cit. Sylu. v. matrim. 8. q. 15. dicto 2. Rosel. v. impedimentū, impedimento 14 num. 8., & alijs, eandem affinitatem contrahi, licèt virile semen ministerio Dæmonis immittatur intra vas fœminæ, cum id ad generationem sufficiat.

Verùm cōtrariam sententiam sustinet Basilius Pontius de matrim. lib. 7. cap. 33. num. 6. vbi habet, si quis extraordinariè polluat fœminam aliquam post extractum è vase naturali membrum, licèt postmodum casu illabatur semen in naturale vas, nullam resultare affinitatem: idemquè dicendum si semen alicuius viri ope dæmonis deferatur in vterum fœmineum. Ratio primi est quia vt habetur ex textu Vrbani II. pollutio debet esse in naturalibus admissa, idest intra vas. Ratio secundi est quia isti non dicuntur facti vna caro, nec sibi ad hæsisse.

21 Sextò infert Sanch. cit. num 21. ad affinitatem hanc contrahendam satis esse si solus vir intra claustra pudoris fœminæ seminet, proindeq; non requiri seminationem fœminæ. Quam sententiam sustinent. Sylu. V. matrim. 8. quæst. 16. dicto 2. Armil. V. matrim. num. 26. Veracruz 1. par. speculi art. 47. ad finem Petrus de Ledes. de matrim q. 55. art. 3. dubio 2. in solut. ad 4. Manuel 2. tom. sum. c. 228. nu. 1. Et alij plures, qui omnes eo vtuntur fundamento, quod semen fœmineum ad generationem non sit necessarium, teste Philosopho lib. 2. de generat. animal. cap. 2. Auicen. lib. 9. animal. cap. 1. Et alijs. Atqui copula ad generationem sufficiens inducit affinitatem. Ergo &c. Vnde est vt DD. omnes citati dicant matrimonium consummari etiamsi solus vir intra vas naturale fœminæ seminet.

22 His tamen non obstantibus alij satis probabiliter existimant posse cōtrariam sententiam sustineri, asserentes ad contrahendam affinitatem necessariam esse vtriusquè coniugis seminationem. Id autem probant ex cap. lex diuina sup. citat. vbi Benedictus Pontifex sic ait. [Sed nequè osculum parit propinquitatem quòd nullam facit sanguinis commixtionem.] Ergo si requiritur sanguinis commixtio, requiritur etiam vtriusquè seminatio. Tū quia iuxta cōmunem Medicorum sententiam ad generationem requiritur vtrumquè semen, puta tam viri, quam fœminæ: & sane semen fœminæ non

videtur

videtur ad aliud fuisse à natura institutum. Atqui ad affinitatem requiritur copula, quę sufficiat ad generationem, vt patet ex dictis; Ergo etiam requiritur vtriusquè seminatio. Ita Lud. Lopez 2. par. instructor. vbi de matrim. cap. 50. folio 1147. col. 2. Graf. 1. par. decis. lib. 2. cap. 80. nu. 8. Vrtad. tract. de matrim. disp. 20. difficult. 1. nu. 5. vbi sic ait, [ad affinitatem non sufficit seminatio viri in matrice fœminæ, in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus; sed etiam requiritur seminatio fęminæ, vt indicatur cap. lex Diuina, const. 27. quæst. 2. dum in eo requiritur sanguinis idest seminis commixtio, quia Galenus docet, quod etiam seminatio fœminæ est necessaria ad generationem.] Ita ille. Eandem sententiam probabilem putat Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 21. num. 11. & lib. 7. disp. 64. num 20. Ac videtur idem sentire Viuald. in candelabro Sacrament. par. 1. de matrim. num. 194. vbi definiens affinitatem, dicit esse propinquitatem personarum ex seminum mixtione ortam. Ita demum DD. ij, qui asserunt non censeri matrimoniū consummatum, si solus vir intra vas naturale seminet. Quę opinio adeo probabilis est, vt Suar. 3. par. quæst. 32. art. 1. disp. 10. sect. 1. fateatur cum alijs esse probabile adfuisse semen in Maria Virgine absquè omni prorsus inordinatione, & concupiscentia, vt ministraret conceptioni Christi materiam, & sic esset vera, & naturalis mater Dei.

23 Ex qua sententia sequitur primò, eum qui habet copulam cum sorore vxoris suæ, si illa non seminauit, non contraxisse affinitatem, & sic posse absquè vlla dispensatione petere debitum a sua vxore.

24 Secundò si viro seminante, non seminauerit fœmina, posse religionem ingredi, & sic per professionem dissolui matrimonij vinculum, quod per copulam illam non fuit consummatum: & alterum coniugem in seculo manentem posse aliud matrimonium inire. Ita Io. Præpositus in addit. ad 3. par. D. Thomæ quæst. 5. de indissolubilit. matrimonij dubio 9. num. 81.

25 Tertiò si maritus cum sua vxore copulam habuit, & seminauit, vxore ipsa nunquā seminante, & vxore mortua aliam duxerit, cum qua matrimonium consummauit, hunc non esse bigamum, proindequè ex hoc capite non arceri à susceptione Sacrorum Ordinum. Ita Io. Præpos. cit. Quod idem existimat esse probabile Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 83. num. 6. in fine. Hæc intuli in sententia probabili: contraria tamen, & communior est, & probabilior videtur.

DIFFICVLTAS V.

An diuersitas graduum faciat diuersitatem specificam in incestu.

26 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*

27 *Refertur sententia affirmans, quæ probabilior est, & in praxi consulenda.*

28 *Refertur sententia negans, quam satis probabilem putat Author.*

29 *Vtrùm aliquando ratione reseruationis explicandus esset gradus.*

30 *Quid si Confessario haberet facultatē absoluendi à reseruatis, vtrùm ratione reseruationis explicandus illi esset gradus.*

26 CAsus in hac difficultate controuersus hic esse potest. Titius habuit copulam cum filia, & cum nepote.

nepote. Quæritur vtrùm hæc duo peccata distinguantur specie inter se ob diuersitatem graduum, quia filiæ sit consanguineus in primo gradu in linea recta, nepoti verò in secundo. Quod idem est, ac quærere, an in confessione teneatur explicare circumstãtiam personæ sibi coniunctæ sanguine, vel cognatione naturali, legali, aut spirituali: an verò satis sit dicere peccaui bis peccato incestus.

27 Existimant aliqui explicandas esse circumstantias consanguinitatis, & affinitatis, vtrùm videlicet mulier sit consanguinea, vel affinis: quinimò etiã gradus incestus, vtrùm scilicet habita sit copula cum consanguinea, vel affine in primo, vel secundo gradu affinitatis, seu consanguinitatis. Vnde in hac sententia, qui copulam haberet cum propria filia, vel cum sorore vxoris suæ non satisfaceret dicendo se cognouisse consanguineam, aut affinem, sed teneretur dicere se copulam habuisse cum consanguinea in primo gradu in linea recta descendente, vel cum affine in primo gradu in linea collaterali. Ita Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 11. puncto 1. Less. lib. 4. cap. 3. dubit. 11. num. 79. Clauis Reg. lib. 8. cap. 4. nu. 3. Azor. par. 1. lib. 3. cap. 9. quæst. 1. Filliuc. tom. 2. tract. 30. cap. 5. num 97. Bonac. de Sacrament. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. puncto 2. §. 3. difficult. 3. num. 9. Fagund. 2. præcepto lib. 4. cap. 3 num. 26. Et alij apud ipsos. Et hæc sententia probabilior est, & in praxi consulenda.

28 His tamen non obstantibus alij satis probabiliter respondent Pœnitentem non teneri per se loquendo explicare circumstantiam consanguinitatis, aut affinitatis, neque diuersitatem graduum. Quorum ratio est, quia incestus inter consanguineos, & affines non differunt specie in genere moris. Vnde in hac sententia, si quispiam habuisset copulam cum sorore satisfaceret, si in confessione diceret commisi incestum, absque eo quod explicaret personam sibi coniunctam. Ita D. Tho. 2. 2. quæst. 154. art. 9. Caiet. ibidem Gyptius tract. de casib. reseru. cap. 8. num. 5. Anton. Diana par. 1. tract. 7. de circumstantijs aggrauantibus non necessariò explicandis in confessione resolut. 31. Bartholomæus à S. Fausto de Sacram. Pœnitentiæ tomo 1. lib. 4. quæst. 96. vbi sic ait, quia omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis sunt eiusdem speciei in genere moris, sufficit vt ille qui cum matre, filia, aut sorore carnaliter peccauit, dicat, commisi incestum semel vel bis, non explicando personam, cum qua peccauit. Eandemq; sententiam existimat probabilem Filliuc. cit. si gradus consanguinitatis comparentur inter se, & affinitatis gradus etiam ipsi inter se: Secùs verò si consanguinitatis gradus comparentur cum gradibus affinitatis, vel cum alijs coniunctionibus.

Neq; obstat grauiorem esse illum incestum, qui cum matre, vel filia fuit commissus, quàm sit ille, qui fuit commissus cum sorore vxoris: cùm enim grauitas hæc augeat malitiam intra eandem speciem, inde est vt non sit necessariò confitenda. Sicut grauius peccatum est furtum mille aureorũ, quàm centum, & tamen quantitas non est explicanda in confessione, sed satis est dicere surripui materiam notabilem, iuxta probabilem sententiam, quam sustinent Vasq. in 3. par. tom. 4. quæst. 91. art. 1. dub. 3. Megala in 1. par. lib. 5. cap. 12. num. 2. cit. Gyptius cit. Zerula in praxi pœnit. cap. 12. quæst. 5. Et alij.

29 Dixi per se loquendo, quia ratione reseruationis aliquando est explicandus gradus, cùm incestus in primo, &

mo, & secundo gradu sit reseruatus. Quomodo qui rem habet cum Moniali per se loquendo satisfacit si dicat se copulam habuisse cum obstricta voto castitatis. Et qui carnaliter cognoscit virginem consentientem, satisfacit si dicat se fuisse fornicatum. Per accidens tamen, & ratione reseruationis aliquando est explicanda circumstantia personæ, quòd sit Monialis, vel quòd sit virgo, puta si concurrat necessitas confitendi inferiori Confessario, non habenti facultatem absoluendi à reseruatis.

30 Cœterùm si Pœnitens confiteretur Superiori habenti facultatem à reseruatis absoluendi, satisfaceret dicendo commisi incestum, retenta sententia probabili, quòd gradus non sint explicandi; fornicatus sum, licèt persona esset virgo; vel obstrictam voto castitatis carnaliter cognoui, licèt persona esset Monialis. Et ratio est, quia respectu Superioris habentis facultatem ab illo peccato absoluendi, casus ille non dicitur amplius reseruatus: Sed si non est reseruatus, Pœnitens satisfacit ita confitendo; Ergo etiam tunc. Tum quia reseruatio non addit maiorem malitiam. Tum quia si circumstantia personæ est confitenda, vel hoc est ad tollendam culpam, vel ad tollēdam reseruationem. Non primum, quia culpa sufficienter explicatur, vt probatum est. Neq; secundum, quia si Pęnitens Superiori confiteretur sua peccata, & inculpabiliter obliuisceretur illius peccati reseruati, puta incestus cum matre, vel cum sorore tolleretur reseruatio. Vt patet ex dictis in superiore disputatione, & sic potest peccatum hoc vnicuiquē Confessario confiteri. Ergo multò magis eā tolletur, si peccatum ipsum exprimat dicendo incestum commisi.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quinam incidant in hunc casum.

31 *Incidit is, qui consanguineam, vel affinem in primo, vel secundo gradu carnaliter cognoscat.*

32 *Incidit vxor carnaliter cognoscens cōsanguineum mariti in primo, vel secundo gradu. Quinimò per copulam hanc amittit ius petendi debitum, antequam obtineat dispensationem.*

33 *Pariter vbi cognouit matrem alienam, si habeat copulam cum eius filia: vel si congrediatur cum duabus sororibus: vel cum ea, quàm suus pater, frater, aut patruelis priùs cognouerit.*

34 *Incidit in casum qui matrem, vel auiā in linea ascendentium: filiam, vel neptem in linea descendentium carnaliter cognoscat.*

35 *Ligantur reseruatione etiam impuberes, qui cum consanguinea, vel affine in primo, vel secundo gradu ita coeunt, vt seminent.*

36 *Refertur sententia, quæ illos eximit à reseruatione.*

37 *Incidit in casum is qui consanguineam, aut affinem in primo, vel secundo gradu carnaliter cognoscit, licèt ille solus seminet.*

38 *Incidit item maritus, qui post habitam copulam cum sorore vxoris ante dispensationem, cum vxore ipsa congrediatur.*

31 RESpondeo primò incidere eū, qui consanguineam, vel affinem in primo, vel secundo gradu carnaliter cognoscat. Vt patet ex verbis reseruationis. Quare incideret in casū frater, qui cum sorore coiret, etiamsi

soror

soror esset tantùm ex parte patris, vt habet Graf. in praxi lib. 1. cap. 13. num. 8. Belloch. par. 2. q 1. num. 104. Vel certè si cum consobrina in secundo gradu. Incideret item maritus, qui sororem vxoris suæ cognosceret, cui esset affinis in primo gradu: vel si cum nouerca, aut priuigna rem haberet. Ita Graf. cit. Flor. par. 2. de cas. reser. casu 6. num. 27. vers. quæ locum habet &c.

32 Secundò incidere vxorem carnaliter cognoscentem cõsanguineum mariti in primo, vel secundo gradu, puta fratrem coniugis, vel filium fratris: quoto enim gradu consanguinitatis ipsi coniuncti sunt marito, toto gradu affinitatis vxor est illis coniuncta. Addo tam vxorem cognoscentem consanguineos mariti vsq; ad secundũ gradum inclusiuè, quàm maritum rem habentem cum consanguineis vxoris in pari gradu amittere ius petendi debitum antequam obtineatur dispensatio. Ita Doctores in quæst. sequente citandi vers. Resp. tamen multo probabilius esse &c.

33 Tertiò incidere eum, qui cum matre aliena, & postea cum eius filia: vel cum duabus sororibus rem habeat: vel cum ea congrediatur, quam suus Pater, frater, vel patruelis priùs carnaliter cognouerit. Casus enim hic tam comprehendit affines ex copula licita, quàm ex illicita. Ita Graf. num. 32. Floron. loco cit. nu. 27. Belloch. nu. 108.

34 Quartò comprehendi sub casu eum, qui in linea recta ascendentium cum matre, vel auia: vel descendentiũ cum filia, vel nepte, idest filia ex filio, vel filia rem haberet. Si enim reseruatus est incestus in linea collaterali, multò magis in linea recta. Ita Graf. num. 30. Floron. loco cit. licèt copulam hanc potiùs nefarium coitum dicant aliqui, quàm incestum.

35 Quintò ligari reseruatione masculum impuberem, qui cum consanguinea, vel affine in primo, vel secundo gradu coeat; dummodò habeat vigorem coeundi, & vim ad seminandum ante decimumquartum annum. Ratio est quia in dicto casu verè talis copula est incestuosa, & masculus ille dicitur incestum committere; Ergo comprehenditur sub casu. Ita Homob. par. 2. cap. 4. sect. 4. Flor. num. 24. Et quod diximus de masculis proportionaliter intelligendum est de fœminis quæ generationi sint aptæ ante duodecimum annum.

36 Certè Graf. cit. num. 28. & Bellochius num. 116. arbitrantur impuberes non ligari reseruatione lata contra incestuosos, vel aliud quodcunque peccatum carnale committentes. Rationem afferunt quia licèt ij dicãtur committere incestum, si generationi sint apti; tamen interpræstari debemus mẽtem reseruantis aptari legibus, quæ casus tantùm frequenter contingentes conprehendunt, non autem eos, qui raro, & extra naturalem cursum eueniunt. Vnde est, vt quoniam casus hic difficillimè contingere potest, dicant eum, qui ante pubertatem incestum committat sub lege reseruantis non comprehendi: quandoquidem, vt Iuristæ dicunt, quæ semel, aut bis accidunt leges contemnunt. Quare impuberem illum nouem annorum, qui, vt ait Gregorius in Dialogo, nutricem suam ita carnaliter cognouit, vt fœtum conciperet, immunem facerent hi DD à reseruatione. Verùm mihi placet sententia Homoboni, quam satis suadet ratio allata, quòd nimirum copula ea verè incestus sit, & quidem eiusdem generis, licèt rarò contingat, proindeque reseruata. Quam eandem sententiam docet Lazarius tract. de blasphem. q. 9. nu. 42.

37 Sextò

37 Sextò comprehendi sub casu qui consanguineam in primo, vel secundo gradu cognoscat, licèt ille solus intra claustra pudoris mulieris semen emittat, non autem fœmina. Ratio est quia copula hæc ex parte masculi est perfecta,& incestuosa.

38 Septimò incidere maritum, qui postquam rem habuerit cum sorore vxoris suæ,ab vxore sua absq; dispensatione debitum petat, eamq; carnaliter cognoscat. Ita Graf.cit.num. 26. Et ratio est, quia copula hæc licèt sit cum vxore, tamen est incestus,vt potè cum affine in primo gradu. Et coniugem incestuosum peccare mortaliter petendo debitum, docent communiter DD. Et habetur ex cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam ibi, [si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit,nec à matre debitum petere,nec à filiastra, nec ille vllo vnquam tempore poterit se alijs matrimonio copulare.] Quod præceptum cum sit in re graui obligat sub mortali. Neque dici potest illud esse vsu abolitum, cum experientia doceat peti dispensationem ad hoc. Ita D.Anton. 3.par.tit.1.cap. 20. §. 8. Ang v. matrim 3.impedimento 15. num. 2., & v. incestus. Sylu. v. matrim.8.quæst.15. dicto 7. & V. debitum quæst. 9. & V. luxuria quæst 4. dicto 1. Margarita confess. 6 præcepto folio 88.col.1. Emmanuel Sa in sum v. debitum coniugale. Petrus Ledes. de matrim. quæst.55. art. 6. §. quartus status affinitatis folio 446.Vnde non placet quod habet Veracruz.in 3.par.speculi art. 17. in fine asserens coniugem incestuosum non peccare mortaliter, si debitum petat à coniuge facto sibi per incestum illum affine, modo absit contemptus, quem sequitur Cord. in suo quæstion. lib.1. quæst. 12. ad finem vers. ad prædicta etiam. Quo loco cum Speculo coniugiorum docet seclusо contemptu posse absq; vlla dispensatione incestuosum occultum,quicunq; ille sit, petere debitum sine peccato mortali.

QVÆSTIO TERTIA.

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

39 *Non incidit in casum qui copulam habet cum consanguinea, vel affine in tertio, vel quarto gradu.*

40 *Nec item qui committit incestum cũ filia adoptiua.*

41 *Hac reseruatione non afficitur incestus commissus cum compatre, aut commatre, patrino, aut matrina.*

42 *Non incidit is, qui cum consanguinea, aut affine in primo, vel secundo gradu habet tactus impudicos, etiamsi ex ijs sequatur seminis emissio.*

43 *Quid si seminaret circa pudenda, ita vt aliqua pars seminis intra vas distillaret.*

44 *Non incidit qui cum consanguinea, aut affine nefariè coeat.*

45 *Refertur contraria sententia.*

46 *Quænam & quot conditiones requirantur ad incurrendam hanc reseruationem.*

47 *Sodomia commissa cum consanguineo, vel affine continet specialem malitiam.*

48 *Non incidit fœmina copulam habens cum consanguineo, vel affine, sed non seminans.*

49 *Nec item fœmina quæ cum alia fœmina in primo, aut secundo gradu consanguinea, aut affine ita congrediatur vt fiat seminis commixtio.*

50 *Nec item carentes vsu rationis.*

51 *Nec item Clericus, aut Religiosus rem habens cum muliere.*

52 *Nec item qui postquam cognouit carnaliter consanguineam suæ vxoris in tertio gradu rem habeat cum propria vxore.*
53 *Vtrùm maritus habendo rem cum consanguinea vxoris in tertio gradu amittat ius petendi debitum à propria vxore. Aliqui affirmant.*
54 *Sententiam negantem multò probabiliorem esse putat Author.*
55 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ.*
56 *Excusatur à reseruatione qui ignorat circumstantiam consanguinitatis, aut affinitatis.*
57 *Item qui putat se habere copulam cum consanguinea, aut affine in tertio gradu & postmodùm comperit eam esse coniunctam in secundo.*
58 *Item qui copulam habuerit cum meretrice, & postea carnaliter cognoscit consanguineam illius in tertio gradu.*
59 *Vtrùm copula hæc sit incestuosa. Referuntur Doctores, qui probabiliter putant esse incestuosam.*
60 *Sententia Authoris negat, docetquè Pœnitentem satisfacere si dicat, fornicatus sum.*
61 *An incidat in hanc reseruationem is, qui est in secundo gradu & habet copulam cum ea quæ est in tertio.*
62 *Author negat.*
63 *Vtrùm in impetratione dispensationis super gradibus prohibitis necessaria sit mentio gradus propinquioris dato quod cōtracturi distent inæqualiter.*
64 *Non incidit in casum, qui rem habeat cum vxore fratris suæ vxoris.*
65 *Vtrùm incideret in casum qui per metum grauem cogeretur peccare cum consanguinea in primo, aut secundo gradu.*
66 *Vtrùm iste incideret in excommunicationem latam contra incestuosos.*
67 *Refertur sententia docens coactionem non excusare à reseruatione.*

39 RESpondeo primò excusari eos, qui copulam habeant cū consanguinea, vel cum affine in tertio, vel quarto gradu. Ratio est, quia litera cōprehendit tantùm primum, & secundum gradum, vt proinde nō sit facienda extensio, quoties constat de mente reseruantis.

40 Secundò non incidere eum, qui incestum committat cum filia adoptiua, licèt inter eos intercedat cognatio, quæ dicitur legalis, & prohibitum pariter sit matrimonium. Ratio est, quia non quilibet incestus hic reseruatur, sed ille tantùm, qui cum affine, vel cōsanguinea in primo, vel secundo gradu committatur.

41 Tertiò casum hunc non reseruare incestum, qui committitur cum Compatre, vel Commatre, Patrino, & Matrina, inter quos intercedit cognatio spiritualis. Ratio eadem est, quia casus non comprehendit affinitatem spiritualem, vt clarè patet ex verbis reseruationis, in qua exprimitur secundus gradus, & proximior, qui non cadit inter affines spirituales. Tum quia incestus spiritualis non est propriè incestus, sed talis methaphoricè dicitur. Ita Gamb. folio 198. num. 20. Graf. in praxi lib. 1. cap. 13. num 32. Flor. par. 2. de cas. reser. casu 6. nu. 31. in fine. Belloch. p. 2. quæst. 1. num. 122. Quare ergo aduertendum quadruplex genus cognationis assignari communiter à DD. videlicet consanguinitatis, affinitatis, cognationis legalis, & spiritualis. In hoc autem casu duæ priores tantùm comprehenduntur, & quidem tantùm intra secundum gradum.

Dixi casum hunc non reseruare incestum spiritualem commissum cum com-

compatre, vel commatre. Vtrùm enim incestus hic sit alibi reseruatus videbimus inferiùs.

42 Quartò non comprehendi sub casu eum, qui cum consanguinea, vel affine in primo, vel secundo gradu tactus impudicos habeat, & amplexus libidinosos, ex quibus etiam sequatur seminis emissio, sed extra vas naturale. Ratio est quia actus hic non propriè dicitur incestus. Vnde nec per talem copulam vlla contrahitur affinitas, cum ad eam contrahendam non quæcunquè carnalis commixtio sufficiat, sed naturalis coitus, & copula perfecta intra vas requiratur. Ita Graff. loco cit. num. 27. Flor. nu. 30. Belloch. nu. 111.

43 Addo hoc verum esse licèt is, qui habet copulam seminaret circa, vel infra claustra, adeo vt semen intra vas debitum distillaret. Et ratio est, quia ad incestum perfectum requiritur copula consummata intra vas. Vnde est vt copulam hanc dixerimus supra non sufficere ad affinitatem contrahendam, neq; ad matrimonium consummandum.

44 Quintò non comprehendi sub hoc casu eum, qui cum affine, vel consanguineo in primo, vel secundo gradu nefariè coiret per copulam sodomiticam. Ratio est, quia per actum hunc nulla contrahitur affinitas. Vnde est vt non sit propriè incestus. Tum quia non adest incestus, vbi non adest seminum commixtio: Sed in hac nefaria pollutione hoc effici non potest. Ergo &c. Ita Nauar. in Man. cap. 22. num. 42. Gamb. loco cit. num. 7. Chapeau. casu 14. quæst. 2. Flor. num. 31.

45 Contrariam sententiam veriorem esse existimant Azor tom. 3. lib. 3. cap. 18. vers. tertiò quæritur. Zecchius casu 15. & arbitrantur eum, qui actum sodomiticum cum consanguineo, & affine in primo, & secundo gradu exerceat verè incestum committere, eo quod talis actus sit verè abusus consanguineorum, & propinquorum. Verùm nos non quemlibet abusum consanguineorum incestum esse diximus; nam impudici contactus, impudicæquè pollutiones cum consanguineis abusus illorum sunt, nec tamen sunt propriè incestus, vt patet ex dictis. Licèt ergo copula sodomitica habita cum consanguineis sit illorum abusus, non tamen est verè incestus, proindequè nec reseruata per hunc casum. Et quòd dico de copula præpostera habita cum consanguineo, vel affine, idem dico si eadem sit habita cum consanguinea, cum ea potiùs reducatur ad sodomiam, quàm ad incestum.

Dixi non comprehendi sub hoc casu, idest non ligari reseruatione lata contra incestum committentes, cum consanguineis, vel affinibus in primo, vel secundo gradu coniunctis. Vtrùm enim incurrat in reseruationem latam contra committẽtes peccatum nefandum, videbimus inferiùs.

46 Ex quibus patet tria requiri ad hoc vt incurratur hæc reseruatio.

Primum est, vt adsit abusus consanguineorum, vel affinium in primo, vel secundo gradu.

Secundum est, vt incestus sit consummatus, idest perfecta, & completa copula.

Tertium est, vt copula sequatur in vase debito, & naturali.

47 Aduertendum tamen hoc loco sodomiam variari specie, si cum masculo cõsanguineo, vel affine committatur: includit enim hæc specialem malitiam contra pietatem, & reuerentiam debitam cognatis, quam non includit ea, quæ cum alio non coniuncto sit exercita. Ita Caiet. 2. 2. quæst. 154. art. 11.

art. 11. Azor cit. Et alij communiter.

48 Sextò non incidere fœminam, quæ copulam habuerit cum consanguineo, vel affine in primo, vel secundo gradu, sed tamen ea non seminauerit. Et ratio est, quia ex parte illius incestus non est perfectus. Et hoc verum est, etiamsi masculus ipse seminasset.

49 Septimò non incidere fœminam, quæ cum consanguinea, vel affine ita congrediatur, vt altera earum masculi vicem gerat etiamsi effusio seminis in vas alterius penetret. Et ratio est quia copula hæc propriè dicitur sodomia, cum sit inter personas eiusdem sexus, non verò incestus.

50 Octauò excusari eos, qui vsum rationis non habent. Ratio est quia eorum copula non est peccatum, proinde neq; incestus. Excusari item furiosos, ebrios, dormientes, semidormientes. Et ratio est quia eadem causa, quæ illos excusat à copula, puta vel inaduertentiā, vel ignorantia, vel iudicij paruitas, vel inuoluntarium, eosdem etiā excusat à malitia incestus. Ita Flor. nu. 29. Belloch. num. 120.

51 Nonò non incurrere Clericum Sacris initiatum, vel Religiosum, qui rem habeat cum muliere non consanguinea, neq; affine: licèt enim copula hæc à Nauar. in man cap. 16. num. 3. & ab alijs dicatur incestus, impropriè tamen dicitur incestus, vt proinde non sit dicendus ligari hac reseruatione. Spiritualis enim incestus non propriè, sed metaphoricè incestus est. Ita Chapea. loco cit. Quæ ratio eadem probat non comprehendi sub casu eum, qui Monialem carnaliter cognosceret: licèt enim per professionem in aliqua religione approbata, ita Deo consacretur, vt eius sponsa euadat, vt proinde cum ea congrediens spiritualem incestum dicatur committere, quasi cum matre sua spirituali rem habeat, sponsa scilicet Dei, qui est omnium Pater, Vt habet Nauar. loco cit. tamen quia improprius est hic incestus, inde est vt neminem liget. Atq; hoc satis patet ex verbis reseruationis, in qua fit expressa mentio primi, & secundi gradus. Ergo cum hic nulla intercedat violatio primi, vel secundi gradus, nulla erit reseruatio. Ita Flor. num. 31.

52 Decimò non incidere eum, qui postquam carnaliter cognouit consanguineam suæ vxoris in tertio gradu, debitum petat à sua vxore, eandemq; cognoscat. Et ratio est, quia copula hæc cum vxore non est incestuosa, cum copula habita cum consanguinea vxoris nullam induxerit affinitatem: diximus enim superiùs ex Concilio Trid. affinitatem ortam ex copula illicita extendi tantùm vsquè ad secundum gradum. Tum quia si copula hæc habita cum propria vxore esset incestus, iam esset incestus in tertio gradu, & consequenter non reseruatus.

53 Dubium hoc loco esse potest, vtrùm maritus habendo copulam cum consanguinea vxoris in tertio gradu amiserit ius petendi debitum à propria vxore. Respondent aliqui affirmatiuè. Quorum ratio est, quia prohibitio hæc non petendi debitum facta maritis fuit orta ex peccato incestus, non verò ex affinitate, quę cum propria vxore consurgat. Quod inde patet, quia si consanguinitas ignoretur, vel copula sit coacta oritur quidem affinitas, & tamen marito non prohibetur petitio debiti. Vt habetur ex cap. 1. & cap. discret. de eo qui cognouit consanguineam. Si ergo impedimentum hoc nō petendi debitum consurgit ex incestu: porrò maritus habendo copulam cum consan-

consanguinea suæ vxoris in tertio, vel quarto gradu, cum dicatur committere incestum: vt potequi sit factus affinis omnibus consanguineis suæ vxoris vsq; ad quartum gradum inclusiue: dicetur etiam priuari potestate petendi debitum. Et huius sententiæ sunt Glossa in cap. 1. V. copulare, de eo qui cognouit consanguineam. Victor. in sum. de matrim. nu. 288. Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 81. nu. 4. Et alij.

54 Respondeo tamen multò probabilius esse, quòd in hoc fuerit correctum ius commune, & sic copula habita cum consanguineis alterius coniugis vltra secundum gradum non impediat exactionem debiti. Et ratio est, quia fundamentum huius prohibitionis non est solus incestus, sed affinitas oriens ex incestu. Vt manifestè constat ex verbis textus. In cap. enim discret. de eo qui cognouit consanguineã, leguntur ea verba. [Sed nec affinitas, quæ post contractum legitimè matrimonium inter virum, & vxorem iniq; contrahitur] & cap. penult. eodem titulo ea verba leguntur [cum affinitas post matrimonium iniquè contracta &c.] Quibus locis fit mentio solius affinitatis. Si ergo per Tridentinum ex copula incestuosa in tertio gradu non oritur affinitas: iam per eandem dispositionem Tridentini dicetur etiam cessasse hoc impedimentum petendi debitum. Tùm quia si Tridentinum disponit, vt ex copula illicita nulla oriatur affinitas vltra secundum gradum, ad impediendum matrimonium, quod est plus, censetur etiam disponere, vt ex eadem copula nulla oriatur affinitas ad impediendum vsum matrimonij, quod est minus, & in eodem ordine. Demum verò Congregatio Cardinalium id declarauit ijs verbis. [Congregatio Concilij censuit decretum Tridentini sess. 24. de matrimon. cap. 4. ad primum, & secundum gradum restringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractam, censeri etiam ad eosdem gradus restrinxisse impedimẽtum exigendi debitum ab vxore, quod inducitur ex affinitate proueniente ex illicita copula à viro cum consanguinea suæ vxoris post matrimonium habita.] Et de hoc casu consultam Sacram Pœnitentiariã Romanam in hanc sentẽtiam magis inclinasse asserit Nauar. lib. 4. constitut. tit. de consanguin. consilio 6. num 4. Eandemq; sustinent Veracruz append. ad Speculum circa impedimentum affinitatis folio 77. & sequentibus. Gutier. tom. 1. q. q. can. cap. 23. in fine Henriq. lib. 11. de matrim cap. 15. num. 11. & lib. 12. cap. 10. num. 5. Emman. Sà in sum. V. debitum coniugale vers. Qui coniugis cognatum. Vega 1. tom. sum. cap. 78. casu 4.

55 Ad rationem in contrarium respondeo, fundamentum huius prohibitionis non exigendi debitum non oriri ex sola affinitate, sed ex affinitate orta ex incestu: indeq; esse, vt si consanguinitas ignoretur, vel copula sit coacta nulla intelligatur prohibitio petendi debitum, quia affinitas ea non fuit orta ex incestu, à quo excusauit ignorantia, vel coactio.

56 Vndecimò excusari illum, qui ignoranter incestum committit, quem non commisisset si sciuisset mulierem illam, cum qua rem habuit esse consanguineam, vel affinem. Ratio est, quia ignorantia illius circumstantiæ, puta consanguinitatis, vel affinitatis tollit malitiam incestus, ac proinde reseruationem. Ita Graff. loco cit. nu. 36. Flor. num. 31.

57 Addo excusari etiam eum, qui putet se habere copulam cum consanguinea,

guinea, vel affine in tertio gradu, & postmodùm comperiat illam sibi coniunctam esse in secundo gradu. Quod verum est etiam retenta illa sententia, quæ asserit incestum in secundo gradu non distingui specie ab incestu in tertio gradu. Et ratio est, quia ignorantia illa facit, vt non dicatur reus incestus in secundo gradu: licèt enim incestus diuersorum graduum inter se nō distinguantur specie iuxta probabilem sententiam; tamen alter altero est grauior. Sic si reseruatum esset furtum, quod excederet summam decem aureorum, & quis putaret se furari tantum quinquè: porrò iste non esset dicendus incidisse in reseruationem, etiamsi postmodùm veniret in cognitionem se furatum fuisse quindecim: cùm tamen furtum quindecim non distinguatur specie à furto quinque.

58 Duodecimò non incidere eum, qui copulam primò habuerit cum meretrice, postmodùm verò carnaliter etiam cognouerit consanguineam illius meretricis in tertio gradu. Et ratio est quia si copula hæc est incestuosa ad summum est incestuosa in tertio gradu, vt proindè non comprehendatur sub casu.

59 Difficultas ergo maior est, vtrū copula hæc sit incestuosa. Casus autem esse potest sic. Titius habuit copulam fornicariam cum Ceia, postmodùm verò cognouit Bertam consanguineam Ceiæ in tertio gradu. Quæritur an copula hæc habita cum Berta sit incestus, an verò satisfaciat confessioni si dicat fornicatus sum. Quod enim copula hæc sit incestus probatur ex eo, quia licèt Trid. sess. 24. de matrim. c. 4. disposuerit, vt qui cum muliere aliqua fuit fornicatus possit in matrimonium ducere illius consanguineam in tertio gradu: tamen non videtur prorsus abstulisse omnem affinitatem ex tali copula consurgentem cum consanguineis vsq; ad quartum gradum, sed disposuisse tantùm, vt ea vltra secundum gradum non dirimat matrimonium. Ergo si is, qui fornicatur sit affinis consanguineis cognitæ vsq; ad quartum gradum, dicendum etiam est accessum ad consanguineam illius in tertio gradu esse incestum, vt pote qui sit copula cū affine in tertio gradu. Et ita sentētiam hanc probabilem existimat Petrus Ledes. de matr. q. 55. ar. 3. dubio 5.

60 Respondeo tamen copulam hanc non esse incestum, proindeq; satisfacere Pœnitentem si in confessione dicat fornicatus sum. Et probatur primò, quia ideo prohibitus est accessus ad affinem in quocunquè gradu sit affinis vsquè ad quartum gradum: vel accessus ad consanguineam in secundo, & vlterioribus gradibus, vsq; ad quartum, quia Ecclesia in ijs gradibus matrimonium dirimit; Nulla enim extat specialis prohibitio accessus ad cōsanguineos in ijs gradibus, vel accessus ad affines: sed ipsa prohibitio matrimonij inter illos facta ab Ecclesia cōstituit diuersam speciem fornicationis necessariò confitendam. Vnde est vt sublata matrimonij prohibitione inter aliquos consanguineos, vel affines, coitus inter illos in gradibus assignatis nō sit incestus, sed simplex fornicatio; ac proindè tota specialis malitia huius concubitus oriatur ex prohibitione matrimonij. Ad quod respiciens Caiet. in sum. V. incestus in principio illum definiens sic habet, incestum esse, commixtionem veneream inter consanguineos, vel affines absquè dispensatione matrimoniali. Ergo cessante matrimonij prohibitione, cessat etiam tanquam accessoria specialis illa malitia, quæ manabat à tali prohibitione.

Atqui poſt Concilium Trid. ſublata eſt omnis prohibitio, qua is, qui fuerat fornicatus non poterat ducere conſanguineam intra tertium gradum eius, cum qua fuerat fornicatus, Ergo ſi modo non eſt prohibitum matrimonium inter illos, neque erit ſpecialiter prohibitus acceſſus ad illos.

Secundò probatur; quia iure antiquo prohibitum erat matrimonium cum proprijs cōſanguineis, ſicut etiam cum illis alterius coniugis vſq; ad ſeptimum gradum, vnde vſq; ad illum extendebatur affinitas. Vt patet ex cap. nullum, & ex cap. æqualiter, quæ ſunt ex Iulio Pontifice 35. quæſt. 3. & poſtea fuit reſtricta conſanguinitas, & affinitas vſq; ad quartum gradum per caput non debet, de conſanguinitate, & affinitate. Qua reſtrictione ſecuta DD. omnes docent acceſſum ad conſanguineam, ſeu affinem in quinto gradu non eſſe inceſtum, ſed ſimplicem fornicationem: cum tamen textus non definiat expreſsè, quod talis copula nō ſit amplius inceſtus, ſed tantùm non prohibeat deinceps matrimonium vltra quartum gradum. Sic enim habetur. [Prohibitio quoq; copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum non excedat.] Ergo pari modo, ad hoc vt acceſſus ad affinē ex copula fornicaria in tertio gradu non ſit amplius inceſtus, ſatis eſt vt ſit ablata prohibitio matrimonij inter illos. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinēt Veracruz append. ad Speculum vbi de impedimento affinitatis ad finem folio 80. Quo loco docet gradus affinitatis ex fornicationē vltra ſecundum gradum ita per Tridentinum fuiſſe ablatos, ac ſi nunquam fuiſſent. Alcozer in ſum. cap. 20. verſ. el Penitente. Emmanuel Sa, in ſum. V. luxuria nu. 2. Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 67. num. 8. qui DD. alios citat, ac numero ſequente infert, ſi cum duobus cōſanguineis, vel affinibus actu fuerit à Summo Pontifice diſpenſatum, vt poſſint inire matrimonium, atq; ante matrimonium ſimul coeant, copulam hanc non eſſe inceſtuoſam, ſed ſimplicem fornicationem: non enim poteſt eſſe inceſtus inter eas perſonas, inter quas eſt ablata matrimonij prohibitio, vt conſtat ex dictis, & ex definitione, quam tradunt Caiet. cit. Vega 2. to. ſum. c. 5 caſu 1. in principio, dicentes inceſtū eſſe cōmixtionem inter conſanguineos, vel affines abſq; diſpenſatione matrimoniali.

61 Decimòtertiò quid ſit dicendum in caſu, quo ille, qui eſt in ſecundo gradu conſanguinitatis committat inceſtum cum ea, quæ eſt in tertio verbi gratia frater, qui eſt in primo gradu in linea laterali habet rem cum filia nepotis, quæ eſt in tertio. Quæritur an vterquè incidat in caſum reſeruatum. Quod incurrat videtur probari, quia reſeruatio comprehendit primum gradum. Sed filia nepotis dicitur habuiſſe rem cum eo, qui in primo gradu lineæ lateralis eſt conſtitutus. Ergo &c. Tum quia primus gradus expreſsè eſt reſeruatus, & licèt tertius adſit, non tamen negari poteſt adeſſe primum, vel ſaltem eſſe caſum mixtum ex primo, & tertio, & ſic habere locum legem reſeruantem.

62 Reſpondeo tamen cum Gamb. num. 11. Florono loco cit. §. 1. num. 1. nullam incurri reſeruationem. Idquè colligitur ex regula citata, atq; à Canoniſtis approbata pro gradibus cognoſcendis in linea laterali in diſtantia inæquali, quod quoto gradu remotior diſtat à ſtipite toto diſtat à Cognato, qui eſt ſtipiti propinquior. Quare in noſtro caſu inceſtus dicetur commiſſus in tertio gradu, quia fuit com-

missus cum cōsanguinea in tertio gradu. Sic si frater rem haberet cum filia fratris, incestus hic diceretur cōmissus in secundo gradu, quia semper denominatio graduum sumitur a remotiore, vt proinde quoto gradu ille, qui est remotior dicatur distare à stipite, toto distet à cognato. Quia ergo filia nepotis distat triplici gradu à stipite arboris, qui est Pater: inde est, vt incestus, qui cum illa committitur dicatur in tertio gradu, & sic non sit reseruatus. Non ergo datur locus mixtis, quasi dari possit incestus mixtus ex primo & secundo; vel secundo & tertio; vel tertio & quarto gradu. Sed quilibet semper vel in primo est, vel in secundo, vel in tertio, vel in quarto: ob regulā citatam, quod incestus denominationem suam sumat à gradu remotiore.

Ratio autem cur attendatur tantùm gradus remotior, & non propinquior, ideo est, quia cùm ratio propinquitatis, aut distantiæ collateralium inter se sumatur per ordinem, quem habent ad proximum stipitem, in quo vniuntur, repugat illos esse coniunctiores inter se, quam sint cum communi stipite. Atqui si in gradibus computandis haberetur ratio propinquioris, hoc ipsum absurdum sequeretur, videlicet collateralem distantem à stipite per tertium gradum futurum coniunctiorem alteri collaterali distanti tantùm per vnum gradum, quàm ipsi stipiti; huic enim esset coniunctus tantum in tertio gradu, illi verò in primo.

63 Hinc est, vt in dispensationis impetratione super gradibus consanguinitatis, vel affinitatis quando contracturi distant inæqualiter à Stipite, non esse necessariam mentionem gradus propinquioris, quo alter distat, sed tantùm remotioris, doceant Ang. v. matrim. 3. impedimento 6. in fine Sylu. V. matrim. 8. quæst. 6. in fine. Tolet. in sum. lib. 7. cap 5. nu. 6. Emmanuel Sà in sum. V. matrim. vbi de impedimentis num. 4. vers. cognatio carnalis. De quo etiam extat motus proprius Pij V. 1566. die 26. Augusti, qui incipit Sanctissimus, vbi rem hanc ad ius commune pristinum reduxit, ac reuocans motum proprium Pij IV. decidit non esse necessariam mentionem gradus propinquioris, nisi esset primus, in quo non solet dispensari, sed sufficere illam remotioris, obtentis tamen postea literis declaratorijs super propinquiori. Quæ literæ declaratoriæ dantur ad cauendum scandalum, vt proinde eæ necessariæ non sint ad valorem dispensationis, sed tantùm pro foro externo. Vt bene Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 6. in comment. litera T, & cap. 9. nu. 2. in comment. litera Z, & sic validum sit matrimonium contractum virtute dispensationis solo gradu remotiori expresso nec obtentis literis declaratorijs. Videte de hoc fusè disputantem Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 24. num. 23. Verum tamen est de consuetudine, & stilo Curiæ vtrumquè gradum solere exprimi ad euitanda dubia, & literas declaratorias. Id quod monet Filliuc. tract. 10. de Sacramento matrim. par. 2. cap. 10 num. 328.

64 Decimoquartò non incidere in casum eum, qui rem habeat cum vxore fratris suæ vxoris. Et ratio est quia illi non est affinis, cum affinitas non pariat affinitatem.

65 Decimoquintò probabiliter sustineri posse cum Graf. num. 33. illum non incidere in hanc reseruationem, qui crimen hoc non spontè, sed coactè; idest per metum cadentem in virum constantem committeret, verbi gratia, si quis aggrederetur suam consanguineam, vel affinem in primo, vel secundo

eundo gradu eo tempore, quo soli sunt in cubiculo, & ei mortem, vel infamiam minaretur, nisi consentiret: obijciendo nimirum se illam occisurum, eidemq; associaturum hominem aliquem pariter interfectum, quo cum videri possit reperta, quòd nefariam copulam haberet: quo metu ipsa commota assentiretur. Ratio autem est, quia si assentitur, hoc facit ad mortem, & infamiam vitandam, vt proinde iustus hic metus debeat pœnam mitigare. Vt dicit textus in cap. Sacris, de his quæ vi, metusq; causa fiunt.

66 Sic si esset lata excommunicatio contra incestuosos, in probabili sententia, puella sic coacta non incideret in excommunicationem, iuxta ea, quæ docet Salas de legibus disp. 11. sect. 1. num. 5. vers. ex hac conclusione, vbi ait, illum non incidere in excommunicationem, qui per grauem metum, etiam in contemptum Ecclesiæ incussum cogitur committere furtum prohibitum sub censura. Conin. disp. 13. dubio 12. noster Bonac. disp. 1. de cens. quæst. 3. puncto 3. num. 2. apud quem alij plures. Ergò neque incidit in reseruationem.

Hoc quidem verum esset, quòd mortaliter peccaret, quia potiùs quis debet mortem oppetere, quàm peccatum mortale committere: sub casu tamen probabile est eam non comprehensum iri, quia reseruatio est pęna Ecclesiastica, à qua sufficienter videtur excusare metus grauis, & cadens in virum constantem.

67 His tamen non obstantibus respondet Flor. num 31. vers. Septimò excipe, dicens si simpliciter sit reseruatus incestus, ita vt cõprehendat tam masculos, quàm fœminas, quo modo est reseruatus in hac nostra Diœcesi, fœminam hanc nullo modo excusari, sed vere in reseruationem incidere. Rationem affert, quia licèt coactè incestui assentiatur, tamen dicitur voluntariò assentiri, cùm voluntas coacta sit voluntas. Et quia potiùs tenetur mortem pati, quàm peccato consentire. Quæ sententia roborari potest ex ijs, quæ habet Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 35. num. 4. vbi alijs DD. cit. docet vxorem, quæ per metum cadentem in fœminam constantem fuit cognita à cõsanguineo mariti priuari petitione debiti: neque illi metum vllo modo patrocinari. Cuius ratio est, quia cùm metus iste non excuset à culpa, inde est, vt neq; excuset à pœna. Tum quia reseruatio propriè non est pœna, sed est ablatio iurisdictionis, vi cuius Confessarius non potest absoluere ab incestu commisso cum consanguinea, vel affine in primo, vel secundo gradu. Ergo quoties verũ erit dicere aliquem commisisse huiusmodi incestum, verum etiam erit dicere illum incidisse in reseruationem. Vtraq; sententia potest probabiliter sustineri: posterior tamen hæc videtur probabilior. Hoc autem loco insurgunt quædam difficultates.

DIFFICVLTAS I.

An fęmina per vim compressa teneatur clamare.

68 *Proponuntur duo in hac difficultate agitanda.*

69 *An fœmina violenter ab aliquo cognita semper peccet mortaliter.*

70 *An mulier per vim compressa teneatur clamare.*

71 *An teneatur clamare saltem quando adest periculum consentiendi.*

72 *Refertur sententia negans.*

73 *Chirurgus potest pudenda fœminæ curare etiam cum periculo consensus.*

Confessarius itẽ non tenetur officium deserere

scrire licet experiatur se voluntariè pollui dum mulierum confessiones audit. ibidem.

74 *Expertus se inter equitandum labi in pollutiones voluntarias an teneatur abstinere.*

75 *An sit deneganda absolutio Pœnitenti qui concubinæ centum numos aureos mutuo dedit, quos recuperare non potest si domo illam eijciat.*

76 *An possit aliquis accedere ad infideles, aut meretrices gratia illos conuertẽdi, etiam cum periculo subuersionis.*

77 *An Parens teneatur alere filios ex concubina qui neque possint separari à matre, neq; alia via possint quærere victum, imminente periculo lapsus cum concubina.*

78 *An concurrente magna causa licitum sit Catholico contrahere Matrimonium cum hæretico etiam cum periculo subuersionis.*

79 *Mulier per vim compressa, quoties immineat periculum consensus tenetur clamare.*

80 *Casus omnes recensiti veri sunt præciso morali periculo peccandi.*

68 DVO in hac difficultate quæri possunt. Primò quandonam fœmina, quæ violenter ab aliquo viro cognoscitur peccet mortaliter, & quando non. Secundò an in tali casu teneatur clamare, etiamsi fortè illi immineat mors, & infamia.

69 Quoad primum respondeo illam non peccare mortaliter, si duo habeat. Primò si habeat contrariam voluntatem nullo modo consentiendi illi copulæ. Secundò si impediat quantum in se est talem violẽtum effectum: alioqui enim diceretur consentire. Vnde est, vt talem violentiam teneatur impedire cum clamore, conatu, & renisu corporis. Ita Azor to. 1. lib. 1. cap. 9. quæst. 3. Regin. tom. 2. lib. 22. c. 1. sect. 1. num. 20. Clauis Reg. lib. 2. c. 2. num. 4. Filliuc. tom. 2. tract. 21. c. 2. num. 67. Et alij communiter.

70 Quoad secundum respondeo mulierem, quæ per vim comprimatur posse non clamare ad mortem vitandam, & sic posse pati externam illam corruptionem habendo se merè passiuè ad copulam, dummodò tamen nullo modo consentiat. Et ratio est, quia non tenetur mortem sustinere, dato quod interius non consentiat, & ex alia parte fecerit quantum moraliter potuerit ad copulam illam vitandam. Ita Sotus de iust. lib. 5. q. 1. art. 5. Rodriq. in sum. tom. 1. cap. 290. num. 1. Molfes. in sum. tomo 1. tract. 8. cap. 2. num. 38.

71 Potior difficultas est in casu, quo in muliere adsit periculum consentiendi, vtrùm videlicet in tali casu teneatur clamare ad copulam illam impediendam, etiamsi illi clamanti immineat periculum mortis, vel infamię. Casus enim sic contingere potest, vt vir ense districto mulierem aliquam per vim carnaliter tentet cognoscere paratus illam occidere si clamat. Et ex alia parte mulieri vim patienti adsit periculum cõsensus in copulam, quod regulariter erit, quoties ea externam illam corruptionem sine clamore velit pati.

72 Respondet Io. Salas in par. 2. tom. 1. tract. 3. disp. 3. sect. 1. num. 31. etiam supposito hoc periculo consentiendi, adhuc tamen non teneri clamare. Cuius ratio est, quia sæpè licèt periculum peccati non fugere ad vitandam mortem, infamiam, vel aliud grauissimum damnum. Quomodo conceditur, vt vir, & fœmina possint cohabitare ad vitandum periculum mortis, infamiæ, vel scandali, etiamsi vnà viuere

uere non possint nisi cum manifesto periculo internæ libidinis, ex eo quod tale periculum non dicatur amari, nec temere suscipi, sed necessitate quadam tolerari. Et hanc eandem sententiam docet Seraphinus Freyta in nouis addit. ad tractatum de Confessore sollicitan. quæst. 15. num. 26. vbi sic habet, [ex periculi permissione infertur fœminam per vim compressam non teneri clamare ad euitandam mortem, infamiam, aliudue simile: tametsi exponat se periculo consentiendi, seu cooperandi libidini, Vt benè resoluit Salas, & constat ratione; etenim licèt fęmina in animo dissentiat, tamen non potest non adesse periculum consentiendi, & cooperandi. Ergo vel nunquam id illi est permittendum, vel non obstante tali periculo est excusanda. Ita Freyta.]

Et hæc sententia confirmari potest ex casibus similibus, quos videre est apud DD. varios.

73 Sic enim chirurgum posse pudenda fœminæ curare etiam cum periculo consensus: & Parochum non teneri deserere officium, licèt experiatur se voluntariè pollui, dum mulierum confessiones audit, ex eo quod illi sufficiat quod animo proponat non amplius consentire, docet Castrus Pal. in opere morali tom. 1. tract. 2. disp. 2. puncto 9. §. 3. num. 11. & 13. Idemquè priùs docuerat Sancius in selectis disp. 21. num. 9. vbi sic habet [Parochus, qui ex auditis in confessionibus expertus est se in pollutiones consentire, non peccat confessiones auscultando, dum determinatus sit non prolabi, quamuis eas auscultet. Deinde chirurgus, qui pudenda fœminarum causa medendi videt, vel tangit, expertus se illas concupiscere, vel voluntariè pollui, non tenetur ob huiusmodi periculum abstinere à curatione, nec peccat curando, dūmodò sit determinatus non peccare quando partes illas videat, vel tangat.]

74 Sic si quispiam sit expertus, se inter equitandum labi in pollutiones, & solere illis consentire: eum non peccare equitando cum probabili periculo pollutionis voluntariæ, docet idem Sancius cit. Quæ omnia colliguntur ex eo, quod communiter docent DD. videlicet non teneri nos vitare causam quando ipsa secundùm se est licita, prętertim si sit consentanea officio, vel pietati, vel habeat notabilem commoditatem, vt est equitatio, vel finem honestum.

75 Sic non esse denegandam absolutionem Pęnitenti, qui mutuò dedit concubinę centum numos aureos, quorum recuperationis spem amittit, si domo illam eijciat, docet idem Sancius disp. 10. num. 20.

76 Sic posse aliquem accedere ad infideles gratia illos conuertendi cum periculo subuersionis: & ad prædicandum meretricibus, cum periculo peccandi, docet Salas in par. 2. disp. vnica sect. 5. num. 60. & tom. 2. tract. 13. disp. 7. sect. 17. num. 105. & 106. Sotus de iust. lib. 5. quæst. 1. art. 6. in fine 2. concl. Castrus Pal. cit. num. 10.

77 Sic posse, quinimò teneri Parentem alere filios ex concubina, qui nec separari possunt a matre, nec alia via possunt victum quærere, licèt adsit periculum lapsus cum concubina, docet Castrus Pal. cit.

78 Sic licitum esse Catholico concurrente magna aliqua, & iusta causa, puta augmenti & propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli eius status, vel libertatis catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe oppressi teneantur, contrahere matrimonium cum hæretico, etiam cum probabili periculo

peruersionis, docet Basilius Pontius de matrim. in append. c. 6. ea potissimum ratione nixus, quia exponere se periculo amittendæ salutis spiritualis licet sit peccatum, non tamen ex ijs peccatis sit, quæ quauis circumstantia posita vel dempta suam deformitatem retineat, sed eius malitia ab his, vel illis circumstantijs pendeat: vt proinde ea expositio periculi non sit peccatum, quando ex magna aliqua, & vrgenti causa fiat: quia videlicet tunc non sit amare periculum, sed illud ingens bonum, ad quod sine tali periculo non potest perueniri.

79 His tamen non obstantibus ad casum propositum respondeo, mulierem per vim compressam, si fortè illi immineat probabile periculum consentiendi in copulam, teneri clamare, etiamsi illi clamanti aggressor intentet mortem, vel infamiam. Et ratio est, quia nunquam licèt exponere se periculo peccandi; neq; ob bonum spirituale proximi. Qui enim amat periculum, peribit in illo, vt habetur Ecclesiastici 3. & in moralibus idem est committere, & exponere se morali periculo committendi. Ita Villalobos in sum. to. 2. tract. 40. difficult. 16. num. 5. Megala in 1. par. lib. 4. cap. 4. nu. 6. Less. lib. 4. cap. 3. dub. 14. num. 98. Io. de la Cruz in direct. conscient. p. 1. præcepto 6. art. 8 dubio 9. concl. 2. Et alij.

80 Verum ergo est, quod præciso morali periculo peccādi veri sunt priores casus, quia curatio chirurgi; auditio confessionis; equitatio; profectio ad loca infidelium, & alia similia ex natura sua, non sunt dispositiones ad illum effectum neq; ad vllum turbem motum: sed si pollutio, vel subuersio sequitur, ea per accidens sequitur, & præter intentionem. Et sicut rubigo obueniens cultro, per accidens se habet ad intentionem, & actionem cultrarij, vt bene Caiet. opusculo 22. ita pollutiones hæ per accidens se habent ab intētionem, & actionem Confessarij, vel Chirurgi. Cœterùm si adsit morale periculum consentiendi in pollutionem, tunc etiā pollutio ipsa dicitur volita in causa. Hinc est, vt coniugem impedimenti conscium stante periculo congressus non posse cum altero cohabitare tanquam fratrem, & sororem doceat Sanchez lib. 2. de matrim disp. 39. nu. 16.

DIFFICVLTAS II.
An incestus cum infideli includat peculiarem malitiam.

81 *Proponitur casus in præsenti difficultate agitandus.*
82 *Matrimonium contractum in primo gradu consanguinitatis iure naturæ irritum est.*
83 *Infidelis ad fidem conuersus si copulam habeat cum sorore infideli committit incestum.*
84 *Circumstantia infidelitatis in probabili sentētia explicanda est in confessione.*
85 *Peculiaris illius malitia quam supra fornicationem continet est sacrilegij.*
86 *Refertur sententia docens eam non esse confitendam.*

81 CAsus hic esse potest. Titius ad fidem conuersus habuit rem cum sorore infideli. Quæritur vtrùm præter circumstantiam incestus teneatur etiam explicare circumstantiam infidelitatis.

82 Certum hoc loco suppono ex probabiliore sententia, quam in tractatu de matrimonio sustinui cum Soto in 4 dist. 40. quæst. vnica art. 4. col. 3. concl. 1. & dist. 41. q. vnica art. 3. col. penult. versic. faciamus. Toleto lib. 7. sum. cap. 7. num. 2. Petro de Led. de matrim.

matrim.q.54.art.3.difficult.3. concl.1., & difficult.4.concl.1.Henriq;lib.11.de matrim. c.9. num. 4. & cap. 1. num. 2. Belar.lib.1.de matrim.cap.28. statim in principio & col.3.§.quartum est, vbi asserit inter infideles iure naturæ prohibitũ esse huiusmodi matrimonium, siue sint fratres ex vtroque, siue ex altero solùm Parente Sanch. li.7.de matrim. disp.52. num. 11. qui plures alios DD. citat. Suppono, inquam, iure naturæ esse irritum matrimonium cõtractum inter infideles in primo gradu consanguinitatis lineæ lateralis, puta inter fratres, & sorores. Ad quod probandum inter cętera á nobis adducta vsi sumus textu ab Innocentio III. petito cap. gaudemus, de diuortio, quo loco decernit, infideles ad fidem conuersos non esse separandos à matrimonio tempore infidelitatis conrtacto in secundo, & alijs vlterioribus gradibus consanguinitatis; quia legibus Ecclesiæ non arctentur. Ergo à contrario sensu inferre possumus mentem Pontificis esse, vt si in primo gradu fuerint coniuncti, ij separentur, quia gradus ille iure naturæ matrimonium irritet. Quem textum adeo fortem existimauit Sotus pro hac sententia probanda, vt eo ductus contrarium damnauerit tanquam erroneum. Verùm hanc ego notam non inurerem tot Doctoribus, qui illam, vel sustinent, vel probabilem esse defendunt.

83 Ex qua sententia patet Titium ad fidem conuersum, si copulam habeat cum sorore infideli verè committere incestum, ex eo enim quod inter aliquas personas ob peculiarem inordinationem prohibitum est matrimonium, fit vt copula inter illos habita includat specialem deformitatem distinctam à fornicatione. Præsens ergo difficultas in eo est, vtrùm Titius fidelis habendo copulam cum sorore infideli satisfaciat in confessione si dicat, commisi incestum: an verò vlterius teneatur explicare circumstantiam infidelitatis.

84 Respondeo probabile esse quòd in confessione teneamur explicare circumstantiam infidelitatis, vtpotè mutantem speciem. Ita Lopez 1. par. instructor. cap.35.§. affine est huic. Flor. de cas. reseru. par.2. casu 7. post §.1. V. mulieribus abutentes num. 5. Henriq. lib.2. cap.6. num.3. in comment. litera M. Sanch. lib.7. de matrim. disp.5. nu. 12. Less. lib. 4. cap. 3. dubit. 6. num.45. & alij. Et ratio est, quia copula hæc cedit in dedecus religionis. Tum quia adest periculum educationis prolis in infidelitate, & peruersionis coniugis fidelis. Quibus attentis Ecclesia dirimit quodcunquè matrimonium, quòd inter fidelem, & infidelem cõtrahatur.

85 Quod si quispiam quærat quam peculiarem malitiam includat hęc copula. Respondent Sanch. & Less. cit. includere peculiarem malitiam Sacrilegij, cum copula hæc ab Ecclesia fuerit prohibita in honorem religionis Christianæ.

86 His tamen non obstantibus respondent Azor par.3 lib.3.c.29.quæst.3. Filliuc. tom.2. tract.30. cap.2. num.52. concubitum cum infideli soluta non includere specialem malitiam, sed ad simplicem fornicationem reuocari, secluso tamen scandalo, periculo subuersionis, & contemptu legis Christianæ. Vnde DD. ij putant esse tantum circumstantiam aggrauantem. Qua sententia retenta, vt potè probabili satisfaceret confessioni Titius dicendo commisi incestum. Ac demum quicunquè fidelis solutus haberet rem cum infideli pariter soluta, satisfaceret dicendo toties fornicatus sum.

DIFFI-

DIFFICVLTAS III.

Quid facere debeat Confessarius, cui filius familias, vel cognatus confitetur se solitum esse peccare cum sorore, vel cognata.

87 *Casus iste maximè affinis est illi quæstioni, in qua agitur de obligatione extirpandi occasiones proximas peccatorum.*

88 *Occasiones remotæ non sunt vitandæ.*

89 *Occasiones proximæ peccatorum venialium nec item.*

90 *Definitio occasionis proximæ.*

91 *Pœnitens qui non est paratus vitare occasiones proximas peccatorũ mortalium, regulariter loquendo, non est absoluendus.*

92 *Concurrentibus quatuor conditionibus potest absolui.*

93 *Necromantici, vsurarij, concubinarij, aliíque similes sunt repellendi à confessione quoties firmitèr non proponant emendationem.*

94 *An absolui possint adolescentes qui inter fœminas versantur laborando conuersando, licet non statuant abstinere ab ea occasione peccandi, quam id ipsis præbet.*

95 *Miles qui ad bellum iniustum velit redire non est absoluendus, Concubinarij etiam occulti simul cohabitantes nullo modo possunt absolui. ibidem.*

96 *Quid si cohabitarent quidem, sed cessasset periculum reincidentiæ.*

97 *Quid si non posset dimittere cohabitantem.*

98 *Quid si cohabitarent quidem, sed tamen rarò simul peccarent.*

99 *An possit licitè absolui hospita illa, quæ hospites excipit, & quoties certum quendam hospitem recipit habet rem occultè cum illa.*

100 *An possit absolui concubina habens voluntatem visitandi cõcubinarium in articulo mortis existentem.*

101 *An possit absolui ille qui conuersando cum aliqua muliere probabiliter ob suam fragilitatem timet se mortaliter peccaturum.*

102 *An possit absolui ille, qui à cibis calidis nolit abstinere ex quorum comestione probabiliter timeat consensum in pollutionem.*

103 *An funambuli, & alij exercentes ludos cum periculo vitę possint absolui.*

104 *An Alchimistæ absolui possint.*

105 *An artifices, taxillorum, chartarum, aut latrunculorum.*

106 *An licitum aliquando sit commodare cubiculum, aut domum illi, quam petat ad fornicandum.*

107 *An licitum sit famulæ seruire amasio, quem scit venire, vt cum domina peccet.*

108 *An licitum sit famulo amatorias epistolas ad concubinam deferre.*

109 *An licitum sit cauponibus in die Ieiunij porrigere cibos, quibus illud soluatur.*

110 *Cibos condientes, & mensa tantùm inseruientes non peccant.*

111 *Si verò ministrent cibos in die ieiunij, quibus illud frangatur, tunc opus est distinctione.*

112 *Si ministrantes cibos credant eos quibus ministrant excusari à ieiunio,*

113 *Si verò credant non excusari, & commodè possint cibos denegare, tenentur illos denegare.*

114 *Vnum pro praxi bona aduertit Auctor.*

115 *An clysteriferi, vel clysteriferæ absolui debeant, qui morosis delectationibus sæpè numero peccent.*

116 *An absolui possint ij, qui in facie Ecclesiæ sunt coniugati, sed tamen matrimonium inter illos est nullum propter impedimentum occultum, interimq; dum dispensationem expectant ad infamiam vitandam cohabitant tanquam frater & soror.*

117 *An absolui possit Confessarius ille, qui in pollutionem incidat quoties audit confessionem certæ personæ, etiamsi non habeat propositum illius confessionem non amplius audiendi.*

118 *Respondetur casui proposito in principio difficultatis.*

87 CAsus huius solutio ab ea quæstione pendet, in qua de obligatione extirpandi occasiones peccatorum disputatur. Cum enim ad validitatem confessionis requiratur propositum non peccandi de cętero, inde est vt necessarium sit propositum vitandi occasiones eas, quæ ad peccatum inducunt. Quod ostenditur facto mulieris illius Cananeæ, quæ cupida salutis filię suæ egressa est a finibus Tyri, & Sydonis: per hos autem fines iuxta moralem sensum intelliguntur peccatorum occasiones, è quibus egrediendum illi est, qui filiam suam, animam videlicet, saluam velit.

88 Aduertendum autem primò non teneri nos vitare occasiones remotas peccatorum: alioqui enim sicut ad aliud propositum, inquit D. Paulus 1 ad Corinthios 5. necesse nobis esset ab hoc mundo migrare, cùm quidquid fere in mundo est, possit esse occasio peccati. Si quidem talis esse potest valetudo, morbus, diuitiæ, paupertas, vxor, parentes, filij, consanguinei, amici, ac demùm alia omnia: sed teneri tantùm vitare occasiones proximas peccatorum. Vnde est vt Confessarius teneatur absoluere Pęnitentem eum, qui occasiones remotas peccatorum non est paratus tollere, aut fugere.

89 Aduertendum 2. non teneri nos vitare occasiones proximas peccatorum venialium. Sicut enim ad validam absolutionem non requiritur propositum nunquam peccandi venialiter, etiamsi confessio de venialibus sit: ita neq; requiritur propositum vitandi eas occasiones, quę proximè inducere possunt ad peccata venialia cōmittenda. His duobus prænotatis ad huius difficultatis intelligentiā pręmittēda priùs est definitio occasionis propinquæ.

90 Occasio ergo proxima, cuius vitandæ tenetur habere propositum Pœnitens, sic definitur, quod sit illa sola, quæ in se est peccatum mortale, aut talis occasio peculiaris, qua credit, vel credere debet Confessarius, vel Pœnitens nunquam, vel rarò se vsurum sine peccato mortali, bene perpensis eius circumstantijs. Ita Nauar. in cap. 3. num. 5. litera D, & ex Nauar. Graff. par. 1. decis. aur. lib. 1. cap. 20. num. 4.

Dicitur primò, quæ in se est peccatum mortale, ad includendas quasdam artes, quæ non possunt exerceri sine peccato mortali, cuius generis est ars Necromantiæ, aliarumq; superstitionum, vsurarum, contractuum illicitorum, & alia similia officia.

Dicitur secundò, aut talis occasio peccandi, ad excludenda ea, quæ præbent tantùm generalem occasionem peccandi, quàm præbent ea omnia officia, artes, aut exercitia, quibus possumus licitè vti, sed tantùm credimus nos aliquando in ijs peccaturos.

Dicitur tertiò, Confessarius, aut Pœnitens, quia satis est, quod alter eorum credat, aut credere debeat occasionem illam proximè inducere ad peccatum mortale.

Dicitur quartò, nunquam aut rarò, ad excludendas eas occasiones, quibus frequenter vtimur sine peccato, & eas includendas, quibus minimè vtimur sine illo.

Dicitur quintò, bene perpensis eius circumstantijs. Et ratio est, quia aliqua occasio potest esse propinqua, quę respectu alterius erit remota. Hac definitione præmissa.

91 Respondeo Confessarium regulariter loquendo non posse absoluere Pœnitentem, qui non sit paratus, ac firmatus animo velle vitare occasiones propinquas peccatorum mortaliũ. Et ratio est, quia propositum hoc ad validitatem confessionis est omninò necessarium,& tenetur firmiter proponere non reincidere, ne sit sicut canis reuersus ad suum vomitum: Et tanquam sus lota in volutabro luti.

92 Dixi regulariter loquendo,quia dantur varij casus, in quibus Confessarius potest huiusmodi Pœnitentem absoluere concurrentibus tamen quatuor conditionibus.

Prima est, quòd habeat veram pœnitentiam & dolorem præteritorum peccatorum.

Secunda, quòd habeat verum propositum nunquam redeundi ad illa.

Tertia propositum semper cauendi adiuuante Deo, ne peccet ob eam occasionem cum in ea se inuenerit.

Quarta, quòd subsit aliqua notabilis causa non se abstinendi à tali occasione. Hinc est, vt communiter doceant DD. coniugem, qui nullitatis matrimonij est conscius ob impedimentum dirimens ad præcauendum scandalum, quod immineat, teneri cohabitare. Id quod definiuit Papa Lucius III.in cap. consultat. de frigidis, & maleficiatis vbi asserit posse duos matrimonio copulatos viuere coniunctim, vt frater, & soror, licèt non valeret matrimonium illorum ob coeundi impotentiā. Nequè verò argumentum hoc soluet quis dicendo, quod impotentia illos prę̨seruabat à peccato: nam primò alter poterat esse potens: tum verò experientia ipsa constat multa, & turpissima peccata ab huius generis hominibus committi. Tum quia multum interest inter peccatum, & peccati occasionem: licèt ergo ad peccatum nullus vnquam redire possit, tamen ad occasiones peccatorum licitum est redire ob plures causas, concurrentibus tamen quatuor conditionibus recensitis. Tum quia aliquando non expedit nimis adstringere Pęnitentem. Vt enim habetur Prouerbiorum cap. *3.* qui vehementer emungit elicit sanguinem. Et Ecclesiastes 7. legitur, noli esse iustus nimis. Demum verò, quia concurrente quarta conditione, puta notabili causa non se abstinendi à tali occasione, Pœnitens non dicitur velle & intendere illam occasionem, sed tantùm permittere, cùm illam non vitare non oriatur ex eo, quod velit Pœnitens in tali occasione permanere, sed quia nolit incurrere graue detrimentum in vita, honore, & pecunijs, quod illico sequeretur, abiecta illa occasione.

93 Ex quibus inferas primò Confessarium non posse absoluere illos, qui firmiter non proponunt abstinere ab officio Necromantię, aliarumq; superstitionum, vsuris, contractibus illicitis, odio mortali, concubina, & alijs similibus. Et ratio est quia hæc occasio est in se peccatum mortale, & consequenter necessariò euitanda. Vt patet ex prima parte definitionis.

94 Secundò Confessarium posse licitè absoluere adolescẽtes eos, qui versantur inter mulieres, emendo, laborando, conuersando, absquè tamen

coha-

cohabitatione illarum in eadem domo, licet non ſtatuant ab ea occaſione peccandi ſe abſtinere, quam id ipſis præbet; ac licèt aliquando contingat vt voluntate, verbis, aut tactibus impudicis peccent, quinimò etiam copula. Et ratio eſt quia huiuſmodi occaſio de ſe non eſt peccatum mortale, neq; eius generis, vt fere ſemper faciat peccare mortaliter eos, qui ea vtuntur. Ita Nau. c. 3. cit. num. 5. litera R. Graf. cit. num. 11. Tenentur tamen illud firmum habere propoſitum ſe ope diuina adiutos non amplius peccaturos mortaliter.

95 Tertiò non poſſe abſolui militem, qui ad bellum iniuſtum vult redire. Pariter non poſſe abſolui concubinarios publicos, niſi concubinam eijciant, & ſcandalum tollant. Et ratio eſt quia talis occaſio eſt in ſe peccatum mortale. Quinimo etiam non poſſe abſolui concubinarios occultos, quorum peccatum ſciatur ab aliquibus tãtùm, puta vno, aut altero. Et ratio eſt eadem. Quod ſi illorum peccatum ſit omnino occultum, adhuc regulariter loquendo non ſunt abſoluendi, ex eo quod Confeſſarius, vel Pœnitens credere debeat, quod nunquam, aut raro, ſi ſimul viuant, omittent peccare mortaliter voluntate, verbis, aut opere.

Dixi regulariter, quia concurrentibus quatuor conditionibus aſſignatis poſſent aliquando rectè abſolui. Vt bene Nauar. litera G.

96 Si tamen ceſſaret periculum in futurum reincidentiæ, puta quia concubina ex formoſa facta fuiſſet deformis; vel ægrota ægritudine durabili; vel quia fornicator contraxiſſet matrimonium: tunc ſola cohabitatio non argueret malum ſtatum in Pœnitente. Et ſic quando nullum adeſſet ſcandalũ poſſet abſolui. Vt bene Graf. cit. nu. 9.

97 Pariter abſolui poſſet quando Pœnitens non poſſet eijcere cohabitantem, vt ſi filius familias, qui ſui iuris nõ eſſet rem haberet cum ancilla: tunc enim nõ teneretur cum periculo ſcandali, vel grauis damni, puta infamiæ dimittere ancillam, vel domo paterna exire, maximè quando artem non haberet, qua poſſet ſeorſim viuere, & ſe ipſum alere. Vnde in tali caſu ſufficeret Confeſſario, vt Pœnitens promitteret ſe nunquam ſolum cum ſola conuerſaturum, & dicturum conſtanti animo ancillæ ſe peccati commiſſi pœnitere, illudq; fuiſſe confeſſum.

98 Demum verò abſolui etiam poſſent cohabitantes quando non frequenter, & ſæpe, ſed raro, vt bis ter, aut quater in anno repentina libidine excæcati copulam habuiſſent, ſed poſtmodùm pœnitentia ducti fuiſſent confeſſi. Et ratio eſt, quia ex tam raro actu non videtur radicata hæc mala conſuetudo libidinis, adeo vt in futurum arguatur euidens periculum reincidentiæ. Quoties tamen ij ſe rarò etiam copulantes vno anno promiſiſſent abſtinere, & ſequenti anno peccarent: & iterum, & tertiò, & vltra promitterẽt; tunc ſtante cohabitatione non poſſent abſolui, quoties iterum, & tertiò, & vltra peccarent, quia poſſet præſumi periculum reincidentiæ. Ita Graff. num. 13. & 14.

99 Quartò Confeſſarium poſſe licitè abſoluere illam hoſpitam, quæ hoſpites excipit, & quoties certum quendam hoſpitem excipit, habet rem occultè cum illa; modo ſtatuat, & polliceatur ſe nunquam in poſterum recepturam eum. Et ratio eſt, quia ad nullam maiorem cautionem poteſt obligari. Quinimò concurrentibus quatuor prædictis conditionibus poſſet illam abſoluere ſine huiuſmodi propo-

ſito,

sito, & promissione; quoties videlicet absquè magno detrimento, aut scandalo non posset illum ab hospitio prohibere; dummodò statueret, ac promitteret, se solam cum solo in separato cubiculo nunquam conuersaturam, & dicturam illi ex animo se pœnituisse & fuisse confessam. Ita Nauar. in Man. loco cit. litera H.

100 Quintò non posse absolui concubinam habentem voluntatem visitandi concubinarium in articulo mortis. Quod maximè verum est, si sciebatur eam esse concubinam. Si verò nesciebatur, & quatuor conditiones prædictę concurrerent, tunc posset absolui. Ita Nau. cap. 3. cit. litera G Graf. cit. num. 15.

101 Sextò non posse absolui eum, qui conuersando cum aliqua muliere probabiliter ob suam fragilitatem timet se mortaliter peccaturum, verbi gratia est quis, qui de more assistit mēsæ alicuis Principis, in qua mensa est mulier, quam cum videt, vel cum ea loquitur, ita blandè colloquitur, vt non solùm se oblectet sermone, sed etiam cogitationibus turpibus, & fętida pollutione se polluat: hic enim absolui non potest, nisi firmiter statuat nunquā se in posterum conuersaturum cum ea. Et ratio est, quia hæc occasio est in se peccatum mortale, & consequenter euitanda, etiāmsi hoc faciat animo illam ducendi in vxorem. Quod idem dicendum de adolescentibus tangentibus puellas, dum choreæ fiunt, si ob suam fragilitatem credunt, se mortaliter semper peccaturos. Ita Nauar. cit. litera K, Graff. num. 16.

102 Septimò posse eum absolui, qui ob comestionem ciborum calidorum inciderit aliquando in adeo graues tentationes, vt illum compulerint ad consentiendum pollutioni, aut fornicationi, etiamsi, careat proposito abstinendi ab illis cibis. Et ratio est quia occasio hæc non est proxima, siquidem, nec in se est peccatum mortale, neque facit quasi semper peccare mortaliter eos, qui ea vtuntur. Si tamen ad malum finem comederet, mortaliter peccaret ratione circumstantiæ mali finis. Ita Nauar. cap. 3. de satisfact. num. 5. litera L, Graff. cit nu. 18.

103 Octauò non posse absolui eos, qui ex persona sua exercent ludos cum periculo vitæ, quales sunt Funambuli, qui videlicet per funes gradiuntur in sublimi, nisi firmiter proponant dictos ludos deserere. Et ratio est quia huius generis homines, vt plurimum in ijs ludis moriuntur, & sic illis conuenit vltima pars definitionis. Ita Sylu. V. ars q. 8. Graf. par. 1. decis. aur. lib. 1. num. 28.

104 Nonò quid dicendum de Alchimistis, vtrùm videlicet ij possint absolui, etiamsi non sint parati eam artem deserere: huius enim casus solutio pendet ex eo vtrùm alchimiæ ars sit licita. Aliqui adstruunt esse illicitam. Ita ex Caiet. Graf. cit. num. 27. Alij verò existimant esse licitam. Ita Oldrad. cons. 68. Ac demum Summistæ omnes in V. alchimia. Quare in horum sententia possunt absolui. Ego tamen crediderim huius artis professores esse maximè suspectos, cum huic hominum generi valde familiare sit ex chymica professione ad dæmonum inuocationes, & pactiones accedere. Vt docuit Eymericus 3. par. tit. de signis, quibus Necromantici hæretici cognoscantur.

105 Decimò posse absolui artifices taxillorum, chartarum, latrunculorum: vel vt vulgo dicitur, schaccorum. Et ratio est quia hæc non præbent peculiarem, sed generalem tantùm occasionem peccandi, & frequenter homines ementes vtuntur illis ad suble-

ſubleuationem tædij, & laboris, non verò ad peccatum. Hoc eodem modo abſolui poſſunt venditores fucorum & ornamentorum, quibus mulieres ſe ornant, etiamſi illa vendant meretricibus. Sic enim excuſantur, qui iiſdem locant domos, vel qui plantas myrti Hebræis vendunt, quos ſciunt illas emere ad ornanda ſua feſta Scenophegiæ, vel qui agnos vendunt infidelibus, quos ſciunt emere ad finem idolis ſacrificandi. Vt bene Caietanus 2.2 quæſt. 10. art. 4. ad finem. Azor to. 1. institut. moral. lib. 8. cap. 22. quæſt. 6. & cap. 24. q. 14. & tom. 2. lib. 12. cap. vltimo q. 10. Petrus de Led. 2. tom. ſum. tract. 1. cap. 5. ad finem. Manuel 2. tom. ſum. cap. 76. num. 13. num. vltimo. Leſs. lib. 2. de iuſt. c. 13. dub. 3. num. 31. in fine, & alij.

106 Vndecimò poſſe abſolui eum, qui ex iuſta cauſa commodauerit alicui cubiculum & domum, quam petierit ad fornicandum, etiamſi animo non ſit paratus talem domum, vel cubiculum alias negare. Et ratio eſt quia cõmodare cubiculum ex obiecto non eſt per ſe malum, ſed indifferens, & ad malum ordinatur ex ſola praua abutentis intentione. Vt bene Sanch. in ſum. lib. 1. cap. 7. num. 31. Iuſta autem cauſa eſſe poteſt graue damnum, quod commodatori immineat.

107 Duodecimò licere famulę ſeruire in aperiendo oſtium amaſio, quem ſcit ideo venire, vt cum Domina peccet: Dominam comitari ad domum amaſij, quam ſcit ibidem ſolere peccare: ſternere illi lectum, quem ſcit ideo ſterni, vt in eodem cum amaſio dormiat: literas deferre, per quas Domina amaſium roget, vt ad ſe veniat, ſciẽs ideo vocari vt ſecum dormiat; amaſio dicere, quod Domina eum expectat, ſciens ideo expectare, vt cum eo peccet. Et ratio eſt quia hæc omnia rem indifferentem continent, cum non ad fornicationem, ſed ad aduentum inducant, & ex ſola praua intentione Dominæ ad malum ordinentur. Tum quia hæc obſequia debentur Dominæ ratione famulatus. Vnde eſt, vt tales perſonæ poſſint abſolui, licèt non habeant propoſitum abſtinendi ab ijs officijs. Ita Nau lib. 5. conſil. tit. de pœn. in 2. edict. conſilio 4. in fine. Manuel 1. tom. ſum. cap. 25. nu 3. Azor tom. 2. lib. 12. cap. vltimo quæſt. 8. Graf. citatus num. 21.

108 Quinimò famulos amatorias etiam epiſtolas ad concubinam deferentes à peccato excuſat Emmanuel Sà in ſum. V. peccatum num. 9. Ego tamen contrarium eſſe verius exiſtimarem, quoties epiſtolæ eæ verba, aut ſigna turpia, & amatoria continerent, ex eo quod hæc verba ſint intrinſecè mala, nec licita niſi inter coniugatos, aut ſponſos de futuro. Vt bene Sanch. in ſum. lib. 1. cap. 7. num. 26. Quare putarē licere tantùm illas deferre, quando nil turpe, aut amatorium continerent, ſed ſola verba vrbanitatis, vt certiorem me fac de tua ſalute, & an aliqua re indigeas: vel quando diem tantùm, aut horam amaſio indicerent, qua veniret, ex eo quod hæc indifferentia ſint. Vt habent DD. ſup cit.

109 Decimotertiò inferas quid dicendum de cauponibus, alijſquè miniſtrantibus in die ieiunij cibos, quibus illud ſoluatur, vtrùm videlicet poſſint abſolui, etiamſi non habeant propoſitum abſtinendi à tali officio.

110 Si enim ſermo ſit de ijs, qui cibos non porrigunt, quales ſunt famuli Dominorum, qui illorum menſas tantùm ſternunt: vel cibos condiunt: vel menſæ inſeruiunt: iſti nullo modo peccant, quia eo munere funguntur,

quod

quod alijs temporibus obire consueuerunt, & inseruiunt comestioni, quatenus naturam nutrit, non quatenus ieiunium soluit. Vt bene Caiet. 2. 2. quæst. 147. art. 4. in fine. Azor tom. 1. lib. 7. institut. moral. cap. 31. quæst. 11. & tom. 2. lib. 12. cap. vltimo quæst. 5.

111 Si verò sermo sit de ministrantibus in die ieiunij cibos ad cœnam, aut ientaculum, quo ieiunium soluatur, quales sunt tabernarij, & caupones: tunc opus est distinctione. Vel enim credunt eos, qui ad cœnandum accedunt excusari a ieiunio: vel credunt non excusari.

112 Si primum, non peccant, quomodo nec peccant in dubio, quod habeant de illorum excusatione. Et ratio est, quia ad illos non pertinet hoc discutere, neq; id commodè facere possunt, & præterea bene præsumere possunt de proximo, maximè in materia ieiunij, in qua tot adsunt causæ excusantes. Vt bene Med. cap. de ieiunio quæst. de his, per quæ Ecclesiasticum ieiunium soluitur. Valen. 2. 2. disp. 9. quæst. 2. puncto 3. col. penult. Vnde nō placet quod habet Less. lib. 4. de iust. cap. 2. dub. 4. num. 24. eos teneri interrogare, si commodè possunt; ad hoc enim non tenentur, cùm suum non sit discutere, nec moraliter id commodè possint. Id quod habet Sanch. in sum. lib. 1. cap. 7. num. 34. Graff. par. 1. decis. aur. cap. 28. num. 26. vbi addit ad hanc discussionem faciendam teneri specialiter Patres familias respectu filiorum, & Dominos respectu seruorum, iuxta illud Pauli in 1. ad Timotheum 5. qui seruorum curam non habet, maximè domesticorum, infidelis est, & infideli deterior.

113 Si secundum, idest si credant eos, qui ad cœnandum accedunt, non excusari à ieiunio, in tali casu quoties commodè, & sine suo notabili damno possint illis cibos denegare, tenentur illos denegare. Et ratio est quia quilibet tenetur vitare offensionem Dei, & ruinam spiritualem proximi. Secus verò si illos denegare non possint absq; suo notabili dāno. Ita Valen. Less. cit.

114 Bene tamen monet Sanchez cit. moraliter loquendo tabernarios, & caupones nunquam ob hāc causam mortaliter peccare. Vel enim illis imminet notabile detrimentum omissionis vendendi res suas: vel certè imminet periculum ne hospites aliò diuertant; & ita nulla spes est, vt illi ideo ieiunent, quia caupo cibos deneget; vno enim denegante ad alterum diuertent. Quæ ratio in his excusat à mortali, cùm hæc ciborū suppeditatio in tantum sit peccatum, in quantum nō euitatur peccatum alterius, quod vitari nullo modo potest, si alter sit cibos suppeditaturus, vt bene Less. cit. Sanch. cit. n. 16. Vel demum excusantur, quia ad caupones, & tabernarios, vt plurimùm confluunt pauperes tabernarij, aut viatores, de quibus probabiliter præsumi potest habere iustam causam soluendi ieiunium. Quod si aliquando ad caupones confluunt illustres adolescentes: cùm ab istis probabiliter timere possint ne iniurijs & contumelijs afficiantur; inde est vt etiam id ipsum sit illis iusta causa cibos ministrandi.

115 Decimoquartò quid dicendū de clysteriferis, qui ex eo quod immittunt clysteres mulieribus, vel clysterifera, quæ ex eo quod illos masculis immittit, sępè peccat saltem morosis delectationibus & de prauatis voluntatibus: ij enim omnes absolui possunt, cùm occasio hæc non sit proxima, vt poteque nec mortale peccatum sit, nec ex ijs, quæ fere semper ad peccandum mortiferè inducunt. Vt bene Nauar.

in Man. cap. 3. in fine. Quod idem asserit de Chirurgo, & Medico, qui medendo pulchris fęminis in locis secretioribus sępè peccant: ac de persona, quæ ex eo quod ducat aliam manu, vel ab alia ducatur, vel quia videt lauantes fœminas in flumine, aut viros natantes; aut ex aspectu pedum, crurium, pectorum sœpè peccauit: hos enim omnes concedit posse absolui, ex eo quod non dicantur in proxima occasione constituti. Quamquam optimum foret consilium ab his omnibus cauere, quando inde non sequeretur notabile damnum.

116 Decimoquintò concurrentibus quatuor prædictis conditionibus posse absolui eos, qui in facie Ecclesiæ sunt coniugati, sed tamen matrimonium inter illos est nullum propter aliquod impedimentum occultum, interimq; expectant dispensationem vt denuò contrahant, & ex separatione imminet aliquod notabile incõmodum, vnde pro eo tempore, pro quo expectatur dispensatio possunt cohabitare tanquam frater, & soror.

117 Decimosextò posse absolui Confessarium eum, qui in pollutionem incidit, quoties audit confessionē certæ personæ, etiamsi non habeat propositum illius confessionem non amplius audiendi; supposito tamen quod absq; magna nota non possit Pęnitenti dicere, vt alteri confiteatur, vt contingere potest in oppido aliquo, in quo adsit solus Parochus, nec alterius Confessarij adsit commoditas. Ita Nauar. cap. 3. sępius cit. in fine.

118 Demùm verò patet quid sit dicendum ad casum propositum in principio difficultatis. Filius enim familias, qui solitus est peccare cum sorore, vel cognatus cum cognata, regulariter loquendo non potest absolui, quia cohabitatio hæc est occasio proxima peccati; propter quam Confessarius credere debet illum ferè semper mortaliter peccaturum, nisi separetur; cùm non satis sit hirundines expellere, nisi nidus destruatur: nec ramos excindere, nisi radices euellantur. cap. quia de pœn. dist. 2.

Dixi regulariter loquendo, quia cõcurrentibus quatuor conditionibus recensitis, prima, videlicet, vera Pęnitentia præteritorum peccatorum. Secunda, vero proposito non peccandi. Tertia, credulitate quòd Deo iuuante non peccabit, cum se in tali occasione inuenerit. Quarta, rationabili causa concurrente non se separandi ab ea: concurrentibus inquam hisce quatuor conditionibus poterit absolui. Et ratio est, quia quarta conditio facit, vt talis occasio non dicatur voluntaria, neque illi imputetur ad culpam, ex eo quod habeat ius tuendi suam famam & honorem; quoties enim fieret talis separatio, vel ea esset occasio infamię, vel magnum scandalum, aut detrimẽtum gigneret. Accedit quòd cum filius familias non sit sui iuris, in illius manu non est complicem è domo ablegare. Ita Nauar. Graff. citati. Floç. par. 2. casu 6, num. 3. Chapeau. par. 2. cap. 13. quæst. 9. difficult. vnica, & cap. 14. quæst. 3. Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 1. num. 38. Viuald. de absolut. num. 91. Quo loco casum hunc exemplificat de eo, qui beneficium symoniacè accepit, & breui expectat dispensationem, paratus dimittere, si cum eo non dispensetur, quem posse aliquo modo absolui docet ex Nauarro a se citato.

Dubium hoc loco maius est, quid dicendum, si cum illis quatuor conditionibus iterum, atq; iterum fuerit absolutus, & tamen adhuc reincidat, ita

vt nullus appareat profectus: vtrùm possit illi impendi absolutio toties quoties reinciderit, pro quo sit sequens difficultas.

DIFFICVLTAS IV.

Titius solitus est peccare cum sorore, aut cognata: vtrùm sit illi impertienda absolutio toties quoties peccauit, etiamsi nullus appareat profectus.

119 *Primò maxima prudentia, & charitate opus est: tum verò si nullam emendationem videat Confessarius, absolutionem potest differre, ac demum etiam negare.*

120 *Refertur sententia docens posse huiusmodi Pœnitentem toties absolui, quoties peccat.*

121 *Eadem sententia roboratur satis efficaci argumento: illam tamen aliorum iudicio remittit Auctor.*

119 Respondeo in hoc casu, alijsquè similibus, Confessario maxima prudentia opus esse: proindequè illius negotium esse maximam adhibere diligentiam, cohortationibus fouere Pœnitentem, consilijs & præceptis eundem munire, acrioribus idcirco reprehensionibus circumfodere, pœnitentias præseruatiuas iniungere, ac nunquam deinceps se solum cum sola in eadem camera, vel alia quauis secretiore parte domus conuersaturum imperare: onus confitendi bis, aut etiã sæpius in mense imponere: demum pro eius emendatione orare; ac si nullam de præterito emendationem Confessarius videat, absolutionem aliquãdo differre: postmodum verò etiam negare, & Sacratissimam Communionem interdicere: cum ex regula prudentiæ, qua fulgere debet, si nullam vitæ emendationem in præterito videat, probabiliter arguere possit in futurum. iuxta illud.

Præteriti ratio scire futura facit

Ita Suar. 3. p. tom. 4 disp. 32. sect. 2. in fine Graf. in decis. p. 1. lib. 1. cap. 28. num. 23. Regin. in praxi tom. 1. lib. 8. num. 19. Et alij.

120 His tamen non obstantibus contrariam sententiam videtur docere Nauar. cap. 3. de satisfact. nu. 5. litera I, vbi sic habet, [& idem dicendum reor, de tertia, & quarta vice, quia non solùm semel, aut septies, sed etiam septuagesies septies est parcendum. Mathei 18. & Lucæ 17 & cap septies de pœn. dist. 3. Et quia quotidie absoluimus multos, qui quotannis recidunt; & quia recidere non est necessarium argumentum ad iudicandum pœnitentiam præteritam, aut præsentem non fuisse, aut non esse veram, quod probat Gratianus in cap. quamuis de pœn. dist. 3.] Licet illico subdat, quod si ipse esset Confessarius Pœnitentem huiusmodi non absolueret. Absolutè verò sententiam hanc tuetur Viuald. de absolut. num. 92. Io. Sancius in selectis disp. 16. num. 10. vbi aduersus Suarez sic asserit. [Infero 8. filium familias non potentem eijcere è domo ancillam, cui sæpè copulatur fore absoluendum toties quoties vere pœnituerit, non solum quando aliqua emendatio notatur, vt tenet Suar. & alij, verum etiam quando nullus apparet profectus: impossibile enim moraliter non est Pœnitentem modo vere dolere de peccato, & proponere cauere; statim verò post reditum ad domum occasione instante mutare propositum. Et inquiro ab his DD. contrarium docentibus, an

absolue-

absoluerent ipsi Pęnitentem sępe confitentem eadem peccata venialia, quãdo nullus appareret profectus? absolutionem sane impenderent; quamuis occasio peccandi venialiter non ęsset abscissa, non solum quando Pœnitens non posset occasionem remouere, sed etiamsi posset. Ergo & impartiri debent respectu mortalium, quando adfuerit dolor, & verum propositum cauendi in futurum.

121 Quodsi quis huic Sancij argumento respondeat cum Conin. disp. de effectu pœnitentiæ dub. 14. num. 130. non requiri propositum tam efficax vitandi omnia venialia, sicut vitandi mortalia; quia non ita tenemur vitare omnes occasiones peccãdi venialiter, sicut occasiones peccandi mortaliter: indeq; esse, vt faciliùs possimus absoluere sępe relabentes in eadem peccata venialia, quam relabentes in eadem peccata mortalia, quia hic relapsus sępius est signum, quod desit propositum peccata mortalia vitandi in posterum. At verò frequens relapsus in peccata venialia non tam facile est signum defectus propositi necessarij pro illorum remissione, cum hoc possit contingere ratione frequentium occasionum peccandi, quas nec ita tenemur, nec ita possumus vitare in venialibus, sicut, & possumus, & tenemur in mortalibus.

Contra ita respondentem insurgit idem Sancius dicendo responsionem hanc non valere, quia licet faciliùs committantur venialia, tamen propositum, & dolorem venialium tenetur habere Pęnitens, dum illa subijcit confessioni; saltem quando veniale, quod confitetur est totalis materia confessionis. At si respectu venialium reperiri potest verum propositum, & dolor, absq; aliquo profectu, quare respectu mortalium id inueniri non poterit? Ac si quando nullus apparet profectus, ideo neganda est absolutio respectu mortalium, quia propositum præsum itur fictitium: quare etiam respectu venialium nõ aderit huiusmodi præsumptio? Et hæc fere verbatim ex Sancio transcripsi, quia aliorum iudicio sententiam hanc remitto.

DIFFICVLTAS V.

Quàm graue sit hoc peccatum.

RESpondeo huius peccati grauitatẽ constarẽ nobis ex pęnis omni iure in illud statutis, Diuino videlicet, Ciuili, Regio, & Canonico. Diuino quidem, idest pœna ęterna. Ciuili quandoquidem incęstuosus incurrit pœnam adulterij. Regio quia priuatur dimidia parte bonorum, quæ fisco adiudicatur. Canonico item quia priuatur facultate contrahendi matrimonium, nec potest petere debitum, si illud contractum sit. Ac si Clericus sit, perpetuò ab ordine deponitur. De quibus videte agẽtem fusiùs Chapeau. casu 14. Hoc scio Virgilium ipsum lib. 6. dum infera loca lustrantem Æneam describit profundiore parte Orci damnatos incestuosos referre his verbis.

Hic thalamum inuasit natæ vetitosq; Hymæneos.
Ausi omne immane nefas ausoq; potiti.

Et eo grauiores hasce pœnas arbitror fuisse latas, quo clariùs tanti sceleris deformitatem bruta ipsa experimento declararunt. Refert enim Auicenna lib. 9. de animalibus Scytarum Regem equam egregiam habuisse, ex qua generosissimi equi nascerentur, & eorum vnum matri admissum, vt illam prægnantem redderet recusasse: opertam verò superuenisse quidem, sed ea detecta, & cognitâ in fugam adeo se concitasse,

tasse, vt per abrupta præcipiti cursu latus se ipsum interemerit. Idem ferè scribit Aristot. in lib. de mirabilibus auscult. cap. 2. Habet enim camelum quendam matri opertæ admissum camelarium morsu defixo interemisse, postquam detectam eam agnouit esse matrem. Quinimò etiam historiæ referunt de camelo, vt nolit sorori admisceri.

DISCE LECTOR.

A brutis ipsis rationabilia quandoq; animantia ratione vinci.

VOVE ERGO

Tam illis anteire legum obsequio, quàm præstas rationis imperio.

CAPVT QVINTVM

Incendiarij, & qui damni, iniuriæuè causa vites, vel arbores alienas inciderint.

Casus hic diuersimodè ab Ordinarijs locorum reseruatur: quidam enim, vt Ferrariæ sic reseruant, incendij peccatum, aut incendiarij, quod idem est. Alij sic, Peccatum incendiariorum voluntariorum, vt Rossani. Alibi, incendiarij ex proposito, vt Nolæ, & in Diœcesi Rubensi. Alibi, qui consultò domos, aut segetes incendunt. Alibi, incendiarij locorum profanorum supra summam aureorum decem, vt Tarenti. Alibi, incendiarij dolosè, & ex proposito, mandantes, & auxilium dantes, vel consilium præbentes. Verùm omnis hæc verborum variatio ad vnum tendit, saltem quoad intelligentiam incendiarij: vtrùm enim comprehendantur mandantes, & consulentes patebit ex dicendis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam incidant in reseruationem latam contra incendiarios.

Præsens reseruatio duo crimina complectitur, incendium, & arborum alienarum, vel vitium incisionem. Quare ad huius casus clariorem intelligentiam priùs de incendiarijs agemus, acturi postmodum de vites, vel arbores alienas incidentibus.

DIFFICVLTAS I.

Quinam dicantur Incendiarij.

1 *Incendiarij dicuntur qui scienter, & prauo animo contra iustitiam aliena incendunt.*

2 *Recensentur quatuor conditiones necessariæ adhoc vt quis incidat in hunc casum.*

3 *Incen-*

3 *Incendiarius dicitur etiam is, qui semel tantum incendit.*

1 RESpondeo eos dici, qui scienter, & prauo animo contra iustitiam aliena incendunt. Et ratio est, quia, qui præter directam intentionem est causa incendij non solet propriè & strictè loquendo incendiarius vocari, etiamsi fortè ex negligentia mortali secutum sit incendium. Tum quia hoc colligitur ex cap. Pessimam 23. quęst. 8. vbi eos vocat incendiarios, qui malo studio, siue ex odio, siue per vindictam ignem apponunt. Quarè cum aliquãdo cõmitti possit incendium data opera & appensatè; aliquando verò ex lata culpa illud sequatur, vt si quis non adhiberet eam diligentiam, quam quilibet adhiberet: aliquado ex leui, idest non adhibendo eam diligentiam, quã diligens quis adhiberet; aliquando ex leuissima, omittendo videlicet diligentiam, quam diligentissimus adhibuisset; aliquando verò ex casu fortuito illud sequatur. In præsenti casu non reseruatur quodcunquè incendium, sed illud tantùm, quòd scienter & spontaneè committitur animo nocendi, ita vt præsens reseruatio intelligatur de incendio doloso & voluntario, hoc est scienter, data opera, spõtaneè, ex proposito, & appensatè facto, animo nocendi. Ita D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 11. Tabien. verb. excomm. cas. 7. nu. 1. Graff. in praxi lib. 2. cap. 23. num. 14. & 15. Caiet. verb. excommu cap. 22. Suar. de cens. disp. 22. sect. 2. num. 20. Filliuc. tract. 15. cap. 2. quæst. 5 num. 53. Sayr. lib. 3. cap. 19. num. 20. Et alij.

2 Ex quibus inferri potest quatuor conditiones requiri ad hoc vt quis dicatur incidère in hunc casum.

Prima conditio est, vt adsit malus animus. Vnde non sufficit si lata culpa incendium committatur, vt clariùs patebit ex quæstione sequente.

Secunda, vt incendium fiat propria auctoritate. Et ratio est, quia si intercedat auctoritas Principis, vt quando in bello iusto incenduntur segetes, & oppida inimicorum, tunc nulla incurritur reseruatio, & hoc ideo est, quia actus ille est licitus.

Tertia, vt qui incendit, non propria sed aliena incendat. Et ratio est, quia incendendo propria non dicitur incendiarius.

Quibus adde quartam, vt videlicet incendium sit secutum, de qua conditione clariùs patebit ex dicendis. Ita Gambar. de cas. reseru. casu 5. num. 1. fol. 198. August. Barbosa de off. & pot. Episc. par. 3. allegat. 51. num. 73.

3 Quæret aliquis hoc loco, vtrùm nomine incendiarij veniat tantum is, qui consueuit id sępius facere ex habitu vitioso; an verò etiam is, qui semel tantum incendit ex certa scientia & voluntate?

Respondeo venire etiam eum, qui semel tantum incendit, nec aliàs consuetudinem incendendi habuit. Sicut enim dicitur homicida, qui vnum tantum homicidium commisit; ita incendiarius, qui vnum tantùm incendium. Tum quia reseruatio hęc punit actum, non consuetudinem. Ita Suarez cit. num. 21. Filliuc. loc. cit. in explic. cens. latæ contra incend. Et alij.

DIFFICVLTAS II.

Quinam incidant in hunc casum.

4 *Incidunt in casum omnes cuiuscunquè sexus, & conditionis qui aliena incendunt.*

5 *Incidit etiam is, qui in proprio loco ignẽ apponit, vt postea ille inualescens ad*

alienum locum extendatur.

6 *Tariter is, qui in bello etiam iusto aliena incendat auctoritate propria, non Principis.*

7 *Is etiam qui animalia incendat.*

8 *Vtrùm incidat is, qui palearium, fœnile, struem lignorum, aut aliquid simile incendat. Refertur sententia negans.*

9 *Sententia pro praxi.*

4 RESpondeo primò incidere omnes cuiuscumq; sexus & conditionis sint, puta tam mares, quàm fœminas, tàm clericos, quàm laicos, qui voluntariè, & appensatè alterius domum, villā, Ecclesiam, columbarium, capsinam, segetes, syluam incendunt, modo tamen effectus sit secutus. Ita Gambar. de cas. reseru. casu 5. num. 1. Graff lib. 2. de incend. cap. 23. num. 23. Belloch. de cas. reseru. par. 2. quæst. 6. num 106. Et ratio est, quia litera simpliciter loquitur. Vnde est vt omnes comprehendatur, puta tam incendiarij locorum sacrorum, quàm profanorum, & rerum aliarum, puta domuum, villarum, frugum, agrorum, & rerum cęterarum similium. Vbi enim lex non distinguit, nequè nos distinguere debemus l. de pretio ff. de publ. in rem actio.

5 Secundò comprehendi sub casu eum, qui in proprio loco, puta agro, vel domo ignem apponit, vt postea ille inualescens ad alienum locum extendatur. Ita D. Antonin. Gambar. ec. Graf. num. 25. Et ratio est, quia dicitur incendiarius voluntarius, & appensatè, ac malo animo incendium committens; intellige tamen secuto effectu.

6 Tertiò incidere eum, qui in bello etiam iusto aliena incenderet auctoritate propria, & sine Principis ordinatione. Ratio autem est, quia quod bellum sit iustum hoc tantum efficit, quòd non teneatur ad restitutionem damnorum, non autem excusat; quominùs dicatur incendiarius; cum propria voluntate aliena incendat, non habens ius mouendi bellum. Ita D. Antonin. quem sequitur Belloch. num. 109. Quod si bellum sit iniustum, etiāsi miles ex præcepto Principis aliena incenderet, adhuc tamen diceretur incendiarius, & sic incurreret in reseruationem. Et ratio est, quia licet hoc faceret ex Principis ordinatione, quia tamen ordinatio ea illicita esset & iniusta, eo quod non haberet ius mouendi bellum, inde est vt nullius valoris esset. Ita D. Anton. Addo eum, qui in bello iniusto, etiam ex præcepto Principis incendat teneri ad restitutionem damnorum, eo quod sit causa iniusta damni.

7 Quartò ligari reseruatione eum, qui animalia etiam incendat, puta apponendo ignem in loco, in quo morantur equi, oues, & alia huius generis animantia, vel etiam homines viuos incendat. Et ratio est, quia hic dicitur vere incendiarius ex definitione data. Ita Belloch. num. 110.

8 Dubium hoc loco superesse potest, quid dicendum de eo, qui palearium, fœnile, struem lignorum, aut alia huiusmodi incenderet, vtrùm incurreret in reseruationem.

Respondet D. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 11. ad finem hunc non dici incendiarium, sed potius combustorem, in cuius sententia videretur dicendum eum non incidere in casum. Quæ opinio eo etiam argumento posset suaderi, quia eò tantum extenditur reseruatio lata contra incendiarios, quo extenditur excommunicatio, quæ contra eosdē est lata, de qua agemus in quæst. sequente. Atqui excommunicatio lata contra incendiarios probabiliter nō

com-

comprehenderet eum, qui palearium, aut struem lignorum incenderet, etiãsi tale esset incendium, quod sufficeret ad peccatum mortale (non enim dicere debemus futurum vt ille incideret in excommunicationem latam contra incendiarios, qui lignorum struem incenderet nummo aureo non pluris valentem) ergo nec reseruatio. Tum quia versamur in materia odiosa; Ergo non extendenda ea est, sed restringenda.

9 Respondet tamen Belloch. superius cit. num. 11. saluo meliore iudicio se arbitrari hunc incidere in reseruationem ob damnum notabile, quod sequeretur. Quæ sententia tutior est in praxi: contrariam tamen non illicò damnarem.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

10 *Excusatur ab hac reseruatione is, qui aliena incendere attentauit tantùm.*

11 *Pariter is, qui ignem apposuit, sed pœnitentia ductus illum extinxit.*

12 *Pariter in bello iusto excusantur milites ex Principis ordinatione ea quæ hostium sunt incendentes, secus verò si bellum sit iniustum.*

13 *Excusatur etiam is, qui non malo animo aliena incendat, licet adsit lata culpa.*

14 *Pariter is, qui publica auctoritate alienà incendit.*

15 *Regulares item excusantur: non sic verò Nouitij.*

16 *Item qui vsu rationis carent.*

17 *Vtrùm hac reseruatione ligentur consulentes & mandantes. Refertur sententia affirmans.*

18 *Sententia Authoris.*

19 *Etiam in materia censurarum censura lata contra facientes non ligat mandantes, vel consulentes.*

20 *Quare mandans, vel consulens abortum incidat in reseruationem latam contra procurantes abortum.*

10 RESpondeo primò excusari eũ, qui malo animo aliena incendere tantum attentauerit. Quare non incidit in casum, qui ignem apposuerit, vel sulphureum puluerem præparauerit, per quem aliena incenderentur, sed effectus non sit secutus repentino quodam aquarum superueniẽtium cásu, vel quia incendium ab alijs fuerit extinctum. Et ratio est, quia iste non dicitur incendiarius, vt patet ex dictis. Tum quia non omnis dolosus incendiarius sub litera comprehenditur, sed quando effectus est secutus cum verba sint intelligenda cum effectu. Cap. relat. de Cleric. non resident. Peccasset tamen mortaliter quia ad mortalem culpam contrahendam sufficit malus animus. Ita Graff. lib. 2. cap. 23. num. 27. Gambar. casu 5 nu. 1 Belloch. par. 2. quæst. 6. num. 112.

11 Secundò eodem modo excusari eum, qui ad aliena incẽdenda ignem apposuerit, sed pœnitentia ductus ignẽ appositum extinxerit. Ratio eadem est. Tum quia proportionaliter de casu hoc nobis est loquendum, ac locuti sumus de casibus superioribus. Sicut enim non complentes raptum, incestum, diximus non ligari reseruationibus contra ea peccata latis; ita neq; dicẽdi sunt ligari ij, qui postquam ignem apposuerint illicò illum extinguant. Ita Graff. in praxi loc. cit. num. 113. quod idem dicendum si incendium fuisset de re modica, cùm de modicis non sit curandum l. Scio. ff. de integr. restit. cap. vnum orarium. §. criminis dist. 25. cod. Etsi quæst. de Symon. Quid autem

 sit

sit istud modicum ad probum Confessarium spectabit definire. Vt bene Graff. cit. Hinc est vt Ordinarius Tarentinus ad dubium omne tollendum hac reseruatione comprehendat tantùm incendiarios supra summam aureorum decem.

12 Tertiò non incidere milites eos, qui tempore belli ex Principis ordinatione domos, segetes, & alia quæcumquè hostium incendunt, quoties bellum sit iustum. Ratio est quia sicuti Princeps potest indicere bellum, ita & iure belli vti, ea quæ hostium sunt vel per se, vel per alium dissipando, euertendo, incendendo. Secùs verò si bellum iniustum sit, vt patet ex superius dictis. Ita Summistæ omnes verb. incend. Sylu. verb. eodem num. 1. Graf. cit. num 24. Belloch. num. 116. Et alij. In dubio verò an bellum sit iustum, an verò iniustum, illud iustum præsumitur, & tenetur subditus obedire cap. Iulianus 11. q. 3. Graff. Belloch. cc.

13 Quartò non comprehendi eum, qui ex lata culpa incendium commiserit, qualiter illud aliquando committunt vetulæ ignem non cooperiendo, vel in stabulis prope paleas ad multam noctem tenẽdo cum lucerna accensa, quas postmodùm longior vigilia in somnum trahit, vnde domus tota incenditur. Et ratio est, quia ad incurrendam hanc reseruationem requiritur malus animus, & dolus, vt patet ex dictis in superiore quæst. culpa autem lata licet dolo æquipararetur non tamen est propriè dolus l. quod Nerua ff. depos. Quare in materia pœnali, vt est casus reseruatio, non debet fieri extensio reg. Odia de regul. iuris in 6. Graff. cit. num. 22. Belloch. num. 117. Et quod diximus de casu, in quo intercedat lata culpa, multò certius est dicendum de casibus ijs, in quibus intercedat leuis tantum, vel leuissima; in his enim neq; consurgit obligatio restitutionis. Ita Gambar. loc. cit num 2. Graff. num. 18. vbi excusat incendium quoddam commissum per quandam Nurum, quæ in camera lucernam accensam minus diligenter seruauerat.

Paritè modo excusari possunt ij omnes, qui lectioni dediti somnum capiunt antequam lucernam extinguãt, vnde aliquando euenit, vt domus tota incendatur.

14 Quintò non incurrere in reseruationem eum, qui publica auctoritate segetes, domos vel etiam homines viuos incendat. Et ratio est quia iustè hoc facit, quoties publica auctoritate illud facit. Addo hoc verùm esse, etiãsi ex malo animo ille incenderet, hæc enim circumstantia adderet tantum malitiam peccati, non verò reseruationem. Ita Gambar. loc. cit num. 4.

15 Sextò excusari Regulares committentes crimen incendij. Et ratio est generalis pro omnibus casibus reseruatis ab Ordinario loci, quia illi cum excludantur a iurisdictione Ordinariorum consequenter sub illorum reseruatione nunquam comprehenduntur. Nouitij autem nondum professi non excusantur. Et ratio est quia cum illi necdum teneantur casibus Religionis, inde est vt ligentur reseruatione lata ab Episcopo. Videte quæ diximus in superiore disput. quæst 2. diff. 4.

16 Septimò excusari pueros, qui necdum vsum rationis habeant, amentes, furiosos, ebrios, ac demum eos omnes, qui incendendo excusantur à malitia peccati, nullum enim peccatum reseruatum est, quod mortale non sit.

17 Potior difficultas est de consulentibus, & mandantibus; verùm videlicet ij ligentur hac reseruatione.

Respondet affirmatiuè Graf. cit. nu. 5. Bel-

5. Belloch. nu. 102. & in simili Chapea. de homic. voluntario 3. cas. res. q. 2. dum habet, mandantes, consulentes, auxilium ferentes homicidæ incidere in reseruationem latam contra eos, qui homicidium commiserint, quia statutum, quo maleficium punitur ligat etiam mandantes, vt probat Bartolus per cap. mulieres de sententia excommun.

18 Respondeo tamen non comprehendi, & ratio est quia reseruatio vt potè odiosa non nisi ad eos est extendenda, de quibus fiat mentio: cùm autem mentio tantum fiat incendiariorum, non verò mandantium, vel consulentium, inde est hi non dicantur cōprehendi. Sic diximus superiùs in cap. 1. mandantes, & consulentes non ligari reseruatione lata contra Raptores virginum. Et hæc est regula generalis in materia casuum reseruatorum receptissima, quod reseruatio lata contra facientes non comprehendit mandantes, vel consulentes, nisi eorum fiat expressa mentio.

19 Quomodo hoc idem dicitur in materia censurarum, videlicet censuram latam contrafacientes aliquid nō ligare mandantes, vel consulentes, nisi in sententia censuræ exprimantur mandantes, vel consulentes; proindeq; censuram latam contra furantes non ligare mandantes, vel consulentes furtum: quod docent Nau. cap. 27. nu. 51. Auil. 2. par cap. 2. disp. 3 dub. 2. Caiet. verb. excom. in principio. Couar. cap. Alma Mater par. 1. §. 10. nu 15. Vgol. de cens. tab. 1. cap. 9. §. vltimo Suar de cens. disp. 4. sect. 3. num. 5. ad finem. Regin. lib. 9. num. 214. Et alij ea ratione nixi, quod ad incurrendam censuram requiratur actus perfectus quātum lex requirit. Sed consilium, vel mandatum non est actus perfectus quantum lex requirit, nisi exprimatur. Ergo &c. Tum quia censura lata contra mandantes non ligat facientes, nisi in censura exprimatur facientes, cùm non sit extendenda vltra intentionem legislatoris; Ergo à pari in censura lata contra facientes non includuntur mandantes, vel consulentes, quoties hi non exprimantur.

Dices reseruatio lata contra procurantes abortum, ligat etiam mandantes, & consulentes, vt patet ex dictis in reseruatione huius casus; Ergo etiam reseruatio lata contra incendiarios cōprehendet etiam mandantes, & consulentes.

20 Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia mandans, vel consulens abortum, verè dicitur procurare abortum, vnde est, vt ligetur reseruatione lata contra procurantes. At verò mandans, vel consulens incendium, non dicitur ipse committere incendium propriè & strictè loquendo, etiamsi mandet, & nomine suo illud committatur; vnde est vt non ligetur reseruatione lata contra committentes incendium.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm contra incendiarios sit lata aliqua excommunicatio, quæ ipso facto incurratur.

21 *Refertur sententia docens omnes incendiarios esse ipso facto excommunicatos.*

22 *Refertur sententia negans huiusmodi excommunicationem.*

23 *Tertia sententia docet incendiarios Ecclesiarum esse ipso iure excommunicatos, alios vero excōmunicandos.*

Difficultati huic occasionem præbet Capit. Tua nos de sent. excom.

com. vbi habetur incendiarios per sententiam publicatos absoluendos esse à Summo Pontifice, circa cuius textus intelligentiam orta fuit inter DD. controuersia, vtrùm incendiarij sint ipso facto excommunicati.

Triplex autem in hac re adest sententia.

21 Prima est eorum, qui asserunt incendiarios omnes ipso facto esse excommunicatos, sed tamē illius absolutionem non esse reseruatam Pontifici, nisi postquam incendiarius denunciatus fuit excōmunicatus. Primum probant quia Pōtifex in Cap. Tua nos cit. comparat incendiarios cum percussoribus clericorum. Atqui percussores clericorum ipso facto sunt excommunicati. Ergo etiam incendiarij. Tum quia Summus Pontifex non mandat Episcopis, vt excommunicent, sed postquam ipsi publicauerunt incendiarios excommunicatos reseruat sibi illius censurę absolutionem: cùm autem absolutio à censura supponat esse latam excommunicationem, dicendum est verè latam esse hanc excommunicationem contra incendiarios, eamq; ipso facto incurri. Ita Bonac. disp. 2. de cens. extra Bullam Cœnæ quæst. 3. pun. 43. num. 1. Alterùm verò quod nimirum excommunicatio contracta ob incendium sit reseruata Summo Pontifici, postquam incendiarius fuit denunciatus excommunicatus, patet ex cap. Tua nos de senten. excommu. cit. ibi [ex quo sunt per sententiam Ecclesiæ publicati, pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam sunt mittendi.]

22 Secunda sententia est eorum, qui asserunt incendiarios nullibi esse excommunicatos ipso iure, ex eo quod non possit afferri textus, quo id probetur. Cæterùm postquam fuerint ab Episcopo excommunicati illorum absolutionem esse Pontifici reseruatam. Ita Caiet. verb. excommu. cap. 22. Nauar. cap. 27. nu 94. Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 5. Suar. disp. 22. sect. 2. num. 17. Sayr. lib. 3. cap. 19. num 8. Filliuc. tract. 15. cap. 2. quæst. 5. Et alij.

23 Tertia sententia est eorum, qui asserunt incendiarios Ecclesiarum esse ipso iure excommunicatos; alios verò excommunicandos esse ab Episcopis, & illorum absolutionem postquā fuerint ab Episcopo excommunicati esse Papæ reseruatam. Quæ sententia circa incendiarios Ecclesiarum, & locorum piorum, in nostra hac Diœcesi videtur vsu recepta, vt patet ex libello casuum reseruatorum §. Censuræ & casus, qui aliquando Summo Pontifici, & aliquando Episcopis sunt reseruati. Ita Sylu. verb. excommu. 7. nu. 8. §. septima. Tab. Angelus, & alij apud Sayr. cit.

DIFFICVLTAS II.

Ad quid teneatur incendiarius.

24 *Tenetur ad restitutionem non solum rei incensæ, sed etiam rerum aliarum deperditarum causa incendij.*

25 *Verum tamen id est, quando incendiarius potuit verisimiliter cogitare damnum hoc secuturum.*

26 *Nihil facit ad inducendam obligationem restitutionis, quod det operam rei illicitæ.*

27 *Etiam in materia irregularitatis excusatur is, qui dans operam rei illicitæ homicidium commisit, quoties debitam adhibuerit diligentiam ne illud sequeretur.*

28 *Ad quam restitutionem teneatur is, qui segetes alienas incendit quæ necdum ad maturitatem erāt perductæ.*

29 *Refertur sententia docens teneri incendia-*

cendiariū restituere non solùm quanti valebat res tempore incendij, sed etiam quanti valuisset tempore messis detractis laboribus, expensis, & habita ratione periculi cui messis ea erat exposita.

30 *Sufficienter satisfacit si restituat valorem quem habebant segetes tempore incendij.*

31 *Respondetur casui proposito.*

32 *Quare is, qui incendat triticum, vel aliquid simile teneatur restituere & valorem præsentem tritici & praterea eum, quem erat habiturum eo tēpore quo Dominus illud vendidisset, & de segetibus non idem dicitur.*

33 *Conciliantur hæ duæ sententiæ quæ videntur nomine tantum inter se discrepare, non re.*

34 RЕspondeo teneri non solùm ad restitutionem rerum incensarum, sed etiam rerum aliarum omnium deperditarum causa incendij, quamuis non habuerit in animo totum illud dānum facere. Et ratio est quia fuit causa iniusta illius damni. Ac licèt tale damnum non præuiderit, tamen verisimiliter poterat illud præuidere, cum plerumq; huiusmodi mala, ac damna soleant ex tali actione prouenire. Sic enim Molina tom.3. disp. 728. num. 3. obligat ad restitutionem eum, qui noctu ingressus in aliquam domum ad furandum pedibus in aliquid offenderit, puta in vas cristallinum, & illud fregerit, ex eo quod mala hæc dicantur aliquo modo præuisa, & intenta, cùm vt plurimum ex tali actione ea soleant euenire. Sic l. 1. §. ex incend. ff. de incen. rui. & nauf. habetur, vt si quis animo incendendi vnam domum ignem apposuerit, & combustæ fuerint plures domus, teneatur pro omnibus domibus combustis.

25 Quod tamen intelligitur quando verisimiliter potuisset cogitare dānum hoc euenturum. Vt bene Cepol. conf. 36. Graff. in praxi lib. 2. cap. 23. num. 31. Et ad hoc facit quod habet Less. lib. 2. cap. 7. dub. 6. num. 29. quo loco docet, si ex facto alicuius sequatur alteri damnum, & ille nihil aduerterit ad tale damnum, non teneri ad restitutionem, quia nec teneatur ratione rei acceptæ, vt potè quæ non extet; nec ratione iniustæ acceptionis, cùm nulla adsit culpa, sed tantùm inaduertentia & obliuio; nec ratione contractus, cùm nullus interueniat.

Sic etiam egredientem è cubiculo si fortè ex imprudentia & obliuione nō occludat ostium, & fures ingrediantur, & furentur, immunem facit à restitutione.

Pariter si quispiam puteum aperiret, & casu oblitus sit tegere, vnde noctu pertransiens aliquis in illum inciderit, ad nihil asserit teneri, ex eo quod damna hæc dicantur fortuita, vt potè quæ nec intenta, nec præuisa, & rarò etiam soleant euenire.

26 Dices disparitatem esse in nostro casu, quia incendens dat operam rei illicitæ, vt proindè damnandus sit ad compensationem totius damni dati, etiamsi illud nec præuiderit, nec potuerit verisimiliter præuidere.

Respondeo, in quantum attinet ad restitutionem, impertinens esse quod quis det operam rei licitæ, vel illicitæ, cùm ratio obligationis restituendi ex eo solùm petatur, an damnum sit voluntariè illatum, an verò inuoluntariè: Si enim illud inuoluntarium sit, nullam parit obligationem restituendi. Nā quid refert ad restitutionem, quod quis in aliena materia licitè, vel illicitè operetur? Cum etiamsi illicitè operetur in aliena materia, possit licitè, & pru-

prudenter operari in materia iustitiæ, puta adhibendo omnem diligentiã, ne ex sua actione damnũ alteri sequatur. Quare cum tale damnum non sit præuisum, nec intentum, sed omnino per accidens secutum, nec verisimiliter potuerit præuideri, inde est, vt non sit ad culpam imputandum, & consequenter nullam relinquat obligationem restitutionis. Ita Pet. Nauar. lib. 2. cap. 1. difficult. 6. num. 68. Turrian. disp. 11. dub. 2. in fine. Rebel. 2. par. lib. 2. quæst. 10. num. 19. Nauar. cap. 17. num. 140. Mol. tom 3 disp. 728 num. 2. Bonac. de restit. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. §. Vnico num. 11. excusans furem, qui noctu domum ingressus ad furandum inaduertenter & contra intentionem domum incendit.

27 Et ad hoc faciunt ea, quæ DD. plures docent in materia irregularitatis: videlicet dantem operam rei illicitæ periculosæ homicidij, secuto homicidio non esse irregularem, quoties debitam adhibuerit diligentiam ne illud sequeretur. Vt Less. lib. 2. cap. 9. dub. 15. Pet. Nau. lib. 2. de restit. cap. 3. num. 362. Henriq. lib. 14. cap. 15. nu. 1. noster Bonac. disp. 7. de cens. quæst. 4. pun. 7. num. 9. eadem vtens limitatione, qua nos ipsi vsi sumus superiùs; videlicet, si detur opera rei illicitæ periculosæ, ex qua soleat mors vt plurimum sequi: ex eò quod non possit dici, quod sit adhibita debita diligentia, ne homicidium sequatur, quando datur opera rei illicitæ, ex qua mors vt plurimùm soleat sequi.

28 Difficultas potior est, quid dicendum in hoc casu. Titius incendit segetes alienas, quæ nondum ad maturitatem erant perductæ, vel incendit arborem fructiferam, aut pullum equinum. Quæritur ad quam restitutionem teneatur.

Respondeo regulam hanc esse generalem in hac materia, vt tantum restituatur, quantum satis est ad æqualitatem damni illati, cum hac tamen distinctione, vt si quantitas damni sit certa tantundem restituatur, sin verò incerta tantum restituatur, quantum iudicabitur arbitrio boni viri consideratis omnibus circumstãtijs rei, loci, temporis, & personæ. Quæ regula colligitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 3. Soto lib. 4. de iustit. quæst. 6. art 4. & 5. Arrag. 2. 2. quæst. 62. art. 3. & 4. Nauar. in Manual. cap. 17. num. 27. Gregor. de Valen. tom 3. disp. 5. q. 6. pun. 6. & alijs.

29 Ex hac autem regula aliqui inferunt incendentem segetes alienas antequam ad maturitatem peruenerint, vel incidentem arbores adhuc teneras, teneri arbitrio prudentis viri restituere, non solum quanti res valebat tunc creditori, sed etiam quanti valuisset tempore messis, detractis laboribus, expensis, ratione periculi, cui messis illa erat exposita, cum cõtingere posset vt per cęli iniurias, aut alios casus similes ad maturitatem non perueniret. Ita Pet. Nauar. lib. 4. cap. 1. nu. 52. Bann. 2. 2. quæst. 62. art. 4.

Quod idem inferunt de illo, qui pullum equinum incenderit nunc valentem 20. & anno sequente valiturum 40. videlicet non solum teneri restituere quantum valet de præsenti, sed etiam quantum valuisset anno futuro, detractis tamen detrahendis, expensis videlicet, & æstimatione periculi, cum bonum in spe minus valeat, quam bonum in re. Ita Sotus lib. 4. de iust. q. 6. art. 5. Bann. cit. Regin. lib. 10. nu. 213. quos citat & sequitur noster Bonac. disp. 1. de rest. quæst. 3. pun. 1. num. 10.

30 Respondeo tamen dictum Titium incendentem alienas segetes, quæ nęcdum ad maturitatem erant

perdu-

perductæ, aut pullum equinum, sufficienter satisfacere, si restituat rem quoad valorem, quem habebant segetes, & pullus equinus tempore incendij. Et consequenter non teneri restituere fructus, vel incrementum, quod ex re incensa, vel destructa erat percipiendum in futurum. Et ratio est quia valor, quem habet res eo tempore, quo destruitur, æstimatur attentis fructibus, qui ex illa possunt percipi, & attento illius vsu, aut commoditate quę in futurum potest ab illa percipi, vt proinde hæc omnia, vt sunt in potentia illius rei proximiora, aut remotiora ab actu sufficienter soluantur, dum illius rei præsens valor soluitur. Et hoc patet exemplo pulli equini, qui hoc anno valeat 20. & ad duos annos valiturus 50. nam si ille pullus equinus per se consideretur nihil valet, quinimò est inutilis ratione expensarum. Quòd ergo valeat 20. valor iste desumitur per ordinem ad spem, & ad futurum tempus, in quo erit vtilis, & aptus ad vsum. Ergo si quispiam illum incendat, sufficienter satisfacit, si restituat valorem, quem habeat de præsenti, non attento valore futuro, quia valor præsens desumitur ex spe incrementi futuri.

Pari modo segetes vicinę ad messem si aliquid valent, illud valent ob spem fructus, quem habent. Cęterùm in se sunt potiùs paleæ, quàm segetes. Ergo si quispiam illas incendat sufficienter satisfacit, si restituat valorem, quem habent eo tempore, quo incenduntur, non attento valore, quem sunt habituræ tempore messis, ex eo quod valor ipse præsens desumatur ex spe messis futuræ. Ita Mol. disp. 726. num. 23. Less. lib. 2. cap. 12. dub. 19. num. 137. Et ex parte Clauis Reg. lib. 10. tract. 4. cap. vnico num. 6. quo loco existimat semina, & plantas æstimanda quidem esse iuxta valorem, quem erant habitura si peruenissent ad maturitatem; animalia verò, & pullum equinum æstimanda esse iusta valorem, quem habent eo tempore, quo destruuntur.

31 Ex quibus patet ad casum, videlicet eum, qui alienas segetes incendit, quę needum erant ad maturitatem perductæ, vel pullum equinum incendit, vel arborem incidit, satisfacere, si restituat valorem, quem habebant segetes, & pullus equinus tempore incendij, & quem habebat arbor tempore incisionis, quia sufficienter compensatur damnum Domini.

Dices primò Dominus ipse non vendidisset tali pretio pullum illum equinum ob incrementum, quod erat habiturus. Ergo aliquid vlterius est restituendum?

Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam: quia quòd Dominus non fuerit illo pretio pullum venditurus, sed dilaturus venditionem adhuc per biennium, hoc nõ probat, quod damnum sit maius, quàm ipsa res nunc valeat, sed probat tãtùm damnum illud esse magis contra Domini voluntatem; proindeq, iniuriam quidem esse maiorem, non verò damnum; atqui iniuria non compensatur pecunia, vt bene Molin. Less. cit.

32 Dices secundò, si quis incendat alterius triticum, non solùm tenetur restituere valorem, quem nunc habet triticum, sed etiam illum, quem erat habiturum eo tempore, quo Dominus erat illud venditurus: vt si Dominus erat illud seruaturus in mensem Maij, quo illud pluris erat valiturum. Ergo pari modo si quis incẽdat pullum equinum, aut segetes, tenebitur restituere quanti pullus equinus, aut segetes suo tempore erant valituræ Domino, de-

tractis

tractis tamen laboribus, expensis, & æstimatione periculi.

Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam. Disparitas in eo est, quia in casu de tritico concurrit & valor, quem de præsenti habet triticum tempore incendij, & damnum emergens, quod Dominus patitur, si illud nunc destruatur, cum sit paratus illud seruare in mensem Maij, quo pluris est valiturum, ratione cuius damni, si illud nunc mutuaret posset pluris exigere, quàm valeat. At vero in casu de pullo equino, aut segetibus, eæ nullum habent valorem de se, sed si aliquid valent, illud valent ob spem fructus quam habent. Vnde est, vt si illarum præsens valor compensetur, sufficienter dicatur compensari id totum, quod sperabatur, & totum damnum quod timetur. Quare ergo sententia hæc procedit in casu, quo damnum inferatur in re adhuc in dies crescente, & quæritur vtrùm damnificator teneatur integrè rependere, perinde ac si adulta esset.

33 Existimauerim tamen hasce duas sententias ipsa tantùm vocum diuersitate inter se differre, non rei. Nam quoties præsens valor segetum, aut pulli equini desumatur ex spe futuri incrementi, & fructus; porrò quoties dicimus in compensatione attendẽdum esse valorem præsentem, videmur etiã cum contraria sententia concedere, quod sit attendendus valor, quem res destructa suo tempore erat habitura.

QVÆSTIO TERTIA.

Quinam ligentur reseruatione lata contra eos, qui damni iniuriæuè causa vites, vel arbores alienas inciderint.

34 *Quid veniat nomine arboris.*

35 *Quando nam dicatur arbor.*

36 *Quid significet verbum, incidere, in præsenti reseruatione.*

37 *Incidunt in casum omnes qui vites, vel arbores tam fructiferas, quam infructiferas incidunt.*

38 *Ligatur etiam is, qui vnam tantum arborem inciderit.*

39 *Referuntur duæ conditiones necessariæ ad hanc reseruationem incurrẽdam.*

40 *Vtrùm hæ particulæ, damni iniuriæuè causa, sumendæ sint copulatiuè.*

34 ADuertendum primò arborem generale nomen esse, & eius appellatione venire tam fructiferas, quæ videlicet reddunt fructus, siue naturales, vt poma, & ligna de Sylua cędua; siue industriales, vt vinum, oleum: qui tales dicuntur, quia citra hominis industriam hosce fructus natura non profert; quàm infructiferas, quales sunt Cupressus, & huiusmodi. Ita Gambar. casu 5. nu. 5. fol. 200. Belloch. par. 2. quæst. 8. num. 179. in explicatione 15. casus tabellæ Maceratensis. Et in simili Stephanus Quaranta v. alienatio rerum Ecclesiæ num. 33.

35 Aduertendum secundò arborem dici postquam radices egerit, vt habetur l. 3. arborum furt. Cæsa. & arboris nomen retinere, etiamsi à vento auulsa sit, dũmodo tamen adhuc possit replantari; quod si replantari non potest defectu vigoris, ea potius lignum dicenda est, quam arbor l. ligni. ff. de legat. 3. Graf. lib. 2. cap. 6. num. 4. Belloch. cit. num 178.

36 Aduertendum tertiò incidere, idem significare, ac succidere, vel cædere, vt dixit textus in l. cædere ff. arbor. fur. cæs.; & propriè tunc dicitur aliquis arborem incidere, quando ita illam incidit, vt cadat, & caput à pede

sepa-

ſeparetur. Vnde differunt hæc tria incidere, ſubſecare, deglubere; ſubſecare enim eſt ſerra ſecare; deglubere eſt arboris ramos vltrà modum pûtare, & corticem auferre; incidere vero eſt ferro cædere, vt diximus Ita Graf. nu. 2. Belloch. nu. 179. His prænotatis.

37 Reſpondeo primò incurrere in caſum omnes cuiuſcumquè ſexus, & conditionis ſint, qui vites, vel arbores alienas tam fructiferas, quàm infructiferas, tam in Eccleſiæ ſolo, quàm aliorum locorum poſitas damni, iniuriæue cauſa incidunt. Hoc patet ex ipſis verbis reſeruationis, quæ generalia ſunt, vt proinde arbores omnes, & etiam incidentes omnes comprehendant.

38 Secundò comprehendi ſub caſu eum, qui etiam vnam tantùm arborem inciderit. Ratio eſt, quia licèt caſus loquatur in numero plurali, dicens, qui vites vel arbores alienas inciderint, tamen habet locum, etiamſi vnica arbor tantùm, vel vitis incidatur, dummodo eam damni, iniuriæuè cauſa incidat. Ita Gambar. loc. cit. Belloch. num. 182. Barboſa de off. & poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 51. num. 82.

39 Ex quibus patet duas conditiones requiri ad reſeruationem hanc incurrendam.

Prima, vt incidantur arbores, vel vites, nõ quocunq; modo, ſed damni, injuriçue cauſa, vt patet ex verbis literę.

Secunda, vt ſequatur effectus inciſionis.

40 Quæres hoc loco vtrùm hæ particulæ, damni, iniuriæue cauſa, ambæ ſimul concurrere debeant, ad hoc vt incurratur reſeruatio: ita vt incidens arbores tantùm iniuriæ cauſa, non dicatur comprehendi, quia illas non incidat cauſa damni; an verò ſufficiat ſi altera ex illis particulis concurrat, ita vt incidẽs, vel cauſa damni, vel cauſa iniuriæ ſemper comprehendatur ſub caſu.

Reſpondeo ſufficere ad reſeruationem ſi altera tantùm concurrat, proinde non copulatiuè eas eſſe ſumendas, ſed diſiunctiuè. Et hoc colligitur ex verbis ipſius Gambar. loc. cit. nu. 4. qui vtitur particula, vel, & dicit eos tantùm ligari hac reſeruatione, qui vites, vel arbores incidant, cauſa damni, vel iniuriæ.

QVÆSTIO QVARTA

Quinam excuſentur ab hac reſeruatione.

41 *Excuſatur ab hac reſeruatione is, qui attentarit & inchoarit inciſionem, ſed pœnitentia ductus non perfecerit.*

42 *Excuſatur item is, qui arborem de nouo plantatam inciderit, quæ necdum radices emiſerit.*

43 *Non incidit is, qui arborem radicitus auulſerit.*

44 *Hac reſeruatione non ligantur incendentes arbores, licèt ligentur ſuperiore.*

45 *Excuſatur is, qui arboris ramos inciderit.*

46 *Pariter is, qui arborem adeo teneram inciderit, quæ nomine herbæ potiùs veniret, quàm arboris.*

47 *Is etiam qui arborem per medium frangat, vel ſerra ſecet.*

48 *Excuſatur beneficiatus cædens arbores, quæ per inciſionem ſunt in fructu vberiore.*

Vtrùm excuſaretur ab excommunicatione lata contra alienantes bona Eccleſiæ. ibidem.

49 *Quid dicendum de ijs, qui in caſtaneto aliquo damni, iniuriæuè cauſa arborem incidat.*

50 *Inci-*

50 *Incidentes vites adhuc ligantur reſeruatione, licèt eæ repullulent.*

51 *Excuſatur is, qui in nemore alieno palos incidat.*

52 *Pariter excuſatur is, qui in agro à ſe conducto arbores inſcio Domino incidat, vt vites plantet.*

53 *Pariter is, qui alterius arborem ſibi damnoſam incidat.*

54 *Pariter is, qui vites incidit, vt citò ſe expediat à furto; & ne à cuſtode deprehendatur.*

55 *Is etiam excuſatur qui arbores incidat tantum cauſa furti.*

56 *Pauperes item, qui cauſa neceſſitatis in nemore alieno arbores incidunt.*

57 *Excuſatur item is, qui arbores noxias prædijs incidat.*

58 *Excuſantur etiam mandantes, conſulentes.*

59 *Demum is, qui incidat arborem quæ in ſuo ſolo plantata fuerit ab alio, & in eo radices egerit.*

41 RESpondeo primò excuſari eos, qui ad aliquam ſyluam, vel vineam acceſſerint cum animo arbores, vel vites incidendi, & inceperint quidem, ſed tamen, vel impediti, vel aliam ob cauſam pœnitentia ducti inciſionem non perfecerint. Et ratio eſt, quia reſeruatio intelligitur ſemper de actibus exterioribus perfectis. Ita Gābar. lib. 2. cap. 6. num. 25. Belloch. par. 2. q. 8. num. 186. Intellige tamen cum DD. cit. modo ex inchoata ea ſucciſione arbor non pereat. Ratio eſt, quia ſi arbor pereat, inciſio illa dicitur coniuncta cum effectu.

42 Secundò non incidere in reſeruationem eum, qui arborem de nouo plantatam inciderit, quæ necdum radices emiſerit. Ratio eſt quia non dicitur arbor, quæ radices non conceperit. Vnde ſi quis incideret ſalices, vel populos recenter plantatas non incurreret in reſeruationem; non enim eæ veniunt nomine arborum, ſed potius nomine arbuſculorum à ramis arborum auulſorum. Ita l. 3. ff. arbor. fur. cæſ. Secus verò eſſet, ſi quis incideret arborem recenter quidem plantatam, ſed cum radicibus, vt ibi in eadem l. in fine. Ita Graf. cit. num. 14. Belloch. num. 189.

43 Tertiò non comprehendi eum, qui arborem radicitus auulſerit. Ratio eſt quia caſus non comprehendit auellentes arbores, ſeu extirpantes, ſed tantùm incidentes. Et ita ſentiendum eſſe aſſerunt Graff. num. 15. Belloch. num. 183. quoties verbi proprietas attendatur, & ſeruetur. Verùm ipſi ex maioritate rationis, dicunt caſum hūc comprehendi, ex eo quod maius ſit crimen radicitus auellere, quam incidere.

Mihi autem maioritas rationis nihil videtur ſuadere in caſibus reſeruatis in quibus cùm materia ſit odioſa, reſeruatio tantùm extenditur ad caſus expreſſos. De reliquo ſi reſeruatus tantùm eſſet inceſtus in primo, vel ſecundo gradu, & maioritas rationis valeret, dicere deberemus vi illius reſeruationis reſeruatum etiam eſſe inceſtum cum Moniali commiſſum, cùm grauiùs crimen ſit cum Moniali rem habere, quàm cum conſanguinea, vel affine. Quod ſi dicas copulam cum Moniali non eſſe propriè inceſtum: pariter reſpondeo extirpatorem arborum non eſſe propriè inciſorem. Idemquè dic de alijs caſibus ſimilibus.

Tum verò contra Graf. vrgere videtur ea ratio, quia ipſe negat ſub caſu comprehendi eum, qui arborem per medium frangat, vel ſecet, ex eò quod ferro ſecare, vel per medium frangere non ſit idem, ac incidere. Ergo nequè comprehenditur is, qui radicitus auellit,

lit, cum sit eadē ratio non enim auellere significat incidere. Vel certè quoties ex maioritate rationis sustineat comprehendi auellentem, ex eadem ratione debet etiam afferere comprehendi serra secantem, vel per medium frangentem.

44 Quartò non comprehendi sub casu incendentes arbores licet priorem reseruationem incurrant, de qua superiùs sumus locuti: vel arundinetum incidentes. Et ratio est, quia si arbores incendant dicuntur quidem incendiarij, sed non incisores. Quod si arundinetum incidant, adhuc non cōprehenduntur, quia arundinetum non venit nomine arboris, casus autem loquitur solùm de arboribus. Ita Belloch. num. 187. Mortaliter tamen peccaret illud incidendo, & ad restitutionem teneretur.

45 Quintò excusari à reseruatione eum, qui arboris ramos incideret. Et ratio est quia ramus arboris non est arbor cum non habeat radices. Ita Graff. num 20.

46 Sextò excusari eum, qui arborem adeo teneram incideret, vt ea potius veniret nomine herbæ quàm arboris. Et ratio est clara; quia non est arbor. Ita Graf. num. 17. Belloch. num. 190. Peccaret tamen grauiter pro materiæ grauitate, & teneretur ad damnum illatum.

47 Septimò non incidere eum, qui arborem per medium frangeret, vel degluberet, vel serra seccaret. Et ratio est quia nullo ex his modis dicitur arbor incidi: Si enim per medium frangatur, patet quod non dicitur incidi; item si deglubatur, deglubere enim non est incidere, sed vel corticem auellere, vel vltra modum putare; Item si ferro seccetur, secare enim serra, & incidere inter se differunt Ita Graf. num. 24. Sic si lata esset excomunicatio contra eos, qui ferro homines occiderent, non incurrerent ij, qui eos strangularent, vel fustibus, aut sacculis sabulo repletis ad mortem peterent, cùm nullo ex his modis dicatur ferro occidi. Consulenti tamen de casu contrarium in praxi esset suadendum.

48 Octauò excusari beneficiatum cædentem syluam cæduam, nemus, & alias arbores cæduas in solo Ecclesiæ, vel aliorum piorum locorum existentes, quæ per incisionem sunt in fructu. Ratio est, quia ea incisio magis prodest, quam obest, cùm per eam magis renascantur, tantùm abest vt fundus deterioretur; quod verius est, si ex tali incisione fundus fieret fructuosior, quā esset ante, ex eo videlicet quia arbores opacæ fuerunt incisæ, quæ vmbram summam afferebant, nec solum augmentum arborum, sed etiam fructus ipsos impediebant. Ita Nau. consil. 6. tit. de rebus Eccles. non alien. Steph. Quaran. verb. alienatio rer. Eccles. nu. 33. quo loco incisorem hunc declarat non incidere in excommunicationem latā contra alienantes bona Ecclesiæ.

49 Qua pari ratione idem videtur probabiliter posse dici de ijs, qui in castaneto aliquo damni, iniuriæue causa arbores incidunt, eos videlicet non incidere in reseruationem, quoties ex tali incisione non deterioretur fundus, quia videlicet cum maiore fructu arbores eæ renascantur. Tum quia si attendamus finem reseruationis, ea non videtur voluisse ire obuiam furtis; quandoquidem furta omnia reseruasset, sed ijs tantum, qui arbores alienas ita inciderent, vt eæ morerentur, cum incisiones hæ sint coniunctæ cum notabili damno, puta non solùm fructus, sed etiam arboris ipsius. Ergo incisiones eæ non videntur casu cōprehensæ.

50 Dices hoc modo sequeretur non ligari hac reseruatione incidentes vites alienas, quia etiã eæ repullulant.

Respondeo negando sequelam, quia vites incisæ non repullulant cum maiore fructu, quo modo repullulant quędam arbores in nemore incisæ.

51 Nonò non incidere in hanc reseruationem eum, qui in nemore alieno palos incidat. Et ratio est, quia pali sunt rami arborum, non arbores.

52 Decimò non ligari reseruatione colonum eum, cui esset locatus ager, & arbores aliquas inscio Domino incideret, vt vineam plantaret. Et ratio est, quia hic non dicitur damni, iniuriæue causa incidere, sed potius causa maioris prouentus. Ita Belloch. num. 192.

53 Decimoprimò eum non incidere in casum, qui cùm habeat alterius arborem prope suam vineam, illam incidat, quia propter opacitatem sit maximè damnosa. Et ratio est quia non intendit damnum illius, nec iniuriam, sed solùm remouere damnum sibi imminens; Esto enim sequatur damnũ, non tamen intendit causam damni. Sicut si esset lata reseruatio contra peccantes in contemptum Dei, non ideo omnis peccans mortaliter incideret in reseruationem, etiãsi in quolibet mortali peccato adsit contemptus Dei. Ille tamen mortaliter peccaret, & ad restitutionem teneretur.

54 Decimosecundò excusari eos, qui in vineam aliquam descendunt, vt furentur, & vt citò se expediant vites ipsas incidunt, ne à custode deprehendantur. Ratio est, quia ij non dicuntur incidere causa damni, vel iniuriæ, sed potius causa rapacitatis, vel etiam ex metu. Ita Gambar. loc. cit. num. 4.

55 Decimotertiò excusari pariter eos, qui arbores incidant, quas domum deferant, ne pessimæ vxoris, ac furacissimæ maledicta sentiant, quæ marito suo mandet, ne vacuus vnquam domũ reuertatur. Ratio est eadem, quæ superiùs allata. Ita Gambar. cit.

56 Decimoquartò excusari pauperes eos, qui in nemore alieno ligna cædunt causa tantùm necessitatis, vt se à frigore defendant; ac similiter eos omnes, siue coloni sint, siue conductores domuum sint, qui contra pacta inita arbores incidant non causa damni, sed rapacitatis, ac demum eos, qui ex leuitate tantùm, vel voracitate incidant. Et ratio est eadem.

57 Decimoquintò non ligari hac reseruatione eum, qui arbores noxias prædijs, ædificijs, aquæductibus incidat, quas alius iniustè plantauerit debitam distantiam non seruando. Et ratio est, quia illas non incidit damni, vel iniuriæ causa, sed vt se redimat ab iniusta vexatione. Ita Graff. num. 22. Peccaret tamen si propria authoritate hoc faceret, non Iudicis.

58 Decimosextò non comprehendi mandantes, consulentes, vt patet ex dictis de incendiarijs. Quidquid in contrarium sentiat Graff. num. 26. & Belloch. num. 184.

59 Decimoseptimò excusari eum, qui incidat arborem, quæ in suo solo plantata fuerit ab alio, & in eo radices egerit. Et ratio est, quia arbor in alieno fundo plantata cedit Domino fundi si radices egerit: si verò non egerit radices, remanet dominus qui illam conseuit §. si Titius instit. de rerum diuis. Cum ergo prædictus incisor sit factus illius dominus, nec peccabit, nec incidet in reseruationem. Quinimò neq; tenebitur ad restitutionem. Vt docet Zech. casu 16. num. 2. Barbos. de off. & potest. Episc. 3. par. alleg. 51. num. 82. licèt DD. hi putent hunc priuata

uata

uata auctoritate incidentem peccare mortaliter.

De Grauitate horum peccatorum.

HOrum peccatorum grauitas ex eo dignoscitur, quod crimen incendij per text. in cap. pessimam 23. quæst. 8. vocatur pessima malitia, & horrenda, estquè de iure casus Episcopalis. Cap. Si quis, & cap. sequen. Crimen verò incidentium arbores vocatur latrocinium: & sic, qui arbores, & maximè vites incidunt tanquam latrones puniuntur. Vnde est, vt Dominus contra illos non solum agere possit ciuiliter, iux. tex. in l. facienda ff. arbor. furt. cæsa. Sed etiam criminaliter, vt dicit textus in l. Capitulum ff. de pœnis.

DISCE LECTOR

Mala demum, ac damna omnia in suum auctorem redire.

CAPVT SEXTVM

Ecclesiam polluentes.

PRæmittendum pro huius casus clariore intelligentia; quot modis Ecclesia dicatur pollui. Sic enim facilius nobis innotescet, quinam sub hoc casu comprehendantur, quoties modos omnes tenuerimus, quibus eam pollui posse contingat. Verùm illud erit aduertendum, sæpissime quidem Ecclesiam pollui dici, eam tamen non in se, sed tantùm, quoad opinionem hominum pollui; quæ enim verè sancta sunt coinquinari non possunt; alioqui nihil esset sanctum si incorrupta ipsa sanctitas pollueretur: dicitur ergo Ecclesia pollui quoad opinionem hominũ, quia verè illam polluunt quantum in se est. Eam autem ita pollutam reconciliari mos est, vt Christiani ipsi intelligant quantùm sibi pro peccatorum absolutione desudandum sit, qui peccarint, cum videant lauari Ecclesiam, quæ nunquam peccarit.

QVÆSTIO PRIMA

Quot modis Ecclesia polluatur.

1 *Recensentur sex modi, quibus Ecclesia polluitur.*

1 REspondeo sex modos communiter à Doctoribus assignari; vt videre est apud Sylu. verb. consec. 2. nu. 6. Suar. in 3. par. D. Thomæ disp. 81. sect. 4. Gambar. cas. 6. fol. 202. num. 9. Gregor. Sayr. de cens. lib. 5. cap. 16. & alios.

Ac quidem primò polluitur Ecclesia per homicidium.

Secundò per iniuriosam sanguinis effusionem.

Tertiò per humani seminis voluntariam effusionem.

Quartò si in ea fidelis excommunicatus sepeliatur.

Quintò si aliquis Paganus, vel infidelis in ea sepeliatur, vel sepultus iaceat.

Sextò si parietes Ecclesiæ ita de-

-struantur, vt eam integrè reædificari oporteat.

DIFFICVLTAS I.

De intelligentia primi modi, quo Ecclesia polluitur.

2 *Polluitur Ecclesia per homicidium voluntarium & iniuriosum.*
3 *Per casuale ergo homicidium non polluitur.*
4 *Nec item per homicidium secutum ob defensionem.*
5 *Nec item per homicidium, cuius causa data sit extra Ecclesiam, licèt mors secuta sit in Ecclesia.*
6 *Nec ita pollueretur Ecclesia, si quis aliquem in ea mortiferè contunderet, ita vt mors sequeretur quidem, sed extra Ecclesiam.*
7 *Pollueretur Ecclesia, si in ea reus aliquis ex præcepto Iudicis suspenderetur.*
8 *Secus verò, si reus ille supra Ecclesiæ tectum suspenderetur.*
9 *Etiam per martyriũ Ecclesia polluitur.*

2 Primò polluitur Ecclesia per homicidium voluntarium, & iniuriosum, vt patet ex cap. Proposuisti de consec. Eccl. & cap. Si motum de consec. dist. 1. in quo sermo est de homicidio, quod per contentiones, & rixas contingit.

Dicitur primò, homicidium, quod verum esse intelligit Gloss. cap. vnico de consecr. Eccles. in 6. tam si illud cruentum sit, quàm si incruentum, videlicet etiamsi absquè sanguinis effusione illud fiat, puta per suffocationem, vel contusionem, ex qua mors sequatur. Et ratio est, quia etiam hoc est verum homicidium.

Dixi, ex qua mors sequatur, quia sola contusio, seù percussio, quæ sine sanguinis effusione fiat, etiamsi ea mortifera sit, quoties tamen mors non sequatur, Ecclesiam non polluit. Et ratio est, quia non est homicidium.

3 Dicitur secundò voluntarium. Ratio est, quia si illud casuale sit, puta lapide cadēte de pariete, vel ex amentia sequatur, per illud non violatur Ecclesia. Ita Doctores cit. quibus accedit Graff. par. 1. decis. aur. lib. 2. cap. 48. num. 22.

4 Additur particula, iniuriosum. Ratio est, quia si illud ex pura defensione sequatur, Ecclesiam non polluit, cùm nulli sit iniuriosum.

5 Item si causam quis daret homicidio extra Ecclesiam infligendo vulnus lethale, tunc etiamsi mors in Ecclesia contingeret, adhuc tamen ea non pollueretur. Et ratio est, quia in hoc casu nō homicidium, sed sola mors diceretur in Ecclesia contigisse.

6 Dices primò, quid si in Ecclesia quis aliquem mortiferè percuteret, vel contunderet, ita vt mors quidem sequeretur, sed extra Ecclesiam; vtrùm in tali casu esset dicenda Ecclesia polluta.

Respondeo negatiuè cum Suar. loc. cit. Ratio est, quia in eo casu non intelligeretur commissum homicidium in Ecclesia, sed tantùm data causa homicidio; homicidium autem in causa non est illud, quod polluit Ecclesiam, quoties nulla adsit sanguinis effusio, sed homicidium consummatum.

7 Dices secundò, quid si Iudex in Ecclesia aliquem suspenderet; vtrùm in tali casu intelligeretur aliqua violatio Ecclesiæ? obstat enim, quia nos dicimus pollui Ecclesiam per homicidiũ voluntarium, & iniuriosum, sed illud non diceretur iniuriosum. Ergo &c.

Respōdeo primò cum eodem Suar. homicidium illud posse adhuc dici esse iniu-

iniuriosum ipsi reo, ex eo quod licèt tale supplicium mereatur; tamen ius habet, vt in tali loco vim non patiatur.

Respondeo secundò homicidium illud, licèt non sit iniuriosum personæ, esse tamen iniuriosum loco sacro. Patet hoc à simili de Clerico, qui in se ipsum manus violentas inijciat; licet enim sibi non faciat iniuriam, quia tamen illam infert statui Ecclesiastico, inde est vt in excommunicationem incidat; Ergo idem à pari in nostro casu sentiendum. Ex quo sequitur, vt qui se ipsum occidat in Ecclesia, eam polluat, quia licèt non sibi propriè faciat iniuriam, eam tamen irrogat Reo, & Ecclesiæ.

8 Dices tertiò, quid si Iudex non in Ecclesia, sed super Ecclesiæ tectum Reum aliquem suspenderet.

Respondeo non violari. Et ratio est, quia in tali casu non dicitur homicidium commissum in Ecclesia. Ita Doctores cit. eo nixi fundamento, quod Canones solum loquantur de homicidio intrà Ecclesiam perpetratò, quod eadem ratione docet Graf. cit. nu. 24. si sub Ecclesia, vel in cella, cubiculo, vel spelunca ibi sita quis interficiatur.

9 Dices quartò, quid si tale homicidium esset martyrium? cruor enim ille sacer esset, vt proinde per illum potiùs dicenda esset Ecclesia sanctificari, quam pollui.

Respondeo adhuc Ecclesiam violatum iri, non per Martyris cruorem, sed per ipsam sacrilegam actionem, & interfectionem ministri, quæ est verum homicidium. Ita Suar. loc. cit. Regin. lib. 29. num. 180.

DIFFICVLTAS II.

De intelligentia secundi modi, quo Ecclesia polluitur.

10 *Ecclesia polluitur per iniuriosam sanguinis effusionem.*

11 *Secùs verò si sit casualis; vel naturalis per os, aut nares; vel si medicinalis sit, & licita; vel si ex defensione cum iusto moderamine.*

12 *Nec sufficit qualibet sanguinis emissio, sed requiritur effusio.*

13 *Referuntur Doctores existimantes effusionem hanc non debere esse ex parte, ex qua de facili exit sanguis, puta è naso.*

14 *Quid si effusio sanguinis sit ex ioco.*

15 *Quid si hæc effusio sit omnino ex ioco & casualis, sed tamen Ecclesiæ iniuriosa.*

16 *Quid si vulnus fuisset in Ecclesia inflictum, sed tamen sanguinis emissio extra Ecclesiam fuisset secuta.*

17 *Quid si aliquis suum proprium sanguinem funderet.*

18 *Quid si ex vulnere leui sequeretur magna effusio sanguinis.*

19 *Quid si aliquis extra Ecclesiam existens sagittæ iactu vulneraret aliquem in Ecclesia existentem, vtrùm remaneret Ecclesia polluta dato quod sanguinis effusio sequeretur.*

10 SEcundus modus, quo contingit Ecclesiam violari est per iniuriosam sanguinis effusionem. Ita habetur ex cap. Eccles. de consecr. d. st. 1. Et cap. si Eccles. de consecr. Eccles. vbi certè nulla fit mentio, quod talis effusio debeat esse voluntaria, & iniuriosa; verùm de hac tantùm loqui Doctores patet ex Sylu. verb. interdic. 4 quæst. 3. Suar. disp. 81. de Euchar. sect. 4 vers. 2. Regin. lib. 29. num. 180. Gambar. casu 6. pag. 202. num. 9. Graff. par. 1. decis. aur. lib. 2. cap 48. num. 22. Sayr. de cens. lib. 5. cap. 16. num. 4.

11 Dicitur primò, iniuriosam. Ratio est, quia si ea casualis sit, vel natura-

 lis

lis per os, aut nares, Ecclesiam non polluit, vt bene monent Doctores cit. Idemquè dic si effusio sit medicinalis licita; vel ex defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ causata; vel certè si ea fiat ab amente, furioso, aut puero vsum rationis non habente; vel casu fiat à tegula è tecto cadente; per eam enim non violatur Ecclesia, cùm talis effusio non dicatur propriè iniuriosa.

12 Dicitur secundò, per effusionem, quæ particula indicat debere adesse aliquam sanguinis abundantiam, nomen enim ipsum, effusionis, significat magnum fluxum, & largitatem denotat, vt proindè non sufficiant duæ, vel tres guttæ. Vt bene monet Conin. quæst.83. de Eucharist. art. 3. dub.1.nu. 227.Graff.cit. num.25. Sayr.cit.nu.3.

13 Quinimò addit idem Graff. cum Coninc. nu.228. effusionem hanc non debere esse ex parte, ex qua de facili exit sanguis, puta è naso, vt contingit in rixis puerorum, in quibus tertio quoq; verbo ad manus illicò prouocatur. Et ratio est, quia iniuria est parua: quod verum saltem esse existimo, quando effusio hæc non est coniuncta cum mortali culpa. Vt bene Bonac. quæst. 4. de matrim. pun. vltimo num. 20. licèt Victor. de Euchar. absolutè doceat per similes percussiones Ecclesiam non pollui: quod idem habet Sayr. cit. etiamsi effusio sit in magna quantitate.

14 Dices primò, quid si contingeret effusionem hanc sanguinis sequi ex ioco.

Respondeo attendendam esse rationem voluntarij; nam si effusio omnino sit inuoluntaria, & in se, & in causa, tunc per eam Ecclesia non polluitur. Et ratio est, quia effusio ea casualis penitus est: quòd si actio ita sit imprudens, & periculosa, vt effusio moraliter censeri possit voluntaria in causa, nec adhibita sit debita diligentia ad illa præcauendam, tunc Ecclesia dicitur polluta, ex eo quod talis actio sit verè iniuriosa. Ita Suar. Regin. ll. cit.

15 Addunt aliqui hoc semper dicendum, quoties actio iocosa fuerit Ecclesiæ iniuriosa, verbi gratia, si sit turpis, qualis esse potest repræsentatio alicuius tragœdiæ obscœnæ, & inhonestæ: tunc enim, etiamsi casu aliquo sequeretur sanguinis effusio, per eam dicunt Ecclesiam pollutum iri. Verùm mihi magis placet sententia Suarij asserentis in tali casu nullam contingere pollutionem: cuius ratio est, quia neque actio ipsa, puta tragœdiæ repræsentatio Ecclesiam polluit, cùm hoc nullo iure caueatur; neq; effectus ipse subsecutus, cùm mere casualis sit. Intellige tamen hoc procedere in casu, quo effusio hæc non potuerit in causa præuideri.

16 Dices secundò, quid si vulnus in Ecclesia infligeretur, sed sanguis extra eam effunderetur.

Respondeo si vulnus graue sit, hoc sufficere ad Ecclesiam polluendam, etiamsi intra eam non effunderetur sanguis. Et probatur ex cit. cap. Præposuisti de consecr. Eccles. vbi habetur Ecclesiam violari propter vulnera in ea inflicta, quibus verbis nulla fit mentio effusionis sanguinis. Tum quia effusio saltem in causa dicitur in Ecclesia secuta. Ita Suar. loc. cit. Graff. cit. num. 23. Coninc. num. 227. Sayr. cit. num. 8. Quare ergo siue sanguis intra Ecclesiam effundatur, siue extra; vel intra Ecclesiam quidem effundatur, sed in vase recipiatur, ita vt nec pauimentum, nec parietes attingat, dummodo actio iniuriosa naturaliter

causa-

causatiua illius effusionis sit in Ecclesia secuta, hoc sufficit ad Ecclesiam polluendam. Secùs verò si actio iniuriosa esset quidem in Ecclesia secuta, sed ea non esset vulneris inflictiua, vt si quis alapam alteri impingeret, per eam enim Ecclesia non dicitur violari, cùm neque ibi intercedat vulneris inflictio, neque sanguinis effusio. Sicuti neque dicitur violari si aliquis extra Ecclesiam læsus eam ingrediatur, ibiq; sanguinem emittat. Ita Doctores cit.

17 Dices tertiò, quid si aliquis suum proprium sanguinem fundat?

Respondeo eodem modo nobis de effusione proprij sanguinis esse loquẽdum, ac de alieni. Quare si hæc fieret per iustam, & honestam causam, vt si quis disciplinæ nomine flagra tergis ad sanguinem vsquè admoueret, tunc non pollueretur Ecclesia, vt ex ratione patet, quia actio illa nec esset personæ iniuriosa, nec loco. Sin autem effusio ea fieret per illicitam mutilationem, aut alteriùs vulneris inflictionem, tunc Ecclesia pollueretur. Et ratio est, quia licèt actio ea non esset iniuriosa personæ, esset tamen iniuriosa Deo, & Ecclesiæ, quod satis est. Ita Doctores cit.

18 Dices quartò, quid si contingat vulnus leue esse, sed sanguinis effusionem esse magnam.

Respondeo cum Victor. de Sacram. num. 99. non violari Ecclesiam: vt proinde statui possit regula generalis, quã indicat Suar. cit. quoties percussio leuis sit, ita vt ad mortale peccatum non sufficiat, etiamsi ex ea magna sanguinis effusio sequatur, Ecclesiam tamen non pollui, ex eo quod effusio censeatur quodammodo materialis, & casualis. Secus verò si cum percussione graui, & ad mortalem culpam sufficiente effusio hæc contingat, quam regulam eandem approbat Regin. cit.

19 Dices quintò, quid si aliquis extra Ecclesiam existens iacto lapide aliquem intra Ecclesiam existentem grauiter percuteret, ex qua percussione sanguinis effusio sequeretur, vtrùm in tali casu diceretur Ecclesia polluta.

Respondeo affirmatiuè. Et ratio est quia in dato casu actio ipsa, seu ipsa vulneratio, & effusio dicitur in Ecclesia secuta, & extra Ecclesiam tantùm inchoata. Ita Sayr. cit. num. 15. Secus verò esset, si quis in Ecclesia existens alium fundæ iactu, vel sagittæ vulneraret extra Ecclesiam existentem, tunc enim nullo modo pollueretur, ex eo quod licèt talis actio vulneratiua, & effusiua sanguinis dicatur in Ecclesia inchoari, vulneratio tamen ipsa, & sanguinis effusio extra Ecclesiam contingat. Ita Suar. Regin. ll. cit. Conin. num. 227.

DIFFICVLTAS III.

De intelligentia tertij modi, quo Ecclesia polluitur.

20 *Ecclesia polluitur per humani seminis voluntariam effusionem.*
21 *An requiratur vt semen supra terram spargatur.*
22 *Pollutio hæc debet esse in sufficienti quantitate.*
23 *Effusio hæc debet fieri intra Ecclesiã, nec satis est si fiat in locis Ecclesiæ adhærentibus, puta sacrestia, aut campanili.*
24 *An coniuges habendo copulam in Ecclesia polluant illam. Refertur sententia affirmans.*
25 *Refertur sententia negans.*
26 *Tertia sententia respondet cum distinctione.*
27 *Sententia Authoris.*

28 *Quid si concubitus iste esset publicus.*
29 *Quænam sit ea causa, quæ sufficere possit ad ita honestandam copulam coniugalem, vt Ecclesiam non polluat.*
30 *Quodnam tempus dicatur longum in quo possint coniuges in Ecclesia existentes copulari. Referuntur Doctores diuersa sentientes.*
31 *Sententia Authoris.*
32 *An copula coniugalis licita tantùm sit in Ecclesia quando alteri coniugi imminet periculum incontinentiæ.*
33 *An coniuges in Ecclesia existentes possint illico copulari si præuideant per tẽpus longum ibi esse detinendos.*
34 *An per occultam pollutionem violetur Ecclesia.*
35 *Quandonam pollutio dicatur occulta.*
36 *An Sacerdos teneatur abstinere à Diuinis in Ecclesia polluta antequam à Iudice declaretur esse polluta.*
37 *An si coniux in Ecclesia existens debitum petat, peccet alter reddendo.*
38 *Regula generalis ad cognoscendum quandonam redditio sit mala.*

20 Tertius modus, quo Ecclesia polluitur, est per humani seminis voluntariam effusionem. Ita Suar. disp. 81. de Eucharist. sect. 4. vers. Tertiò violatur Ecclesia. Coninc. q. 83. de Euchar. art. 3. dub. 1. num. 229. Graff. par. 1. decis. aure. lib. 2. cap. 48. num. 26. Gambar. de cas. reser. casu 6. pag. 203. nu. 11. Regin. lib. 29. nu. 182. Sayr. de cens. lib 5. cap. 16. num. 17.

Dicitur primò seminis humani, idest hominis etiam pagani, aut fœminæ, laici, aut Sacerdotis, vt excludantur seminationes brutorum, quæ sicut peccata non sunt, ita nec Ecclesiam polluunt.

Dicitur secundò, voluntariam, quia non sufficit ea, quæ contingit in somnis, aut etiam in vigilia, sed coactè. Ita Sylu. verb. confess. 2. quæst. 5. Nauar. cap. 27. num. 252. Graff. cit. num. 26. quidquid in contrarium dicat Angel. verb. consecratio Ecclesiæ §. 9.

21 Quod verò habet idem Graff. loc. cit. ad hoc vt Ecclesia per pollutionem extraordinariam polluatur debere semen super terram spargi, ita vt si super vestes spargatur nullo modo Ecclesiam polluat, sententiam hanc à nullo, quem legerim vidi approbari, neq; à Syluestro, neq; à Nauarro, quos tamen ipse citat. Quinimò mihi videtur si cõsequenter loqui velit contrarium illi esse asserendum; in eodem enim loco sub casu comprehendit maritum habentem rem cum vxore in Ecclesia, & rationem affert quia aliqua sunt de se licita, quæ tamen illicita sunt ratione loci. Si ergo per copulam habitam cum vxore docet Ecclesiam pollui, cùm tamen semen non spargatur super terrã, porrò hoc multò magis asserere debet in casu extraordinariæ cuiuscumq; pollutionis: maior enim irreuerentia erga Ecclesiam illi pollutioni inest, quàm insit copulæ habitæ cum vxore.

22 Dicitur tertiò effusionem, vt intelligamus pollutionem debere sequi in sufficiente quantitate, nec sufficere modicam distillationem, seu humectationem: tum propter vim verbi, effusionis, vt hoc idem notauimus in difficultate superiore; tum etiam quia modica effusio, licèt ex parte interioris voluntatis sit peccatum mortale intemperantiæ, tamen in ratione exterioris iniuriæ loci sacri nõ est res adeo grauis, neq; iniuria, vt ita dicam, consummata.

23 Aduertam autem hoc loco effusionem hanc debere fieri intra Ecclesiam, nec satis esse si fiat in locis Ecclesiæ adhærentibus, vt in cubiculis

Ecclesiæ

Ecclesiæ coniunctis, vel in turri, quod vulgo dicitur campanile; quia turris non spectat ad interius Ecclesiæ corpus, illud autem solùm spatium sacrum dicitur, quod spectat ad interiùs corpus Ecclesiæ à tecto interiori vsquè ad pauimentum. Pariter nec pollui Ecclesiã si copula habeatur supra tectum, vel in spelunca, aut subterraneo Ecclesiæ loco, seu cauerna, quæ fabricata sit sub pauimento, dummodo locus ille subterraneus non sit sepultura. Sicuti nec polluitur si copula habeatur in sacrestia. Et ratio est allata, quia loca hæc non spectant ad interius Ecclesiæ corpus. Secus verò est dicendum de choro, & capellis, nam chorus, & capellæ spectant ad interius Ecclesiæ corpus. Ita communiter Soto in 4 dist. 32. art. 3. Cord. in sum. quæst. 12. Suar. superiùs cit., quibus accedit Bonac. quæst. 4. de matrim. pun. vltimo nu. 14. & 15. Quæ omnia docuimus superiùs de homicidio, eademquè pari modo sunt dicenda de sanguinis effusione.

24 Dices primò, quid si pollutio hæc fieret inter coniuges, vtrùm per talem copulam pollueretur Ecclesia?

Triplex hoc loco adest sententia. Prima est asserentium per talem copulam in Ecclesia secutã Ecclesiam pollui. Ita Nau. cap. 27. num. 252. Grat. cit. Gambar. cas. 6. fol. 204. Et alij plures, quos citat Suar. loc. cit. Eo autem niti possunt fundamento, quod nimirum iura dicãt Ecclesiam pollui per quamcumquè seminis effusionem. Ac demùm, quod licet talis copula non sit de se illicita, neq; ex obiecto intemperans; ex eo tamen, quod fiat in Ecclesia, sacrilega sit, ac peccaminosa, quia videlicet pleraquè etiam de se licita, illicita fiunt ratione circumstantiæ. Sic enim mercaturam exercere licitum est, illicitum tamen in loco sacro; Actus item coniugalis licitus est, illicitus tamen in foro.

25 Secunda est asserentium, copulam coniugalem nullo modo Ecclesiam violare. Ita tenet Glos. in cap. Eccles. de consec. dist. 1. Idemq; haberi in sum. Rosel testatur Sylu. verb. consec. 1. q. 5. Et fauere videtur Soto distin. 13. q. 2. art. 3. ad 2. dùm habet forsitan hoc ita esse, cum pœnæ restringendæ sint: & ita possimus interpretari decreta citata in principio quæstionis. Tum quia cum capit. Si motum, de consec. dist. 1. quod est Higini Pontificis, solius copulę adulterinę violantis Ecclesiam faciat mentionem, inde est, vt licet alij textus, qui in hanc rem citantur generaliter de seminis effusione loquantur, ij tamen possint iuxta huius intelligentiam de illicita tantum effusione explicari.

26 Tertia cum distinctione loquitur. Si enim ex necessitate aliqua simul coeant, tunc negat Ecclesiam pollui; secus verò si nulla adsit necessitas.

27 Respondeo ergo cum tertia sententia, quoties copula hæc habeat iustam causam, per eam nullo modo pollui Ecclesiam; Patet à simili, quia effusio sanguinis, quæ ex iusta causa fiat, puta ob defensionem corporalem, ea non polluit Ecclesiam; Ergo à pari neq; seminis effusio Ecclesiam polluet, quæ ex iusta, & honesta causa fiat. Tum quia si aliquando coniuges in Ecclesia coniungantur ad vitandum periculum incontinentiæ, potiùs dicuntur locum sacrum reuereri, quam illi iniuriam facere. Demum quia non est credendum Ecclesiam voluisse obligare ad abstinendum ab actu coniugali etiam in casu necessitatis: eo vel maximè, quòd cętera Ecclesiæ præcepta cessant obligare in casu necessitatis. Ita Ioan. de Friburgo sum. confes. lib. 4 tit. 2. q. 33.

Sylu.

Sylu. verb. debitum q. 3. num. 5. Margar. confes. 6. praec. fol. 86. Suar. disp. 81. de Euchar. sec. 4. vers. Tertiò violatur. Henriq. lib. 9. de Missa cap. 26. num. 5. & lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 4. Petr. de Ledes. de matrim. q. 64. art. 7. concl. 1. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 15. nu. 13. Sayr. de cens. lib. 5. cap. 16. num. 19.

28 Quae sententia est vera licet concubitus sit publicus. Ita Suar. Pet. de Ledes. Sanch. cc. addentes hoc procedere non solùm quando vterq; coniux esset in Ecclesia obsessus, sed etiam quando alter tantum, proindeq; in tali casu liberum esse non obsesso intra Ecclesiam consummare, vel petendo, vel reddendo, quia cum necessitas ipsa tollat irreuerentiam, tollit etiam omnem deformitatem, & culpam.

29 Difficultas autem est in assignanda causa, quae sufficere possit ad copulam illam ita honestandam, vt Ecclesiam non polluat.

Respondent communiter Auctores cit. hanc esse, si nimirum longo tempore cogerentur coniuges in Ecclesia habitare, in qua nullus esset locus ad habitandum & dormiendum aptus praeter ipsum templum, verbi gratia, causa obsidionis, vel alicuius criminis commissi. Et ratio est quia in hoc euentu difficillimum est continere, & coniuges exponerentur valde probabili periculo committendi pollutiones voluntarias, nisi concubitus illis liceret.

30 Quòd si quispiam quęrat, quodnam tempus dici possit longum, in quo licitè possint coniuges in loco sacro existentes copulari, quodnam verò dicatur breue, in quo teneātur abstinere.

Respondent Suar. 3. par. q. 83. art. 3. disp. 81. de Eucharis. sec. 4. breue tempus esse si vna, aut altera die intra Ecclesiam coniuges maneant. Idemq; docet Pet. de Ledes. sum. Sacram. cap. 20. de Euchar. fol. 264. vers. Digho lo segundo. Fagund. pręc. 1. cap. 14. num. 27. Vnde ex illis conijcere possumus longum tempus esse quinque, aut sex dies.

Respondet idem Sanch cit. se existimare, quod attenta hominum fragilitate longum tempus sit vnus mensis.

31 Ego verò media via procederem dicendo esse longum tempus decem, aut quindecim dies. Et ratio est quia mihi videntur attenta hominum fragilitate satis diu abstinere à carnali concubitu coniuges ij, qui per decem, aut quindecim dies abstineant. Vix tamen credo fore, vt casus hic contingere possit, quia in Ecclesijs adsunt semper cubicula adhęrentia, & turris, quae nomine loci sacri non comprehenduntur, & in quibus actus coniugalis licitè potest exerceri.

32 Dices secundò, an copula haec coniugalis, quam diximus esse licitam in Ecclesia in casu necessitatis, licita tantùm sit ad euitandum periculum incontinentiae in altero coniuge. Plures enim huius quidem sententiae sunt, vt dicant copulam hanc esse licitam, sed eam limitant tantùm in casu, quo adsit periculum incontinentiae. Verùm mihi sententia haec grauioribus scrupulis videtur obnoxia, si coniuges ipsi habituri copulam discutere prius debeant an periculum incontinentię patiantur. Quare mihi magis placet sententia eorum, qui asserunt in quocumquè casu diuturnae obsidionis in Ecclesia licitam esse copulam coniugalem, praeciso etiam omni periculo incontinentiae. Ita Maior. Palat. à Sanch. relati num. 13. Et ratio est quia si periculum illud sit praesens excusabit etiam in casu obsidionis, quae breuis sit futura. Non ergo necessarium est, quod peri-

periculum fit præsens, sed sufficit, quod attenta humana fragilitate, humano modo loquendo, verisimiliter illud timeri possit; porrò autem illud timeri potest in quocumquè casu longæ obsidionis.

33 Quinimò addo, quando constat obsidionem esse futuram longam, statim posse coniuges, etiamsi in loco sacro sint, copulam habere. Et ratio est, quia iam adest causa excusans: alioqui si tenerentur expectare donec tantum tempus fuisset transactum, vbi semel coiuissent tenerẽtur expectare per magnum aliquod tempus, adhoc vt possent iterum coire, quæ res coniugibus ipsis inijceret nimios scrupulos, vt potè ignaris, an sufficiens tempus fuisset transactum. Vnde hæc regula generalis tradi potest, coniugalem copulam tunc esse licitam in Ecclesia quando coniuges ipsi diu debent intra Ecclesiam manere obsessi.

34 Dices tertiò, quid si pollutio esset occulta, vtrùm per eam violaretur Ecclesia? & quod de pollutione quærimus, idem etiam quærendum & dicendum de effusione sanguinis, homicidio, & alio quocunquè modo, vel casu, qui possit esse occultus, vtrùm per eum Ecclesia polluatur. Quod si hoc loco quæstionem hanc fecimus, ideo fuit, quia casus iste frequentior est: de reliquo eadem doctrina ad alios casus est extendenda.

Respondeo cum communi sententia per occultam pollutionem nunquam Ecclesiam pollui, sed ad hoc vt Ecclesia polluatur debere esse publicam, vel famosam. Ita Sylu. verb. confesc. 2. q. 5. verb. Missa 1. q. 3. & verb. confes. 3. q. 18. Nau. cap. 27. num. 251. Graf. Suar. cc. Regin. lib. 29. num. 183. & alij ab ijsdem cc. Sayr. loc. cit. Et ratio est quia pleraq; incommoda sequerentur si Sacerdos ob occultam pollutionem teneretur abstinere a celebratione Missæ. Tum quia si per pollutionem secretam esset Ecclesia reconcilianda manifestandum etiam esset peccatum occultum, quod Ecclesia nunquam intendit. Sic pro peccato publico solemnem pœnitentiam iniungit, non verò pro occulto, ne illud reueletur.

Demùm verò probatur hoc ex cap. significasti de adulter. quod Auctores omnes cc. ad id probandum adducunt, in quo per adulterium Ecclesia dicitur polluta ex eo quod adultera sit crimen publicè confessa. Vnde est, vt habet Nau. loc. cit. vt per pollutionem habitam in Ecclesia ab hinc octo diebus, nunc violari possit Ecclesia, & non antea, ex eo quod pollutio ea facta duobus tantùm videntibus, & tacentibus esset occulta; nunc verò illis publicantibus, ita vt fama gignatur, fiat publica, proinde etiam Ecclesia ex nunc polluatur post publicatam pollutionem, quæ ex tunc post eam secutam non erat polluta.

35 Difficultas est in assignando quandonam pollutio, seu crimen aliquod possit dici occultũ, vel publicum.

Respondeo cum Suar. Regin. ll. cc. tunc crimen aliquod cẽseri publicum, & notorium, quando illius notitia communiter in plebe, seu in parochia habetur, aut quando iuridicè probatum est, per criminosi confessionem, vel aliorum sufficiens testimonium ad publicam fidem faciendam, aut per talia indicia, quæ prædictis testibus æquiualeant ad moralem certitudinem faciendam; vnde ait Soto si publicè constet virum & fœminam coniuges simul in Ecclesia pernoctasse, & in eodem thoro cohabitasse, hæc sufficerent ad euidentiam illius facti, & vt

Ecclesia dicatur polluta.

36 Addit Suarez probabiliter sustineri posse post decretum Concilij Constanciensis restringentis censuras, vt neminem obligent ad se abstinendum à Diuinis vsq; ad iuridicam denunciationem excepto casu publicæ percussionis clerici: sustineri inquam posse, etiamsi pollutio publica sit, adhuc tamen vi illius decreti non teneri Sacerdotem à Diuinis abstinere antequam à Iudice declaretur talem Ecclesiam esse pollutam. Et affert exemplū de interdicto, quod non tenemur seruare antequam per sententiam Iudicis censura interdicti sit denunciata. Idem ergo ait probabiliter posse dici in casu pollutionis Ecclesiæ, quæ veluti quædam censura est, seu quoddam interdictum, vt habet Sylu. verb. interdictum 4. quæst. 3., vt proinde dici possit comprehendi sub decreto illius Concilij Constanciensis asserentis neminem teneri abstinere se à quibuscunquè Diuinis, prætextu cuiuscumquè sententiæ, aut censuræ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, donec in particulari, seu nominatim declaretur. Quo loco subdit sententiam hanc in Salmaticensi gymnasio publicè docuisse, ac legisse Ioannem de la Pena. 3. par. quæst. 64. nequè ego illam improbabilem existimarem si magis propriè hæc Ecclesiæ pollutio veniret nomine interdicti.

37 Dices quartò, quid si alter coniux in Ecclesia existens peteret ab alio coniuge debitum, peccaret ne reddendo?

De hac quęstione latè disputauimus in tractatu de matrim. Breuiter tamen respondeo peccare iuxta regulam eo loco traditam, quod videlicet quando coniux debitum petens peccat mortaliter ob aliquam circumstantiam ipsius actus: tunc peccat mortaliter etiam alter coniux debitum reddens. Secus verò si petitio debiti sit mala tantùm ob circumstantiam se tenētem ex parte personæ; cum autem redditio debiti facta in loco sacro sit mala ob circumstantiam se tenentem ex parte actus, qui loci sacri sanctitati repugnat, inde est vt ea sit illicita. Sicuti etiam illicita esset redditio debiti facta in foro, aut loco publico, vt potequæ aduersaretur honestati naturali: pariterquè illicita esset redditio facta cum periculo abortus, vt potè quæ sit in damnum tertij.

38 Contrarium verò est dicendum in casibus, in quibus petitio debiti sit mala tantùm ob circumstantiam se tenentem ex parte personæ; vt si coniux debitum petens sit obstrictus voto castitatis, vel malo fine petat; tunc enim tantum abest, vt alter coniux peccet reddendo, vt potiùs teneatur reddere, saltem quando vitium personale tale non est, vt priuet ipsum coniugem iure exigendi debitum. Et hanc regulam expresse docet Pet. de Soto lec. 16. de matrim. in fine. Sanch lib. 9 de matrim. disp. 6. num. 16. licet non desint, qui absolutè, & simpliciter doceant, quoties alter coniux peccat debitum petendo, peccare etiam alterum reddendo. Vt Vgolin. de Sacram. tract. de matrim. cap. 10 num. 2. & alij Verùm hæc sententia communiter reijcitur.

DIFFICVLTAS IV.

De intelligentia quarti modi, quo Ecclesia polluitur.

39 *Ecclesia polluitur per sepulturam excommunicati.*

40 *An polluatur Ecclesia si ab Episcopo excommunicato consecretur; vel benedi.*

benedicatur. Affirmant aliqui.

41 *Contrariam sententiam veriorem esse existimat Author.*

42 *Refellitur fundamentum sententiæ Aduersariorum.*

39 QVartus modus per quem Ecclesia polluatur est per sepulturam excommunicati. Ita Doctores omnes ex cap. Consuluisti de consecr. Eccles. Ac licèt ibi de cœmeterio sermo fit, ex maioritate tamen rationis deducunt idem dicendum esse si in Ecclesia sepeliatur, cum in hoc negotio Ecclesia se habeat vt principale, cęmeterium verò quasi vt accessorium. Debebit tamen esse excommunicatus denunciatus, vel certè manifestus percussor clerici, vt benè post decretum Concilij Constanciensis in superiore difficultate citati infert Victor in sum. dub. 99. Et ratio est; quia post illud Concilium hi soli sunt vitandi, vt proinde etiam hi soli non sint in loco sacro sepeliendi. Quare dato quòd sic excommunicatus fuerit in Ecclesia sepultus, illius ossa, si dignosci possint, ab ossibus fidelium erunt separanda, & è loco sacro proijcienda. Secùs verò si secerni non possint, ne fortè illorum loco ossa fidelium proijciantur, & sic iustus pro iniusto patiatur.

40 Ex hoc casu inferunt Doctores plures, pollui Ecclesiam si ab Episcopo excommunicato consecretur, vel benedicatur. Ita Sylu. verb. consec. 2. q.5. Palud. in 4. dist. 18. q.8. art.4. Sayr. lib.5. de cens. cap.16. num.27. quos sequens Bonac. q.4 pun. vltimo de matrim. nu. 22. ait communiorem hanc esse Doctorum sententiam.

41 Contraria tamen mihi verior videtur, quam tenent Suar. disp.81. de Eucharist. sec.4. vers. quartò violatur Ecclesia, Conin. de venerab. ritu Sacram. Euchar. q.23. art.3. dub.1. num. 232. Et ratio est, quia Doctores cc. nullo textu, & iure id probant, sed vtuntur tantùm argumento à simili ex eodem cap. Consuluisti petito, ita enim argumentantur: Sepultura hominis excommunicati polluit ipsum locum, in quo est excommunicatus; Ergo etiam consecratio transiens per os Episcopi excommunicati polluet eundem locum. Quare licèt concedant talem consecrationem ratam esse, ac validam, ex eo quòd ad consecrationem non requiratur iurisdictio, sed tantùm potestas Ordinis, quam non adimit excommunicatio, tamen dicunt Ecclesiam manere simul pollutam, & quasi suspensam, ne munus suum loci sacri possit exercere: Sicut qui in excommunicatione ordinatur, validè quidem ordinatur, sed tamen manet suspensus, ne sacros Ordines possit exercere.

42 Verùm argumentum hoc inefficax est in materia odiosa, & in legibus pœnalibus, in quibus iuri standum est, non congruentiæ ex paritate rationis petitæ. Quare quod de irregularitate communiter docent Doctores, eam videlicet nunquam incurri, nisi sit in iure expressa, id verum existimo de qualibet censura, & pœna ipso iure incurrenda: cùm autem nullo iure statutum sit, vt per benedictionem, vel consecrationem Episcopi excommunicati Ecclesia polluatur, neq; dicendum erit eam pollui; nulla enim pœna ipso iure incurritur, quæ ipso iure non sit lata.

Ad argumentũ ergo in contrarium respondeo primò paritatem rationis in ijs, quæ à iure pendent nihil valere; nam etiamsi concedamus parem esse rationem, potuit tamen Ecclesia ea vti in vno casu, & non in alio, ne aut casus multiplicarentur, aut omnes impuniti

niti relinquerentur. Tum verò si ex paritate rationis deducere hoc vellent aduersarij, deducere pariter deberent pollui altare, vel Ecclesiam, quoties in ea excommunicatus celebraret, quod tamen repugnat capiti, A nobis, de Sacram. reiterand. vbi dicitur Ecclesiam non violari etiamsi Schismaticus, aut excōmunicatus in ea celebraret. Item si argumenta ex paritate rationis deducta valida essent, deducere pariter possemus, sicuti polluitur Ecclesia ex eo quod excommunicatus in ea sepeliatur, ita eam pollui si Sacerdos excommunicatus aliquem solemniter sepeliat, quod tamen ab aduersarijs non admittitur.

Respondeo secundo non esse parem rationem, ex eo quòd iniuria, quæ Ecclesiæ irrogatur per sepulturam hominis excommunicati permanentior est, cum corpus præcisum ab Ecclesia quasi dicatur illius curæ commissum, quod non contingit in consecratione, vel benedictione Ecclesiæ, quæ fiat ab excommunicato, vt potè quæ sit quid transiens. Adde verò non posse intelligi per ipsam benedictionem Episcopi excommunicati Ecclesiam pollui, nā pollutio supponit benedictionem, vel consecrationem Ecclesiæ; Ergo per ipsam actionem benedicendi non potest intelligi remanere Ecclesia polluta, non enim polluitur Ecclesia nisi priùs sit benedicta; Ergo dum benedicitur non polluitur.

DIFFICVLTAS V.

De intelligentia quinti modi, quo Ecclesia polluitur.

43 *Ecclesia polluitur si infidelis in ea sepeliatur, vel sepultus iaceat.*

44 *Matre grauida defuncta si infans viuus in vtero existat, & per matris sepulturam infans occidatur, polluitur Ecclesia ratione homicidij.*

45 *Hi quinque modi recensiti, quibus Ecclesia polluitur locum habent siue Ecclesia sit consecrata, siue tantùm benedicta.*

46 *Oratoria, aut loca ea quæ nec consecrata sunt, nec benedicta non polluuntur.*

47 *Quocunquè ex modis recensitis violetur Ecclesia, violatur etiam cæmeterium illi contiguum.*

48 *Secus si non sit contiguum. Pariter si violetur cæmeterium non per hoc violatur Ecclesia.*

49 *Si duo cæmeteria sint coniuncta, vtrū vno polluto polluatur & alterum.*

50 *Si ab vno cæmeterio in aliud pateat ingressus, & in ipsa porta intermedia inter vtrūq; fiat pollutio, vtrùm remaneat vtrumquè pollutum.*

43 QVintus modus, per quem contingit Ecclesiam pollui est quando Paganus aliquis, seu infidelis in ea sepelitur, vel sepultus iacet. Patet hoc ex cap. Eccles. 1. & 2. de consecr. dist. 1. Quod verùm est, etiamsi ille, qui sepelitur sit infans, dummodo ante baptismum sepeliatur, dicitur enim infidelis saltem negatiuè.

Limitat Syluester hoc verum esse, quando puer ille infidelis sepelitur per se, & tanquam persona distincta; secus verò si sepeliatur in alio, vt si adhuc sit in vtero matris. Ratio autem esse potest, quia tunc censetur vnum corpus cum Matre.

44 Verum benè aduertit Suar. disp. 81. de Euchar. sect. 4. vers. Quintò violatur Ecclesia, hoc esse intelligendum quando infans mortuus est vnā cum matre, vel saltem antequam mater defuncta in Ecclesiam deferatur, & in ea sepe-

ſepeliatur; cęterùm ſtatim ac mater eſt mortua ſi credatur puer viuere, ea eſt aperienda, vt infans viuus educatur, vt poſſit ſaluari: quod ſi non aperiatur, ſed cõtingat matrem mortuam ita ſepeliri, vt infans in Eccleſia occidatur; tunc verè Eccleſia polluetur ratione homicidij in Eccleſia ſecuti, non enim tunc dici poteſt eſſe pars matris, vt patet à ſimili in caſu abortus, qui ſi in Eccleſia ita procuretur, vt effectus ſequatur, verè Eccleſiam polluit. Secùs verò quando infans in vtero matris moreretur quidem, ſed extra Eccleſiam: tunc enim, etiamſi in Eccleſia ſepeliatur, non tamen ea polluitur, quia tunc puer non per ſe ſepelitur, ſed per accidens, vt eſt quid matris, & cum ipſa fertur. Verùm caſus hic difficillimè contingет, niſi fortè ponamus matrem grauidam propè Eccleſiam mori, & ſtatim in eam deferri, & ſepeliri; de reliquo ſi paruo tempore puer in vtero matris defunctæ exiſtat, illicò ille defectu reſpirationis ſuffocatur.

45 Tria autem hoc loco ſunt aduertenda. Primum eſt hos quinq; modos enumeratos, quibus diximus Eccleſiam pollui habere locum non ſolum in Eccleſijs conſecratis, ſed etiam tantùm benedictis, vt patet ex cap. Eccl. & cap. Conſuluiſti.

46 Secundum eſt caſus hoſce non habere locum in Oratorijs, & alijs locis, quæ nec conſecrata, nec benedicta ſunt. Et ratio eſt, quia iura citata faciunt tantùm mentionem de Eccleſijs, nomine autem, Eccleſiæ, venit locus conſecratus, aut benedictus.

47 Tertium eſt quocumque ex his modis Eccleſia violetur, violari etiam cœmeterium illi contiguum, vt bene aduertit Nau. cap. 27. num. 253. & poſt Suar. loc. cit. Conin. q. 83. de Euchar. art. 3. dub. 1 num. 234.

48 Dixi illi contiguum, quia ſi non ſit contiguum, non violabitur. Quod ſi cœmeterium polluatur, non tamen per hoc polluitur Eccleſia. Et ratio eſt, quia acceſſorium quidem ſequitur naturam principalis, non tamen è contra, & minus dignum magis dignum non trahit.

49 Dices primò, quid ſi duo cœmeteria ſint quidem coniuncta, ſed tamen pariete intermedio diſtincta, & ab vno in aliud pateat ingreſſus, vtrũ vno violato dicatur alterũ pollutum?

Reſpondeo negatiuè. Et ratio eſt, quia vnum non eſt alteri adnexum, ſed vtrumquè Eccleſiæ, & hæc omnia habentur expreſsè in cap. vnico de conſec. Eccleſ. in 6.

50 Dices ſecundò, quid ſi pollutio fiat in ipſa porta intermedia inter vtrumquè cœmeterium, vtrùm in tali caſu vtruinq; cœmeterium polluatur? Quæſitum hoc inſtituit Sylu. verb. cœmeter. q. 2. quo loco reſpondet cœmeterium illud pollui cui propinquior eſt illa pars in qua contingit pollutio.

Verũ diſtinctior mihi & clarior videtur eſſe reſponſio Suarez aſſerentis, quandoquidem ianua ea vtrumquè cœmeterium reſpicit, inde eſſe vt ſpatium illius ianuæ quaſi diuidatur, & in medium ſecetur, ita vt vna pars continua vni cœmeterio ad illud pertineat, altera verò alteri adnexa ad illud etiam ſpectet; Quare ergo ſi vna pars tantùm polluatur, cœmeterium illud dici pollutum, cui ea pars eſt contigua; Si verò altera, alterum cœmeterium remanere pollutum: quòd ſi pollutio fiat in vtraq; parte, vtrumq; eſſe pollutum; Si verò tota ianua ad vnum tantum cœmeterium ſpectet, illud tantùm pollui, ad quod ea pertineat. Et quod de cœmeterijs diximus, eodem modo dicendum

dum de Ecclesijs; ita vt si pollutio in parte interiori contingat, quam claudunt ianuæ Ecclesiæ, etiam ipsa Ecclesia sit polluta, secus verò si in parte exteriore. Et ratio est, quia in eo casu pollutio ea dicitur facta extra Ecclesiam.

DIFFICVLTAS VI.

De intelligentia sexti modi, quo Ecclesia polluitur.

51 *Polluitur Ecclesia quando illius parietes ita destruuntur, vt eam denuò reædificari necessè sit.*

52 *Præsens tamen casus non habet locum in Ecclesia, aut cœmeterio tantùm benedicto.*

53 *Pariter per hunc modum impropriè dicitur Ecclesia pollui.*

51 Sextus modus, quo Ecclesia dicitur pollui, est quando parietes ipsius Ecclesiæ ita destruuntur, vel cõburuntur, vt eam denuò reædificari necessè sit. Et ratio est, quia tunc fuit amissa prior consecratio per destructionem parietum, in quibus ea fundabatur. Ad hoc tamen, vt opus sit noua consecratione debent parietes omnes, vel certè maior pars reparari, nam si successiuè tantùm vna pars reparetur, tunc non opus est noua consecratione, sed prior sufficit, nisi fortè pars ea, quæ additur, & reædificatur sit maior ea, quæ remanet, quia id quod est maius trahit ad se id, quod est minus. Quare si tectum ruat, vel certè alia opera lignea comburantur, quia remanent integri parietes ipsi, in quibus fundabatur consecratio, inde est vt prior consecratio non amittatur. Ita Conin. quæst. 83. de Euchar. art. 3. dub. 1. n. 235.

52 Monuerim tamen duo. Primũ est, casum hunc non habere locum in Ecclesia, vel cœmeterio tantùm benedicto. Et ratio est, quia benedictio inhæret ipsi solo, quod non potest tolli; consecratio verò inhæret parietibus.

53 Alterum est casum hunc non propriè pertinere ad pollutionem Ecclesiæ consecratæ, quandoquidem hoc modo dicitur potius Ecclesia destrui, quàm pollui. Quare in cęteris casibus si Ecclesia polluatur per solemnes cęremonias tantùm recõciliatur; in hoc verò non reconciliatur solùm, sed denuò consecratur. His ergo pro clariore casus intelligentia præmissis, sit.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quinam incidant in hunc casum.

54 *Incidunt in casum omnes polluentes Ecclesiam per homicidium voluntarium, & iniuriosum in Ecclesia secutum. Secùs verò si in Ecclesia daretur tantùm causa homicidio, ita ut hoc extra Ecclesiam sequeretur.*

55 *Incidunt in casum omnes polluentes Ecclesiam per iniuriosam sanguinis effusionem. Idquè verum est tam si sanguis in Ecclesia effundatur, quàm si extra Ecclesiam.*

56 *Ad hoc vt sanguinis effusio Ecclesiam polluat, debet esse hominis viuentis.*

57 *Incidunt in casum omnes polluentes Ecclesiam per humani seminis effusionem.*

58 *Si quis confiteretur antequam homicidium, aut pollutio facta in Ecclesia fieret publica, vtrùm ea factà publicà teneretur denuo confiteri.*

59 *An ad hoc, vt delictum sit publicum requiratur euidentia facti.*

60 *Quotupliciter aliquod factum possit esse publicum.*

61 Re-

61 Refertur sententia docet Ecclesiam non polluit nisi crimen sit publicum facto.
62 Sententia Authoris.
63 Incidunt in casum omnes polluentes Ecclesiam per Sepulturam excommunicati vitandi.
64 Pariter si in Ecclesia sepeliretur Paganus, & infidelis: Secùs verò si catechumenus.
65 Quare matrimonium contractum inter baptizatum, & catechumenum sit nullum: & per sepulturam catechumeni non polluatur Ecclesia.

54 RESpondeo primò incidere omnes polluentes Ecclesiam primo modo, puta per homicidium voluntarium, & iniuriosum. Ita Gambar. casu 6. fol. 201. Addit idem cum Coninc. quæst. 83. de Eucharist. art. 3. dub. 1. nu. 229. Sayr. lib. 5. de cens. cap. 16. num. 15. comprehendi etiam sub casu eum, qui causam naturalem mortis in Ecclesia daret: verùm nos cum Suario disp. 81. de Eucharist. sect. 4. contrariũ sentimus, eo quod iura dicant pollui Ecclesiam per homicidium in Ecclesia secutum, quod non dicitur secutum in Ecclesia, si illi tantum detur causa, ita vt extra Ecclesiam postmodum sequatur.

55 Secundò incidere in hanc reseruationem omnes polluentes Ecclesiam secundo modo, puta per iniuriosam sanguinis effusionem. Ita Gãbar. loco cit. Quod verùm est, tam si in Ecclesia sanguis effundatur, quàm si extra Ecclesiam, vt notant Authores cit.

Dices si in Ecclesia detur causa homicidio, ita tamen vt illud extra Ecclesiam sequatur, per illud non polluitur Ecclesia. Ergo neque si causa detur effusionis sanguinis, dummodo tamen hæc sequatur extra Ecclesiam.

Respondeo diuersitatem ex iuribus citatis patere; caput enim proposuisti, de consecr. Eccles. dum ait pollui Ecclesiam per homicidium, dicit illam pollui per homicidium in ea secutum. Ergo ille, qui homicidij causam tantum dat non comprehenditur sub casu, quia non dicitur homicidium in Ecclesia commisisse. Idem verò caput dum subdit pollui Ecclesiam per sanguinis effusionem, ait illam pollui per vulnera in ea inflicta: Siue ergo sanguinis effusio intra, siue extra Ecclesiam sequatur, dummodo vulnus fuerit in Ecclesia inflictum, semper ea polluitur.

56 Addo effusionem hanc sanguinis debere esse hominis viuentis. Quare si quis ante Ecclesiam occisus in Ecclesia deferretur, & inimicus illũ necdum credens esse mortuum denuo vulneraret, ita vt ex eo vulnere sanguis, vt potè adhuc calidus effueret, per effusionem hanc in Ecclesia secutam ea non pollueretur. Ita Sayr. lib. 5. cap. 16. num. 7.

57 Tertiò incidere in hanc reseruationem omnes pollũetes Ecclesiam tertio modo, puta per humani seminis effusionem. Ita Doctores cc. Quod intellige, dummodo ea publica sit: quod superiùs diximus esse intelligendum in quocunquè casu, in quo à Doctoribus asseratur Ecclesiam pollui. Vnde si vel pollutio, vel homicidium, vel sanguinis effusio sit occulta actio hæc insufficiens est ad Ecclesiam polluendam, vt patet ex dictis. Quare si quis aliquid faceret propter quod si publicum esset, Ecclesia pollueretur, non incidit in casum, quoties factum illud sit occultum: & sic posset absolui a non habente facultatem absoluendi a reseruatis. Et ratio est, quia ad Ecclesiam polluendam requiritur vt [illegible]

clesia polluitur, sit publicũ, puta quòd homicidium, sanguinis, seminis effusio, sepultura hominis excõmunicati, pagani, vel infidelis sit publica.

58 Dices primò, si quis antequam sanguinis; aut seminis effusio; homicidium; seu hominis excommunicati, pagani, aut infidelis sepultura fieret publica, confiteretur, & post confessionem factum hoc publicaretur, teneretur ne tunc adire Superiorem?

Respondeo negatiuè, quia nemo potest cogi ad subijcienda denuo ea peccata, quæ semel sint validè confessa. Ita Gambar. loc. cit. in fine, & hoc patebit à simili de homicidio.

59 Dices secundò, vtrùm requiratur euidentia facti ad hoc vt delictum sit publicum, an verò sufficiat, si ex plurium reuelatione illud publicetur.

60 Pro huius rei intelligentia aduertendum, tripliciter posse aliquod factum esse publicum. Primò si sit publicum iure. Secundò si sit publicum facto. Tertiò si sit famosum.

Publicum iure illud dicitur, de quo constat per iuridicam sententiam, vel per confessionem Rei in iudicio, vel per legitimam depositionem testium.

Publicum facto illud dicitur, quod in præsentia multorum fuit perpetratum, vt in foro, vel celebri platea; vel quod maiori parti viciniæ est notum.

Famosum illud dicitur, cuius fama ex sufficientibus inditijs orta innotuit maiori parti vrbis, pagi, paretiæ, vel viciniæ.

61 Respondet Graff. in praxi lib. 2. de Sacrileg cap. 35. num. 50. necessariam esse euidentiam facti; vnde subdit Ecclesiam non pollui si coram quatuor, vel quinquè personis tantùm crimen committatur.

62 Ego verò respondeo ad Ecclesiam polluendam sufficere, quocumq; modo crimen cõmissum sit publicum; siue illud publicum sit iure, siue facto, siue sit famosum. Ita Gambar. loc. cit. Et ratio est, quia crimen illud, quod ex aliorum reuelatione manifestatur pluribus, non dicitur occultum. Vnde est vt subdat posse aliquando crimen in Ecclesia committi, nec tamen illam pollui, quia fuit secretè commissum; posse verò post octo dies pollui, si post illud tempus ea commissio reueletur.

63 Quartò incidere in casum omnes polluentes Ecclesiam per sepulturam excommunicati, qui tamen sit vitandus; Pagani, item, & infidelis. Quod si quis, cui esset interdictus ingressus Ecclesiæ, eo interdicto durante moreretur; licèt in Ecclesia, vel cœmeterio non esset sepeliendus nisi pœnitentiam egisset, quoties tamen sepeliretur, Ecclesia non pollueretur, quia non esset excommunicatus, & iura a nobis citata loquuntur tantùm de excommunicato. Ita Sayr. cit num. 22. Vnde nulla incurreretur reseruatio.

64 Dixi item per sepulturam Pagani, & infidelis. Vnde si catechumenus in Ecclesia, vel cœmeterio sepeliretur, non tamen ideo diceretur Ecclesia polluta. Et ratio est, quia non reputatur quoad hoc infidelis, cum credatur habuisse baptismum flaminis; Sicuti non pollueretur Ecclesia per sepulturam Martyris, qui fuisset tantùm baptizatus baptismo sanguinis. Ita Sayr. cit. num. 24. Et sic nulla reseruatio incurreretur.

65 Dices per ea verba, cultus disparitas, vt habetur ex tractatu de matrimonio, dirimitur matrimonium cõtractum cum catechumeno, vel catechumena, quia infidelis est; Ergo etiã Ecclesia polluetur per eius sepulturã.

Respondeo dirimi matrimonium, quia prohibitum est baptizato contrahere

here cum non baptizata, non quia ille infidelis sit, sed quia non est baptizatus, nec Ecclesię subiectus; cùm autem catechumenus needum sit baptizatus baptismo aquæ, inde est vt non possit cum fideli matrimonium contrahere. At verò in Ecclesia sepeliri potest, quia non præsumitur infidelis.

QVÆSTIO TERTIA.

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

66 *Homicidio commisso in Ecclesia ob defensionem ea non polluitur, & sic à reseruatione excusatur illud committens.*

Pariter si homicidium sit tantùm inchoatum in Ecclesia. ibidem.

67 *Excusatur à reseruatione qui ob defensionem vulneret aliquem grauiter in Ecclesia.*

Quid si grauiter percuteret, ita vt tumorem causaret, ibidem.

68 *Qui turpes actus haberet in Ecclesia excusaretur à reseruatione. Pariter qui modicam tãtùm humectationem pateretur. Item qui in somno pateretur pollutionẽ in Ecclesia. Item si pollutio esset occulta.*

Quid si loco seminis emitteretur sanguis, vtrùm incurreretur reseruatio, ibidem.

69 *Vtrum incidat in casum, qui sepeliat partum enixum cum matre pariter defuncta, qui ante baptismum mortuus sit.*

70 *Vtrùm mandantes sepeliri in Ecclesia aliquem excommunicatum vitandum incidant in hanc reseruationem.*

71 *Proponitur ratio dubitandi.*

72 *Sententia Authoris negat.*

73 *Respondetur fundamento contrariæ sententiæ.*

74 *Excusantur ab hac reseruatione comitantes funus ipsius excommunicati.*

75 *Item deferentes cadauer, fodientes etiam sepulchrum, quoties ipsi non sepeliant.*

66 Respondeo patere ex dictis; quoties enim Ecclesia dicitur polluta, reseruatio semper incurritur. Secùs verò si nõ sit polluta. Quare homicidio quolibet in Ecclesia secuto diximus eam pollui, ligariquè reseruatione committentem, etiamsi martyrium illud esset, vt de Diuo Thoma Cantuariensi fertur, quidquid in contrarium sentiat Ioannes de Friburgo in sua sum. Confess. lib. 3. tit. 24. quæst. 153. Si tamen homicidium committat aliquis ob defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, cùm iniuriosum illud non sit, nequè erit reseruatum. Idemquè dicas de quocumquè homicidio, quod vel voluntarium non sit, vel propriè non possit dici commissum in Ecclesia. Quare si quis in Ecclesia reste strangulare aliquem inciperet, & ipse strangulatus semiuiuus extra illam aufugeret, & statim extra illam moreretur, nulla incurreretur reseruatio, quia homicidium non esset secutum in Ecclesia; licèt contrarium verius esse existimet Fagun. præ. 1. lib. 3. cap. 14. num. 13.

67 Effusione item sanguinis, quæ sit hominis viuentis, & intra Ecclesiam, diximus hanc pollui, & sub casu comprehendi vulnerantem. Excusaretur tamen à reseruatione, qui alterum in Ecclesia grauiter vulneraret ob sui defensionem, etiamsi aliquis excessus esset vltra moderatam tutelam. Et ratio est, quia tale vulnus non esset per se voluntarium, neque esset cum scandalo, quia scirent homines factum illud euenisse ad sui defensionem. Ita

Graf. cit. nu. 49. Demum ij omnes excusabuntur, per quos non sequatur effusio animo iniurioso voluntario, & intra Ecclesiam. Existimarem tamen comprehendi sub casu eum, qui grauiter in Ecclesia aliquem percuteret, ita vt tumorem causaret, vnde postea ferro esset vulnus aperiendum. Et ratio est, quia talis percussio diceretur grauis, iniuriosa, cum multo sanguine coniuncta, & in Ecclesia secuta. Secus tamen si quis aliquem percuteret causando tantum liuorem. Ita Sayr. de censf. lib. 5. cap. 16. num. 8.

68 Effusione pariter humani seminis in Ecclesia secuta incidit quis in casum, etiamsi loco seminis sanguinem emitteret; excusaretur tamen, qui ad oscula tantùm, & actus impudicos deueniret, actum autem non consummaret. Ita Graf. num. 52. Item qui modicam humectationem pateretur, vt patet ex dictis. Pariter qui in somnis pollueretur. Ac demum ij omnes, qui vel extra Ecclesiam, vel in Ecclesia quidem, sed occultè semen effunderent; res enim intolerabilis esset, si crimine etiam occulto Ecclesia pollueretur, quia si ponamus tale crimen à solo Parocho sciri, maximè dubius ille hærebit, nec curare poterit, vt Ecclesia reconcilietur, si reus factum neget, quod negare potest quamdiu non est plenè probatum; & stante Ecclesia sic polluta semper dubitabit Parochus an habeat causam sufficientē celebrandi.

69 Demum verò addidimus eum incidere in casum, qui excommunicatum vitandum in Ecclesia sepeliat, vel infidelem, aut paganum, quod verum est etiam de filijs fidelium morientibus ante baptismum; excipit tamen casum Sayr. loc. cit. num. 26. quando nimirum mater moritur in ipso partu, tunc enim ait consuetudine esse receptum, vt partus enixus etiamsi ante baptismum sit mortuus, cū matre sepeliatur, eo quod censeatur pars matris, & pro illius honore in sepultura coniungatur filius, qui neque in vita, neq; in morte ab illa fuit separatus. Verùm in nostris saltem regionibus contrarium est vsu receptum; proindeque existimo pollui Ecclesiam, quoties in ea sepeliatur filius enixus, qui ante baptismum sit mortuus. Et ratio est, quia verè est pars distincta à Matre, & baptismo, ac fide caret. Ita Bonac. quæst. 4. de matrim. pun. vltimo num. 24.

70 Potior hoc loco difficultas est quid dicendum de Parocho, aut alio qui excommunicatum vitandum mandet sepeliri in Ecclesia, vtrùm incidat in hanc reseruationem.

71 Ratio autem dubitandi in eo est, quia non desunt Doctores, qui putent hunc ita mandantem incidere in excommunicationem maiorem contentam in Clement. 1. de sepulturis, ijs verbis [qui propriæ temeritatis audaciæ in cœmeterijs excommunicatos publicè, aut nominatim, scientier sepelire præsumunt] quam sententiam docet Suarez de censuris disp. 13. sect. 4. num. 10. Coninchus disp. 14. dub. 8. nu. 68. Vgolinus tabula 2. de censuris cap. 9. §. 6. Filliuc. tract. 12. cap 4. num. 111. Reginaldus lib. 32. num. 19. qui cum Vgolino putat non solos mandantes ligari hac censura, sed etiam eos, qui cùm possint impedire non impediunt. Ratio autem ea maximè est, quia si dicamus eos tantùm hac censura affici, qui proprijs manibus sepeliunt, vix vnquam excommunicatio hæc incurretur, cùm ij, qui actionem hanc sepeliendi exequuntur, semper sint homines inferioris conditionis, & rudes, qui sæpissimè, vel ignorant factum, vel ius, vel certè si renuant sepelire, facilè metu

tu

tu compelluntur ad id faciendum. Ergo si Parochus, aut alius mandans excommunicatum vitandum in loco sacro sepeliri incidit in excommunicationẽ, incidet etiam in reseruationem si mandet illum sepeliri in Ecclesia.

72 Respondeo tamen Parochum, aut alium ita mandantem non ligari hac reseruatione. Et ratio est, quia pęnæ non sunt extendendæ, iuxta vulgata iura, cap. statutum de elect. in 6. cap. pœnæ, de pęnis, cap. odia, de regul. iur. in 6. Ergo cùm præsens reseruatio loquatur de solis polluentibus, ea etiam afficiet solos sepelientes, non verò mandantes, cùm ij sint, qui Ecclesiam polluunt. Tum quia dicere deberemus mandantes aliquod homicidium in Ecclesia committendum ligari hac reseruatione, cùm etiam per homicidiũ in Ecclesia commissum ea polluatur.

73 Ad rationem dubitandi respondeo iuxta ea, quæ aliàs docui, ita mandantem non affici censura contenta in Clement. 1. citata, quia censura hæc lata est contra sepelientes: censura autem lata contra facientes non comprehendit mandantes, aut consulentes. Ita Henriq. lib. 13. cap. 34. num. 3. Nauar. cap. 27. num. 137. Caietanus, verbo excommunic. cap. 46. Auila 2. par. cap 6 disp. 10. dub. 6. Alterius tom. 2. de interdicto disp. 9. cap. 4. colum. 12. vers. glos.

74 Vnde inferas potiori ratione excusandos esse ab hac reseruatione comitãtes funus excommunicati, cantantes, crucem, & lumina deferentes; hi enim non sepeliunt: & hos omnes excusari a censura, docent Doctores superiùs citati cum Suarez, & alijs.

75 Quinimò nec deferentes cadauer excommunicati vsquè ad locum sepulturæ, nec fodientes sepulchrum, dato quòd ipsi non sepeliant, nec sua opera cadauer in sepulchrum immittant. Et ratio est, quia licèt hi fauorem, & opem ferant, non tamen sepeliunt; ergo non ij sunt, qui Ecclesiam polluunt; ergo neq; incidunt in reseruationem. Et sic hos omnes excusari à censura docet Suarez citatus nu. 11.

DIFFICVLTAS I.

Quid veniat nomine Ecclesiæ.

76 *Nomine Ecclesiæ venit solum Ecclesia consecrata, aut benedicta.*
77 *Vtrùm subterranea loca sub Ecclesia constructa veniant nomine Ecclesiæ.*
78 *Cameræ Ecclesiæ adhærentes non veniunt nomine Ecclesiæ.*
79 *Nec item sacristia, aut campanile.*
80 *Vtrũ locus aliquis ex eo quod gaudet immunitate veniat nomine Ecclesiæ*
81 *Vtrùm oratoria quæcumquè etiam priuata auctoritate erecta.*
Refertur sententia affirmans ea venire nomine Ecclesiæ, quæ Episcopi auctoritate sunt erecta, ibidem.
82 *Sententia Authoris.*

76 Respondeo cum Sanch. lib. 9. de debito coniugali disp. 15. nu 24. venire solùm Ecclesiam consecratam, aut benedictam. Et rationem affert quia ante consecrationem, aut benedictionem non dicitur locus sacer. Quinimò addit Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 6. in comment. lit. H, præter benedictionem desiderari etiam deputationem ad officia diuina, vel sepulturas; ita vt locus ille Ecclesiæ nomine veniat, qui sit benedictus, & deputatus ad officia diuina, vel sepulturas fidelium. Id ergo spacium dicitur esse sacrum, & intra Ecclesiam, quod pertinet ad interius Ecclesiæ corpus, à tecto interiori vsquè ad pauimentum,

tum, & à summa ara, vsquè ad parietem oppositum; vnde est, vt chorus, capellæ constitutæ intra Ecclesiam veniant nomine Ecclesiæ.

77 Ex quibus inferas primò subterranea loca, & sub Ecclesia constructa, puta cauernas, vel speluncas non venire nomine Ecclesiæ. Ita Sanch. nu. 27. quod tamen intelligit nisi fortè locus ille esset fornice Ecclesię concameratus pro cadaueribus excipiendis. Et ratio est, quia sepulturæ dicuntur pars Ecclesiæ, cùm locus ille sit deputatus ad fidelium sepulturas sicut Ecclesiæ solum.

78 Secundò cameras Ecclesiæ adhęrentes non venire nomine Ecclesiæ. Ita Sanch. nu. 29. Et ratio est, quia illæ non constituunt vnum corpus cum Ecclesia, nequè cultui diuino sunt deputatæ.

79 Tertiò idem dicendum de Sacristia, & campanili ob eandem rationem; licèt non desint, qui Sacristiam dicant venire nomine Ecclesiæ, cùm illi sit coniuncta instar capellarum. Verùm mihi contrarium verius videtur cum eodem Sanch. num. 31. Et ratio est, quia capellæ sunt pars Ecclesiæ, & vnum corpus cum ea efficiunt, quod ex eo colligi potest, cùm ad idem munus sint destinatæ, puta ad officia diuina peragenda, & fideles sepeliendos: nihil verò ex his dici possit de Sacristia, quæ potiùs ad custodiam vestiũ sacrarum, quàm ad tale munus est deputata.

80 Hoc vnum monuerim, ex eo quod locus aliquis gaudeat immunitate, non ideò tamen venire nomine Ecclesiæ; claustra enim Monachorum, Monasteria omnia, cœmeteria immunitate gaudent, nec tamen Ecclesiæ nomine veniunt. Quare, etiam si quis pollutionem pateretur in loco simili, non tamen comprehenderetur sub casu, quia pollutio non esset in Ecclesia secuta. Debet ergo crimen, ex quo pollutio sequatur in Ecclesia patrari: reseruatio enim comprehendit tantùm Ecclesiam polluentes, non verò polluentes quemcũq; locum benedictum.

81 Quæres vtrùm Oratoria veniant nomine Ecclesiæ.

Respondet Sanchez loco cit. num. 39. si sermo sit de ijs Oratorijs, quæ priuata auctoritate eriguntur, & ędificantur, etiamsi in ijs celebretur, certum tamen esse, ea non venire nomine Ecclesiæ. Et rationem affert, quia ad nutum fundatoris ad profanos vsus redire possunt; & vesperi potest esse camera, quod mane fuit Oratorium. Quod si ea erecta sint auctoritate Episcopi, probabilius esse venire nomine Ecclesiæ.

82 Verùm mihi magis placet sententia. Henriquez loc. superiùs citat. quam tenet Emman. Sà verb. Eccles. §. polluitur Ecclesia, etiamsi hæc Oratoria sint erecta auctoritate Episcopi, si tamen consecrata, vel benedicta non sint, non venire nomine Ecclesiæ. Intellige tamen quoad hunc effectum; ita vt non incidat in casum, qui in illis pollutionem patiatur. Et ratio est, quia licèt auctoritas Episcopi, cuius vi eriguntur det illis beneficium immunitatis, & ratione huius effectus dici possint venire nomine Ecclesiæ, ratione tamen reseruationis venire non possunt, quia si locus consecratus, vel benedictus non sit, nequè dicitur pollui: alioqui committens homicidium in Basilica nondum consecrata, aut benedicta diceretur illam polluere, & incidere in casum, cùm tamen ea non veniat nomine Ecclesiæ. Generalior ergo, & latior est acceptio loci sacri, aut Ecclesiæ pro effectu immunitatis, quàm

quàm ſit pro effectu reſeruationis; ad primum enim ſufficit, quod locus aliquis ſit Epiſcopi auctoritate erectus, & ad cultum diuinum deſtinatus: ad ſecundum verò requiritur, vt ſit conſecratus, aut benedictus, & ſpectet ad corpus interius Eccleſiæ.

DIFFICVLTAS II.

Quid facere teneatur Sacerdos quando inter celebrandum Eccleſia polluitur.

83 *Si pollutio contingat poſt inceptum Canonem perficienda eſt miſſa; ſi verò non ſit inceptus Canon, illicò debet abſtinere.*

Si Eccleſia ſit tantùm benedicta, an Sacerdos ipſe poſſit illam reconciliare, ibidem.

Si erat conſecrata, an ſit reconcilianda per Epiſcopum, ibidem.

84 *Refertur ſententia docens poſſe has vices ſimplici Sacerdoti ab Epiſcopo committi.*

83 RESpondeo cum Suarez diſp. 81. ſect. 4. verſus finem. Coninc. loc. ſuperiùs cit. num. 236. Regin. num. 279. Si pollutio contingat poſt inceptum Canonem, debere perficere miſſam, quia dicitur ſubſtantialiter inchoatum ſacrificium; vnde eſt vt interrumpi nō poſſit propter Eccleſiaſticum loci impedimētum ſuperueniens. Dicitur autem incœptus Canon, cum hoſtia propè præparatur ad conſecrationem, quod ſi nondum inchoatus ſit, Canon, ceſſare debet donec Eccleſia ſit reconciliata: quam, ſi tantùm ſit benedicta, ipſe ſtatim poteſt reconciliare, iuxta caput ſi Eccleſ. de conſecr. Eccleſ. vel Altar. per aquæ benedictæ aſperſionem, & alias breues, & faciles ceremonias, quas legere poteſt in ceremoniali Eccleſiaſtico: Expedit tamen ab Epiſcopo licentiam petere, vel eius Vicario Generali, vt bene notat Henriq. lib. 9. cap. 27. num. 6. Quinimò addit Bonac. quæſt. 4. de matrim. pun. vltimo num. 27. hoc neceſſarium eſſe, vt ex ipſo vſu colligi poteſt in noſtra hac Diœceſi vſitato. Quod ſi Eccleſia erat conſecrata, tunc ſi polluatur reconcilianda eſt ab Epiſcopo, vel ab alio Epiſcopo de licentia proprij, vel ſaltem diſpenſare debet Epiſcopus, vt interim in ea celebretur; munus enim hoc ſimplici Sacerdoti, non niſi per Summum Pontificem poteſt committi, ſicut & Eccleſiæ conſecratio, vt colligitur ex cap. propoſuiſti de conſecratione Eccleſ. vel Altar. Sed de his videte agentem fuſiùs Sayrum lib. 5. cap. 16. num. 31.

84 Addiderim tamen contrariam ſententiam extare apud Victor. in ſum. Sacram. quæſt. 99. Emman. Sà poſt correctionem Magiſtri Sacri Pallatij v. Eccleſ. num. 20. Sylu. in ſuis Comment. in 3. par. D. Thom. quæſt. 83. art. 3. Vbi ſic habet. Quibuſdam videtur, quod Eccleſia priùs cōſecrata ſic debeat reconciliari per Epiſcopum, vt hic vices ſuas nequeat ſimplici Sacerdoti committere: contrarium tamen tradunt Victor. & Sà. Et credimus eſſe in praxi non contradicente, ſed potiùs concedente Pontifice. Sed de probabilitate huius ſententiæ iudicent alij.

DIFFICVLTAS III.

Quænam pœnæ propoſitæ ſint celebrantibus in Eccleſia polluta.

85 *Refertur ſententia docens incurri ipſo facto ſuſpenſionem.*

86 *Sententia Authoris negat.*

85 RESpondet Sylu. verb. confec. 2. quæst. 9. quem sequitur Azor 2. par. lib. 10. cap. 26. incurrere ipso facto suspensionem, quod si post suspensionem iterum celebret, incurrere irregularitatem. Primum quidem probant ex cap. Episcopor. de priuileg. in 6. Secundum verò probant ex cap. Is qui, de sententia excommunicationis in 6.

86 Verùm mihi magis placet sententia Suarij loco superiùs cit. quem sequuntur Sayr. lib. 5. cap. 16. num. 29. Henriq. lib. 9. cap. 27. num. 7., & alij plures asserentes Sacerdotem celebrãtem, vel sepelientem, vel alia diuina officia peragentem in Ecclesia polluta, nullam pœnam incurrere. Ratio est, quia suspensio, nunquam incurritur nisi sit in iure expressa, talis autem pęna nullibi est expressa; cùm iura loquantur de eo, qui celebrat in loco interdicto: locus autem violatus non est propriè interdictus, vt manifestè habetur ex cap. Is qui. Mortaliter tamen peccaret, qui sine licentia Episcopi in loco polluto celebraret, vel diuinum aliquod officium perageret. Et ratio est, quia faceret contra præceptum Ecclesiæ in re graui. Si ergo necessitas instet, ab Episcopo petenda venia est, quam vrgenti de causa potest concedere. Ita Sayr. loc. cit.

DIFFICVLTAS IV.

An cogitationes, desideria, aspectus, tactus inhonesti in loco sacro sint sacrilegia.

87 *Vnde proueniat quod pollutio, & copula coniugalis in Ecclesia habita sine iusta causa assumat peculiarem malitiam sacrilegij.*

88 *Quandonam noua prohibitio accedens actui inducat nouam malitiam, & quando non.*

89 *Monacus Franciscanus non ieiunans die Veneris in quem incidat vigilia alicuius sancti, vtrùm vnum tantùm peccatum committat, an plura.*

90 *Si præceptum audiendi sacrum obliget ratione duplicis festi concurrentis, vtrùm illius transgressio sit vnũ tantùm peccatum, an plura.*

91 *Omissio diuini Officij ad quod quis teneatur ratione Ordinis, & ratione beneficij, an contineat duplicem malitiam.*

92 *Copula habita à coniugato cum coniugata duplicem habet malitiam.*

93 *Transgressio voti, & iuramenti de eadem re includit duplicem malitiam.*

94 *Vtrùm cogitationes, aspectus turpes, & actus inhonesti in Ecclesia habiti includant peculiarem malitiam sacrilegij.*

95 *Refertur sententia affirmans de confabulationibus, nutibus, & tactibus inhonestis, negans verò de desiderijs.*

96 *Refertur sententia, quæ idem asserit de desiderijs, & cogitationibus turpibus.*

97 *Sententia Authoris.*

98 *Aspectus, nutus, verba inhonesta in Ecclesia habita non sunt sacrilegia.*

99 *Vtrùm is, qui in Ecclesia fœminam cõcupiscit committat sacrilegium.*

87 EX dictis patet pollutiones, & quamlibet copulam etiam cõiugalem, quæ in Ecclesia absquè iusta causa sit habita continere peculiarem malitiam sacrilegij in confessione explicandam, quoties ea sit publica, quæ peculiaris malitia in eo consistit, quòd per huiusmodi pollutionem, & copulam Ecclesia profanetur, ita vt reconciliatione indigeat, iure Ecclesiastico ita disponente. Vndè licèt grauiora

mala

mala sint hæresis, & odium Dei, non tamen hæc peccata in Ecclesia commissa assumunt specificam malitiam sacrilegij, ex eo quod hæc non polluant Ecclesiam. Ita Valen. 2.2. disp. 6. quæst. 15. pun. 1. §. Præterea etiam ad eandem speciem. Vasq. 1.2. quæst. 72. art. 6. disp. 98. num. 4. & duplici sequ.

Obijcies hoc loco aliquis, furtum, quod lege diuina, & naturali est prohibitum, non assumit nouam malitiam si etiam lege humana prohibeatur, vt si feratur excommunicatio contra furantes. Ergo pollutio voluntaria, homicidium, vel sanguinis humani iniuriosa effusio, quæ lege diuina, & naturali sint prohibita, non assument nouam malitiam, quia ab Ecclesia fuerint prohibita in loco sacro.

88 Pro huius argumenti solutione præmittenda ea regula est, quam tradit Henriq. lib. 5. de pœnit. cap 5. nu. 6. Vasquez cit num. 3. & 4. videlicet peccatum, quod lege aliqua est prohibitum posse dupliciter alio iure prohiberi.

Primò si iterùm prohibeatur intuitu eiusdem virtutis, & tunc illa noua prohibitio non inducit nouam malitiam, vt si ad vitanda furta, quæ frequentissima sint Episcopus ferat excommunicationem in furantes: tunc enim quia Superioris prohibitio respicit solam culpam iniustitiæ commissam per furtum, inde est vt illa excommunicatio, & nouum illud præceptum non trahat furtum ad aliam speciem.

Secundò si peccatum, quod intuitu vnius virtutis iam est prohibitum, iterum prohibeatur intuitu alterius virtutis, & tunc illa noua prohibitio inducit nouam malitiam, & trahit peccatum ad aliam speciem. Sic violenta manuum iniectio in Clericum est mala iure naturæ ob iniustitiam, quam continet, & est mala iure humano, quia intuitu alterius virtutis, puta Religionis ob reuerentiam personæ sacræ debitam fuit ab Ecclesia prohibita; vnde est, vt ratione huius nouæ prohibitionis includat peculiarem malitiam sacrilegij.

Ad argumentum ergo respondeo, concesso antecedente negandam esse consequentiam. Disparitas autem in eo est, quia noua illa prohibitio accedens furto respicit eandem virtutem, ob quam iam erat prohibitum: vnde est, vt non inducat nouam malitiam, vel deformitatem: at verò noua prohibitio accedens pollutioni commissæ in Ecclesia respicit diuersam virtutem; vnde est vt nouam malitiam inducat; prior enim prohibitio iuris naturalis est intuitu virtutis tēperantiæ: posterior verò prohibitio iuris Ecclesiastici est intuitu virtutis Religionis, cùm Ecclesia decreuerit per illam pollui Ecclesiam.

89 Ex qua regula patet primò Monacum Franciscanum non ieiunātem die Veneris, in quem incidat vigilia alicuius Sancti duplex peccatum committere, ex eo quod frangat duplicis virtutis præceptum: primum quidem virtutis abstinentiæ, seu temperantiæ ad quam respicit Ecclesia præscribendo ieiunium. Alterum verò virtutis Religionis, cùm ex voto obedientiæ teneatur regulam obseruare; vnde si non vouisset regulæ obseruantiam, sed regula more alterius legis ieiunium illud præscriberet, vnicum peccatum committeret tali die non ieiunando, vt bene docet Vasq. disp. 98. cit. num. 9.

90 Secundò si præceptum audiendi sacrum obliget ratione duplicis festi concurrentis, vt si in diem Dominicum incidat dies festus Sancti Petri, trans-

transgressionem horum præceptorum esse vnicum peccatum, quia hæc duo præcepta obligant sub eadem ratione formali virtutis Religionis. Atquè hoc eodem modo non ieiunantem in vigilia incidente quatuor anni temporibus, vel in quadragesima, satisfacere in confessione si dicat se semel fregisse ieiunium ab Ecclesia præscriptum, ex eo quod illa duo præcepta obligarent sub eadem ratione formali virtutis temperantiæ.

91 Tertiò omissionem Diuini officij ad quod quis teneatur ratione Ordinis sacri, & ratione beneficij duplicem malitiam continere ob duplicem obligationem ad diuersas virtutes pertinentem, alteram virtutis Religionis ratione Ordinis, alteram virtutis iustitiæ ratione beneficij, cùm Ecclesia conferat beneficium eo onere, vt illud possidens recitet officium, & aliàs beneficij fructus non faciat suos: licèt Henriquez lib. 5. de pœnit. cap. 5. num. 6. existimet peccatum hoc vnicam malitiam continere, proindequè satisfacere confessioni Pœnitentem dicendo se diuinum officium non recitasse, ad quod ex præcepto Ecclesiastico tenebatur.

92 Quartò si coniugatus copulam habeat cum coniugata non sua, copulam hanc duplicem malitiam continere, quia licèt concurrat vna tantùm virtus iustitiæ, tamen in ipso actu adest duplex malitia iniustitiæ diuersa numero, vt quando quis vno ictu duos percutit.

93 Quintò transgresionem voti, & iuramenti de eadem re, licèt sit prohibita diuersis præceptis intuitu eiusdem virtutis religionis, adhuc tamen duplicem malitiam continere non vnam. Et ratio est, quia illa duo præcepta voti, & iuramenti non obligant sub eadem ratione formali virtutis religionis; sed sub diuersa; Votum enim obligat, vt fides debita Deo seruetur; iuramentum verò, ne Deus in testem falsi adducatur.

94 His præmissis ad difficultatem initio propositam veniamus, vtrùm videlicet cogitationes, desideria, confabulationes, nutus aspectus, tactus inhonesti in loco sacro includant specialem malitiam sacrilegij.

95 Existimat Cord. in sum. q. 190. confabulationes, nutus, & tactus libidinosos in Ecclesia habitos esse sacrilegos ob irreuerentiam illatam loco sacro. De cogitationibus autem, & desiderijs nullam facit mentionem.

96 Syluester verb. confes. 1. nu. 11. existimat etiam desideria, & cogitationes turpes in Ecclesia habitas esse sacrilegas, ex eo quod hæc habeant eandem malitiā, quam habet ipsa copula.

97 Ego verò respondeo tactus turpes in Ecclesia commissos absquè periculo pollutionis nullam habere circumstantiam sacrilegij in confessione aperiendam. Et probatur quia tota ratio huius nouæ deformitatis sacrilegij est eo quia locus sacer polluatur, vt patet ex dictis in principio difficultatis; atqui actus turpes in Ecclesia commissi illam non polluunt, nec adest violationis periculum, cùm nullum adsit periculum pollutionis, vt suppono; Ergo illi tactus non erunt sacrilegi, vt potè qui directè non repugnent sanctitati, aut immunitati loci, idest illis ad quæ locus est sanctificatus, cùm nec diuina celebrari, nec mortuos sepeliri impediant, nec auferant immunitatem illuc confugientium, nec securitatem rerum ibi in custodia depositarum. Ita Alcozer in sum cap. 20. fol. 74. colum. 2. §. los toccamentos. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 15 nu. 27.

Conin.

Conin.disp.7. de pœnit dub.4 num.22. noster Bonac.q.4. de matrim.pun.vltimo nu 8.

Obijcies primò eandem habent malitiam tactus turpes, ac libidinosi, quam habet copula; atqui copulam in Ecclesia habita includit circumstantiam sacrilegij in confessione explicandam. Ergo etiam tactus turpes habiti in Ecclesia, præsertim si sint in partibus inhonestis, vt docet Lopez 1. par. instructor. cap. 33. a §. cęterùm. Manuel 1. tom.sum. cap.207.

Respondeo tactus eandem habere malitiam, quam habet copula, quando tendunt in obiectum affectum iisdem circumstantijs, in quod tendit copula. Patet hoc a simili de eo, qui fœminam coniugatam concupiscat sub expressa conditione si esset soluta, desiderium enim hoc non esset adulterinum, & tamen copula esset adulterina, quia videlicet actus ille desiderij non fertur in obiectum affectum eadem circumstantia coniugij. Sed tactus turpes, ac libidinosi in Ecclesia habiti non feruntur in obiectum sub eadem circumstantia, qua est affectum obiectum, ad quod tendit copula, cum ij non ordinentur ad copulam intra Ecclesiam. Ergo non habebunt eandem malitiam, quam habet copula intra Ecclesiam habita.

Obijcies secundò per tactus turpes, & inhonestos in Ecclesia habitos irrogatur grauis irreuerentia loco sacro. Ergo hęc circumstantia est confitenda.

Respondeo verè adesse aliqualem irreuerentiam, attamen irreuerentiam hanc non excedere limites culpæ venialis, ex eo quod per illam non violetur locus sacer; alioqui dicere deberemus circumstantiam hanc ab eo esse confitendam, qui in Ecclesia furaretur, qui in Ecclesia hæresim proferret, ac demum alia peccata grauia in loco sacro committeret, cùm eadem adsit irreuerentia.

98 Ex quibus patet primò, quid dicendum de aspectibus, nutibus, confabulationibus, verbis inhonestis in Ecclesia habitis: hæc enim nullo modo sacrilegia sunt, cùm per hæc locus sacer nullo modo violetur. Ita Lud. Lop. Manuel.cc. Pet. de Led. sum. Sacram. de pœnit. cap. 19. circa loci circumstantiam, qui tamen loquens de verbis inhonestis hoc limitat, nisi fortè verba inhonesta altiori voce in Ecclesia proferrentur: tunc enim putat esse sacrilegium necessariò confitendum, quia sanctitati loci repugnant. Verùm limitatio hęc mihi non placet, sicut nec placet Sanch. cit. nu. 20. quia illa poterunt quidem esse coniuncta cum peccato scandali, non tamen sacrilegij, vt patet ex ratione allata.

99 Secundò infertur quid dicendum de eo, qui in Ecclesia fœminam concupiscat, quoties enim exprefsè non desideret habere copulam in Ecclesia, desiderium hoc nullam habet malitiam sacrilegij. Vnde hoc loco valet ratio superiùs allata in responsione ad primum argumentum, quòd videlicet actus internus habet eandem malitiam, quam habet externus, quando tendit in idem obiectum cum iisdem circumstantij. Sed desiderium habendi copulam extra Ecclesiam, & copula in Ecclesiâ non feruntur in obiectum sub eadem circumstantia; Ergo illud desiderium non habebit eandem malitiam, quam habet ipsa copula in Ecclesia habita. Non ergo attendendus est locus desiderij, sed locus in quo est consummandus actus, seu habenda copula desiderata; & sic si desiderabitur vt habenda in Ecclesia, tale desiderium erit sacrilegium; si verò desidera-

derabitur vt habēda extra Ecclesiam, non erit sacrilegum. Quinimò si quispiam extra Ecclesiam existens concupisceret fœminam in Ecclesia cognoscendam, tale desiderium includeret specialem circumstantiam sacrilegij in confessione explicandam. Ita Nauar. cap. consideret in principio num. 21. de pœnit. dist. 5. & in sum. cap. 6. nu. 12. Pet. de Ledes., Lop. cc. Viuald. candel. Sacram. par. 1. de confess. num. 6.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm pollutio occulta in Ecclesia secuta includat peculiarem malitiam sacrilegij.

100 *Si pollutio ideo est sacrilega quia decentiæ Ecclesiæ repugnet, etiam occulta est sacrilega.*

101 *Difficilior resolutio est si pollutio, ideo sit sacrilega, quia Ecclesiam violet, occulta enim non violat.*

102 *Sententia Authoris est pollutionem etiam occultam in Ecclesia secutam esse sacrilegam.*

100 HVic difficultati respondendum est affirmatiuè retenta sententia, quam docet Suarez 3. par. quæst. 83. art. 3. disp. 81. sect. 4. §. Tertiò violatur Ecclesia &c. vbi docet peculiarem malitiam, & deformitatem sacrilegij, quæ reperitur in effusione seminis secuta in Ecclesia oriri ex eo, quia illa sit turpis, & decentiæ Ecclesiæ repugnet: indequè esse, vt ob illius turpitudinem adiuncta illi sit veluti quædam censura, violatio Ecclesiæ, & interdictum, vt ibi diuina non celebrētur: quæ turpitudo cùm reperiatur in quacumq; pollutione, siue sit publica, siue occulta, inde est vt quæcumq; pollutio, quæ in Ecclesia fit secuta, siue ea publica sit, siue occulta, sit sacrilega.

101 Verùm attenta ratione, quam attulimus in principio superioris difficultatis, vi cuius diximus peculiarem malitiam contentam in pollutione secuta in Ecclesia in eo consistere, quod per eam Ecclesia polluatur, difficilior est præsentis quęstionis solutio; ex hac enim ratione illicò potest quis inferre, pollutionem occultam in Ecclesia habitam non includere specialem malitiam sacrilegij, cùm Ecclesia non violetur per occultam pollutionem: quam sententiam nos ipsi aliàs sustinuimus, ac sustinere tenentur Angles Flor. 1. par. de matrim. quæst. 6. de soluendo debito in fine Manuel. 1. tom. sum. cap. 243. nu. 19. Vega 1. tom. sum. lib. 1. cap. 78. cas. 1. Lud. Lop. 1. par. instruct. cap. 33. §. Inter varias, & cap. 82. §. At verò, de redditione. Et alij asserentes non esse mortalē copulam coniugalem occultam, quæ absq; vlla necessitate in Ecclesia sit habita. Si enim malitià sacrilegij caret copula coniugalis in Ecclesia habita, quia hæc sit occulta, hac eadem carebit fornicatio in Ecclesia habita quoties ea sit occulta. Et hanc eandem sententiam fatetur esse satis probabilem Vasquez 1. 2. quæst. 72. art. 6. disp. 98. num. 6.

102 Respondeo tamen pollutionem occultam in Ecclesia secutam esse sacrilegam. Et ratio est, quia per illam ex natura facti, & per se polluitur Ecclesia, licèt non teneantur Sacerdotes abstinere a celebratione in ea, quādiu ille actus manet occultus. Et hanc sententiam tenentur sustinere ij omnes, qui docent actum coniugalem habitum in Ecclesia etiam occultum illicitum esse, nisi iusta causa concurrat, vt nos ipsi superiùs docuimus cum Doctoribus citatis. Ac demum eam expressè docent Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 15. num. 11. noster Bonac. quæst. 8.

de matrim. pun. vltimo num. 7. Esto ergo quod casus reseruatus non incurratur, vel Ecclesia non violetur nisi post delicti publicationem: actus tamen ipse pollutionis est sacrilegus, quia de se est sufficiens ad Ecclesiam polluendam; vnde est vt absquè nouo actu, vel noua culpa incipiat esse violata Ecclesia, vbi primùm de præterita pollutione constiterit per famam, aut delinquentis confessionem.

DIFFICVLTAS VI.

Quàm graue sit peccatum polluentium Ecclesiam.

RESpondeo grauissimum illud esse, eiusq; grauitatē declarari etiam ipsa Pij V. Constitutione Romæ edita Calendis Aprilis 1566. quæ incipit, Cùm primùm, & pœnas in eos statuit, qui de ambulare in Ecclesia, vociferari, ac verso tergo ad Sanctissimum Sacramentum sedere irreuerenter ausi fuerint. Quanto enim maiore dignos esse supplicio dicere debemus eos, qui Ecclesiam ipsam polluunt? Demum verò facto ipso Christi; si enim eiecit è templo ementes, & vendentes, cùm tamen hæc aliàs essent licita; quanto magis si inter nos viueret, eijceret sacrilegos, homicidas, impuros homines, ac deniquè eos, qui domum suam violare auderent? Extant passim Sacrarum literarum, ac veteris antiquitatis exempla, quæ varia ostendunt supplicia, quibus Deus identidem affecit eos; qui sibi, & cultui suo dicata templa contaminare auderent.

DISCE LECTOR

Illatas Deo iniurias Deo pariter esse curæ.

CAPVT SEPTIMVM

Homicidæ voluntarij.

CAput hoc tribus quæstionibus constabit. In prima quæremus quid, & quotuplex sit homicidium, & vtrùm aliquando illud sit licitum. In secunda quinam incidant in casum. In tertia quinam excusentur ab hac reseruatione.

QVÆSTIO PRIMA

Quid, & quotuplex sit homicidiū, & vtrùm aliquando illud sit licitum.

QVæstionem hanc præmitto, vt potè quæ ad rem nostram maximè conducat; Vbi enim noti fuerint casus, in quibus licitum sit aliquem occidere, faciliùs etiam nobis innotescent casus ij, in quibus occidens sit immunis ab hac reseruatione.

DIFFICVLTAS I.

Quid, & quotuplex sit homicidium.

1 *Quid, & quotuplex sit homicidium.*
2 *Quodnam homicidium dicatur voluntarium simpliciter, & quodnam voluntarium in causa.*
3 *Quodnam dicatur casuale.*

1 Ho-

1 HOmicidium sic definitur, quod sit iniusta hominis occisio. Ita Hostiens.tit.eodem in sum.§.1., D.Ant. 2.par.tit.7.c.8.Graff.cons.1.de homicidio num.1., Tolet. lib.5. cap.6.num.1., Clauis Regia lib.7. cap.8. num. 12., & alij communiter.

Duplex autem illud est. Alterum voluntarium simpliciter. Alterum casuale.

2 Ac quidem voluntarium rursus dupliciter dicitur. Aliud voluntarium in se; Aliud voluntarium in causa.

Voluntarium simpliciter illud dicitur, quod studiosè fit, malo animo & ex proposito.

Voluntarium autem in se tunc dicitur, quando voluntas fertur in ipsum homicidium.

Voluntarium verò in sua causa tunc est, quando voluntas non quidem fertur directè in ipsum homicidium, sed tamen tendit in aliud quidpiam, quod est causa proxima homicidij.

3 Casuale item duplex est. Aliud casuale merum; Aliud casuale mixtum.

Casuale merum illud est, quod mero quodam casu contingit, cùm neq; in se, neq; in causa fuerit intentum, nec præuisum.

Casuale mixtum illud est, quod partim est casuale, & partim voluntarium; puta quod casuale quidem in se est, sed voluntarium in causa. Quodnam verò homicidium casus iste comprehendat, patebit in quæstione sequenti.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm licitum sit occidere aliquod viuens.

4 *Hæresis Manicheorum asserentium animantia, & plantas non posse interimi.*

5 *De fide est animantia, & plantas posse interimi.*

4 ADuertendum Manicheos eius fuisse sententiæ, vt assererent animantia, aut plantas non posse interimi, ex eo quod existimarent omnes animas esse quasdam Dei particulas. Vt testatur D.Aug. lib. 1. de ciuit.c.20.

5 Respondeo tamen de fide esse, homines posse interimere animantia, & plantas in suos vsus. Ita Genesis 9. [omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum. Et Genesis 1. Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem sementem super terram, vt sit vobis in escam.] Ac demum in Concil. Bracarensi. 1. cap.14., hæc hæresis fuit damnata.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm licitum sit occidere peccatores, & maleficos.

6 *Malefactores possunt occidi.*

7 *Vtrùm priuata auctoritate possint occidi. Negat Author de occisione facta ad punitionem.*

8 *Liceret tamen quoties occisio fieret ad necessariam defensionem.*

9 *Licitè possunt occidi banniti à priuato homine.*

10 *Non liceret tamen quoties bannitus esset extra territorium Principis, vel Reipub. quæ condemnauit.*

11 *An licitum sit proponere præmium occisori banniti.*

12 *An proditoriè licitum sit occidere bannitum.*

6 REspondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia pars est propter totum. Ergo ad totius conseruationem poterit illa exscindi. Sed singuli pecca-

catores sunt pars Reipublicæ; Ergo ob illius incolumitatē poterunt occidi.

Quæ ratio probat omnes peccatores Reipublicæ obnoxios posse occidi; cùm tamen Scotus asserat non quosuis posse potestate publica occidi, sed eos tantum, quos Deus expressit in veteri testamento; puta maleficos, blasphemos, adulteros, sabbathum violantes, & paucos alios. Vnde est vt inferat fures non posse occidi ex eo quod hosce non expresserit Deus in veteri testamento. Verùm hæc sententia defendi non potest; vt bene cum D. Tho. Less. lib. 2. c. 9. dub. 2. Præceptum enim illud Dei, quod continetur Exodi 20. & Matthei 5. Non occides, intelligitur de innocentibus, iuxta illud, Iustum & Innocentem non interficies; & de occisione, quæ fiat priuata auctoritate.

7 Quæres 1. Vtrùm priuata auctoritate licitum sit eosdem interficere.

Respondeo si loquamur de occisione facta ad punitionem, nemini licere aliquem priuata auctoritate occidere, sed tantùm publica. Et ratio est, quia peccatores non possunt occidi nisi ob bonum Reipublicę, sed procuratio boni publici spectat ad publicam potestatem, puta ad Principem, vel Magistratum; ergo ad eundem spectat peccatores interficere. Videte D. August. lib. 1. de Ciuit. cap. 17. 21. & 26. Gratianum 23. quæst. 5.

8 Dixi si loquamur de occisione facta ad punitionem. Nam si sermo sit de occisione facta ad necessariam sui defensionem: tunc licitum est priuata auctoritate occidere. Sed de hoc inferiùs.

Dices, aliquando conceditur, vt quilibet possit hostes Reipublicæ, vt latrones, & proscriptos, seu bannitos occidere; Ergo aliquando licitum est priuata auctoritate occidere malefactorem.

Respondeo in tali casu non occidi priuata auctoritate, sed publica per facultatem concessam à Principe, qui illam dare potest primò, quādo malum imminens alio modo non potest vitari, vt sæpè contingit in coniurationibus. Secundò quando criminosus alia ratione non potest castigari, & tamen omninò expedit illum castigari, vt contingit in bannitis.

9 Vnde inferas licitè posse à priuato homine occidi bannitos, contra quos fuit lata sententia capitis. Et ratio est, quia hoc fit publica auctoritate iustitiæ, cuius quilibet potest esse minister, ad hoc vt alij à delictis retrahantur. Ita Sylu. v. Assasinus quæst. 3. Azor 3. par. lib. 2. cap. 2. quæst 2. Contrarium tamen dicendum in casu, quo contra illos necdum sit lata sententia capitis.

10 Quæres secundò, an licitum sit occidere bannitum publicè condemnatum, quando est extra territorium, & iurisdictionem Principis, vel Reipublicæ, quæ condemnauit illum vt bannitum.

Respondeo hoc non esse licitum, quia est extra iurisdictionem condemnantis. Deinde quia fit iniuria alteri Reipublicæ, in cuius territorio commoratur bannitus. Ita Azor cit. q. 3. Si tamen alterius Principis, vel Reipublicæ adesset expressa, tacita, vel præsumpta licentia, tunc liceret.

11 Quæres tertiò, an licitum sit aliquando proponere præmium occisori banniti, nimirum vt quicumq; ex bannitis alium occiderit, recipiat certam summam pecuniæ, vel possit se ipsum liberare, & alios ex socijs.

Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia hoc expedit communi bono Reipublicæ, vt banniti qui sunt hostes Reipublicę faciliùs è medio tollantur.

12 Maior

12 Maior difficultas est, an etiam proditoriè licitum sit bannito alterum bannitum occidere.

Respondeo affirmatiuè ob commune bonum Reipublicæ. Ita Azor cit. quæst. 4. Licet Sotus lib. 5. de iust. q. 1. art. 3. non admodum approbet hunc morem. Et re vera non videtur approbandus propter periculum damnationis animæ, quod habet adnexum.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm homini priuato liceat occidere Tyrannum.

13 *Quotupliciter possit aliquis esse Tyrannus. Primò ratione Tituli.*

14 *Secundò ratione administrationis.*

15 *Quatuor concurrentibus conditionibus licitum est homini priuato occidere Tyrannum ratione tituli.*

16 *Quinimo occidi potest ab homine qui non sit pars Reipub. oppressæ.*

17 *Enumerantur conditiones requisitæ.*

18 *Non licet occidere Tyrannum regimine.*

19 *An ob defensionem priuatarum fortunarum licitum sit occidere Principem.*

13 ADuertendum dupliciter fieri posse, vt quis sit Tyrannus. Primò ratione tituli, vt si absq; vllo iure armis occupet Principatum, & alienum imperium iniustè inuadat. Vnde hic dicitur Tyrannus inuasione Regni, & vsurpatione.

14 Secundò ratione administrationis, vt si is qui est legitimus Princeps vtatur Regni administratione, non ad bonum publicum, sed ad sua priuata commoda, ferendo leges bono publico perniciosas, sibi verò vtiles; officia Iudicum vendendo; imperium iniustis exactionibus onerando. Vnde hic dicitur Tyrannus solo regimine, & administratione.

15 Respondeo primò, quatuor conditionibus concurrentibus licitum esse homini priuato occidere Tyrannum ratione tituli, idest qui iniustè alienum imperium inuaserit, & vsurpauerit. Ita communiter Doctores, Caiet. q. 64. art. 3. Sotus lib. 4. de iust. q. 1. art. 3. Et alij passim. Sic Aod occidit Eglon Regem Moabitarum, qui tyrannicè oppresserat Israelitas. Sic Iudith Holofernem. Et ratio est, quia ille non est Princeps, sed iniustus oppressor, & inuasor Reipublicæ, & singulorum ciuium; sed quiuis è Republica potest iniustum inuasorem Reipublicæ è medio tollere, quando non suppetit alius modus libertatis. Ergo &c. Sicut enim priuata persona potest iniustum aggressorem, seu oppressorem interficere; ita & Respublica hoc potest facere per quemlibet suorum.

16 Addo huiusmodi Tyrannum posse etiam ab alio, qui non sit pars Reipublicæ oppressæ iure defensionis occidi. Et ratio est, quia mens Reipublicæ est, vt à quouis defendatur, si aliter non possit liberari, vt bene monet Lessius l. 2. c. 9. dub. 4. num. 8.

17 Dixi quatuor conditionibus concurrentibus; quarum prima est: Vt non timeantur maiora mala ab eius successoribus, puta filio Tyranni, vel amicis.

Secunda, vt non sit contra Reipublicę expressam volũtatem, idest quod adsit voluntas saltem præsumpta illius cupientis mortem Tyranni.

Tertia, vt constet illum esse iniustum inuasorem. Si enim habeat aliquod probabile ius non censetur Tyrannus.

Quarta, vt non pateat recursus ad

Supe-

Superiorem, quia si ad illum pateat recursus, alio modo Respublica potest liberari hoc incommodo, & damno, quàm occidendo.

18 Respondeo secundò non licere occidere Tyrannum solo regimine, & administratione. Quod probatur ex Conc. Constantiensi sess. 15. vbi damnatur hic articulus [quilibet Tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcunq; vassallum suum, & subditum &c.] Tum quia Princeps licèt tyrannicè administret, & regat, tamen est verus Superior; ergo non potest à subdito interfici.

Dices si Imperium iniustis exactionibus oneret, subditos iniustè priuat suis bonis; Ergo ad defensionem suarũ fortunarum poterunt illum occidere.

19 Respondeo etiamsi aliquando liceat occidere priuatam personam ad defensionem fortunarum, & bonorum temporalium, vt videbimus inferiùs; non licere tamen propter illorum cõseruationem occidere Principem, ex eo quod illa non sint tanti momenti, vt licitum sit pro illis occidere Superiorem. Ita Caiet. Sotus cc.

DIFFICVLTAS V.

An licitum sit aliquando se ipsum occidere.

20 *Hæresis Donatistarum asserentium licere se ipsum occidere.*

21 *Referuntur exempla Sanctorum quibus attentis videtur hoc non esse cõtra fidem, quinimo, & licitum.*

22 *Vera sententia, & doctrina negat.*

23 *Respondetur exemplis allatis.*

24 *Licitum tamen est aliquid facere, vel omittere ex iusta causa, vnde sciatur mors indirectè secutura.*

25 *Condemnatus vt fame pereat potest abstinere à cibo clanculum porrecto.*

20 DOnatistæ eius fuerunt sententiæ, vt putarent se ipsum occidere esse genus martyrij. Vnde passim se varijs modis interficiebant. Ita D. August. lib. 1. de Ciuit. à cap. 17. vsq; ad 28.

21 Verùm si ab hac hæresi præscindamus, non desunt exempla, quæ non improbabilem esse sententiam ostendant, asserentem licere aliquando se ipsum occidere.

Primò enim quasdam Virgines, vt Martyres Ecclesia colit, quas tamen legimus se ipsas occidisse. Sic D. Apolloniam refert Eusebius l. 6. cap. 33. se ipsam in rogum coniecisse. Et Palladius etiam historiæ Lausiacæ cap. 150. quandam aliam fœminam laudat, quæ se ipsam occidit, dum à Tyranno accerseretur.

Secundò, quia quando aliquis fuit iustè ad mortem damnatus, potest cuilibet committi executio mortis. Ergo etiam ipsi Reo; Ergo saltem in tali casu potest quis se ipsum directè occidere. Et hanc sententiam videtur insinuare Franciscus Victoria relect. de hom. nu. 30. vbi habet, eum qui damnatus est, vt veneno pereat, posse illud haurire, imò posse ad hoc obligari.

22 Respondeo tamen absq; diuina auctoritate nemini licere se ipsum directè, seu ex intentione occidere. Ita communiter Doctores ex Less. l. 2. cap. 9. dubit. 6. Probatur quia hoc vetitum est Exodi 20. [Non occides,] quo loco vetita est occisio cuiusuis hominis, sine legitima auctoritate facta. Nullus autem habet auctoritatem se ipsum perimendi, cùm non sit se ipso Superior. Tum quia occisio hæc videtur esse cõtra illud præceptum [Diliges Proximum sicut te ipsum] quibus verbis dilectio nostri statuitur tanquam mensura dilectionis Proximi. Sed non licet

 occi-

occidere Proximum sine auctoritate in ipsum; Ergo neque licere potest occidere se ipsum sine hac auctoritate, quàm nullus habere potest nisi à Deo. Tum quia occisio hæc est actio directè repugnans inclinationi communis naturæ, cùm nulla res intendat se ipsam interimere.

23 Ad exempla pro contraria sententia relata. Respondeo primò D. Apolloniam à Soto excusari, quòd se in rogum coniecerit ne violaretur. Pariquè modo excusari fœminam illam, de qua Palladius: quod factum tanquã honestum ob huiusmodi finem commendant. S. Ambros. lib. 3. de Virg. ante medium, & Eusebius citatus.

Secundò, negando quod reus ad mortem condemnatus possit sibi mortem consciscere, & possit illi à Iudice committi sententiæ executio. Pariq; modo Reum condemnatum, vt veneno pereat, non posse illud infundere; licèt possit os aperire vt infundatur. Et si serpentis morsu sit illi moriendum, non posse serpentem sibi applicare, ex eo quod actio hæc directè pugnet cum inclinatione communis naturæ, cùm quælibet res intendat se ipsam conseruare. Tum quia sicut nullus potest esse idoneus executor sententiæ mortis in Parentem ob reuerentiam illi debitam, & ob naturalem coniunctionem; ita nec in se ipsum.

24 Dixi in responsione nemini licere se ipsum directè occidere: nam iusta intercedente causa aliquando licitum est aliquid facere, vel omittere, vnde certò sciatur mors indirectè secutura. Ita P.Nau.l.2.c.3. num.73. Tolet. lib 5. cap.6. Less.lib.2.cap.9. dub.6.nu. 27. Et ratio est, quia non est præceptum homini, vt vitam suam semper conseruet, sed ne illam absquè causa periculo exponat, aut cõseruare omittat, quia tunc voluntariè, & ex intentione censeretur illam perdere.

Sic miles in periculo communi tenetur non deserere suam stationem, licèt certò sciat se esse occidendum.

Sic Reus potest non fugere ex carcere, licèt sciat se capite esse damnandum. Quinimò potest se vltrò offerre carnifici occidendum ex zelo iustitiæ, & exempli publici, vt habet P. Nau. loc.cit.

25 Sic condemnatus vt fame pereat potest à cibo abstinere clanculum porrecto; hoc enim non est directè se ipsum interimere, quia qui non manducat, nihil sibi infert, sed permittit tantùm calore interno vitam absumi. Ita Sotus l.5.q.6 art.4. Henricus quolibeto 5. q. 31. Quomodo autem casum hunc neget Vict. c. & ex altera parte concedat Reum posse obligari ad bibendum venenum, si ad hoc condemnetur, ipse viderit. Quoties enim possit venenum haurire ad illud ebibendum condemnatus; multò potiori ratione videtur posse à cibo abstinere is, qui fuit condemnatus, vt fame moriatur.

Sic si quis in extrema necessitate haberet tantùm idolothyta, posset illa non comedere, & mortem permittere. Sic si duo in extrema necessitate sint constituti, potest alter, qui habet panem, illum alteri cedere, quo se sustentet; habet enim pro iusta causa officium charitatis in Proximum. Ita Vict. supra relatus num.26. Toletus cit.

Sic potest quis obijcere se morti ad conseruandam vitam Principis; quinimò ad conseruandam vitam amici. Addit Tolet.cit. si amicus sit condemnatus ad mortem posse alterum se pro illo offerre occidendum. Intellige si iniustè fuisset condemnatus; si enim iustè, tunc non posset, quia diceretur alterum allicere ad peccatum.

Sic

Sic in naufragio poteſt quis alteri relinquere tabulam à ſe occupatam. Ita Vict. P. Nau. cc.

Sic poteſt quis inſeruire peſte infectis; licèt periculum immineat infectionis.

Sic Sampſon Iudicum 16., vt interficeret hoſtes Dei potuit euertere domũ, cuius ruina etiam ipſe fuit obrutus.

Sic ad euertendam turrim hoſtilem poteſt quis inijcere ignem in puluerem tormentarium, etiamſi certò ſciat, ſe ſtatim eadem ruina obruendum; hoc enim non eſt ſe ipſum directè interimere, ſed ignis ruinæ ſe ob iuſtiſſimam cauſam exponere.

Sic excuſantur Milites, qui in mari cum Turcis dimicantes, cum videant nauim in poteſtatem Turcarum venturam, communi conſenſu ignem pulueri inijciunt, & ſe mari dedunt, ne & ipſi, & nauis veniant in hoſtium poteſtatem; hoc enim faciunt, ne cum publico damno hoſtis naui potiatur.

Sic graſſante igne, ſi alia via non poſſit euadi, poteſt quis è ſublimi loco per feneſtram ſe ipſum deijcere, etiam cum certo vitæ periculo. Quos omnes caſus videre eſt apud Leſſium, & Toletum cc.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm in aliquibus caſibus licitum ſit ſe ipſum mutilare.

26 *Cauſa ſanitatis licita omnino eſt mutilatio membri.*

27 *Ad tentationes carnis vincendas non licet ſe mutilare.*

28 *Iubente Tyranno licitum eſt mutilare membrum ad mortem vitandam.*

29 *Sotus id verùm eſſe exiſtimat tantùm quando neceſſitas mutilandi membrum prouenit à cauſa intrinſeca.*

30 *Sententia Authoris verior, ſiue ea neceſſitas proueniat à cauſa intrinſeca, ſiue extrinſeca; ſiue neceſſaria, ſiue libera.*

26 NOn loquimur hoc loco de mutilatione facta poteſtate publica, vel cauſa ſanitatis. Suppono enim tanquam certum, & Magiſtratibus licere malefactores mutilare, & pariter vnicuiquè licere ad ſanitatem procurandam mutilare membrum: vt ſi vipera aliquem momorderit, vel cãcer membrum occupet. Addo teneri nos permittere: vt membrum illud mutiletur, quoties illius mutilationem exiſtimẽt medici eſſe neceſſariam, niſi fortè ingentes dolores, & cruciatus eſſent tolerandi; ad eos enim nullus tenetur, nec cogi poteſt, vt ſe ipſum conſeruet. Vnde extat dictum Martij, cum ei crus aperiretur [non eſt tanto dolore digna ſalus.] Si tamen eſſet perſona publica, cuius ſalus eſſet bono communi neceſſaria, tunc & teneretur, & cogi poſſet à Republica. Ita Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 14. Toletus lib. 5. cap. 6. num. 7.

Præſens ergo difficultas in duobus caſibus inſtitui poteſt. Primò vtrùm ad carnis tentationes vincendas licitum ſit ſe mutilare.

Secundò vtrùm ſit idem licitum iubente Tyranno, vt manum amputes, cùm alioqui ſis interficiendus niſi illam amputes.

27 Quoad primum reſpondeo illud nunquam licere. Ita expreſsè Canone 1. Concil. Niceni. Et ratio eſt, quia talis mutilatio nunquam eſt neceſſaria ad ſalutem animæ; non enim membra afferunt animæ perniciem, alioqui hæc eſſet Deo imputanda. Addo talem mutilationem nequè eſſe remedium vtile, aut conueniens; nam

talis mutilatio, seu castratio (de hac enim præcipuè loquimur) non impedit tentationes carnis, sed tantùm generationem. Quinimò SS. Patres, vt D.August. lib.6. contra Iulianum cap. 5.Basil.lib.de Virg.circa finem docent eos, qui castrantur, præsertim in virili ætate, magis incitari libidine.

Dices extare exêpla in contrarium, vt D.Marci, qui pollicem sibi præsciderit ex humilitate, ne cogeretur sacros Ordines suscipere. Pariter adolescentis cuiusdam, qui linguam sibi præsciderit, eamq; in faciem meretricis expuerit, vt defenderet se ab eius impuro contactu.

Respondeo Marcum illum Anacoretam (de hoc enim historiam esse referendam, non de Marco Euangelista, vt putarunt aliqui, docet Baronius l.1. ad annum 45.) vel inspiratione diuina hoc fecisse; vel certè ignorantia probabili excusari. Idemquè esse dicendum de adolescente illo: nisi fortè dicamus ad eam præscindendam motum fuisse, quia nullā aliam rationem defendendæ pudicitiæ videret sibi superesse. Sicut in extrema necessitate legimus aliquando Lusitanos milites dentes sibi excussisse, iisquè loco plumbeæ glandis vsos fuisse.

28 Quoad secundum. Vtrùm videlicet iubente Tyranno, vel Iudice licitum sit membrū aliquod, puta manum amputare ad mortem vitandam.

Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia pars ordinatur ad totum; Ergo licebit ad conseruationem totius partem amputare. Confirmatur, quia hæc membra non sunt ad salutem absolutè necessaria, sed tantùm ad ornatum, & commoditatem deseruiunt; Ergo poterunt hæc vltro amitti propter salutem totius. Addit Lessius citatus num. 101. non solùm licere hæc membra amputare iubente Tyranno, sed etiam absq; vllo præcepto, puta in casu, quo putaretur Tyrannum posse sic flecti ad misericordiam.

Dices nullus potest se ipsum occidere; Ergo nec mutilare.

Respondeo concesso antecedente negando consequentiam. Disparitas autem in eo est, quia occisio sui non potest esse medium necessarium, vel vtile ad saluandum aliquid, quod sit præstantius vita in ipso homine: cùm verò in homine sit aliquid præstantius membro, puta salus, & vita, ad quam membra omnia ordinatur; inde est, vt licita esse possit proprij membri amputatio.

29 Sotus lib 5.de iust.q.2.art.1.existimat tunc licere membrum aliquod, vt manum, nasum, vel aliud simile sibi mutilare, quando necessitas abscindendi membrum prouenit à causa intrinseca, vt à morbo, vel quando prouenit à causa extrinseca necessaria, vt à fera, vel si ad cratem ferream quis manu esset alligatus, & accederet incendium, vel hostis, tunc enim ad incendium, vel hostem euitandum concedit licere manum amputare, quia talis amputatio est per se necessaria ad cōseruationem totius vitæ. Secus verò esse in casu, quo necessitas mutilandi mēbrū proueniat ab alterius imperio.

30 Verùm nostra sententia mihi verior videtur, quam sequitur Tolet. cit. videlicet vndecunq; proueniat necessitas, siue à causa intrinseca, siue extrinseca, siue necessaria, siue libera, quoties alicuius membri mutilatio sit necessaria ad salutem totius corporis, licitum etiam esse illud amputare; liberum enim esse debet cuiquè ob salutem totius disponere de membris suis non necessarijs, quando illud aliter non possit esse saluum.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm aliquando liceat interficere innocentem.

31 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*

32 *Responsio est negatiua.*

33 *Posset tamen Respub. cogere innocentem ad eundem ad Tyrannum, illumquè renuentem accedere posset Tyranno tradere.*

34 *Quare non, posset Tyranno tradere Virginem, quam peteret ad violandum, & posset eidem tradere innocentem, quem peteret ad occidēdum.*

31 CAsus de quo quæritur hic esse potest. Tyrannus persequitur innocentem, sicut olim Constantius persequebatur Athanasium, & minatur excidium vrbi, nisi illum interimat. Quæritur vtrùm ad vitandum hoc commune malum, possit Respublica innocentem illum occidere.

32 Respondeo primò non posse occidi. Ita Exodi 23. [Innocentem, & iustum non occides.] Et ratio est, quia nullus homo habet dominium vitæ alterius, nisi vel ad necessariam defensionē, vel ad criminis punitionem.

Dices Respublica potest obijcere periculis vitam suorum ciuium propter communem salutem. Ergo etiam potest vitam alicui eripere, quando hoc esset necessarium ad salutem communem.

Respondeo concesso antecedente, negandam esse consequentiam. Primum enim potest facere, quia potest imperare iustam defensionem necessariam ad salutem Patriæ. Secundum verò, idest inferre mortem innocenti, non potest facere, quia hoc intrinsecè malum est.

33 Respondeo secundò posse in tali casu Rempublicam cogere innocentem, vt accedat ad Tyrannum, & si nolit accedere, posse illum Tyranno tradere. Ita Lud. Lopez par. 1. instruct. cap. 60. Petrus Nauar. l. 2. cap. 3. num. 120. Lessius l. 2. cap. 9. dub. 7. num. 38. Et alij. Probatur, quia in tali casu innocens ille ex præcepto charitatis, & pietatis in Patriam, & ex iustitia legali, tenetur exponere se morti, quoties certò sciat tali modo se auersurum calamitatem communem impendentem toti Reipublicæ; Ergo ad hoc potest cogi. Tum quia si Princeps esset in extrema necessitate constitutus, & priuata quædam persona haberet non nisi vnum panem, posset illo vi spoliari, etiamsi fame esset peritura; Ergo etiā poterit cogi, vt ad Tyrannum accedat, quoties hoc sit necessarium ad salutem Reipublicæ. Contrariam tamen sententiam sustinent Sotus, & alij.

Dices primò tradere innocentem Tyranno est cooperari morti innocētis; sed hoc non licet; Ergo nec illud.

Respondeo hoc non esse cooperari morti innocentis, cùm hoc faciat ad communem conseruationem.

34 Dices secundò si Tyrannus peteret Virginem ad violandum, non posset Respublica illam tradere; ergo nec potest tradere innocentem, si illum petat ad occidendum.

Respondeo disparitatem esse in eo, quia in casu de virgine, virgo non tenetur ire ad Tyrannum propter periculum animæ. Vnde est, vt neq; possit cogi. At verò innocens ex præcepto charitatis erga Patriam tenetur ad Tyrannum accedere. Vnde est vt Respublica possit illum cogere, vt accedat; & nisi accedat, possit illum Tyranno tradere.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm aliquando licitum sit alterùm occidere ad propriæ vitæ defensionem.

35 *Responsio est affirmatiua concurrentibus tamen quatuor conditionibus.*
36 *Quid si aggressor sit Princeps, & aggressus sit persona parum vtilis.*
37 *Enumerantur conditiones requisitæ.*
38 *An tenear fugere si possim.*
39 *Quo modo explicandi nonnulli SS. Patres, qui videntur docere modũ hunc defensionis non esse licitum.*
40 *In ipsa defensione, an liceat intendere mortem aggressoris.*
41 *An occisio hæc dicatur facta publica auctoritate.*

35 RESpondeo licitum esse occidere iniustum inuasorem, ob defensionem suæ vitæ, & integritatis membrorum; concurrentibus tamen quatuor conditionibus. Ita Vict. relect. de hom nu. 17. Sotus lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 8. Gomez, Couar. quos citat Less. l. 2. cap. 9. dub. 8. Et probatur, quia licitum est vim vi repellere, vt ait Alexander Tertius capitulo, si verò 1. de senten. excommu. Innocentius Tertius Cap. significasti 2. de homicid.

Vnde inferas hoc omnibus esse licitum, puta Laicis, Clericis, Monachis, & contra quoscunquè, etiam contra Superiores, puta Monacho cõtra Abbatem, seruo contra Dominum, Filio contra Parentem, subdito cõtra Principem. Addo cum eodem Lessio hoc licere, in quocunquè officio ille, qui inuaditur sit occupatus, vt si Sacerdos aggressus celebret; is enim ad se tuendum potest inuasorem occidere, & postea sacrificium continuare.

36 Dices quid si aggressus sit persona parum vtilis, & aggressor sit Princeps, vel persona valde vtilis, teneretur ne aggressus potius mortem pati? Respondet absolutè Sotus teneri. Ego verò respondeo teneri tantùm in casu, quo ex morte aggressoris timeretur magnum Reipublicæ damnum, vt bella ciuilia ob successionem, & similia. Ita Less. loc. cit. num 42.

37 Dixi in responsione, concurrentibus tamen quatuor conditionibus; quarum prima est. Vt occisio non fiat post factum, idest postquam aggressor destitit à percussione. Et ratio est, quia tunc esset vltio, non defensio; facienda ergò est in ipso actu aggressionis, seu percussionis.

Secunda est, vt inuasor sit iniustus, idest iniustè inuadat, & vim inferat. Et ratio est, quia in tantum licitum est iure naturę vim vi repellere, in quantum vis infertur; Si ergo vis nobis non inferatur, nequè nos possumus vim alteri inferre. Quare bene monet Mol. tom. 4. tract. 3. disp. 11. num. 2. nos non posse illum occidere, de quo habemus vehementem suspicionem, quod nobis mortem paret, nisi fortè monitus nollet desistere ab ijs, quæ de se sufficiunt ad ingerendam magnam suspicionem mortis.

Tertia, vt inuasus probabiliter credat, se vel grauiter lædendum, vel occidendum, nisi vim vi repellat.

Quarta, vt seruetur moderamen inculpatæ tutelæ. Tunc autem dicitur seruari moderamen inculpatæ tutelæ, quando adhibetur ea moderatio, & cautio, sine qua non potest depelli iniuria; seu quando illud tantùm fit, quod est necessarium ad vitam tuendam, & conseruandam. Vnde est, vt ille, qui adhibet maiorem vim, quàm sit necessarium pro vitæ conseruatione, ille

non

non dicatur seruare moderamen inculpatæ tutelæ; vt si grauiter percutiat iniustum aggressorem, cùm tamen ab illo possit se tueri leui percussione.

38 Ex quibus constat si Titius me iniustè aggrediatur, & ego possim sine periculo, vel ignominia fugere, teneri fugere ex charitate, vt graue damnum in me, vel in meo proximo euitem. Quare Ecclesiastici, Religiosi tenentur fugere, quia fuga hęc non adscribitur illis ignominiæ, sed laudi; cùm illorum laus non sit posita in armis, & audacia, sed in pietate, ac humilitate; humiliter enim sensisse honorificum magis illis est, quàm fortier egisse. Hoc tamen verum est, quòd si nollent fugere, sed inuasorem occiderent, non tenerentur ad restitutionem; dummodo illum occiderent iusta moderatione seruata; incurrerent tamen irregularitatem.

Obijcies primò Matthæi 26. vbi Christus Petro volenti se, & ipsum defendere, ita respondit, [omnes qui acceperint gladium gladio peribunt.] Ergo ad vitæ defensionem non licet occidere inuasorem.

Respondeo, vel Diuum Petrum fuisse reprehensum, quia illa defensio habebat potius speciem vindictæ, quàm defensionis, cùm non esset probabile tantam turbam tali modo posse repelli; vel quia Christus non habebat opus tali defensione; vel quia hoc erat contra Patris æterni voluntatem, qui volebat, vt Christus Iudæorum iræ subiaceret.

Obijcies secundò verba D. Pauli ad Romanos 12. [non vos defendentes charissimi &c.

Respondeo verbum illud, defendere, eo loco accipi pro vlcisci.

Obijcies tertiò plus tenemur diligere salutem spiritualem Proximi, quam vitam nostram corporalem; Ergo pro hac conseruanda non licet occidere Proximum, quia alioqui exponitur periculo salutis animæ.

Respondeo negandam esse consequentiam. Et ratio est, quia in nostro casu Proximus est ipse, qui conijcit se in hoc discrimen ex sua mera malitia, à quo potest se liberare si velit, vt proinde totum hoc damnum sibi debeat imputare.

39 Obijcies quartò possent aliæ auctoritates Sanctorum Patrum, qui videntur insinuare modum hunc defensionis non esse licitum. Verum ij intelligendi sunt, vel de vindicta, vel de defensione non necessaria, vel de periculo excessus odij, iræ, & debitæ moderationis.

40 Difficultas maior est, vtrùm in ipsa defensione liceat intendere mortem aggressoris, an verò solam defensionem.

Respondeo licitum esse in ipso actu defensionis intendere omne id, quod est necessarium ad vitæ defensionem, & consequenter ipsam mortem inuasoris. Ita Nauar. cap. 15. num. 3. Vict. loco superiùs cit. D. Anton. 3. par. tit. 4. cap. 3 §. 1. Less. cit num. 53 Et ratio est, quia si hoc nõ liceret, sæpissimè defensio sui esset impossibilis: sæpè enim cõtingere potest, vt quispiam non possit ab inuasore se defendere, nisi vulnus lethale infligat, vt sclopo, vel hasta. Quare quando asserit D. Tho. non licere intẽdere mortem inuasoris, ita est intelligendus, quod non liceat priuatæ personæ desiderare, vt inuasor absolutè moriatur, cùm hoc non sit necessarium ad sui defensionem: sufficere enim potest, si ille viribus destitutus ita cadat, vt amplius non possit lædere.

41 Quęres an occisio hęc dicatur facta publica auctoritate, an verò priuata?

Respondeo, dici factam priuata auctoritate, eo videlicet iure, quod quilibet habet quatenus est custos rei suę, & à quo habet vt possit vim vi repellere.

DIFFICVLTAS IX.

An licitum sit præuenire eum, qui paratus est iniustè aggredi.

42 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*

43 *Non licet nisi moraliter sit inchoata aggressio.*

44 *Vxor adultera, quæ certò scit maritũ esse paratum pro ea occidenda, an possit præuenire.*

45 *Qui scit sibi paratum venenum, an illud conuertere possit in auctorem.*

46 *Vxor quæ scit Maritum parasse sub ceruicali pugionem ad illius necem, an possit præuenire.*

47 *An possim præuenire eum, qui per seruum, vel sicarium statuit me occidere.*

48 *Quid si periculum non esset ita proximum, sed paulo remotius.*

49 *An possim præuenire eum, qui accepit consilium de me occidendo.*

50 *An malefica quæ per Dæmonẽ nocet possit verberibus cogi ad desistẽdum.*

51 *An aliquando possit acceptari duellũ.*

52 *An liceat præuenire eum, qui testibus subornatis meam vitam oppugnet in indicio.*

53 *Refertur sententia affirmans.*

54 *Sententiam hanc licèt speculatiuè probabilem putet, in praxi tamen non approbat Author.*

42 CAsus de quo quæritur in hac difficultate hic est. Titius statuit, & parauit arma ad me occidẽdum, & ego certò scio illum parasse arma in hunc finem. Quæritur vtrùm possim illum præuenire ad euadendum hoc periculum.

43 Respondeo nunquam licere præuenire iniustum inuasorem, antequam ipse saltem moraliter inchoauerit actum aggressionis. Ita Nauar. cap. 15. num. 3. Less. lib. 2. cap. 9. dub. 8. num. 45. alijq; Doctores citandi. Et ratio est, quia non licet alium præuenire nisi vis inferatur; ideò enim talis occisio est licita, quia est potius defensio, quàm occisio; non potest autem esse defensio, nisi vis aliqua inferatur. Sed ante omnem actum aggressionis nulla vis infertur; Ergo ante omnem actum aggressionis non possumus præuenire.

Debet igitur saltem moraliter esse inchoatus actus aggressionis, & tunc licitum postmodum est præuenire aggressorem ad vim depellendam. Tunc autem dicitur moraliter inchoatus actus aggressionis, quando iniustus aggressor habet omnia prompta ad occidendum, vel constituit se in loco, in quo decreuit occidere.

Vnde patet solutio difficultatis; in tali enim casu possem illum præuenire, quoties mihi constaret illum animo reuoluere mortem meam.

44 Ex quibus inferas primò vxorẽ adulteram, quę certò scit maritum esse conscium adulterij, posse maritum occidere, quoties sciat illum esse de Proximo paratum pro ipsa occidenda. Secùs verò si ille nondum se parasset, sed vxor ipsa sibi mortem tantùm timeret.

45 Secundò eum, qui scit sibi paratum venenum, posse illud in auctorem conuertere, quoties alia ratio euadendi non superfit. Ita Cord. lib. 1. quæst. 38.

46 Tertiò vxorem, quæ scit maritum collocasse sub ceruicali pugionem ad illius necem, posse pręuenire, & maritum occidere, si alium remedium nõ superfit.

superſit. Et ratio eſt, quia licèt actu necdum inuadat, parat tamen inuadere, & illam tenet obſeſſam, vt aliter non poſſit euadere. Vnde actus aggreſſionis dicitur moraliter inchoatus. Ita Nauar. loc. cit.

47 Quartò me poſſe illum præuenire occidendo, qui per ſeruum, vel ſicarium ſtatuit me occidere, nec alia ſpes eſt euadendi. Quod ſaltem intellige in caſu quo periculum ſit præſens, vt ſi actu me aggrediatur per ſeruum, vel ſi actu mandet, vel ſuadeat ſeruo, vt me nunc aggrediatur. Et ratio eſt, quia nihil intereſt, vel per ſe, vel per alium me inuadat, vel conetur inuadere. Ita Leſſ. loc. cit. num. 46.

Dices quid ſi periculum non ſit ita præſens, ſed magis remotum, vt ſi Titius coniuraſſet in meam mortem, & rem cum ſicarijs ageret, vt quærerent opportunitatem me occidendi: vtrùm in tali caſu poſſem præuenire.

48 Reſpondent Bannes, & alij recentiores, inſidiatorem hunc eſſe monendum, vt deſiſtat, ac demum ſi nulla ratio ſuperſit euadendi periculum, me poſſe illum præuenire, ex eo quod non tenear perpetuò me intra domum includere, vel in exteras regiones abire, vt periculum euadam. Et hæc ſententia mihi videtur ſine vllo ſcrupulo poſſe ſuſtineri, dato quod ille ita inſidietur vitæ meæ, vt non poſſim alio modo euadere. Modum tamen hunc in praxi non probat Leſſ. ex eo quòd putet rarò poſſe contingere, vt non adſit alia ratio mortem euadendi.

49 Quintò me non poſſe occidere illum, qui tantummodo accepit ab altero conſilium me occidendi. Et ratio eſt, quia hic necdum dicitur aggreſſor, & alio modo poſſum periculum euadere. Ita Nau. cit.

50 Sextò poſſe maleficam, quæ poſitis certis ſignis magicis aſſiduè per Dęmonem noceat cogi verberibus ad deſiſtendum, quando aliud remedium non ſuppetat, ad hoc vt ceſſet ab iniuria; dummodo tamen certò conſtaret eam eſſe cauſam mali, & putaretur ſine nouo maleficio poſſe tolli prius maleficium. Et ratio eſt, quia nihil intereſt, an illa per ſe, an per Dęmonem tanquam per miniſtrum noceat. Ita Leſſ. cit. num. 48.

51 Septimò poſſe acceptari duellum, quando hoc eſt neceſſarium ad vitæ defenſionem, nec aliud adſit remedium contra iniuſtum inuaſorem: vt ſi inimicus armatus me inueniens, me velit occidere, niſi arma capiam, & cum illo contendam. Addo ſi ſim inermis me poſſe illum rogare, vt mihi permittat arma. Et ratio eſt, quia hæc eſt vera defenſio vitæ. Ita Nau. cap. 11. num 39 & cap. 15 num. 9. Ang. v. duellum nu. 2. Vnde in hoc caſu nulla contrahitur excommunicatio, vt patebit ex dicendis inferiùs.

52 Maior difficultas eſt, an liceat illum præuenire, qui falſis criminationibus, teſtibuſq; ſubornatis vitam meā oppugnet in iudicio; vt ſi mihi imponat culpam ſacrilegij, falſarij, vel criminis nefandi; vel ſi falſum teſtimonium contra me apud Iudicem deponat, propter quod ego infamabor, vel certè amittam mea bona, aut capite damnabor.

53 Reſpondet affirmatiuè Bannes. Et Petrus Nau. lib. 2. cap. 3. num. 361. ſentētiam hanc putat eſſe probabilem, cui etiam fauet Caiet. quæſt. 95. art. 8. ad 3. Probari autem poteſt. 1. quia nihil intereſt an gladio tuo me inuadas, an alieno: in noſtro autem caſu calumniator ille diceretur inuadere gladio Iudicis. Secundò ſi dominus aduocaret ſeruos, vt me occiderent,

rent, nec aliud remedium suppeteret, possem præuenire dominum, vt desisteret à vocatione seruorum; Ergo pari modo cùm calumniator ille aduocet Iudicem, vt me occidat, potero illum præuenire.

54 Ego verò respondeo cum Les. num. 47. sententiam hanc speculatiuè loquendo esse quidem probabilem; nō tamen in praxi admittendam propter incommoda multa, quæ sequi possunt; nam facilè homines sibi persuaderent se per calumniam accusari, neq; aliud adesse remedium, seu refugium, quàm mortem calumniatoris. Vnde multæ cædes iniustæ committerentur. Tum quia qui falsum testimonium dicit, ille non dicitur aggressor vitæ, vel vim inferre, sed potius dicitur peccare contra iustitiam. Demum hic in Republica bene constituta puniretur tanquam homicida; Ergo &c.

DIFFICVLTAS X.

An si is, qui inuaditur non possit se defendere, nisi cum periculo innocentis, quo inuasor se protegit, possit se cùm tali periculo tueri.

55 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*
56 *Responsio est affirmatiua.*
57 *An si possit fugere, teneatur. Et an possit directè intendi mors innocentis.*
58 *Quid illi faciendum, qui equo insidens fugere non possit, nisi puerum innocentem proterendo.*
59 *Quid si ageretur de morte innocentis non baptizati.*

55 HViusce difficultatis casus hic esse potest. Titius paratus ad occidendum, me ipsum aggreditur; ego verò non possum me ab illo tueri; nisi cum periculo alterius innocentis, puta mulieris, vel pueri, quo se protegit. Quæritur, vtrùm cum tali periculo possim me ab illo defendere.

56 Respondeo affirmatiuè. Ita Cord. lib. 1. q. 33. Petrus Nauar. l. 2. cap. 3. nu. 147. Et ratio est, quia qui iniustè inuaditur habet ius se defendēdi, quod ius non amittitur propter illam interpositionem innocentis. Tum quia, qui vrbem iustè obsidet, potest tormenta explodere in turrim, quoties hoc ad victoriam sit necessarium, etiamsi hostes ibi alligassent aliquos innocentes; vt communiter sentiunt Doctores; Ergo pari modo ad vitæ meæ defensionē possum ferire aduersarium, etiamsi ille obijceret innocentem.

57 Duo tamen aduertenda sunt. Primum est, si possum fugere, me ad hoc teneri saltem ex charitate, ne interficiam innocentem.

Alterum est, me non posse directè impetere innocentem, vt eo sublato faciliùs superem aduersarium; posse tamen impetere ipsum aduersarium, etiamsi ante se teneat innocentem.

58 Dices si fugiens hostem non possis euadere periculum, nisi transeundo per angustam viam, vbi protérendus sit infans, vel claudus, non potes illac fugere, vt te salues; Ergo cum periculo innocentis nōn potes te tueri ab iniusto inuasore.

Respondeo negando antecedens. Eadem enim militat ratio in hoc casu, quæ in superiore. Tum quia ius habes ad fugam via publica, quo iure non potes priuari in tanto periculo ratione infantis, vel claudi ibi constituti. Sufficit ergo, quod in tali casu eam circumspectionem adhibeas, quam pro tempore, & loco potes adhibere ne noceas. Quod si mors sequatur non dicitur

citur

citur à te intenta, sed tantùm permissa, cùm vtaris iure tuo extremè tibi necessario. Ita Cord. lib. 1. quæst. 38. dub. 2. Et ex Caiet. aperte colligitur q. 67. art. 2. vbi dicit, occidere innocentem per accidens dando operam rei licitæ, & necessariæ non esse contra ius naturale, diuinum, vel humanum. Quidquid in contrarium sentiat P. Nauar. in casu quo nulla spes probabilis adsit, vt mors innocentis possit vitari.

59 Hoc tamen verum est, quod si ageretur de morte infantis non baptizati, in tali casu teneretur inuasus ex præcepto charitatis permittere se occidi, ex eo quod salutem spiritualem Proximi teneretur anteponere vitæ suæ corporali.

DIFFICVLTAS XI.

An liceat occidere furem ad defensionem suarum fortunarum.

60 *Tam Clericis quàm Laicis licitum est occidere furem in defensionem suarum fortunarum.*

61 *Debent tamen eæ esse magni momenti.*

62 *Necessarium etiam est, vt nulla alia sit spes illas recuperandi.*

63 *Responsio valet de Clericis omnibus, etiam Religiosis.*

64 *Fur fugiens cum re modici momenti non potest occidi.*

65 *Si res ablata possit per Iudicem recuperari, non potest fur occidi.*

66 *Referuntur varij casus, in quibus licita est huiusmodi defensio.*

67 *An Dominus rei possit ingredi domum furis, & rem suam ibi extantem per vim recuperare.*

68 *An is, qui occidit furem cùm possit per Iudicem rem suam recuperare, peccet contra iustitiam.*

60 Respondeo licitum esse tam Clericis, quàm Laicis occidere furem in defensionem suarum fortunarum, quoties eę sint magni momenti, nec sit probabilis spes illas recuperandi. Ita D. Ant. 3. par. tit. 4. cap. 3. §. 2., Sylu. v. hom. 1. num. 5., Med. cod. de restit. q. 4., Sotus lib. 5. q. 1. art. 8. Et est communior Doctorum. Probatur ex Capitulo interfecisti 2. de hom.; Capit. olim. 1. de rest. spoliatorum. Et ex Capit. Dilecto 6. de sentent. excom. in 6. Ratione verò sic. Bona temporalia necessaria sunt ad conseruationem vitæ. Sed licitum est vitam tueri, vt superiùs diximus, etiam cum morte inuasoris; Ergo & bona temporalia; alioqui præberetur occasio latronibus spoliandi quoscunq; vellent.

61 Dixi autem primò quoties eæ sint magni momenti. Et ratio est, quia pro re minima non videtur licitum hoc ius defensionis cum tanto damno Proximi, vt si furem velles occidere pro pane seruando, vel etiam pro nummo aureo. Quando autem res dicatur parui momenti, pensanda est personæ circumstantia. Si tamen cederet in tuū dedecus rem paruam à fure non repetere, tunc posses pro illa repetenda furem occidere, quia hoc non tam est rei, quàm honoris defensio. Ita Less. l. 2. cap. 9. num 68.

62 Dixi secundò nec sit probabilis spes illas recuperandi. Si enim alia via recuperare illas possis, puta per Iudicem, teneris tali modo vti.

63 Dixi tertiò etiam Clericis. Omnibus enim concessa est defensio rerum, quibus est concessa defensio vitæ. Et hoc colligitur euidenter ex Cap. olim, & Cap. Dilecto supra cit. Vnde hoc idem ius extenditur ad Religiosos.

64 Ex quibus inferas primò non posse furem interfici, quando fugit cū

re

re modici momenti. Si verò fur re magni momenti accepta fugiat,me posse insequi, ac ferire;ac si necesse sit, eminus telo petere, vt si equo meo fugeret. Ita Sylu. v. bellum 2.n. 3.& 10. Et ratio est,quia inuasio rei durat, donec fur se in tutum receperit, vbi incipiat quietè possidere.

Secundò si re certo loco deposita quispiam velit ingredi in illum locum, vt eam furetur, me posse vim vi repellere, quoties desit Iudex, cuius ope possim rem meam recuperare.Ita Sylu. l.c.nu.13.

65 Tertiò si fur re ablata fugiat,& per Iudicem possim illam recuperare; si occidam pro ea recuperanda, me peccare saltem contra charitatem. Secus verò esset,si fur re ablata non fugeret, sed vellet se per vim tueri contra me nitentem furtum impedire; tunc enim possem vim vi repellere quantum necesse esset, vt res mea salua remaneret, etiamsi per Iudicem eam possem recuperare. Et ratio est, quia charitas non præcipit, vt patiar res meas capi in mea præsentia;hoc enim cederet in maximam mei contumeliam. Ita Less. cit. num *69*.

66 Quartò ad hosce casus omnes se posse extendere hanc defensionem; vt si coniuraueris in mea damna ; si iniustè impedias meos creditores, ne mihi satisfaciant : Si res meas inuadas per seruum , vel Dæmonem arte magica, nequè damnum hoc possim alio modo impedire. Ita Less num.75.

Demum si vi possideas rem meam, me posse illam recuperare incontinenti, nec te posse mihi resistere. Si possideas precariò , & ego velim eam mihi restitui.Si deneges restitutionem, posse me ex continenti vim tuam repellere , nam denegando videris spoliare. Si possides rem meam clandestinè, me posse domum tuam ingredi; quod si nolis me admittere , posse me vim tuam repellere. Ita Io. à Lignano. Quæ eadem referuntur à Sylu.l.c.n.10.

67 Ac quidem quod aliquando liceat domino ingredi domum furis , & rem suam per vim contra furem repugnantem recuperare , quandò dominus non potest alia via illam recuperare , hoc idem sentit Vasq. cap. 5. de rest. §. 1. dub. 8. nu. 43 , dummodo tamen eadē res in indiuiduo extet apud furem, vt idem equus, bos,pallium. Et ratio est,quia quamdiù fur detinet rem meam dicitur inuadere , & facere mihi iniuriam. Secus verò esset, si res non extaret in indiuidio apud furem , tunc enim, quia fur esset dominus, actio illa diceretur potius aggressio , quam defensio.

68 Quæres an peccem contra iustitiam , quoties res sit recuperabilis per Iudicem , & ego furem fugientem interficiam.

Respondeo me quidem peccare cōtra charitatem,quæ dictat, vt cum minimo malo Proximi rem meam recuperem , non tamen contra iustitiam , quia dum fur fugit , ego nondum censeor priuatus potestate rei meæ, & aggressio censetur adhuc durare; quamdiù autem sum in possessione, possum cum iusto moderamine res meas defendere sine læsione iustitiæ. Ita Less. cit.num 71. qui sententiam hanc putat veriorem.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm pro defensione pudicitiæ, & honoris licitum sit eum occidere, qui tentat violare.

69 Licitum est cuilibet occidere inuasorem pro defensione pudicitiæ.

70 Viro

70 *Viro honorato licitum est occidere inuasorem inferentem ignominiam quoties hac non possit alio modo repelli.*

71 *Licitum est occidere impingentem alapam ad ignominiam auertendam.*

72 *Hoc ius defensionis licitum esse erga eum qui cõtumeliosè per verba, vel signa agat, docent nonnulli. Hanc tamen sententiam in praxi damnat Author.*

73 *Si illata alapa viro honorato statim inuasor fugiat, potest inuasus ad honorem recuperandum repercutere.*

74 *Contrarium tamen pro praxi esse suadendum docet Author.*

75 *Si fuste, vel alapa quis inuadatur non tenetur fugere, quoties fuga sit illi ignominiosa. Quod si non sit ignominiosa, ad id tenetur ex præcepto charitatis.*

69 RESpondeo primò licitum esse mulieri, adolescenti, & cuiuis alteri occidere inuasorem pro defensione pudicitiæ. Ita communiter Doctores ex Less. l. 2. cap. 9. dub. 12. Et ratio est, quia pluris valet pudicitia, quàm propriæ fortunæ, & opes: Sed pro defensione fortunarum licitum est occidere inuasorem; Ergo etiam pro defensione pudicitiæ, & honoris. Præterquãquod in amissione pudicitiæ adest periculum peccati.

70 Respondeo secundò licere viro honorato occidere inuasorem inferentem ignominiã, quoties illa ignominia non possit alio modo repelli. Ita Nau. cap. 15. num. 3. Sylu. v. hom. 1. q. 5., Iulius Clarus §. hom. num. 26., vbi dicit periculum famæ æquiparari periculo vitæ. Ratio autem est allata, quia honor pluris apud homines æstimatur, quam ingentes diuitiæ: Sed ad vitandum damnum pecuniarum licitum est occidere inuasorem; Ergo etiam ad vitandam ignominiam.

71 Ex quibus inferas primò licere occidere inuasorem, qui baculum, vel alapam impingit, vt inferat ignominiam. Ita Nau. cap. 15. num. 3. Addo inuasum non teneri in simili casu fugere etiamsi possit, quoties fuga illi sit ignominiosa: non enim tenetur pati tantum incommodum.

72 Secundò licitum esse hoc ius defensionis erga illum, qui contumeliosè, siue per verba, siue per signa agat, etiamsi non percutiat, vel armis non vtatur. Et ratio est, quia illa defensio est licita, quæ necessaria est ad contumeliam depellendam. Sed in tali casu nullo modo posset depelli contumelia, nisi occidendo inuasorem, seu contumeliosum, vt suppono; Ergo &c. Intellige tamen, dummodo contumeliæ sint atroces.

Hanc sententiã speculatiuè quidem probabilem putat Less. cit. nu. 78. Verùm in praxi illam damnat. Alij verò putant eam sine vllo scrupulo posse sustineri. Ita P. Nau. lib. 2. cap. 3. num. 376. Et alij. Lessij tamen sententia tutior est.

73 Tertiò si illata alapa viro nobili, aut honesto, statim inuasor cesset, vel fugiat, adhuc posse inuasum repercutere, vel insequi fugientem ad recuperãdum honorem, quando aliter ille non possit recuperari. Ita Nau. cap. 15. nu. 4. Henriq. de irreg. cap. 10. Et probatur, quia si quispiam rem meam acceperit, & cum ea fugiat, potest a me percuti, vt eam restituat, quoties alio modo non possit recuperari. Sed qui ignominiam alteri intulit dicitur quodammodo honorem alienum secum deferre; Ergo poterit percuti, vt illum restituat: potest enim illum restituere, si vult, offerendo debitam satisfactionẽm. Tum quia alioqui daretur licentia

tia improbis, quamlibet ignominiam cuiuis inferendi.

Aduertendum tamen primò si inuasor post illam ignominiam, veniam petat, cum non posse offendi. Et ratio est, quia quantum in se est, & potuit, honorem restituit. Vnde si inuasus vellet ipsum percutere posset inuasor ab eo se tueri, vt rectè notat P. Nau. l. c.

Aduertendũ secundò percussionem hanc debere fieri incontinenti, videlicet dum læsio honoris adhuc veluti pendet, suspensis hominum iudicijs de fortitudine, & generositate personæ, cui fuit illata ignominia.

74 Atq; hoc modo explicata sententia speculatiuè loquendo videri potest maximè probabilis. In praxi tamen contrariam suaderem ad vitandam occasionem cædium, ac demum propter periculum excessus odij, & vindictæ; difficilè enim erit hominibus seruare moderamen inculpatæ tutelæ, quoties sciant licere inuasorem fugientem persequi, & percutere ad honorem recuperandum. Atq; ita sentit Less. c. num. 80.

75 Quartò si fuste, vel alapa quispiam me inuadat, non teneri quidem fugere, quoties fuga mihi sit ignominiosa. Si verò fuga non sit mihi ignominiosa teneri saltem ex præcepto charitatis fugere, vel alapam sustinere, vt tantum malum Proximi euitem. Vnde Ecclesiasticus, vel Religiosus non potest se tueri cum morte alterius ad alapam vitandam, maximè quando potest fugere. Et ratio est, quia fuga illi non est ignominosa. Ita Less. nu. 85.

DIFFICVLTAS XIII.

An licitum sit occultè interficere eum, qui falsis criminationibus alieno nomini detrahat apud Iudicem, vel Principem, vel viros honoratos, nec alio modo possit infamia depelli.

76 *Refertur sententia affirmans.*

77 *Author tamen contrariam putat pro praxi esse consulendam.*

76 RESpondet Bannes q. 64. art. 7. dub 4 sententiam asserentem licitum esse huiusmodi calumniatorem occultè interficere, esse probabiliorem, dummodo calumniator priùs moneatur, vt desistat. Et in eandem sententiam inclinat P. Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 375. Quinimò addit Bannes idem esse sustinendum, etiamsi crimen sit verum, sed tamen adeo occultum, vt non possit secundùm iustitiam legalem manifestari. Suaderi autem potest hæc sententia primò, quia si alapa meam famam velis violare, possum hanc infamiam armis depellere. Ergo idem potero, si eandem velis violare lingua, puta detrahendo. Tum quia contumeliæ possunt armis prohiberi; Ergo etiam detractiones. Demũ quia periculum famæ æquiparatur periculo vitæ. Sed ad euadendum periculum vitæ licitum est occidere; Ergo etiam ad euadendum periculũ famæ.

77 Hæc item sententia speculatiuè loquendo potest sustineri, & post factum admitti. In praxi tamen non est consulenda ad vitandam occasionem cædium: huius enim defensionis vsus vergeret in magnam perniciem Reipublicæ, quandoquidem i licò existimarent homines, etiam ex leui suspicione, se habere causam sufficientem occidendi eum, à quo sibi timerent cõtumeliam, vel periculum famæ. Ita Less. lib. 2. cap. 9. dub. 12. num. 82.

DIFFICVLTAS XIV.

An ad conseruationem famæ licitum sit acceptare duellum.

78 *Proponitur ratio dubitandi.*
79 *Sententia negans est omnino tenenda.*

78 RAtio difficultatis est, quia in quibusdam aulis Principum recusare duellum est maximè ignominiosum. Vnde si constet aliquem recusasse, ille nec potest amplius in aula comparere, nec vllam promotionem militarem sperare. Tum quia si quis velit me occidere, vel bona mea surripere, nec possim aliter me tueri, possum pro conseruatione meæ vitæ, vel fortunarum acceptare duellum. Ergo etiam pro conseruatione honoris, & famæ. Tum quia acceptare duellum non est intrinsecè malum, sed quid adiaphorum, quod bene, & malè fieri potest; Ergo si iusta causa intercedat poterit illud acceptari. Sed conseruatio honoris, & famæ est iusta causa; Ergo &c. Ac quidem hæc sententia spectando rationes videri potest probabilis.

79 Sed tamen respondeo nullo modo licere acceptare duellum, etiamsi aliqua infamia videatur imminere apud eos, inter quos viuitur. Et ratio est, quia Ecclesia sub grauissimis pœnis vetuit duellum, vt patet ex Trid. sess. 25. c. 19. de reform. Tum quia duellum non est medium ordinatum ad consulendum famæ, sed potius Triden. l. cit. declarat esse infames decertantes in duello. Tum quia is, qui offert duellum non dicitur inuasor meæ famæ, ita vt ille ipse nitatur me spoliare meo honore, ac propterea pro huius conseruatione possim illud acceptare: sed si famæ amissio sequitur, ea per accidens sequitur, & apud homines vulgares; nam apud homines Christianos, & pios nulla potest imminere iactura honoris. Tum quia alia ratione potest impediri. Primò si dicat se libenter illud acceptaturum, si per Ecclesiam liceret. Secundò illum experturum, quo cum negotium habeat, si ad pugnam prouocauerit, vbi primò fuerint obuij. Tertiò non esse hominis Christiani, neq; animi nobilis subire periculum perpetuæ infamiæ, quam incurrunt decertantes in duello; quod si alia ratione honesta simul congredi velit, se honori suo nunquam defuturum.

DIFFICVLTAS XV.

An Religiosus peccet contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur, si inuasorem occidat.

80 *Si res quam defendit sit magni momenti non peccat contra iustitiam occidendo.*

80 REspondeo verius esse Religiosum, vel Sacerdotem lædendo, aut occidendo inuasorem, non peccare contra iustitiam, & consequēter ad nullam restitutionem teneri, dato quod res, quam defendit sit magni momenti. Et ratio est, quia non tenetur ex iustitia fugere. Ita Iulius Clarus de hom. num. 31., quo loco generatim docet inuasum non teneri fugere, etiāsi possit; siue fuga dedecori sit, siue non; ac subdit sententiam hanc esse communem Iuristarum. Intellige tamen, ita vt non teneatur ex iustitia. Nam quando fuga non esset ignominiosa teneretur inuasus ex charitate fugere. Et hanc eandem sententiam sequitur Less. lib. 2. cap. 9. dub. 12. num. 86.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm pro defenſione alterius licitum ſit occidere inuaſorem.

81 *In ijs caſibus in quibus vitam noſtram poſſumus defendere, poſſumus etiam vitam Proximi.*

82 *Id verum eſt etiamſi ipſe inuaſus nollet ſe defendi.*

83 *In ijs caſibus, in quibus poſſumus defendere fortunas, pudicitiam, & honorem noſtrum, poſſumus etiam defendere pudicitiam, & honorem Proximi.*

84 *Proximus qui nobis ſit ſanguine coniunctus poteſt defendi etiam cum morte inuaſoris.*

85 *Maritus poteſt etiam cum morte inuaſoris defendere honorē ſuæ vxoris.*

86 *Quoties poſſumus defendere honorem Proximi, tenemur ſub mortali illum defendere.*

87 *Id tamen verum eſt, quando hoc poſſumus facere abſq; notabili noſtro incommodo.*

88 *Pro ſaluanda vita Proximi non tenemur exponere bona noſtra externa, quæ ad vitam conſeruandum ſint neceſſaria.*

89 *Cum probabili periculo vitæ ſuæ nullus tenetur defendere vitam hominis priuati. Nequè pro defenſione Parentis.*

90 *Pro defenſione bonorum externorum Proximi non tenemur vitam noſtram periculis obijcere.*

91 *Perſona priuata non tenetur defendere vitam alterius, quando illam non poteſt defendere abſquè morte inuaſoris. Quid ſi inuaſor ſit Parens, aut Princeps, vtrùm poſſit occidi.*

92 *An teneamur defendere vitam Proximi qui nolit defendi. Reſponſio eſt affirmatiua.*

93 *Recenſentur quatuor caſus, in quibus non tenemur.*

94 *An qui ex officio tenetur defendere vitam Proximi teneatur perſonam priuatam defendere etiam cum vitæ ſuæ periculo.*

95 *Quinam teneantur ex officio alios defendere.*

81 Reſpondeo primò in illis caſibus, in quibus poſſumus defendere vitam noſtram, poſſe etiam nos defendere vitam Proximi, quæ ab alio priuata auctoritate oppugnetur, etiam cum morte inuaſoris, quoties aliter non poſſit defendi. Ita communiter Doctores, vt habet Iulius Clarus §. hom. num. 27. & 28. Et ratio eſt, quia ſicut poſſumus tueri vitam noſtram, ita, & Proximi, qui charitatis, & naturæ vinculo nobis eſt coniunctus. Tū quia licitum eſt ſuſcipere partes innocentis, qualis eſt Proximus, qui iniuſtè in vita, vel bonis ſuis inuadatur. Et hoc verum eſt etiamſi inuaſus dederit cauſam inuaſioni; dummodo tamen ab ea ceſſauerit; hic enim cum ab inuaſione velit deſiſtere, dicitur innocens. Vnde eſt, vt poſſit defendi etiam cum morte inuaſoris.

82 Addo hoc idem eſſe dicendum, etiamſi ipſe inuaſus nollet ſe defendi, ſed vellet permittere ſe occidi; adhuc enim poteſt defendi etiam cum morte inuaſoris. Et ratio eſt, quia cum non ſit dominus ſuæ vitæ, non poteſt alijs ius defenſionis adimere. Ita Leſſ. l. 2. cap. 9. dub. 13. num. 88.

83 Reſpondeo ſecundò in ijs caſibus, in quibus licitum eſt defendere fortunas, pudicitiam, honorem noſtrum, poſſe etiam nos defendere, pudicitiam, honorem, fortunas Proximi.

Et

Et ratio eadem est cum superiore, quia videlicet est nobis vinculo charitatis, & naturæ coniunctus, & licitum semper est tueri innocentem.

84 Addo si sit nobis sanguine coniunctus, posse etiam cum morte inuasoris defendi; licèt ipse inuasus nollet se defendi. Et ratio est, quia iniuria, quæ fit personæ nobis coniunctæ redundat in nos ipsos. Ita D. Ant. 3. par. tit. 4. cap. 3 §. 2.

85 Vnde inferas maritum posse etiam cum morte inuasoris defendere pudicitiam, & honorem suæ vxoris; & patrem posse defendere pudicitiam, filiæ; licèt ipsa nollet se defendi. Et ratio est, quia iniuria illata filiæ redundat in patrem, & illata vxori redundat in maritum.

Obijcies hoc modo sequeretur maritum posse occidere vxorem volentem adulterari, quia quoties ipsa velit adulterari, infert iniuriam marito, à qua ipse potest se defendere.

Respondeo negando sequelam. Et ratio est, quia vxor non dicitur inuadere honorem mariti, sed suum tantùm prodigere. Sicuti pater potest quidem occidere furem suarum fortunarum, filium tamen illas prodigentem non potest occidere, quia ille non dicitur fur.

86 Respondeo tertiò non solum nos posse defendere vitam, honorem, & fortunas Proximi in ijs casibus, in quibus possumus defendere vitam, honorem, & fortunas nostras, sed etiam teneri sub mortali illas defendere, quando hoc possumus facere sine notabili nostro incommodo. Et ratio est, quia sub mortali tenemur consulere Proximo indigenti, qualis est innocens in periculo suæ vitæ, honoris, vel bonorum. Ita communiter Doctores.

87 Dixi quando hoc possumus facere sine notabili nostro incommodo. Ratio est, quia non tenemur defendere vitam Proximi cum periculo vitæ nostræ; lex enim charitatis nō ita strictè obligat; nisi fortè inuasus esset persona publica, cuius salus esset maximè necessaria bono publico; cùm enim bonum publicum præferendum sit priuato; inde est, vt illius vita etiam cum periculo vitæ nostræ sit defendenda.

88 Vnde inferas primò nos non teneri exponere periculo bona externa, quæ nobis sunt necessaria ad vitam saluandam pro saluanda vita Proximi. Secùs verò si ea non sint necessaria ad vitæ conseruationem; ijs enim, vt potè inferioris ordinis, præferenda esset vita Proximi.

89 Secundò neminem teneri cum probabili periculo vitæ suæ defendere vitam hominis priuati. Et ratio est, quia quilibet potest vitam propriam prę vita alterius priuati diligere. Addo neque pro defensione Parentis teneri vitam suam periculo exponere, quamuis hoc esset laudabile. Secùs tamen esset si esset persona publica, à qua boni publici conseruatio penderet. Ita Less. lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 90.

90 Tertiò non teneri nos vitam nostram periculis obijcere pro defensione bonorum externorum Proximi. Addo neque teneri etiamsi solius mutilationis, aut vulneris adesset periculum. Et ratio est, quia charitas non obligat cum tanto incommodo. Si tamen leuis tantùm iactura bonorum nostrorum immineret, tunc teneremur defendere bona Proximi: cuius iacturæ compensationem possumus semper petere ab eo, cuius bona defendimus, & si eam non possumus obtinere, possumus in bonis illius occultè facere.

91 Quæres primò, an persona priuata teneatur defendere vitam alte-

rius, quando illam non potest tueri sine occisione inuasoris.

Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia quando mala sunt paria, nemo tenetur alterum præ altero eligere. Tum quia nullus tenetur defendere vitam suam occidendo inuasorem, vt superiùs diximus; Ergo multò minùs tenetur defendere vitam Proximi cum occisione inuasoris. Addo si inuasor sit meus Parens, me non posse illum occidere, vt Proximum defendam, quia hoc repugnat pietati filiorum erga Parentes. Quod idem potiori ratione est dicendum si inuasor sit Princeps, à quo boni publici conseruatio pendeat. Ita Less. cit. num. 92.

92 Quæres secundò, an teneat defendere vitam Proximi, qui non vult defendi.

Respondeo me teneri, quoties hoc possim facere absquè notabili meo incommodo. Et ratio fuit superiùs allata, quia videlicet inuasus non est dominus vitæ suæ.

93 In quatuor tamen casibus non tenerer. Primus est, si inuasor esset persona publica, ex cuius morte immineret graue damnum Reipublicæ. Quinimò in hoc casu neq; liceret inuasum defendere. Et ratio est, quia cum ipse inuasus non possit illum occidere; inde est, vt neq; alter possit inuasum defendere cum morte inuasoris.

Secundus est si inuasor esset meus Parens; non enim mihi liceret inuasum defendere cum morte proprij Parentis.

Tertius si inuasus licitè permitteret suam mortem, seu ex licita causa permitteret se occidi. Vt si pro defensione fidei esset subiturus martyrium: in tali enim casu non tenerer illum eripere è manibus Tyranni, etiamsi commodè possem. Et ratio est, quia sicuti ille non peccat si permittat se occidi, ita neque ego pecco si illius mortem non impediam, etiamsi possim.

Quartus, quando inuasus non vult defendi, ne sequatur mors inuasoris, quæ necessariò esset secutura, quoties vellet se defendere. Et ratio est, quia nullus tenetur Proximum defendere in casu quo defensio illa sit necessariò coniuncta cum occisione inuasoris, vt diximus.

94 Quæres tertiò, an si quispiam teneatur ex officio defendere vitam, vel fortunas Proximi, qualis esse potest Prætor, Magistratus, teneatur etiam illum defendere cum periculo vitæ.

Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia officium non obligat, vt pro bono priuato vitam exponat, sed tantùm pro bono publico, cuius propriè, & directè est custos. Vnde tenetur quidem vitam periculis obijcere, vt hostes Reipublicæ è medio tollat, non verò vt vitam alicuius priuati defendat. Ita Less. cit.

95 Quæres quartò quinam teneantur ex officio alios defendere.

Respondeo teneri primò omnes Superiores ad aliorum gubernationem publica auctoritate præditos, quales sunt Principes, Prætores, Magistratus iuxta modum, & finem suæ gubernationis. Pariter Episcopos, Parochos; nam & hi quoq; tenentur defendere subditos suæ curæ commissos, sed in ordine solùm ad spiritualia, puta ne subditis sacramenta negentur, ne praua doctrina inficiantur &c. Similiter qui ad aliorum gubernationem auctoritate Principis, vel Magistratus sunt specialiter constituti, quales sunt Tutores, Curatores. Præterea eos, qui ad hoc specialiter sunt conducti, vt Milites. Demum verò eos, qui ad hoc implicitè, vel explicitè se obligarunt, vt

Feuda-

Feudatarij, Famuli. Alij verò non tenentur ex lege iustitiæ; Parens enim erga filium tenetur tantùm lege pietatis: similiter filius erga Patrem. Parochiani erga Episcopum, vel Parochum lege tantùm obseruantiæ. Subditi verò, qui neq; sint stipendiarij, neque Feudatarij non tenentur erga Magistratum, vel Principem lege iustitiæ particularis, sed tantùm legalis, & etiam obseruantiæ.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam incidant in hunc casum.

96 *Quodnam homicidium sit reseruatum.*
97 *Homicidium quadrupliciter potest esse voluntarium.*
98 *Regula generalis est, ad hanc reseruationem incurrendam requiri vt homicidium sit voluntarium in se, vel in causa proxima.*
99 *Incidit in casum qui aliquem malo animo, & priuata auctoritate occidat.*
100 *Item qui aliquem etiam volentem occideret.*
101 *Qui per insidias, & proditoriè alium occidit.*
102 *Qui venenum alicui præbet ita, vt moriatur.*
103 *Qua ratione venefici incidant in reseruationem latam in homicidas.*
104 *An incidant in hunc casum ij, qui ad amorē captandum præbent tale medicamentum, quod demum est mortis illatiuum. Affirmant aliqui.*
105 *Sententia Auctoris.*
106 *Incidit in casum procurator abortus fœtu animato, & effectu secuto.*
107 *Incidit qui grauiter ita vulneret, vt sciat ex tali vulnere mortem sequi.*
108 *Quid si intendisset grauiter vulnerare, sed tamen mortem nullo modo intendisset.*
109 *Qui de industria carceratum aliquem propria auctoritate occideret, etiāsi per Iudicis sententiam esset occidendus, adhuc tamen ligaretur hac reseruatione.*
110 *Incidit in casum, qui in duello aliquem occidat.*
111 *An incidat is, qui alterum grauiter vulneret, sed alter superueniens nouum vulnus infligat, ratione cuius moriatur.*
112 *Quid si certum esset ex primo vulnere debere mortem sequi, vtrùm incideret is, qui primum vulnus inflixisset.*

96 ANtequam ad casuum decisionem veniamus. Aduertendum primò, casum hunc si verba spectemus diuersimodè quidem videri reseruatum, nam in Conc. Prou. 1. tit. de ijs, quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, & actorum par. 6. pagina mihi 994 tit. Casus, & Censuræ ex Concilijs Prouincialibus, & Diœcesanis nostris, habetur, Homicidæ voluntarij. Alibi verò, qui homicidium commiserint. Cœterùm vtriusquè reseruationis sensus est idem: quoties enim simpliciter fiat reseruatio homicidij, intelligenda semper est de voluntario, idest de eo quod studiosè, appensatè, malo animo, ex proposito, & data opera committitur. Vt in simili diximus de incendiarijs Est enim delictum in quo de sua natura requiritur dolus, Bartolus in leg. 1. § non autem ff. si quis test. liber. Ex quo infertur, statutum imponens pœnam mortis pro homicidio intelligi debere de doloso, non verò de culposo, & multò minùs casuali. Vt bene Baldus, & Salycetus in leg. 2. cod. de noxali, Decius cons. 234. num. 5. & 6. Felynus cons. 48. num. 18. Quòd si additur ea particula,

voluntarium, hoc fit ad faciendum casum magis clarum. Vt bene Graff. in praxi lib. 1. cap. 14. de hom. num. 4., vel certè ad excludendum illud homicidium, quod fit calore iracundiæ, vel quod fit ad necessariam sui defensionem. Vt docet Graff. cit. num. 5. Belloch. de cas. reser. par. 2. q. 6. num. 5.

97 Aduertendum secundò homicidium quadrupliciter posse esse voluntarium.

Primò, si in se voluntarium sit, quale illud est, quod malo animo, & deliberato committitur.

Secundò voluntarium in causa proxima: vt si quispiam velit lethaliter aliquem vulnerare; cùm enim vulnus lethale sit causa proxima homicidij, porrò qui illud intendit, dicitur etiam intendere homicidium in causa proxima.

Tertiò voluntarium in causa remota, vt si quis in ebrietate præuideat homicidium: ebrietas enim esset tantùm causa remota homicidij.

Quartò voluntarium mixtum: vt si quis per metum cadentem in virum constantem cogeretur alterum occidere. His præmissis.

98 Hanc regulam generalem statuo; videlicet voluntarium in se, vel in causa proxima sufficere ad hanc reseruationem incurrendam: non tamen voluntarium in causa remota, & multò minùs voluntarium mixtum. Quę regula desumpta est ex Aug. Barbosa de off. & pot. Episc. par. 3. allegat. 51. nu. 3. & clarior fiet ex decisionibus sequentibus.

99 Respondeo ergo primò eos omnes incidere in casum, qui aliquem malo animo, & priuata auctoritate occidunt; hi enim verè dicuntur homicidæ voluntarij. Nauar. cons. 27., & sequentibus de hom., & in Manuali cap. 27. à nu. 240. Tolet. lib. 1. cap. 72. Sayrus lib. 8. de cens. cap. 7. nu. 8. Chapeauilla cap. 3. de hom. volunt. q. 2. Belloch. cit. nu. 6.

100 Secundò ligari reseruatione eum, qui aliquem etiam volentem occideret. Et ratio est, quia nemo est dominus suorum membrorum. Sic qui in Clericum etiam volentem manus violentas inijceret, adhuc incurreret in excommunicationem. Cap. Contingit 1. de sent. excom., ex eo quòd illi semper fiat iniuria, etiamsi consentiat. Vnde ad dignoscendum quandonam volenti possit fieri iniuria, hæc est regula generalis. Quòd quando non potest quis sibi iniuriam facere, neq; potest alteri permittere, vt illam inferat. Sed nullus potest se ipsum occidere; Ergo neq; potest alteri permittere, vt ipsum occidat. Et sic intelligenda est regula illa iuris in 6., scienti, & volenti non fit iniuria.

101 Tertiò multò magis incidere eum, qui per insidias, & proditoriè aliquem occidit: hic enim dicitur voluntariè, & per industriam homicidium committere, vt si quispiam vultu magis bono, quàm ingenio amicum suum simulatione amicitiæ amplexaretur, postmodum verò trucidaret. Ita Graff. in praxi lib. 1. de homic. cap. 14 num. 50. Belloch. par. 2. q. 6. num. 7.

102 Quartò incurrere eum, qui venenum alicui præberet, vnde post aliquod temporis spatium ille moreretur; verè enim dicuntur homicidæ, qui veneficio suo homines ad mortem trahunt. Et hi apud Iuristas non solùm incurrunt pœnas latas in homicidas, sed etiam eas, quæ latæ sunt in proditores, qui enim veneno perimuntur, proditoriè occiduntur, cùm nullo modo possint se defendere. Vnde est vt grauius peccatum sit hominem veneno

no extinguere, quàm gladio. Ita Graff. cit. Belloch. cit. num. 13.

103 Dices in casibus reseruatis nō esse recedendum à proprietate sermonis. Vnde est vt in explicatione quinti casus, diximus auellentes arbores nō ligari reseruatione lata contra incisores, quia illi non dicuntur propriè incidere. Sed pari modo venenare non propriè significat occidere, nec venefici propriè dicuntur homicidæ; Ergo veneficus non incidit in reseruationem latam contra homicidam.

Respondeo verum hoc esse, eius generis homines dici potiùs veneficos, quàm homicidas; sed hoc ideo esse, quia peccatum illud peculiarem includit malitiam, quam non includit homicidium. De reliquo cùm homicidium nihil aliud sonet, quam iniustam hominis occisionem, & hæc tam contingat, siue ferro homo occidatur, siue fuste, siue veneno: inde est vt etiam venefici dicantur homicidę. Quod si quis subdat homicidam propriè dici, qui proprijs manibus aliquē occidat. Respondeo etiam extinctionem hominis per venenum fieri proprijs manibus, illud admiscendo alicui rei comestibili, vel potabili, ex qua deinde comestione, aut potione sequatur mors. Ita DD. cc.

104 Addunt Graff. cit. 34. & Belloch. eodem num. 13. cit. comprehendi sub casu eos, qui dant quoddam genus medicamenti, quod ad amorem captandum, vel conseruandum ordinatum, amatorium dicitur; atq; eius est generis, vt ad amorem incitet, & vulgari vocabulo dicitur, Malia, ex eo quod vi illius homines ita debilitentur, & infirmentur, vt tandem moriantur, & medicamentum hoc, seu dixerim veriùs, maleficium, licèt per se primò tendat ad amorem, tamen tendat etiam ad mortem.

105 Ego verò saluo meliore iudicio, existimarem hosce non comprehendi sub hac reseruatione. Et ratio est, quia licèt sequatur mors, tamen homicidium non dicitur appensatè commissum, malo animo, ex proposito, & studiosè, quale tantùm diximus esse subiectum huic reseruationi, cùm porrigens medicamentum, illud tantùm porrexerit ad finem conciliandi amorem, non verò ad finem occidendi.

106 Quintò ligari hac reseruatione procuratorem abortus, fœtu iam animato; si enim conceptum in vtero fœtum interimat, ille verè homicida est. Idemquè dicas, etiamsi fœmina ipsa abortum procurasset ad infamiam vitandam, iuxta dicta in c. 3. superiore: non enim sunt facienda mala, vt eueniant bona; vel certè si quis terrorem ita incuteret, vt mulieri prægnanti abortus sequeretur; vel si quis per zonam mulierem prægnantem arriperet, vt ea occasione abortum pateretur; sēper enim diceretur studiosè agere, vt abortus sequeretur, & appensatè homicidium committere; proinde eo secuto incideret in reseruationem, & quidem duplicem, alteram, quia procurasset abortum, alteram quia homicidium commisisset: & quidem superiori reseruationi esset adnexa excommunicatio, iuxtà dicta superiùs.

107 Sextò incurrere eum, qui grauiter aliquem vulneraret, sciretq; ex huiusmodi vulnere mortem sequi. Et ratio est, quia tale homicidium diceretur voluntarium, & studiosè cōmissum. Quod si vulnerando expressè excluderet mortem, & vulnus tantùm intenderet; tunc homicidium illud diceretur potius casuale, quam voluntarium; proindequè nulla intelligeretur reseruatio; nisi fortè ea vulneris inflictio

esset de se coniuncta cum morte, vt si punctim ferire circa præcordia intenderet, vel venenum propinare; tunc enim impertinēter se haberet illa mortis exclusio, cùm impossibile sit velle, & intendere omnia necessaria ad homicidium, & nolle homicidium, & sic homicidium illud diceretur voluntarium in causa proxima. Ita Gamb. de cas.reser. casu 7.folio 207. Belloch. cit. num. 16.

108 Dices, quid si quis intendisset quidem alterum grauiter percutere, sed tamen de morte inferenda non cogitasset, nec intendisset tale vulnus infligere, quod sit illatiuū mortis: vtrùm morte secuta, dicendus esset incidisse in reseruationem.

Respondent affirmatiuè Gamb., & Belloch.cc. Ego verò contrarium non improbabile existimarem, quia, licèt tale homicidium dicatur volūtarium, non tamen adest tale voluntarium, quod diximus requiri ad hanc reseruationem, cùm homicidium hoc non dicatur studiosè, nec appensatè, & malo animo commissum.

109 Septimò ligari hac reseruatione eum, qui de industria, & appensatè carceratum aliquem occideret, etiamsi sciret per Iudicis sententiam illum esse occidendum. Et ratio est, quia talis occisio vere est iniusta; ad hoc enim, vt iusta sit, tria hæc requiruntur, puta iusta causa, iustus animus, & iustus ordo; licèt ergo in dicto casu intercedere possit iusta causa, occidendo nimirum eum, quem scit esse per Iudicis sententiam morte plectendum; itemq; iustus animus, quia occidere illum possit ex amore iustitiæ, nullo vindictę desiderio, aut odio impulsus; quia tamen deest, iustus ordo, inde est, vt mortaliter peccet, & consequenter incidat in casum. Iustus autem ordo ex eo dicitur deesse, quia non seruatur iuris ordo, cùm illum occidat nondum prolata sententia, & ex priuata auctoritate. Ita Graff. lib.1. cap.14. num.13. Belloch c.num.17., qui addunt hoc verum esse, etiamsi quis occideret Reum aliquem ad mortem damnatum eo tēpore, quo ad supplicium ducitur, quamuis esset de familia Iudicis, & illum ideo occidisset, quia dubitasset de illius raptu; adhuc enim diceretur incidisse in casum, ex eo quod non occidisset ex mandato Iudicis; nisi fortè velimus dicere hunc esse immunem à reseruatione, quia licèt mortaliter peccauerit occidendo, non tamen malo animo dicatur occidisse, & appensatè, sed ex zelo iustitię. Quod non videtur improbabile.

110 Octauò incurrere eum, qui in duello aliquem occidat. Quinimò prętér reseruationem, incurrere etiam in excommunicationem Summo Pontifici reseruatam, vt patet ex motu Clementis VIII.edito anno 1592., qui incipit, illius vices, & cuius summam refert Sayrus in thesauro casuum consc. tract.1. lib.3. cap.31.nu.21., & triplici sequenti. Quoties tamen duellum esset occultum, nec deductum ad forum contentiosum, posset Episcopus ab ea excommunicatione absoluere, virtute Conc.Trid.sess.24.cap.6.de reform. Vt bene Sanch.in sum lib.2.cap.39.nu.27.

111 Maior difficultas est de casu in quo quis alium grauiter vulneret, sed alter superueniens nouum vulnus infligat, ratione cuius moriatur; quinam ex his incidat in casum, primus ne, an secundus tātùm; an verò vterq;?

Respondeo etiamsi primus lethaliter aliquem vulnerauerit, & quidem animo occidendi; si tamen ille à secundo occidatur habente veram intentionem occidendi, ligari reseruatione secun-

ſecundum, non verò primum. Et ratio eſt, quia reſeruatio eſt lata in homicidas, & ea incurritur tantùm effectu ſecuto; cùm ergo homicidium conſummatum ſit à ſecundo, & non à primo, reſeruationem etiam incurret ille, non autem hic. Ita Graff. cit. num. 58. Belloch. nu. 19. Vnde notandum eſt diſcrimen inter lethaliter vulneratum, & eum quem conſtat ex vulnere eſſe moriturum; quod mortiferè vulneratus poteſt conſequi valetudinem, & hoc ſæpius contingit ex robuſta complexione: Quod non eſt, quando certum eſt illum eſse moriturum.

112 Dices, quid ſi certum eſset ex primo illo vulnere debere mortem ſequi: vtrùm ille, qui primum vulnus inflixiſset, ex quo eſset certò ſecutura mors comprehenderetur ſub caſu.

Reſpondeo negatiuè. Et ratio eſt, quia reſeruatio intelligitur de actibus exterioribus conſummatis, & cum effectu à ſe, & non ab alio.

Aſsererem tamen cum Belloch. nu. 20., quoties prior ille animo occidendi vulneraſset, & tale vulnus inflixiſſet, vt mors eſset moraliter præſens, & in fieri, illum incidere in caſum, ſecuta morte, non verò ſecundum, qui vulnus etiam lethale inflixerit. Et ratio eſt, quia effectus ille mortis diceretur ab illo priore manare, non à ſecundo. Vnde in hoc caſu immunis eſset à reſeruatione ſecūdus, etiamſi tale vulnus inflixiſset, ex quo neceſsariò eſset mors ſecutura ſi aliud vulnus non fuiſſet inflictum. Et ratio eſt, quia vulnus illud poſtremum diceretur potiùs cadaueri inflictum, quàm homini. In dubio verò de qualitate vulneris; poſtremus dicendus eſset occidiſſe, & ſic ille ſolus incidiſse in reſeruationem.

QVÆSTIO TERTIA

Quinam excuſentur ab hac reſeruatione.

113 *Non incurritur hæc reſeruatio quando homicidium non eſt omnino voluntarium.*

114 *Non incurritur reſeruatio ſi effectus homicidij non ſit ſecutus.*

115 *Nec item is, qui intendens tantùm vulnerare, excedendo in vulneribus modum occideret.*

116 *Nec item is, qui credens occidere Titium occidat Marcellum.*

117 *Volens occidere Clericum putans eſſe Titium, ſi illum verè occidat, & cōperiat eſſe Sempronium, incidit in excommunicationem.*

118 *Conciliantur duo caſus de excommunicatione qui videntur contrarij.*

119 *Qui cadaueri inimici ex animo vindictæ infligeret vulnera nec incideret in caſum, neq; in irregularitatem.*

120 *Non incidit fœmina procurans abortum fœtus inanimati.*

121 *Nec item medicus ob cuius culpam latam ægrotus moriatur.*

122 *Nec item Mater, aut Nutrix, quæ infantem in lecto inter dormiendum ſuffocet.*

123 *Refertur ſententia contraria, & affirmans tale homicidium eſſe voluntarium ſufficienter pro hac reſeruatione incurrenda.*

124 *Non incidit, qui alterum occidat ob ſui defenſionem.*

125 *Quid ſi occideret, cum tamen poſſet fugere.*

126 *Non incidit is, qui in bello iuſto alterum occidat.*

127 *Excuſantur pueri, ebrij, dormientes, amentes &c.*

128 *Item is, qui ex ſubita ira cauſata in rixa alterum occidat.*

129 *An Episcopus posset dispensare super irregularitate contracta ex hoc homicidio. Refertur sententia negans.*

130 *Sententia affirmans est probabilis.*

131 *Tale homicidium si casuale est ad effectum dispensationis obtinendæ, casuale etiam erit ad effectum vitandæ reseruationis.*

132 *Excusatur Maritus, qui occidat vxorem in adulterio deprehensam.*

133 *Item pater, qui occidat adolescentem inuentum turpiter ludentē cum filia.*

134 *Item is, qui per metum cadentem in constantem virum, aliquem occidat.*

135 *Dormientes item, & ebrij qui tempore somni, vel ebrietatis occidant.*

136 *Quid si homicidium præuisum sit ante ebrietatem, vel somnum. Affirmant aliqui dato quod præcesserit actualis intentio occidendi.*

137 *Sententia Authoris negat.*

138 *Quid si dans operam rei illicitæ aliquem casu occidat.*

139 *Excusatur qui se ipsum occidit.*

140 *Excusatur demum quicunquè alterum occidit titulo defensionis.*

113 Respondeo regulam hanc generalem esse, vt in casum nullus vnquam incidat, quando homicidium non est omninò voluntarium in se, vel saltem voluntarium in causa proxima. Vnde si illud voluntarium tantùm sit in causa remota, vel voluntarium mixtum, non est sufficiens ad hanc reseruationem, vt patebit ex decisionibus sequentibus.

114 Ex hac autem regula inferas primò non incidere eum, qui aliquem grauiter vulnerauerit, vel etiam membrum aliquod mutilauerit, sed tamen effectus homicidij non sit secutus. Et ratio est euidens, quia iste non dicitur homicida. Vnde licèt ad effectum irregularitatis paria sint mutilatio, & occisio; imparia tamen sunt ad effectum reseruationis, cùm hæc non incurratur nisi secuta occisione. Ita Belloch. par. 2. q. 6. num. 27.

115 Secundò non comprehendi sub casu eum, qui intendens aliquem tantùm vulnerare, excedendo in vulneribus modum, illum occiderit. Et ratio est, quia iste non voluntariè, sed casu dicitur illum occidisse. Vnde est vt bene dicat Graff. lib. 1. cap. 14. nu. 63. minus peccare eum, qui occidat sine animo occidendi, quàm peccet ille, qui vulneret solùm, sed tamen cum animo occidendi: propositum enim, & voluntas distinguunt maleficia, leg. si quis nec causam ff. si certum petatur. Intellige tamen, dummodo vulnus intentum non sit per se coniunctum cum morte, iuxta dicta in super. quæstione.

116 Tertiò immunem a reseruatione esse eum, qui credens occidere Titium, occidat Marcellum. Et ratio est, quia non dicitur homicida voluntarius in personam Marcelli, licèt quoad Deum talis dicatur, cùm ille respiciat potius ad animum, quàm ad manum; patet hoc à pari, nam si quis proijciens lapidem, quo Titium Clericum percutiat, casu, & inculpabiliter percutiat Semproniū Clericum illac transeuntem; ille nec incurrit excommunicationem, nec irregularitatem morte secuta; Ergo pari modo excusabitur à reseruatione alium occidens, quàm eum, quem animo intendebat, cùm respectu illius homicidium dicatur casuale. Ita Graff. nu. 64.

117 Dices volens occidere Clericum putans esse Titium, si illum verè occidat, sed comperiat esse Sempronium, incurrit in excommunicationem, vt docent Couar. cap. Alma mater par. 1. §. 10. num. 15. vers. 8. Cord. in quæst. lib. 2. q. 26. §. secundò probatur

eadem pars, Barth. à Ledesma de pœn. dub. 17. de excomm. §. sed dubiam oritur. Vega 1. tom. sum. cap. 85. casu 107. Ergo volens occidere Titium Laicum, credens esse Titium, si alium hominem occidat, incurret in reseruationem, quia semper verum est dicere quod habet effectum occidendi hominem.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas autem in eo est, quia licèt erret in persona Titij Clerici, non tamen errat in qualitate; & quia intendit percutere Clericum, & quidem illum, quem videt, & irrogare hanc iniuriam statui Ecclesiastico, inde est vt incidat in excommunicationem. At verò intendens occidere Titium Laicum, si alium hominem occidat credens esse Titium, non incidit in reseruationem, quia respectu talis personæ, homicidium hoc est casuale; Titium enim occidere intendebat, non illum, quem occidit.

118 Quod si quispiam quærat disparitatem duorum casuum de excommunicatione allatorum, qui videntur inter se pugnare, cùm dixerimus proijcientem lapidem, quo Titium Clericum percutiat, si casu, & inculpabiliter percutiat Sempronium illac transeuntem, non incurrere in excommunicationem; è contra verò dixerimus incurrere, si volens occidere Titium Clericum putans esse Titium, occidat Sēpronium.

Respondeo disparitatem in eo consistere, quod in priore casu solus affectus est malus; ipsum verò opus externum, puta percussio Sempronij non est mala formaliter, cùm sit casualis, solus autem affectus, seu intentio non inducit excōmunicationem, nisi cum opere externo malo coniungatur. At verò in posteriore casu, & affectus, & ipsum opus externum, puta occisio, formaliter mala sunt, cùm adfuerit voluntas occidendi illum Clericum, quem videbat, licèt putaret esse alium.

119 Quartò non incurrere eum, qui animo paratus ad inimicum suum occidendum, illum reperiret ab alio interfectum; vnde animo vindictæ ensem nudaret, & caput abscinderet. Ratio est, quia iste non diceretur homicida. Ita Graff. num. 28.

Addo cum Toleto lib. 1. cap. 71. nu. 11. neq; incurrere irregularitatem; non enim iste diceretur mutilator membri, cùm membrum mortui non sit simpliciter membrum, vt potè carens anima ac vita. Sicuti homo mortuus non dicitur simpliciter homo.

120 Quintò immunem esse ab hac reseruatione fœminam eam, quæ studiosè agit, vt abortum patiatur fœtus inanimati. Et ratio est, quia non dicitur homicida, cùm non sit hominis occisor. Quod multò verius dicendum est de eo, qui alicui fœminæ propinet venenum, ne concipiat. Ita Graff. cit. nu. 31. Verùm verò incurrat reseruationem latam contra procurantes abortum, patet ex dictis suo loco.

121 Sextò non ligari reseruatione medicum eum, ob cuius culpam latam ægrotus aliquis moriatur; licèt enim mortaliter peccet, ac pœna irregularitatis, atq; onere restitutionis afficiatur, non tamen incidit in casum. Et ratio est, quia illud tantùm homicidium est reseruatum, quòd voluntarium simpliciter est, & quod dolo malo, & animo occidendi committitur. In casu autem Medici homicidium illud diceretur potius casuale mixtum, idest voluntarium quidem in causa, quæ tamen non proxima esset, nec per se coniuncta cum homicidio, sed tantū remota. Ita Belloc. cit. n. 39. Sic vulgatū illud Ouid. l. 1. de Ponto carmen est.

Non

Non est in Medico semper releuetur vt æger.

122 Septimò immunem esse ab hac reseruatione matrē, vel nutricem, quæ tenellum puerum cum periculo probabili illum suffocandi in lecto detinuerit, & verè suffocauerit. Et ratio eadem est, quia homicidium hoc dicitur potius casuale, quàm voluntarium, seu quia non adest ea deliberatio, & præmeditatio, quæ requiritur ad hanc reseruationem. Dicenda tamen esset mortaliter peccasse, ex eo quod præuidens periculum suffocationis, periculo illi infantem exposuisset; & præterea incidisse in excommunicationem latam contra detinentes infantes in lecto sine præscripta cautione cunarum, contentam in Conc. Prou. 4. tit. de ijs, quæ pertinent ad Sacramentum baptismi, & Conc. Prou. 6. titulo eodem. De reliquo tale periculum non esset sufficiens ad reseruationem incurrendam, cùm de se non sit causa proxima homicidij. Ita Belloch. cit. num. 40.

123 Quod autem subdit Floronus par. 2. casu 4. §. 1. num. 39. contra Graff. sentiens tale homicidium verè voluntarium dici. Respondeo voluntarium quidem dici in causa, sed remota tantùm, non verò proxima, proindeque esse casuale mixtum. Hæc autem ratio voluntarij non sufficit ad hanc reseruationem incurrendam; sed vel debet homicidium esse volitum in se, quod contingit, quando quis animo occidendi occidit: vel volitum in causa proxima, quod euenit, quando aliquis intendit aliquam causam, cui sit adnexum homicidium, & ab ea inseparabile, vt si quis intendat alicui venenum propinare, vel pūctim alicui præcordia lethaliter ferire, iuxta dicta superiùs: altero enim ex his duobus modis homicidium committatur, semper dicitur appensatè, deliberatè, & ex proposito committi.

124 Octauò non comprehendi sub casu eum, qui alterum occidat ob sui defensionem, vt si in vitæ discrimine constitutus aggressorem interficiat. Et ratio est, quia licitum cuilibet est se defendere, etiam cum morte inuasoris. Ita DD in prima quæstione citati, quibus accedit Graff. num. 39. Idem dicendum de fœmina ea, quæ vt suam castitatem seruet inuasorem occidit; vt si fœmina aliqua à viro inuaderetur, nec ea posset alio modo se ab eius violentia tueri. Vel certè si masculus à perdito, ac libidinoso homine ad peccatum nefarium cogeretur: tunc enim quoties alio modo non posset euadere, licitè posset inuasorem occidere. Quamuis enim peccatum illi non imputetur si dissentiat, quia non est peccatum, vbi deest voluntarium, nec coinquinatur anima nisi de consensu mētis. Vnde D. Lucia Virgo, & Martyr fertur dixisse Pascasio, si me feceris inuitam violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam; cùm tamen magnum insit periculum consensus, ob difficultatem resistendi volupati, & tentationi, inde est vt hoc timens licitè possit inuasorem ocidere, nec peccet, si tantùm ad defensionem occidat. Ita DD. cc. in 1. quæst. quibus accedit Caiet. 2. 2. q. 64. ar. 7. in fine, Greg. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 2. Corradus in respons. cas. conscientiæ tom. 1. casu 75. vers. Cęterùm, Chapeauilla cap. 3. q. 1. diff. 12., Finellus de cas. reser. casu 4. nu. 46., Elor. par. 2. casu 4. de hom. § 1. num. 31.

Dixi si alio modo non possit se ab eius violentia tueri. Si enim fugiendo, vociferando possit inuasoris manus effugere, tenetur hoc facere: nisi fortè fuga illi esset ignominiosa, qualis esse posset nobili, & illustri viro, in casu,

quo à rustico, ac plebeio homine inuaderetur. Ita DD. cc.

125 Dices quid si cùm posset fugere, nollet fugere, incideret ne in casum occidendo inuasorem?

Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia licèt peccaret contra charitatem occidendo; non tamen peccaret contra iustitiam, vt patet ex dictis in 1.q. Tum quia tale homicidium non diceretur appensatè, & malo animo commissum. Quomodo nec incideret in reseruationem is, qui in sui defensione excederit moderamen inculpatæ tutelæ, & cùm posset se defendere inuasorem vulnerando, illum occideret. Et ratio est, quia tale homicidium non diceretur præmeditatum, ac deliberatum. Hinc est vt Graff. in praxi l. 1. c. 14. de hom. num. 45., & Belloch. cit. nu. 43. excusent ab hac reseruatione eum, qui non appensatè deuenisset ad euaginationem gladij cum altero, & dum immittendo ictus sentit se vulneratum ab aduersario calore iracundiæ commotus, illum vulnerat, & occidit, ex eo quod non adsit illa præmeditatio, seu deliberatio, quæ requiritur ad hanc reseruationem: licèt peccaret mortaliter contra iustitiam, & ad restitutionem teneretur.

126 Nonò non ligari hac reseruatione eum, qui in bello iusto aliquem occidat. Et ratio est, quia si bellum sit iustum, iustum etiam est homicidium, directè quidem hostium, indirectè verò etiam eorum, qui innocentes sunt. Ita Chapeau. cap. 3. de homic. q. 1. diff. 18. Addo hoc verum esse, etiamsi quis ex odio, vel praua voluntate in eo bello aduersarium aliquem occideret. Et ratio est, quia talis animus faceret tantùm homicidium illicitum, non verò iniustum. Vnde peccaret quidem contra virtutem charitatis, non verò iustitiæ. Ita Chapeau. cit. q. 2. verf. quinto neque illum. Belloch. p. 2. q 6. num. 44.

127 Decimò multò magis excusari ab hac reseruatione pueros ante vsũ rationis, ebrios, dormientes, furiosos, & alios huius generis, si aliquem occidãt. Et ratio est, quia talium hominum occisiones, vel peccata non sunt, vel certè non sunt mortalia, qualia tantùm reseruationi subduntur.

128 Vndecimò non incidere in hanc reseruationem eum, qui ex subita ira causata in rixa homicidium committat. Et ratio est, quia homicidium hoc non dicitur appensatè, ex proposito, & de industria commissum. Quidquid in contrarium sentiat Gamb. de cas. reser. folio 208. nu. 9. Verùm pro nostra sententia fauere videtur casus sequens apud DD. controuersus.

In rixa subitò, & inopinatè contingenti quis occidit alterum. Quæritur an tale homicidium dicendum sit voluntarium simpliciter, an potius casuale, ita vt occidens, si delictum sit occultum, possit impetrare dispensationem ab Episcopo, qui vigore Conc. Trid. sess. 14 cap. 6. potest dispensare super irregularitatibus occultis contractis ex homicidio casuali.

129 Cui difficultati respondet Mol. de iust. t. 4. tract. 3. disp. 79. num. 7. Suar. in 3. par. tom. 5 de cens. disp. 44. sect. 1. num. 3. dicentes tale homicidium esse voluntarium simpliciter, proindeq; nõ posse Episcopum circa hanc irregularitatem dispensare.

130 Non desunt tamen, qui contrarium sententiam doceant sustinentes ad irregularitatem homicidij voluntarij, super qua Episcopus non possit dispensare, requiri, quòd illud homicidium deliberato animo, & inito consilio committatur: proindeq; si ex rixa repentè orta, vel ex inimicitia ob verba

ba iniuriosa subitò contracta homicidium sequatur, casuale illud potius esse, quàm voluntarium; ita vt possit Episcopus circa irregularitatem ex ipso contractam dispensare. Quam sententiam docet Didacus Perez in l.8. ordinam tit.13. in rubr. fol. 256. colu. 1. ante medium, vbi de hoc casu agit, & ait in praxi ita sæpè respondisse consultum post Conc. Trid., & post illum Henriq. Rodriq. Salzedo, Auila de cens. p.7. disp. 6. sect. 2. dub. 1. & sect. 5. dub. 5. conclus. 2. Et nouissimè Coninc. disp. 18. dub. 14. nu. 111. vbi sic habet; [potest etiam Episcopus dispensare in homicidio casuali occulto, quale etiam reputatur commissum in sui defensionem excedendo moderamen iustæ tutelę, aut etiam ex subita ira cōmissum.]

131 Ex quibus ego infero, quod si homicidium per excessum iustæ moderationis, aut ex subita rixa commissum dicitur casuale ad effectum dispensationis obtinendæ ab Episcopo super irregularitate: meritò etiam dici possit casuale ad effectum vitandæ reseruationis.

132 Duodecimò non incidire in hanc reseruationem maritum, qui vxorem suam in adulterio deprehensam occidat. Et ratio est, quia licèt occidendo peccet mortaliter, & verè homicida sit secundùm cōmunem Theologorum in 4. dist. 37., tamen homicidium hoc non dicitur appensatè, & de industria commissum, nec est omninò voluntarium, ac deliberatum, cùm pręsumendum sit illum furore iræ excęcatum occidere. Vnde est vt leges ciuiles relinquant impunitum hoc delictum, quando maritus inuenit vxorem suam cùm adultero concumbentem, vt habetur in lege Patri, cum trib. sequent. ff. ad leg. Iuliam de adult. Dicitur autem adulter inuentus, nō solùm, quando inuentus est in actu veneris, scilicet nudus cùm nuda in actu carnali venereo; sed etiam quando inuentus est in præludijs veneris, vt si repertus sit in cubiculo solus cum sola cum verbis blandis ac lasciuis, vel cum osculis, vel cum tactu mammillarum. Demùm verò ad hoc facit quod habetur in cap. Si verò, de sent. excom. quo loco decernitur non affici excōmunicatione maritum percutientem Clericum in vxoris adulterio deprehensum: Et cauetur, quod maritus ille nō tenetur adire Romanum Pontificem pro beneficio absolutionis.

133 Vnde inferas idem dicendum de patre, qui occiderit adolescentem inuentum turpiter ludentem cum filia; intellige tamen dummodo in continenti hoc fiat. Ita Graff. in praxi l.c de hom. cap.14. à nu.42. vsq; ad 45. Quidquid in contrarium in hisce duobus casibus sentiant Chapeau cap.3. de hom. volunt.3. casu reseruato q.2. vers. octauo, & illum, Belloch. de casibus reser. par.2. q.6. num. 12. Flor. par.2. casu 4. §. 3. num. 6.

134 Decimotertiò excusari ab hac reseruatione eum, qui per metum cadentem in virum constantem alterum occidat. Vt si dominus seruo præciperet, vt alterum occideret, paratus illum occidere, nisi illi obediat. Et ratio est, quia homicidium hoc non dicitur voluntarium, deliberatum, appensatè, nec ex proposito commissum, cum per metum occidat. Ita Graff. cit. num. 60.

Quod si quispiam obijciat, quod voluntas coacta est voluntas. Respondet idem Graff. dicendo voluntarium duplex esse. Aliud voluntarium simpliciter. Aliud verò voluntarium secundùm quid: proindeq; præsens homicidium esse quidem voluntarium secundum quid, seu voluntarium mixtum; non

vero

vero voluntarium ſimpliciter, quale requiritur ad hanc reſeruationem, vt patet ex regula citata.

135 Decimoquartò patet quid dicendum de dormiente, vel ebrio, qui tempore ſomni, aut ebrietatis aliquem occiderit. Certùm enim eſt eum nec peccare, nec incidere in caſum, quoties nullo modo præuiderit homicidium.

136 Difficultas potior eſt in caſu, quo homicidium fuerit præuiſum ante ſomnum, ſeu ante ebrietatem.

Reſpondet Flor. de caſ. reſer. par. 2. caſu 4. §. 7. à num. 8. vſq; ad finem, cum hac diſtinctione. Si enim iuerit ad dormiendum, vel ſe inebriauerit cum hac intentione, vt ſomno, aut vino oppreſſus alterum occideret, quia ſciret ſe conſueuiſſe hoc facere, tunc exiſtimat iſtum incidiſſe in reſeruationem. Cuius ratio eſt, quia tale homicidium dicitur plenè voluntarium, ac deliberatum, cùm ſomno ſe dederit, aut ſe ipsũ inebriauerit ad finem occidendi. Secus verò ſi tale homicidium præuidiſſet quidem, ſed tamen non eo animo ſe ipſum inebriaſſet, aut ſomno dediſſet, vt homicidium ſequeretur, ex eo quod homicidium hoc non diceretur præmeditatum, ſeu deliberatum; licèt peccaret mortaliter non adhibendo eam diligentiam pro homicidio impediendo, quam tenebatur adhibere.

137 Ego verò exiſtimarem hunc non incidere in reſeruationem iuxta regulam à nobis citatam, quia videlicet tale homicidium nullo modo eſſet voluntarium in ſe, vt potè commiſſum in ebrietate, aut ſomno, ſed tantùm voluntarium in cauſa, & quidem remota, nec vllo modo coniũcta cum homicidio, quale voluntarium diximus non ſufficere ad hanc reſeruationem. Eſto ergo, quòd iſte peccaſſet mortaliter, & ad reſtitutionem teneretur, non tamen incidiſſet in caſum.

138 Quòd verò exiſtiment aliqui in caſu, quo quis rei illicitę operam daret; tunc ſi homicidium etiam caſu ſequatur, illi eſſe imputandum, & conſequenter incidere in reſeruationem; dictum hoc nequaquam eſt admittendũ. Vt ſi Clericus ſclopum deferens, caſu aliquo hominem occideret. Vel ſi artis digladiatorię ſtudio ſe exerceret, & caſu quodam ſocium occiderit. In his enim caſibus non eſſet Clerico mors imputanda. Et ratio eſt, quia mors non dicitur ſequi ex illicito opere, niſi tale opus ſit cauſa propinqua illius mortis. Vnde eſſet, vt talia homicidia eſſent merè caſualia, & conſequenter ab omni reſeruatione, ſeu irregularitate ſeiuncta. Ita Nau. in Man. cap. 27. nu. 229. Leſſ. lib. 2. cap. 9. dub. 15. & paſſim alij recentiores.

139 Decimoquintò eum, qui ſe ipſum occidit non ligari hac reſeruatione. Si enim in inſtanti moriatur, peccatum hoc ſoli Deo eſt reſeruatum, cùm à finali impœnitentia Confeſſarius nullus, nec Papa poſſit abſoluere; ſed ea ſoli Deo ſit reſeruata, non vt abſoluat, ſed vt in æternum puniat. Si verò vulnus lethale ſibi quis inflixerit iam abſolui poteſt à quocunque Confeſſario, cùm effectus homicidij necdum ſit ſecutus. Ita Chapeau cap. 3. de caſ. reſer. q. 2.

140 Decimoſextò non ligari hac reſeruatione eum, qui in aliquo ex ijs caſibus inuaſorem occidat, quos in prima quæſtione attulimus, & in quibus conceſſimus licitum eſſe inuaſo occidere aggreſſorem; vbi enim abſit culpa, abeſt etiam reſeruatio.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm mandantes comprehendantur ſub hac reſeruatione.

141 Re-

141 *Refertur sententia affirmans.*
142 *Sententia Authoris verior.*
143 *Si alienus Parochus det licentiam alteri Sacerdoti assistendi alicui Matrimonio non incidit in suspensionem latam à Tridentino contra alienum Parochum assistentem absq; licentia proprij.*
144 *Iudex qui aliquem iniustè damnet ad mortem non incidit in casum.*
145 *Neq; is qui per falsam depositionem fuit causa vt alter damnaretur.*

141 HVIC difficultati respondet Gāb. in explicatione huius casus folio 208. quo loco docet mandantes,& consulentes incidere in hanc reseruationem, ex eo quòd mandantis, & mandatarij vnum, & idem dicat esse delictum. Idemquè sentit Belloch. par.2. quæst.6. num.49.

142 Verùm mihi contraria sententia verior videtur, quam tenet Graff. in praxi lib.1. cap.14. num. 9. & 10. Et ratio est, quia verba hæc reseruationis, Homicidæ voluntarij, scripta sunt in personam occidentem, non autem mandantem, vel consulentem. Tum quia, vt in superioribus casibus diximus, statuta lata contra facientes, non comprehendunt mandantes, neq; consulentes. Vnde est vt casus hic diuersimodè fuerit à plerisq; Ordinarijs reseruatus. Surrenti enim reseruatum est homicidium in hæc verba, Homicidæ voluntarij, mandantes quoque, & auxilium ad id dantes. Salerni pariter ita est reseruatum, homicidia voluntaria, vel per se, vel per alium perpetrantes, aut consilium, seu auxilium ad id efficaciter dantes. Bononiæ rursus, homicidium voluntarium committentes, iubentes &c. Mutinæ etiam, homicidium voluntarium, mandantes quoquè, & auxiliantes. Ac demum ab alijs pluribus, vt videre est apud Graff. cit. num. 10.; vt proinde dicere debeamus, cùm casus hic noster nullam faciat mentionem mandantium, aut cōsulentium, eos neque comprehendi. Demum verò ad hoc facit, quod de censuris communiter docent DD., videlicet cēsuram latam in committentem aliquod delictum non comprehendere mandantes, consulentes, vel aliter consensum præstantes, nisi in canone ferente censuras exprimantur. Ita Caiet. v. excom. paulò post principium vers. & personas quidem. Tabiena v. excom. 5. casu 49. num. vltimo. Nauar. in sum. cap.27. num.51. Med. l. 1. sum. cap. 11. §. 2. folio 36. colum. 1. Henriq. l.13. de excom. c.17. n.2. in fine, & c.21. nu.1. in comment. lit. G. Et alij.

143 Hinc est vt si Parochus alienus det licentiam alter Sacerdoti assistendi alicui matrimonio, illum non incidere in suspensionem latam à Trid. contra alienum Parochum assistentem matrimonio absq; proprij Parochi licentia doceat Sanch. lib. 3. de matr. disp.49 num.2. vers. hinc in nostro casu. Ea ratione nixus, quod Trid. suspendat tantùm Parochum alienum assistentem alicui Matrimonio, absq; licentia proprij; non verò exprimat dantem licentiam, mandantem, aut cōsulentem.

Dices, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Ergo si reseruatum est homicidium, includentur etiam mandantes.

Respondeo mandantem videri certè per se ipsum occidere, non tamen verè occidere: casum autem nostrum eos tantùm comprehendere, qui verè occidant; non verò eos, qui videantur occidere. Quare ergo mandantes apud Iuristas dicuntur homicidæ, sed per interpætationem iuris. In foro autem conscientiæ tales dicūtur propter tenden-

dentiam ad eundem finem, quæ non sufficit ad reseruationem; cùm hæc afficiat tantùm actionem, non verò finem actionis.

144 Ex quibus inferas non ligari hac reseruatione Iudicem, qui aliquem iniustè ad mortem damnat. Et ratio est, quia non is est, qui occidat, sed occidi mandat.

145 Pariter non ligari eum, qui per falsam depositionem, seu attestationem in iudicio fuit causa, vt alter damnaretur. Et ratio est, quia licèt iste sit causa mortis, non tamen est ipse patrator homicidij. Vtrùm verò incurrat reseruationem latam contra deponentes falsum in iudicio, patebit inferiùs. Sic etiam permittentes aliquem occidi, seu non impediẽtes sunt causa mortis, non tamen incidunt in casum; licèt enim peccent mortaliter, cum ad homicidium impediendum teneantur saltem ex charitate, quoties possint; in reseruationem tamen non incurrũt, quia ipsi non dicuntur propriè homicidæ. Sicuti nec tales dicuntur, qui aliquem fame perire cogunt, vel concitato in illum equo efficiunt in flumen præcipitari: licèt enim isti dicantur causa mortis, tamen secundùm propriam significationem, quæ facienda est in homicidio, tracta interpretatione vocis à cædendo, & à cæde, isti verè non dicuntur occidere, proindeq; nec comprehendi sub casu. Vt benè Graf. in praxi lib. 1. cap. 14. num. 66.

DIFFICVLTAS II.

Titius vulnerauit lethaliter Sempronium animo occidendi, & statim confitetur, & postea peracta confessione sequitur mors. Quæritur vtrum morte secuta incidat in reseruationem.

146 *Refertur sententia Affirmatiua.*
147 *Sententia Authoris negat.*
148 *Referuntur fundamenta sententiæ negantis.*
149 *Si sit lata excommunicatio contra committentes homicidium, & quis propinato iam alteri veneno resipiscat, an incidat in censuram.*
150 *Pariter si resipuerit, postquam literas conscripserit ad excommunicatum vitandum.*
151 *Item si resipuerit si literas exarauerit Moniali, & sit lata excommunicatio contra exarantes.*
152 *Item si propinauerit venenum Clerico & ante mortẽ secutam resipuerit.*
153 *Item si resipuerit post procuratum abortum fœtus animati.*
154 *Idem esse dicendum de eo, qui resipiscat post datam causam mortis putat Author; ita vt resipiscentia tollat reseruationem.*

146 DVplex in hac re adest sententia. Prima est, quæ asserit secuto homicidio incidere in reseruationẽm. Et hanc videntur docere Sanch. lib. 9. de matr. disp. 45. num. 30. quo loco sentit eum, qui percussit hominem, & confessus est percussionem, teneri mortem postea subsecutam confiteri. Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 7. vers. inquit. Idemq; videtur sentire Lud. Lopez 2. par. instruct. cap. 76. §. sequitur etiam secundò, & par. 1. cap. 31. §. præterea quia omnibus, quo loco docet non satis esse confiteri causam datam pollutioni, antequam pollutio contingat, sed tutius esse confiteri ipsam pollutionem postea secutam, ex eo quod apertius facto secuto innotescat culpa. Idemquè docet Sanch. cit. de procuratione abortus, videlicet si confessus sit ipsam procurationem abortus ante abortum secutum, teneri postmodum

ipsum abortum secutum confiteri. Ac licèt ipse fateatur esse probabile, quod is, qui ante subsecutam pollutionem confessus est causam illi datam, non teneatur postmodum confiteri pollutionem secutam; in casu tamen de percussione, & abortu sentit confitendam esse ipsam mortem, & abortum, etiamsi Pœnitens confessus iam sit se dedisse causam morti, aut abortui. Discrimen autem illud assignat, quia pollutio nullo modo fuit in se volita, sed tantùm in sua causa, puta in comestione, quæ tamen non ita influit in pollutionem, sicuti influit percussio in mortem.

147 Secunda sententia est omnino contraria, cum qua respondeo, dictum Titium secuto homicidio non incidere in reseruationem, & consequenter non teneri denuò confiteri. Ita Henriq. lib. 5. de pœn. cap. 5. num. 5. in comment. lit. Z. ijs verbis, [si tamen causam homicidij intercidit per pœnitentiam antequam sequatur homicidium, tunc effectus non est peccatum, quia iam non est illi voluntarium.] Et expresè Fagundez 2. præcept. lib. 8. c. 7. num. 17. Et pro hac eadem sententia facit quod docet Graf. 1. par. decis. aur. lib. 2. cap. 87. num. 14. vbi habet, si quis in vigilia causam dedit pollutioni futuræ, voluēdo secum turpia, vel immiscendo se conuersationibus, aut tactibus illicitis, qui eam prouocent, sed antequam dormiret eum facti pœnituit, pollutionem somno subsequentem non esse peccatum, quia causa iam fuit intercisa per pœnitentiam, & effectus ille naturaliter sequitur ex causa data, non liberè, ac voluntariè, ac proinde nec peccaminosè. Vnde cùm tota malitia actus iam plenè, ac perfectè sit confessa, inde est, vt nulla adsit obligatio iterum confitendi.

148 Probatur verò hæc sententia, quia nullus tenetur sua peccata semel ritè confessa, iterùm confiteri. Sed in nostro casu Titius iam ritè fuisset confessus, & validè etiam fuisset absolutus à Confessario, quia non habeat casum reseruatum ante secutum homicidium; Ergo non tenetur illud peccatum confiteri, cùm effectus postea subsecutus naturaliter sit secutus ex causa data, non liberè, nec voluntariè, ex eo quòd voluntas illius sit recisa per pœnitentiam, & peccatum sit dimissum per sacramētalem absolutionem. Tum quia vt benè aduertit D. Thom. 1. 2. q. 7. & Gutierez lib 2. qq. canonic. cap. 4. n. 95. in homicidio quod ab homine ebrio commissum sit tres actus possunt considerari; potatio videlicet, ebrietas, & occisio: in potationem voluntas fertur directè, in ebrietatem indirectè; in occisionem verò nec directè, nec indirectè, cùm ea merè naturaliter resultet ex ebrietate, quando ebrius nullam habuit aduertentiam ad illam. Vnde est vt homo, qui confessus sit peccatum ebrietatis, nullo modo teneatur confiteri homicidium secutum, vt potè quod naturaliter sit secutum, & non voluntariè, nec peccaminosè. A pari ergo quando homicidium non est opus morale, sed naturale, nulla aderit obligatio illud confitendi. Atqui in nostro casu non est opus morale voluntatis, sed naturale ex causa applicata; Ergo confesso peccato causæ, non manet obligatio confitendi peccatū effectus.

149 Demum verò ad hoc facit, quod in simili habet Hurtadus in materia excom. diff. 15. num. 76., videlicet si sit lata excommunicatio contra committentes homicidium, & quis alteri propinet venenum, sed ante illius mortem omninò efficaciter resipiscat, hùnc nō incurrere in excommunicationem.

150 Pari modo qui literas conscripsit ad

sit ad excommunicatum vitandum, & postquam illas nuntio consignauit, resipiscit, atq; omni diligentia adhibita studet literas recuperare, etiamsi eas recuperare non possit, adhuc tamen esse immunem ab excommunicatione minori, quæ contrahitur ob participationem cum excommunicato vitando.

151 Similiter si lata sit excommunicatio contra scribentes ad Moniale, & scribens resipiscat antequam epistola perueniat ad manus illius Monialis, cui ea fuit exarata, & faciat quantum in se est, vt illam recuperet, vel ne ad manus illius deueniat; nulla excommunicatione ligari, quia cessauerit omnis contumacia, quam vel actualem, vel in habitu saltem durantem supponit excommunicatio.

152 Pari modo propinantem venenum alicui Clerico, si ante mortem secutam resipiscat, non incidere in excõmunicationem contentam in Cap. si suadente: retenta sententia, quam docet Auila de cens. quòd excommunicatio hæc per ipsam propinationem non incurratur, vt potè iniuriosam soli naturæ non statui.

153 Idemquè in simili diceret de procurante abortum fœtus animati, videlicet si post procurationem resipiscat antequam abortus sit secutus, & faciat quantum potest, vt illum impediat, secuta morte eum esse immunem ab excõmunicatione lata contra procurantes abortum fœtus animati effectu secuto.

154 Ergo pari modo intelligere possumus, si quis dederit causam homicidio vulnus lethale infligendo, aut venenum propinando, si ante mortem resipiscat per confessionem, hunc morte secuta esse immunem ab omni reseruatione, vt potè, quæ supponat peccatum, quod tamen fuit deletum per confessionem.

DIFICULTAS III.

Ad quam restitutionem teneatur Homicida.

155 *Primò tenetur ad expensas factas in curatione occisi, aut percussi.*

156 *Secundò si occisus, aut percussus solitus erat sua arte quæstum facere, tenetur restituere quantum spes lucri poterat illi valere.*

157 *Quare non sit restituendum totum id quod poterat lucrari, sed tantùm iuxta spem lucri.*

158 *An ex hac summa restituenda possit detrahi æstimatio laboris.*

159 *Quomodo sit facienda hæc æstimatio lucri.*

Putant aliqui æstimationem hanc esse desumendam ex ætate sexaginta annorum, ibidem.

160 *Iuxta probi, & prudentis viri iudicium esse faciendam monet Author.*

161 *An adhuc esset facienda restitutio dato quòd mors esset alias iustè secutura.*

162 *Sic fur non tenetur ad restitutionem rei ablatæ alias iustè apud Dominum perituræ.*

163 *Secus verò esset si quis præueniret occidendo eum qui alias esset quidem moriturus, sed iniustè; tunc enim teneretur ad restitutionem.*

155 RESpondeo primò homicidã, seu iniustum percussorem teneri soluere expensas factas in curatione occisi, aut percussi. Et ratio est clara, quia huius damni fuit causa efficax. Ita DD. omnes.

156 Secundò præter expensas factas in curatione vulneris, teneri etiam restituere quantum spes lucri illi valere poterat, dato quòd occisus esset solitus

litus suo aliquo officio, vel arte quaestum facere. Detrahendae tamen sunt expensae, quas ipse solebat facere ad se ipsum alendum, quae enim quotidiè consumuntur non sunt censenda in lucro ad haeredes prouenietẽ. Quare non id totum est restituendum quod occisus poterat lucrari, sed quantum valere poterat illa spes lucri, detractis tamen ijs, quae ipse solebat consumere. Proinde si spes lucri ęstimetur ducentum; illud verò quod ad se alendum erat consumpturus aestimetur centum; supersunt centum restituendi. Ita Couar. lib. 2. variar. resol. cap. 10. nu. 7 Sotus l. 4. de iust q 6. art. 3. ad 3. Les. lib. 2. cap. 9. dub. 19.

157 Dixi non esse restituendum totum id quod occisus poterat lucrari, sed quantum valere poterat spes lucri. Et ratio est, quia lucrum est in spe; lucrum autem in spe minùs valet, quàm lucrum in re. Sicuti qui sata in autumno conteret non teneretur ad restitutionem totius messis, quae fuisset facta, sed quantum valere poterat spes messis. Nam fructus terrae in semente minùs valent, quàm fructus in segete. Is igitur qui abstulit alteri lucrum in spe, tenetur restituere, quantum valere poterat spes illa lucri ad arbitrium prudentis viri. Sed quoniam difficile admodum est ad vnguem definire quid sit restituendum, ideo aliquando consulendum est, vt fiant compositiones cum parte, cui faciẽda est restitutio; ea enim solet vt plurimum aliquid remittere.

158 Difficultas maior est, vtrùm ex hac summa, quam diximus esse restituendam pro spe lucri ad arbitrium boni viri, detrahi possit laboris ęstimatio.

Respondeo nullam esse habendam rationem istius laboris, sed integrè esse restituendum quantum spes lucri aestimabitur ad arbitrium prudentis viri. Et ratio est, quia si haec aestimatio laboris semper detrahatur, eò deueniemus, vt saepissimè nihil supersit quod sit restituendum; saepè enim lucrum non est maius, quàm aestimatio laboris. Quod patet in ijs operibus, in quibus nihil adest industriae. Tum quia, qui aliquem iniustè impedit à labore diurno, tenetur integrè restituere lucrum illius diei nihil detrahendo ratione laboris; Ergo idem dicendum in nostro casu. Ita Couar. l. cit. Les. cit. num. 126. Quidquid in contrarium sentiat Io. Maior in 4. dist. 15. q. 19. quo loco asserit detrahendam esse hanc laboris ęstimationem. Verùm haec sententia non mihi videtur admittenda, nisi fortè ita temperetur, vt tunc liceat aliquid lucro detrahere, quando artifex ipse libenter aliquid fuisset daturus pro laboris redemptione: hoc enim modo videtur seruari aequalitas. De reliquo si artifex nullo modo voluisset redimi laborem cum diminutione lucri tunc illud integrè est restituendum.

159 Quaeret aliquis quomodo facienda sit haec aestimatio lucri, cùm ignoretur quamdiù esset victurus is; qui fuit occisus.

Existimarunt aliqui hanc lucri aestimationem esse desumendam ex aetate sexaginta annorum; ad quam quis potest peruenire; ita vt si occisus sit annorum triginta, is putetur adhuc victurus alios triginta. Si quadraginta, putetur victurus alios viginti. Si quinquaginta, alios decem. Ita Ang. v. rest. 1. §. homicida, Couar. l. cit qui aestimationem hanc desumunt iuxta dispositionem legis, Computationi §. ab legem falcidiam. Verùm cùm haec lex loquatur tantùm de alimentis ad vitam legatis, non videtur extendenda ad nostrum casum.

160 Proinde respondeo nullam aliam

aliam regulam posse commodiorem præscribi, quàm si dicamus restitutionem hanc esse faciendam iuxta probi, & prudentis viri iudicium, consideratis omnibus circumstantijs, vt præsenti ætate, sanitate, viribus, quibus vlteriùs putabatur vitam producturus. Pariter spectata ratione lucri cessantis, vel damni emergentis ex vitæ abbreuiatione, aut membri mutilatione.

161 Aduertendum tamen quòd si is, qui fuit occisus, vel naturali, vel aliàs iusta morte erat moriturus, is qui iniustè præueniret occidendo, ad nullam restitutionem teneretur; licèt contra iustitiam peccaret. Et ratio est, quia occisio illa non esset coniuncta cum damno, cùm supponamus illum iam fuisse aliàs iusta morte moriturum. Ita P. Nau. lib. 4. cap. 1. num. 78.

162 Et hoc pendet ex ijs, quę aliàs docuimus in materia restitutionis; videlicet non teneri furem ad restitutionem rei ablatæ, quæ apud ipsum perijt, dato quòd similiter apud dominum fuerit casu, iusta hominum incursione, vel naufragio peritura. Id quod docet Couar. de reg. pec. par. 2. §. 6. nu. 1. Io. Med. cod. de rest. q. 6 concl. 6. Sylu. v. rest. 7. quæst. 5. §. tertium. P. Nau. cit. num. 37. Nau. cap. 37. num. 8.

163 Dixi iusta morte, quia si quispiam præuenerit occidendo eum, qui aliàs fuisset iniustè moriturus, vt per manus latronis, vel etiam Principis, adhuc teneretur ad restitutionem. Et ratio est, quia si latro ille, vel Princeps illum occidisset, contraxisset obligationem restituendi; Ergo eandem contrahet is, qui præueniat; non enim ideo deperdit aliquod ius vel viuendi, vel lucri faciendi in vita, quia alius omnino statuerat illum iniustè occidere; quomodo illud amittit, quando iusta morte est periturus.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm quando Homicida sustinuit pœnam Talionis teneatur ad compensationem damnorum.

164 *Responsio est affirmatiua.*
165 *Contrariam tamen sententiam sustinent Authores plures.*
166 *Per pœnam tamen Talionis semper compensatur damnum vitæ ablatæ.*

164 Respondeo probabilius esse, quòd is qui pœnam Talionis persoluit, adhuc teneatur resarcire omnia damna secuta per homicidium. Ita Nauar. cap. 15. nu. 25. Couar. lib. 2. var. resol. cap. 10. num. 7. circa medium. Gomec. t. 3. cap. 3. num. 37. Less. lib. 2. cap. 9. dub. 22. Et ratio est, quia pœna quam Iudex infligit non est ad compensandum damnum Parti læsæ, sed ad inijciendum alijs terrorem, & ad vindicandam iniuriam illatam Reipublicæ, & legibus. Vnde videmus etiam quædam crimina, quæ nulli damnum inferunt morte puniri, vt sodomiam, hęresim, blasphemiam. Tum quia iustitia commutatiua obligat ad restituendum id, quod iniustè fuit ablatum: per pœnam autem Talionis non restituitur id, quod est ablatum; Ergo per eam non satisfacit homicida.

165 Dixi in responsione probabilius esse. Et ratio est, quia non desunt Auctores, qui contrariam sententiam sustineant asserentes, pœna talionis soluta, homicidam non teneri ad aliam restitutionem. Ita Ang. v. rest. 1. §. homicida, Rosella v. rest. 3. Quam sententiam puto probabilem cum Less. l. cit. saltem quando ipse homicida fuit punitus in corpore, & hæredes occisi

non exigunt aliam compensationem; tunc enim puto hæredes homicidæ in conscientia ad nihil aliud teneri. Et ratio est, quia ipsi hæredes occisi nihil aliud exigendo videntur pœnę Talionis acquiescere. Secus verò esset, quoties aliam compensationem exigerent; ad eam enim essent obligandi, quia verè per pœnam Talionis non videtur esse reparatum damnum, quod iniustè fuit illatum.

166 Quidquid tamen sit de compensatione damni illati, vtrùm videlicet illud compensetur per pœnam Talionis: certum hoc est per eandem sufficienter compensari damnum vitæ ablatæ; & consequenter pro ea nihil deberi hæredibus occisi.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm aliquid sit restituendum pro damno vitæ.

167 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*
168 *Pro vita, membro, vel cicatrice nihil debetur.*
169 *Quare fiat restitutio pro vita serui, & non pro vita hominis liberi.*
170 *Quare item pro vita equi, vel bouis, & non pro vita hominis liberi.*
171 *Damnum vitę vtrùm saltem ex parte sit compensandum, licèt integrè non possit.*
172 *Solum damnum pecuniarium ex homicidio secutum est compensandum.*
173 *Si vir nobilis fuisset occisus qui nihil lucraretur, nihil esset restituendum.*
174 *Refertur sententia docens etiam pro damno vitæ faciendam esse restitutionem.*

167 QVærimus in hac difficultate vtrum non solùm sit faciẽda restitutio pro damnis pecuniarijs ex homicidio secutis, sed etiam pro damno vitæ. Quod idem erit dicendum de damno membri in casu mutilationis: vel damno cicatricis in casu vulneris illati.

168 Respondeo pro vita, membro, vel cicatrice in conscientia nihil deberi. Ita colligitur ex leg. vlt. §. de ijs, qui effuderunt, vbi habetur liberum corpus nullam recipere ęstimationem. Ratio verò est, quia restitutio quæ debetur ex iustitia commutatiua fieri debet ad æqualitatem iuxta rei æstimationem; liberum autem corpus, & hominis mẽbrum nullam recipiunt æstimationem: non enim potest statui quantum pro vita, vel membro sit restituendum, neq; vir prudens certum quid potest definire. Si enim dixerit quispiam pro vita hominis mille deberi: cur non duo millia, & sic de inceps? licèt enim homicida vt satisfaciat non teneatur conijcere se in extremam necessitatem, tamen si opibus maximè abundet, nunquam poterit ab arbitris tantum taxari, quin dici possit amplius deberi. Tum quia nemo tenetur compensare damnum ex bonis diuersi ordinis; Ergo damnum vitæ non tenetur compensare pecunia. Alioqui, qui in vita læsisset, teneretur damnum compensare in honore, quoties in pecunia non posset, eo quòd esset pauper. Demum verò sequeretur, cùm vitæ hominum sint æqualis dignitatis, æqualem etiam debere fieri pro omnibus restitutionem, quod est absurdum. Ratio ergo fundamentalis est, quia restitutio, quæ debetur ex iustitia, reparat damnum illatum ad æqualitatem. Sed damnum vitæ, membri, vel cicatricis ex natura sua est irreparabile; Ergo pro eo non debetur restitutio lege iustitiæ commutatiuæ. Ita P. Nau. lib 4.

de rest.cap.1.nu.80. Couar. lib.2.var.resolut. cap. 10. num. 7. circa medium. Gometius tom.3. cap. 6. num. 12. Less. lib.2 cap. 9. dub. 23.

Obijcies primò pro vita serui fit restitutio pecuniaria. Ergo eadem est facienda pro vita hominis liberi.

169 Respondeo concesso antecedente, negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia vita serui pretio æstimatur, vnde est vt ad æqualitatem possit damnum reparari: vita verò hominis liberi, quia non est pretio æstimabilis, inde est vt non possit ad æqualitatem reparari. Et quia non potest ad æqualitatem reparari, neq; adest obligatio iustitiæ tale damnum reparandi, quia obligatio iustitiæ respicit æqualitatem. Quare non omne damnum ex iustitia est compensandū pecunia; alioqui etiam damnum spirituale, quod tamen est maximum, esset pecunia compensandum.

Obijcies secundò sequeretur teneri quempiam ad restitutionem pro vita equi, vel bouis occisi, & non pro vita hominis; quod tamen videtur absurdum: alioqui enim esset dicendum maius peccatum esse occidere equum, vel bouem, quàm hominem.

170 Respondeo non esse mirum. quod pro vita equi, vel bouis debeatur restitutio pecuniaria, & non pro vita hominis liberi. Ratio enim est, quia vita hominis liberi superat omne pretium pecuniarium, & humanum: non sic autem vita bouis, vel equi.

Obijcies tertiò dato etiam quod dānum vitæ superet omne pretium pecuniarium; ratio hæc tantùm probat, damnum hoc non posse integrè compensari; non autem probat, illud non debere compensari eo saltem modo, quo potest, iuxta arbitrium prudentum; Ergo licèt homicida non possit damnum vitæ integrè resarcire, tenebitur tamen illud resarcire eo modo, quo potest, quia, qui non potest totum damnum compensare, tenetur illud compensare eo modo, quo potest.

171 Respondeo rationem nostrā probare, damnum hoc nullo modo esse compensandum pecunia, neque integrè, neq; ex parte; quia cùm bona vitæ, & bona pecuniæ sint bona, quæ inter se non possunt commensurari, inde est vt neq; adsit obligatio iustitiæ alterum pro altero compensandi, ex eo quia inter illa bona, quæ diuersi ordinis sunt non possit fieri commensuratio. Dictum autem illud, qui non potest integre, tenetur ex parte, valet in bonis commensuralibus.

172 Vnde inferas primò solum damnum pecuniarum ex homicidio secutum esse ex iustitia compensandū. Pro damno verò vitæ, membri, vel cicatricis, & pro iniuria, deberi solùm quandam satisfactionem signis doloris, & petitione veniæ expressam.

173 Secundò si vir nobilis, aut alius fuerit occisus, qui nihil lucri faceret, neq; artem quæstuariam exerceret, nihil etiam esse restituendum præter expensas in Medicos, si quæ factæ sint. Et ratio est, quia nullum damnum pecuniarium ex tali homicidio est secutum.

174 Verum tamen est adesse contrariam sententiam, quæ asserit non solùm deberi restitutionem pecuniariam pro damnis pecuniarijs ex homicidio, mutilatione, vel percussione secutis, sed eandem etiam præcisè deberi pro damno vitæ, membri, vel cicatricis; eamquè ad arbitrium boni viri. Quam sententiam sustinent Sotus lib. 4. de iust. q.6. art 3. ad 3. Sylu. v. rest.3. quæst.2. Verùm nostra communior est.

DIFFICVLTAS VI.

Quibusnam teneatur facere restitutionem homicida.

175 *Proponitur ratio dubitandi.*
176 *Refertur sententia docens occisorem teneri ad alendos eos omnes, quos occisus alebat, etiã ex sua liberalitate.*
177 *Sententia Authoris negat.*
178 *Nec item homicida tenetur restituere creditoribus occisi.*
179 *Homicida tenetur solùm restituere Parentibus occisi, filijs & vxori.*
180 *An teneatur restituere aliquid fratri occisi.*
181 *An vxori occisi, quando ea nullum damnum pateretur.*
182 *An teneretur ad restitutionem homicida ille, cui occisus condonasset omne debitum ante mortem.*

175 Ratio dubitãdi in eo est, quia ex homicidio quandoquè plurima damna sequuntur. Primò enim contingere potest, vt occisus magnam aleret familiam. Secundò vt alios aleret ex liberalitate, puta nepotes, & alios consanguineos, vel affines, omni alia spe orbatos. Tertiò vt plures haberet creditores, quibus satisfacere nõ posset, nisi ex ijs, quæ in dies lucraretur. Quæri autem potest vtrùm homicida teneatur his omnibus compensare damnum secutum ex homicidio.

176 Hac in re variæ sunt DD. sententiæ. Respondet enim Nauar. cap. 15. num 24. dicendo occisorem teneri ad alendos etiam cognatos. Adduntq; vlteriùs Scotus, Gabr. Adrianus, illum teneri ad eos omnes alendos, quos occisus ipse alebat, & aluisset. Demum verò Azor par. 3. lib. 5. cap 3. existimat teneri ad eos alendos, quos ex sua liberalitate occisus aluisset.

177 Ego verò respondeo primò probabile esse homicidam non teneri aliquid restituere ijs, quos occisus ex mera liberalitate alebat. Ita Sotus, Lopez, Salonius, quos pro hac sententia citat, & sequitur Less. lib. 2. cap. 9. dub. 26. Et probatur quia damnum hoc merè per accidens dicitur illis euenire. Tum quia occisus non tenebatur illos alere ex iustitia; Ergo neq; occisor. Demum verò sequeretur si vera esset contraria sententia, teneri occisorem ad alendos omnes illos famulos, & pauperes, quos alebat occisus. Quod tamen non est dicendum.

Obijciet aliquis, qui per vim impedit ne quis alteri benefaciat tenetur ad restitutionem. Sed in nostro casu occisor dicitur per vim impedire, ne occisus benefaciat ijs, quos ex sua liberalitate alebat; Ergo tenetur ad restitutionem.

Respondeo maiorem esse veram, quoties vis inferatur in eum finem, ne alteri benefaciat, quod non contingit in nostro casu.

178 Respondeo secundò probabile item esse homicidam non teneri aliquid restituere creditoribus occisi. Ita DD. cc. Et probatur quia damnum illud per accidens sequitur ex ipsa occisione; non enim occisio illa ex natura sua, vel vt plurimum est creditoribus perniciosa. Tum quia creditor in debitorem habet tãtùm ius ratione bonorum, quæ actu habet, vel quæ verisimiliter est habiturus; Ergo si homicida restituat hæredibus ea, quæ occisus erat verisimiliter lucraturus, nullam infert iniuriam creditoribus; cùm eandem possint petere, & recipere solutionem ab eius hæredibus, quam potuissent recipere a primo debitore, si non fuisset occisus. Secus tamen esset

si ea

si ea intentione, & animo occidisset, vt creditoribus obesset.

Obijcies primò, ideò occisor tenetur restituere filijs occisi, quia parens illis obligabatur ex iustitia. Sed etiam creditoribus obligatur ex iustitia. Ergo ijsdē tenetur occisor ad restitutionem.

Respondeo negando maiorem: occisor enim non ideo tenetur filijs occisi restituere, quia Parens illis tenebatur ex iustitia, cùm illis teneatur tantùm lege pietatis; sed quia filij censentur vna persona cum Parente occiso, & quia ipsi patiuntur damnum in bonis proprijs, quæ per Parentem possidebantur. Quæ ratio non militat pro creditoribus.

Obijcies secundò, si quispiam destruat hypothecam puta domum, vel agrum tenetur creditori de damno. Ergo etiam tenetur creditori de damno, qui interficit debitorem, cum hic ratione obligationis personalis sit instar hypothecæ.

Respondeo quidquid sit de antecedente, quòd tamen est falsum, cùm destruens hypothecam sufficienter satisfaciat tradendo æquiualens illi hypothecæ, puta domum, vel agrum similem, vel dando æstimationem, & compensando fructus pro tempore, quo illos impediuit.

Respondeo inquam negando consequentiam. Et ratio est, quia debitor non obligatur tanquam hypotheca, non enim potest vendi; sed tantùm ratione bonorum, quæ actu habet, aut verisimiliter habere potest. Si ergo damnum hoc occisor compenset hæredibus, nullum sequitur in creditores ex natura occisionis, cùm ad eosdem hæredes spectet debita defūcti persoluere.

179 Respondeo tertiò occisorem teneri solùm restituere Parentibus occisi, filijs, & vxori. Ita DD cc. Et ratio est, quia occisus dicitur vna persona cum Patre, cum filio, cum vxore. Vnde est vt qui Caium, verbi gratia, occidit, teneatur Patri, liberis, vxori restituere, quia cùm hi omnes dicantur vna persona, hosce omnes lædit in re sua, ijsq; damnum infertur: dicitur enim occisor veluti quandam partem abscindere, à qua in illos strictissimo nexu vtilitas maxima deriuabat.

Quare falsa est illa ratio, quòd homicida teneatur restituere parentibus, & filijs occisi, ex eo quod ij succedant in iura defuncti. Nam defunctus nunquam habuit ius ad hanc restitutionem, cùm obligatio huius restitutionis orta sit per mortem.

180 Vnde inferas si occisus habeat tantùm fratrem, probabile esse, quòd illi nihil debeatur. Et ratio est, quia ille non est vna persona cum defuncto, neq; dicitur læsus in re sua. Quinimò illi potius fuit illatum commodum, quàm damnum, quia citiùs successit bonis fratris, qui si vixisset, fortè alios hæredes instituisset.

181 Addo probabile item esse occisorem non teneri aliquid restituere vxori occisi, quoties ea nullum notabile damnum passa sit, vel æquè commodè possit nubere. Et ratio est, quia in tali casu non dicitur læsa in rebus pecunia æstimabilibus. Ita Less. cit. nu. 157. qui addit hoc idem probabiliter sustineri posse de Patre occisi: ita vt homicida nihil teneatur illi restituere, nisi fortè sit hæres; vel filius occisus illum aleret, & aliundè non esset illi prospectum. Et ratio est, quia alioquin non censetur læsus in re sua, ita vt damnum pecuniarum patiatur.

182 Quæres an homicida teneretur ad aliquam restitutionem, dato quòd occisus antequam moreretur omne debitum illi condonasset.

Respondeo ad nullam teneri. Et hęc est communior sententia, quam sequitur Bannes quæst.62. art.2. dub.6. Sotus lib.4. quæst.6. art.3. ad 3. Et ratio est, quia filij in tantùm habent ius exigendi compensationem damni, in quantùm illud fuit illatum Patri contra illius voluntatem; Ergo si illud iam sit à Patre condonatum, nullum ius illis remanet. Sicuti enim ius hoc per Parentem acquirunt, ita per eundem illud amittunt.

DIFFICVLTAS VII.

Quàm graue sit hoc peccatum.

RESpondeo grauissimum illud esse. Vnde est vt Concil. Trid. sess.24. cap.6. tanti flagitij spectata immanitate concesserit Episcopis priuilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, & necdum ad forũ contentiosum deductis; exceptâ tamen eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario. Ac meritò; perniciosum enim hoc peccatum est, horrendum, immane, atquè abhominandum. Hinc Ordinarij ferè omnes peccatum hoc sibi reseruarunt. Et Cap. Maior dist. 50. vocatur immane flagitium. Ecclesiastici verò cap.13. dicitur peccatum contra naturam, cùm omne animal diligat simile sibi. Exodi item cap.20. 21., & 22. ab Altari arcetur quilibet homicida, ac statuitur, vt ipsius sanguis effundatur: sicut & ille Proximi sanguinem effudit. Demum verò extat dictum illud Christi, gladio feriẽtem gladio periturum.

DISCE LECTOR

Suo quemq; gladio Homicidam iugulari.

CAPVT OCTAVVM

Qui Parentes percusserint.

CAsum hunc variè à varijs locorum Ordinarijs reseruatum reperio. Tabellæ enim Firmanæ casum sextum explicans Belloch. par. 2. quæst 2. nu. 52. refert eum in hæc verba esse reseruatum. Percussionis contra Patres, & Matres, aut Auias, vel Auios. Graff. in praxi lib 2. cap.40. num. 19. Rossani, & alijs in locis ita refert esse reseruatum. Verberantes Patrem, & Matrem. Alibi sic. Qui manus in Parentes iniecerint. At verò Nolæ, Motulæ, Ferrariæ, alijsquè locis eodem planè modo, ac in nostra Diœcesi est reseruatus, videlicet. Qui Parentes percusserint, vel Parentum percussores.

QVÆSTIO PRIMA

Quinam incidant in hanc reseruationem.

AD huius casus intelligẽtiam duo sunt præmittenda, quid videlicet veniat nomine Parentum, & quid nomine percussionis.

DIFFICVLTAS I.

Quinam veniant nomine Parentum in hac reseruatione.

1 *Refertur sententia docens nomine Parentum*

rentum venire Socerum, Patruum, Amitam, Vitricum, Nouercam, atq; alios consanguineos omnes Superiores Patre.

2 *Sententia Authoris est, venire tantùm Patrem, Matrem, Auum, Auiam, & alios ascendentes vsq; ad Tritauũ.*

3 *Quare in explicatione 4. Pracepti Decalogi latior ibi facienda sit interpratatio huius nominis, Parentum.*

1 RESpondeo duplicem in hac re adesse sententiam. Altera est, quæ asserit, Parentum nomine, non solùm venire Patrem, & Matrem, sed cõsanguineos etiam omnes, atquè alios Superiores, puta Socerum, Patruum, Amitam, Vitricum, & Nouercam. Ita Chapeauilla in explicatione quarti casus reser. quęst. 1. Zecchius casu 14. Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 2. nu. 53. Hocq; probant ex doctrina, quam tradit Iason in leg. Prætor ff. de in ius vocando. Vbi habet, licèt appellatione Parentum veniant Superiores tantùm vsq; ad Tritauum, tamen in casu illius legis non licere vocare in ius Parentes in infinitum sine licentia, causa honestatis seruandæ. Vnde est, vt argumententur idem esse dicendum in nostro casu, vt honor Parentibus deferatur: & consequenter dicant in reseruationem hanc incidere omnes percutiẽtes Superiores suos in infinitum, puta Patrem, Auum, Proauum, & omnes alios, qui illorum locum tenent: puta Vitricum, Nouercam.

2 Altera verò sententia, quæ verior videtur, & sustinenda est, quæ asserit Parentum nomine venire solùm Patrem, & Matrem, Auum, & Auiam, & alios ascendentes vsq; ad Tritauum. Ita Grati. in praxi lib. 2. cap. 40. nu. 22., Gamb. casu 8. folio 211. Et hoc patet ex lege iuris consultus §. Parentes ff. de grad. vbi habetur Parentum appellatione venire solùm Superiores cognatos vsq; ad Tritauos. Tum quia in materia reseruationis casus est strictè interpraetandus, non verò extendendus; Ergo cùm Parentum nomine non tam propriè veniant Vitricus, & Nouerca, nequè ad eos erit casus extendendus. Doctrina ergo Iasonis bene procedit in edicto de in ius vocando; ita vt filio non liceat, nec Patrem, nec aliquem ex consanguineis ascendentibus, quicunq; ille sit, in iudicium vocare. Et hoc quia lex est fauorabilis, & respicit tantùm fauorem Parentum, quibus intendit reuerentiam esse à filijs exhibendam. At verò reseruatio est lex pęnalis: statuta verò pœnalia extra suos casus nunquam sunt extendenda, & in proprio tantùm vocabulo sumenda, & explicanda.

3 Pari modo licèt in explicatione quarti præcepti Decalogi nomine Patris, & Matris dixerimus ibi comprehendi quatuor genera personarum.

Primò videlicet Parentes, à quibus immediatè, vel mediatè per generationem descendimus.

Secundò superiores, qui salutis nostræ spiritualis curam habent, quales sunt Episcopi, & Parochi.

Tertiò Imperatores, & Reges, qui bonorum nostrorum temporalium curam gerunt.

Quartò demum Tutores, Curatores, & Magistros, quorum prudentia, & doctrina erudimur. Hoc tamen loco strictior huius nominis interpraetatio est; ibi enim agebatur de honore exhibendo, quem ratio ipsa dictat non solùm esse exhibendum Parentibus, à quibus per generationem descendimus, & ipsum esse accepimus, sed etiam alijs omnibus Superioribus, à quibus accepimus benè esse. Hic verò agitur

de

de pœna, quæ cùm sit res odiosa, inde est vt restringenda potius sit, quàm amplianda. Quare ergo si Parentum nomine veniunt tantùm Superiores ascendentes, à quibus naturaliter descendimus, puta Pater, Mater, Auus, Auia, & alij vsq; ad Tritauum, eorum etiam tantùm percussores comprehēdentur sub casu.

DIFFICVLTAS II.

Quid intelligendum sit nomine percussionis.

4 *Percussio Parentibus facta licèt de se leuis, tamen ratione circumstantiæ potest esse grauis.*

5 *Quid intelligatur nomine Percussionis.*

4 ADuertendum cum Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 2. n. 55. distinctionem eam de percussione leui, mediocri, & enormi, quàm communiter faciunt DD. in explicatione Canonis, si quis suadente &c. hic non habere locum. Et ratio est, quia percussio, quæ de se leuis fortè videri potest, grauissima esse potest, si Parentibus fiat; & hoc propter circumstantiam reuerentiæ, quæ Parentibus debetur; Non ergo considerandum in hoc casu est, an percussio leuis sit, grauis, vel enormis, cùm etiam leuis percussio Parentibus facta cum mortali culpa possit esse cōiuncta ratione irreuerentiæ. Vt bene Riccardus in 3. sent. dist. 37. Nauar. in Man. cap. 14 num. 12. Gamb. in explicatione huius casus folio 211. Alijq; DD in quæstione sequente citandi.

5 Respondeo ergo nomine percussionis non esse intelligendā, quamcunquè iniuriam Parentibus factam, etiamsi ea fieret animo percutiendi, sed veram, & realem percussionem, quæ vel immediatè fiat, vt manu, pede: vel mediatè, vt bàculo, ense. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap. 40. num. 25. Zecchius casu 14. Quod ergo habet Chapeau. cap. illo 4. quæst. 1. in Superiore difficult. cit. non solùm venire quamlibet percussionem, siuè immediatam, siue mediatam, sed etiam comprehendi quamlibet realem iniuriam in eos commissam, puta aspersionem aquæ, pulueris, saliuæ, aut iniuriosam per vestem retentionem, violentam acceptionem rei alicuius ex manibus eorum: retentionem iniuriosam fugientium, ac demum captionem, aut incarcerationem eorum: hæc ad summum vera sunt, si reseruatio fiat sub ijs terminis, sub quibus ille explicat. Sic enim illius casus habet, de iniectione manus in Parentes. At verò in nostro casu, in quo fit mētio percussionis non iniectionis manus, hæc omnia minùs cōgruenter dicuntur, sed dicendum est non quamlibet iniuriam Parentibus irrogatam sufficere, sed veram, & realem percussionem requiri.

DIFFICVLTAS III.

Quinam incidant in hunc casum.

6 *Incidunt in casum qui Patrem, vel Matrem, Auum, vel Auiam, vel alios ascendētes vsq; ad Tritauū occidunt.*

7 *Incidit etiam is, qui Parentem percutiat, etiamsi percussio sit leuis in ratione nocumenti.*

8 *Filius item fidelis, qui Patrem infidelem percutiat.*

9 *Filius item, qui Patrem suum naturalem tantùm percutiat.*

10 *Quid si filius occideret Patrem publicè proscriptum à Patria. Refertur sententia docens non peccare.*

11 *Author asserit illum peccare.*

6 Respondeo primò incidere eos omnes, qui Patrem, vel Matrem, Auum, vel Auiam, vel alios demum ascendentes modo explicato percutiant. Ita Graff. Gamb. in 1. diff. cc. Et ratio est, quia hi verè dicuntur Parentum percussores.

7 Secundò incidere eum, qui Parentem percutiat, etiamsi percussio sit leuis in ratione nocumenti. Et ratio est, quia iniuria hęc ex eo quòd fiat Parentibus magnam habet malitiam. Ita Clauis Reg. lib. 7. cap. 5. num. 2. noster Bonac. disp. 6. circa quartum decalogi præceptum q. vnica puncto 2. num. 4.

8 Tertiò incurrere etiam filios eos, qui ab infidelitate ad fidem nostram conuersi Patrem, vel Matrem, Auum, vel Auiam etiam infidelem grauiter, vel leuiter percutiant. Et ratio est, quia casus comprehendit omnes percussores Parentum, nec vllam facit distinctionem fidelium ab infidelibus. Ergo tam dicendum nobis est comprehendi sub casu filios fideles percutientes Parentes fideles, quàm Parentes infideles; indistinctè enim lex est intelligenda, quæ nullam facit distinctionem.

9 Quartò incurrere in reseruationem non solùm eum, qui Patrem suum legitimum percuteret, sed etiam eum, qui Patrem suum naturalem tantùm. Et ratio est, quia verè est Pater, & ab eo per carnalem propagationem descendit. Vnde est vt secundùm Iuristas filius occidens Patrem suum tantùm naturalem verè dicatur parricida, ac si occidisset Patrem suum legitimum. Ita Graff. lib. 2. in praxi cap. 40. num. 39. Belloch par. 2. quæst. 2. num. 59.

10 Quintò quid dicendum si filius occidat Patrem publicè proscriptum à Patria, quem impunè occidendi facultas data sit à Principe, vel Republica, vtrùm videlicet incidat in casum.

Difficultati huic respondendum est ex ijs, quæ habent Nellus de sancto Geminiano in tract. de banditis par. 2. quæst. 10. Et Iulius Clarus in l. recept. sent. §. hom. num. 53. quo loco duas referunt Doctorum opiniones.

Alteram asserentium filium nō peccare occidendo, ex eo quòd Respublica, vel Princeps dicatur in casu similis sententiæ quemlibet constituere ministrum illius necis. Tum quia tales publicè proscripti reputantur tanquam hostes Patriæ. In cuius sententiæ confirmationem referunt legis statuta à quibusdam Ciuitatibus edita, vt qui proscriptum occidisset certa illi mercedis nomine præmia darentur, & cuidam, qui Patris proscripti caput à se amputatum detulisset, mercedem fuisse persolutam. Demum verò referunt quod habet Plutarcus in vita Syllæ: cum videlicet victis Marianis Sylla vrbem Romam esset ingressus, & ciues occidēdi nullus finis statueretur, Quintum Catulum dixisse Syllæ, cum quibus tandem victuri sumus si in bello armatos, in pace inermes occidimus? tuncq; Syllam Fursidio auctore primi bilari tabulam proscriptionis primum excogitasse, ac principio octuaginta tantum viros; postea quadringentos proscripsisse, tulisseque de proscriptione legem, vt qui proscriptum accepisset capite puniretur, nullo nec filio, nec Patre excepto: qui verò proscriptum occidisset, etiamsi filius Patrem, ei duo talenta mercedis nomine darentur.

11 Alteram negantium hoc filio licere, proindeq; mortaliter peccare occidendo, quia licèt Pater sit publicè proscriptus, non est tamen hostis Patriæ, cùm in eam non capiat arma, nec est Reipublicæ proditor. Et licet Respublica, vel Princeps cuilibet priuato

dederit

dederit facultatem illum occidendi: verisimile tamen esse facultatem hanc non dedisse filio contra Patrem, ex eo quòd ea videatur pugnare cum pietate, & charitate, quam patri filius debet. Ita Iulius Clarus cit. Couar. de matr. p. 2. instit. moral. l. 2. cap. 3. q. 15. Qua retenta patet responsio ad primũ fundamentum contrariæ sententiæ. Quod verò attinet ad ea statuta, seu leges, respondent huius sententiæ DD. leges eas immanitatis, ac barbariei potius esse damnandas, quàm sequendas.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

11 *Non incidit is, qui Patrem, vel Matrem percutere conetur, sed tamen actu non percutiat.*

13 *Non incidit is, qui animo irato signet baculum in capite Patris, dicens si non esses Pater te percuterem.*

14 *Excusatur item, qui ex ignorãtia probabili percutiat Patrem.*

15 *Item qui à Patre iocosè percussus, illum statim repercutiat, sed absquè animo iniuriandi.*

16 *Item qui à Patre inuasus moderamine inculpatæ tutelæ adhibito vim vi repellat.*

17 *Quando nam dicatur seruari moderamen inculpatæ tutelæ.*

18 *Excusatur item filius, qui ob extremã necessitatem violenter aliquid auferre volens è manu Patris, illum percutiat.*

19 *Item qui casu Patrem percutiat.*

20 *Item qui Patrem percutit, vt illum ab inimicis eripiat.*

21 *Item qui non aduertens quid agat, Patrem percutiat.*

22 *Demum excusatur, qui Vitricum, vel Nouercam percutiat.*

12 RESpondeo primò excusari eũ, qui manum in pugnum compressam, vel fustem aliquem altiùs eleuaret, vt Patrem, vel Matrem, Auum, vel Auiam percuteret, quos tamen minimè tangeret. Et ratio est, quia reseruatio semper intelligitur cum effectu, & vbi facto opus est, signa voluntatis non sufficiunt. Glossa finalis in cap. Cum inter 3. de elect. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap 40. num. 23. Gamb. folio 211. Belloch par 2. q. 2. num 61. Verum tamen est, quòd ille peccasset mortaliter, quia hæc in Parentes iniuria & irreuerentia grauis reputatur. Quod docent Graff. par. 1. decis. aur. lib. 2. cap. 56. num. 6. Reg lib. 20. num 24. Clauis Regia. Bonac. in superiorẹ difficultate citati. Sicut etiam peccarent mortaliter, qui in Parẽtes maledicta conijcerent, vel illos ad notabilem iracundiam prouocarent, etiamsi Parentes ipsi nullam indignationem conciperent, sed tamen verba ipsa de se ad magnam iram essent prouocatiua. Quod idem aliqui probabiliter docent, eosq; nos ipsi secuti sumus in explicatione quarti præcepti decalogi; si verba de se non sint quidem prouocatiua ad iram, sed tamen ijs prolatis ad grauem iram prouocentur. Quidquid in contrarium sentiant Tolet. Clauis Regia cit. simili modo mortaliter peccarent, qui Parentes suos grauiter increparent asperè, & durè tractarent, illos in iudicium vocarent, etiamsi crimen esset verum, excepto casu læsæ Maiestatis Diuinæ per hæresim, & humanæ per coniurationem, & proditionem. Peccarent item, qui ex contemptu nollent Parentes suos recognoscere ob eorum paupertatem. Secus verò si hoc

non

non facerent ex contemptu, sed ad vitandum aliquod damnum in fama, vita, honore, vel pecunia, quod alioquin incurreretur cognito Patre; tunc enim Pater rationabiliter hoc non egrè ferret, nec iniuriæ adscriberet, sed pro filij bono consentiret, vel consentire deberet. Id quod docent Azor par. 2. instit. mor. l. 2. cap. 2. q. 3. Filliucius 2. par. tract. 26. cap. 1. q. 8. nu. 17. Regin. cit. Licèt ergo in his omnibus casibus filius peccaret mortaliter contra reuerentiam debitam Parentibus, nō tamen incideret in reseruationem.

13 Secundò non incidere in hanc reseruationem eum, qui animo irato signaret baculum in capite Patris, vel Matris, Aui, vel Auiæ, dicens nisi esses Pater cæderem te. Licèt enim iste comprehenderetur sub pęna Canonis, si quis suadente, si tangeret personam Clerici: non tamen incideret in hunc casum, cùm hic comprehendat tantùm percutientes; ille verò non diceretur percutere, sed tantùm signare, vel ictum in capite mesurare. Ita Graf. nu 26. Belloch. nu. 63.

14 Tertiò multò magis excusari eum, qui ex ignorantia probabili Patrem, vel Matrem percuteret. Et hoc à pari colligitur: Si enim Clericum percutiens immunis est ab excommunicatione, quoties ex probabili ignorantia illum percutiat; pari modo dicendum est immunem esse à reseruatione eum, qui ex eadem ignorantia Parentes percutiat. Ratio verò est, quia ignorantia contingens in eo, propter quod est lata reseruatio, omnino excusat ab ea reseruatione, ex eo quòd faciat actum quo ad illam qualitatem omninò inuoluntariùm. Ita Graf. num. 28. Chapeauilla cap. 4. de quarto casu reser. q 2 Belloch. num. 65. Sic excusatur à reseruatione is, qui putans se coire cum meretrice coeat cum sorore.

15 Quartò excusari eum, qui cum Patre, vel Matre, Auo, vel Auia ludendo, à quibus iocosè percutiatur, illos statim repercutiat sine animo iniuriādi. Et ratio est, quia huic percussioni deest malus animus, vt proinde mortalis non sit; non intelligitur autem peccatum aliquod reseruatum nisi illud mortàle sit. Addo hoc verum esse etiamsi in ea percussione intercederet excessus aliquis, modò tamen ille mortalis non esset. Ita in simili Sylu. v. excom. 6. nu. 6. propè finem. Graf. nu. 27. Chapeau. l. c.

16 Quintò non comprehendi sub casu filium, qui à Patre inuasus moderamine inculpatę tutelæ adhibito cum vi repelleret. Et ratio est, quia licitum est cuilibet se defendere ab iniusto inuasore. Et hoc sicuti verum est de filio, qui adhuc sub potestate Patris degat, ita verius est de eo, qui sit emancipatus. Ita Sylu. v. bellum 2. nu. 7. Graf. cit. nu. 30.

17 Dixi moderamine inculpatæ tutelæ adhibito. Quòd tunc intelligitur adesse, quando inuasus facit tantùm id sine quo aliter à manu inuadentis euadere non potest. Quare si quis ab altero inuasus possit actum aggressoris euitare, absquè eo quòd occidat, occidendo excedit fines iustæ defensionis, & transcendit inculpatam tutelam. Et ratio est, quia necessitas occidendi non erat ineuitabilis, cùm posset aliter effugere manus aggressoris, quàm occidendo. Secus verò si abstineat ab occisione quantum potest, sed quoniam videt se non posse vti alio moderamine ad se defendendum, quàm occidendo, ideo occidit; tunc enim licita est talis occisio. Et ratio est, quia fecit quantum potuit ad illam euitandam.

18 Sextò non ligari hac reseruatione:

tione filium eum, qui inimicum fugiẽdo obuiam haberet Patrem equitantem, à quo equum peteret, vt commodiùs fugere posset, quem cum pater negasset, illum ab equo deiecit. Intellige tamen hoc verum esse, quando aliter esset filius occidendus; tunc enim verè diceretur esse in extrema necessitate, vt proinde non solùm Pater, sed alius quicunq; teneretur equum commodare. Idemq; dicendum de eo, qui è manu Patris ensem violenter eripere volens, vt se ab inuadente tueatur, illum renuentem percutiat. Ita Graff. cit. num. 38. Chapeau. casu quarto q. 2.

19 Septimò non incidere in casum eum, qui volẽs turbam arcere, Patrem etiam in turba existentem, in terram deiecit. Et ratio est, quia percussio hæc non est deliberata, sed casu fortuito. Ita Graff. cit. num. 44. Chapeau. l. cit.

20 Octauò non comprehendi sub casu eum, qui Patrem percutiat ex eo quòd aliter facere non possit: puta vt illum à delinquendo arceat, vel ab inimicis eripiat, vel certè simili incommodo præseruet. Ita Graff. nu. 37. Chapeau. l. cit.

21 Nonò neq; incidere eum, qui ex subita passione non aduertens quid agat Patrem percutiat. Et ratio est in hoc casu, quæ pro superioribus, vel alijs similibus inseruire potest; quia nimirum percussiones hæ, vel peccatum non sunt, vel certè non sunt peccatum mortale, quale requiritur ad reseruationem incurrẽdam. Ita Chapeau. l. cit.

22 Decimò non incidere eum, qui Vitricum, vel Nouercam percutiat. Et ratio est, quia vt ex dictis patet, hi non veniunt nomine parentum.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quàm graue sit hoc peccatum.

Respondeo grauissimum illud esse. Patetq; tanti sceleris immanitas primò ratione cõsanguinitatis; si enim grauior ea est iniuria, quæ à propinquo infertur, quàm sit ea, quæ ab ignoto, & extraneo, quantò grauior ea erit, quæ à filio in Patrem infertur. Tùm verò eadem magis patet ratione ingratitudinis; cùm enim tot beneficia vitæ, atquè educationis à Patre retulerit, ea postmodum nõ mutuo officio, sed maleficio rependit. Hinc est vt circumstantiam hanc mutare speciem peccati doceat D. Tho. 1. 2. quæst. 76. art. 3. atquè ita necessariò sit confitenda secundùm omnes in 4. Hinc etiam est, vt Deus seuerè excipiat hosce Patrum percussores. Vnde Deuteronomij cap. 27. dicitur, Maledictus, qui non honorat Patrem suum. Ecclesiastici cap. 3. Maledictus à Deo, qui exasperat Matrem. Et cap. eodem, Maledictus, qui contristat Patrem suum. Exodi verò 21. habetur, qui percusserit Patrem, morte morietur. Et antiquitus lege lata iubebatur patricida virgis cædi; postmodùm verò in sacco corij cum cane, gallo, vipera, & simia consutus in mare iactari, vel bestijs proijci. Tum verò colligitur tanti sceleris atrocitas eorum exemplo, quos Parentibus suis iniuriosos, aut vidimus, aut audiuimus miserrima morte vitam finiuisse. Sic Absalon Patri iniuriosus vitam miserabili casu conclusit 2. Regum cap. 18. Esau pariter Parentibus iniuriosus primogenituram infelicissimè amisit, Genesis 27. Cam. reuelans Patris pudenda maledictus est, Genesis cap. 9. Ac censere quidam Iudam Iscariotem proprium Patrem interfecisse, indeq; contigisse, vt proditor tandem Christi factus, ob maledictionem eam, quam ab initio habuerat se ipsum suspenderit. Adde vltimò, peccatum hoc naturę legibus

gibus repugnare: naturæ enim instinctu animalia Parentes suos à quibus fuere procreata, fouent, & defendunt. Sic ciconiæ dicuntur Parentes senes plumis nudatos tegere, alis fouere, & nutrire alimentis. Ita D. Ambrosius in libro suo, qui inscribitur Exameron. Idem etiam refert cornices simile pietatis officium erga seniores exhibere. Ac demum Apes iuniores dicuntur nō in opere tantùm, sed etiam in fœtu matres adiuuare. Vnde est, vt Deus hominibus hisce tam perditis, & erga Parentes suos iniuriosis, tanquam indignis omni naturæ beneficio breuem vitam sit comminatus, ijs verbis, Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Et ob id Orestem matricidam furijs agitatum fingunt Euripides, & Seneca. Et Neronem matricidam suis manibus perijsse refert Ausonius.

Nero matricida vim proprijs pertulit ensis.

DISCE LECTOR.

Vbi in suum Auctorem sæuierit, in se ipsum sæuiturum demum Parricidam.

CAPVT NONVM

Qui locis pijs Infantes exposuerint, cum habeant vnde ipsos alant, neq; eorum locorum damna resarcierint.

CApuт hoc duabus tantùm quæstionibus constabit; quarum prima erit, quinam incidant in hanc reseruationem; Altera verò quinam ab ea excusentur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam incidant in hanc reseruationem.

ANtequam ad casuum decisiones veniamus, præmittendum hoc loco primò est quid veniat nomine loci pij. Secundò quid nomine infantis, & quinam talis dicatur. Tertiò quid sit exponere infantem loco pio. His enim tribus intellectis, & cognitis, clarior, & dilucidior nobis erit huiusce casus intelligentia.

DIFFICVLTAS I.

Quid veniat nomine loci pij.

1 *Nomine loci pij venit Hospitale erectum auctoritate Episcopi.*

2 *Item Xenodochia.*

1 REspondeo nomine loci pij venire Hospitale, quod publicum sit, & fundatum auctoritate Episcopi. Probat hoc ex communi Doctorum sententia Graf. in praxi l. 2. cap. 22. num. 1. addens ex Clementina, quia contingit, de religiosis domibus, locum hunc gaudere omni priuilegio, quo gaudent Ecclesiæ. Primò enim lęsa Hospitalia in integrum restituuntur, & in præscriptione eodem ipso priuilegio fruuntur, quo fruuntur Ecclesiæ. Secundò sicut inuadens bona Ecclesiarum sacrilegus est; ita etiam inuadens bona

bona Hospitalis. Tertiò sicut bona Ecclesiæ retinens coram Iudice Ecclesiastico potest conueniri; ita etiam retinens bona Hospitalis. Quartò sicut quadraginta annorũ spatio bona Ecclesiarum præscribuntur, eodem pariter spatio bona Hospitalis. Ac demum sicut Ecclesiæ immunitate gaudent, ita & Hospitalia. Ac de his communis est Doctorum sensus, quoties Hospitale, vt diximus, sit fundatum auctoritate Episcopi.

2 Pariter nomine loci pij venire Xenodochia, quæ loca quædam publica sunt, in quibus recipiuntur Peregrini, & Aduenæ. Cap. de Xenodochijs, de præben. leg. illud, cod. de Epis. aud. Item Monasteria, Confraternitates, Montes Pietatis, Domos Misericordiæ, & alia loca similia de quibus Cõc. Trid. sess. 22. cap. 9. Ita Graff. cit. nu. 3. Flor. par. 2. casu 9. nu. 2.

DIFFICVLTAS II.

Quinam dicantur Infantes.

3 *Infantes dicuntur quia fari nesciant, quales fere omnes sunt ante septennium.*

3 Respondeo infantes dici, ex eo quòd fari nesciãt. Quare idem est dicere, qui infantes exposuerint, ac qui tenellos pueros nondum fari, & intelligere scientes exponunt, quales ferè omnes sunt ante septennium, cùm vsq; ad illud tempus duret infantia, vt patet ex Cap. literas, de dispensat. impuberum.

DIFFICVLTAS III.

Quid sit exponere Infantem loco pio.

4 *Exponere Infantes loco pio, est filios suos alendos loco pio tradere.*

5 *Exponere dicitur etiam is, qui in plateam defert infantem, quem ad locum pium scit esse deferendum.*

6 *Quare Ordinarij omnes casum hunc sibi reseruent.*

7 *Ad reseruationem hanc incurrendam tria requiruntur.*

4 Respondẽt huic difficultati Graf. lib. 2. cap. 22. in praxi num. 6. Belloch. 2. par. q. 16. nu. 29. Flor. par. 2. casu 9. nu. 1. exponere infantem loco pio nihil aliud significare, quam relegato omni pietatis officio ante valuas Hospitalis, vel in rota, vel ante domũ alterius, vel in loco publico infantes exponere, vt alij pietate moti eos colligant. Quæ interpretatio optima est.

5 Addam tamen pro clariore huius reseruationis intelligentia, exponere locis pijs infantes hoc loco non significare solam delationem infantum ad loca pia, ita vt ij soli dicantur exponere locis pijs infantes, qui illos deferant ad loca pia. Patet enim hoc ex eo, quia si quis deferat infantem in plateam, vel ad ianuam domus Parochi, vel in limine Ecclesiæ Parochialis illum exponat, eo quòd sciat illum postmodùm esse deferendum ad loca pia: porrò iste diceretur exponere loco pio infantem, nec tamen illum ad locum pium detulisset. Exponere ergo locis pijs infantes nihil aliud significat, quam locis pijs infantes alendos tradere. Qui sensus colligitur ex illis verbis reseruationis, cùm habeant vnde ipsos alant, ita vt, germanus intellectus eorum verborum hic sit, qui infantes suos potentes alere, illos alendos locis pijs tradunt, nec eorum locorum damna resarciunt.

6 Meritò autem Ordinarij sibi casum

sum hunc reseruare videntur consueuisse, quia videlicet ad illos spectat curare, vt redditus locorum piorum expendantur seruata forma Concilij Viennensis, quæ incipit, quia contingit, in Clem. de relig. dom. Cùm autem quorumdam locorum piorum, maximéq; Hospitalium munus sit pauperes infantes expositos alere; sæpissimè verò infantes, etiam non pauperes indifferenter exponantur in graue detrimentum pauperum infantium, nec ea loca pia possint hæc onera sustentare; inde est vt ad abusum hunc tollendum, & vt horum locorum redditus expendantur tantùm in vsus pauperum, ac propterea vt ipsis infantibus consulatur, qui aliquando sic expositi præ aeris inclementia, aut alicuius feræ inuasione miserrimè perire coguntur, casum hũc sibi D. Carolus reseruauerit.

7 Ex quibus patet ad reseruationem hanc incurrendam tria requiri.

Primũ est, vt partum quis exponat.

Secundum est, vt partum exponens habeat vnde illum alere possit.

Tertium est, quòd damna non resarcierit eius loci pij, cui partum exposuerit. Ita Gamb. in explicatione huius casus folio 212. Quoties ergo altera ex hisce conditionibus desit nulla incurritur reseruatio, vt si exponens egestate adeo præmatur, vt nihil habeat vnde infantem alat. Vel si exponat quidem, sed sumptus necessarios loco pio subministret. Vnde est, vt Iulius Clarus in sua pract. crim. §. finali quæst. 83. vers. partum, testetur nobilem quandam puellam, nomine Pannoniam Senatus consulto Mediolanẽsi fuisse absolutum, eo quòd partum exposuisset quidem ad infamiam vitãdam, sed infantis saluti prius bene consuluisset; tùm verò necessaria pro victu subministrasset, & indemnitati loci pij prospexisset. Et hæc ad casus intelligentiam deseruiant.

DIFFICVLTAS IV.

Quinam incidant in hunc casum.

8 *Incidit in casum hunc pater, qui filios suos, siue legitimos, siue naturales tantùm exponat.*

9 *Incidit Mater exponens, licèt id faceret ad infamiam vitandam.*

10 *Incidit etiam is, qui in limine Ecclesiæ, vel in foro infantem exponat, vt ad locum pium deferatur.*

11 *Quare dicendum sit hosce, qui in foro, aut Ecclesiæ limine infantes exponunt, in hunc casum incidere.*

12 *Non tamen incurreretur reseruatio quando mos esset, vt infantes ita expositi à Communitatibus alerentur.*

8 Respondeo primò incurrere eos omnes, qui locis pijs infantes exponunt, nec eorum locorum damna resarciant, cùm habeant vnde resarcire possint. Patet hoc ex litera reseruationis. Vnde incidit Pater, qui filios suos, siue naturales tantùm, ac spurios; siue etiam legitimos exponat, cùm eos omnes alere tam humano, quàm diuino iure teneatur; vt notant Doctores in cap. Cum haberet, de eo qui duxit in matrimonium eam, quam polluerat per adulterium. Ita Graff. lib. 2. in praxi cap. 22. num. 21. Gambar. casu 9. folio 212. Floronus par 2. casu 9. nu. 8. Belloch. par. 2. quæst 16. num. 31.

Dices iure ciuili cautum esse, vt proles ex damnato concubitu habita à Patre non alatur, vt patet auth. ex complexu, cod. de incest nupt. Ergo ea saltem poterit ad loca pia deferri, etiamsi Pater habeat vnde illam alat.

Respondeo legem hanc à iure ca-

nonico fuisse abrogatam tanquam minùs consentaneam pietati. Et ita seruari etiam in foro seculari. Vt docet Couar. de matrim. par. 2. cap. 8. § 6.

9 Secundò incidere etiam matres prædictis locis pijs infantes suos exponentes, etiamsi illos exponant ad infamiam vitandam, quoties eorum locorum damna non resarciant. Et ratio est, quia infamiam adhuc omnem cuitare possunt, si damna compensent; Ergo ratio infamiæ non sufficienter excusat. Adde verò non licere mala facere pro infamia vitanda. Sic in casu simili de abortu diximus nō licere pro infamia vitanda abortum procurare, eo quòd procuratio abortus sit res de se mala. Pariter ergo cùm expositio infantum res de se mala sit ob periculum mortis, quod ipsi infantes expositi incurrunt: tum verò ob damnum, quod locis pijs infertur; inde est vt nequè pro infamia vitanda vllo modo licitum sit eos exponere. Ita Graf. cit. nu. 19. Belloch. l. cit. num. 32. Flor. l. cit. vers. quartum locum habet.

10 Tertiò incurrere in reseruationem eum, qui in limine Ecclesiæ, vel ante ostium domus alicuius priuatæ personæ, vel certè in loco publico, puta agro, platea infantem exponat cum eo fine, vt postmodum repertus ad pia loca deferatur, & verè deferatur. Et ratio est, quia verè dicitur infantem loco pio alendum tradere, cùm sciat pueros ijs in locis repertos de consuetudine ad loca pia deferri, vt alantur; Ergo dicitur exponere loco pio: hanc enim esse intelligentiam horum verborum diximus in superiore difficultate. Tum quia nugatoria esset reseruatio, quoties diceremus hosce non comprehendi sub casu, quandoquidem indemnitati locorum piorum nullo modo esset consultum, cùm sępissimè contingat, vt in huiusmodi locis infantes exponantur. Ita Flor. l. cit. num. 8. Licèt contrarium sentiat Belloch. num. 31. eo quòd dicat ita expositos non esse locis pijs expositos. Sed obiectioni huic iam satisfecimus.

11 Dices in capite quinto superiore; de incidentibus arbores, diximus probabile esse in casum non incidere eas auellentes, eo quòd litera loquatur tantùm de incidentibus, non verò auellentibus. Ergo pari modo non incident in reseruationem ij, qui in limine Ecclesiæ, vel in locis publicis infantes exponunt, cùm verè non dicantur eos locis pijs exponere.

Respondeo negando paritatem; qui enim arbores auellunt dici possunt nō incurrere in casum, quia verè illas non incidunt. At verò in casu præsenti, qui infantes in limine Ecclesiæ exponunt, cùm indirectè saltem eos pijs locis exponant, seu pijs locis illos alēdos tradant, inde est vt comprehendantur sub casu. Indirectè autem dicuntur eos pijs locis exponere, quia sciunt infantes ita expositos ad pia loca deferri. Tum quia ita exponentes infantes dicuntur saltem alijs mandare, vt eos ad pia loca deferant: mandantes autem, si ij sint, ad quos cura filiorum pertineat sub casu comprehenduntur, vt patebit ex diffic. sequenti.

12 Intellige tamen hoc non procedere, quādo quis infantem aliquem exponeret in limine Ecclesiæ, & in ijs locis esset, in quibus solerent Communitates eos alere. Quam cōsuetudinem vigere in partibus Montis Ferrati ex Petro Surdo testatur Gāb. l. cit. nu 6. Et ratio est, quia tunc neq; indirectè diceretur infantem locis pijs exponere, cū infantes ita expositi ab ipsa Communitate recipiantur, atq; alantur. Sed de casu hoc redibit sermo in q. sequente.

DIFFICVLTAS V.

An mandantes comprehendantur sub casu.

13 *Proponitur ratio difficultatis.*
14 *Refertur sententia docens mandantes omnes comprehendi.*
15 *Author putat solos eos mandantes comprehendi, ad quos pertinet cura infantis.*
16 *Pater, & Mater mandantes infantem exponi incidunt in casum: alij verò, ad quos non pertinet cura infantis, non item.*
17 *Ex quibus verbis colligatur hac restrictio.*

13 RAtio difficultatis in eo est, quia si mandantes non comprehenderētur sequeretur reseruationem hanc latam tantùm esse contra famulos, & seruos iussu Dominorum exponentes: pauperes enim nunquam comprehenderentur, quoties infantes suos alere ipsi non possint, vt patet ex litera reseruationis, cùm habeant vnde ipsos alant. Domini pariter excusarentur à reseruatione, quia non ipsi infantes exponunt, sed exponi mandant; Ergo dicendum superesset semper reseruationem hanc à seruis, & famulis incurri.

14 Certè Graff. lib. 2. in praxi cap. 22. num. 25. mandantes omnes sub casu comprehendit. Et rationem affert, quia aliàs reseruatio hæc de facili redderetur elusoria, quandoquidem illam facilè eluderent Domini alicui ex seruis præcipiendo, vt partum ad Hospitale deferret, ibiq; exponeret. Ac verè ita sentiendo videtur sibi cohærere, cùm in cęteris ferè omnibus casibus mandantes comprehendat; licèt in casu de homicidio voluntario illos excludat. Verùm in nostra sententia, quæ asserit in legibus pœnalibus mandantes, vel consulentes nunquam comprehendi, nisi eorum fiat expressa mentio, vel certè ex peculiari aliqua circumstantia illud colligatur: videtur hoc loco dicendum nullo modo mandantes comprehendi sub hac reseruatione.

15 Respondeo ergo hanc Graffij sententiam nimis latè patere, proindeque nec placere, quoties mandantes omnes comprehendat. Quòd si velit mandantes eos tantùm comprehendi, ad quos spectat cura infantes illos alēdi, & tamen cęteris mandant, vt illos ad loca pia deferant cùm vere alere possint, ita explicatam sententiam puto veram. At verò si intendat ligari hac reseruatione mandantes omnes, vel consulentes puta etiam eos, qui non teneątur alere infantes: hoc falsum puto. Et hoc probatur ex regula illa nostra generali, quòd statuta lata contra facientes non comprehendunt mandantes.

16 Quare ergo si Pater, vel Mater, vel alius demum, ad quem spectet cura infantis mandet illum deferri ad loca pia, incidet in reseruationem. Et ratio est, quia verè dicitur exponere infantem loco pio, seu loco pio illum tradere alendum, cùm tamen habeat vnde illum alat. Quòd si aliquis alius sit, qui hoc mandet, peccabit quidem, non tamen incidet in casum. Et ratio est, quia ille non habet vnde puerum alat, cùm non teneatur illum alere. Et huius sententiæ ita limitatæ esse Graffium videtur colligi ex congruentijs, quas affert l. cit. Dicit enim primò secuturum, vt de facili reseruatio hęc redderetur elusoria ex eo, quod semper alicui pręcipi posset, vt infantem illum loco pio ex-

poneret. Tum verò subdit, quoties negemus mandantes incurrere in hanc reseruationem, futurum vt nunquam nobiles inciderent, cùm ij nunquam exponant, sed exponi faciant. Atqui hæc omnia incommoda euitantur in nostra sententia, cùm per nos incurrant in casum hunc mandantes ij, ad quos cura infantum pertineat, siue nobiles, siue plebei sint; Ergo verè satis est si dicamus hos comprehendi, cùm ad alios verba ipsa reseruationis non extendantur. Eandemq; sententiam ita explicatam sustinere videtur Belloch. par. 2. q. 16. num. 33. vbi facit tantùm mentionem de Patre mandante.

17 Dices ex quanam particula reseruationis colligitur eos solos mandantes comprehendi, ad quos pertinet cura infantis, non verò alios.

Respondeo colligi hoc ex ijs verbis, [cùm habeant vnde ipsos alant,] cùm enim alere infantes teneantur soli Parentes, vel qui eorum vices gerunt; inde est, vt si mandent, comprehendantur sub casu: non sic verò ij, qui mandant quidem, sed ad eos non spectat cura infantes alendi, vt potè qui non habeant vnde illos alant.

DIFFICVLTAS VI.

An famuli iussu Dominorum exponentes ligentur hac reseruatione.

18 *Refertur sententia affirmans.*

19 *Author putat negantem sententiam esse probabilem.*

18 HVic difficultati respondent affirmatiuè Graf. in praxi lib. 2. cap. 22. num. 16. Belloch. par. 2. de cas. reser. q. 16. nu. 37. Flor. par. 2. cap. 9. num. 7. Gambar. casu 9. num. 5. folio 212. quorum ratio est, quia cùm isti exponendo peccent mortaliter vt potè qui sciant se contrauenire præcepto naturali, & diuino; inde est vt comprehendantur etiam sub casu, qui omnes exponentes ligat. Cęterùm si fortè concurreret ignorãtia, qualis aliquando concurrere potest in famulis, & rusticis, qui sunt idiotæ personæ, ita vt existimarent se nullo modo peccare deferentes iussu Dominorum huiusmodi infantes ad loca pia; tunc ratione talis ignorantiæ sicuti excusantur à culpa, ita etiam à reseruatione: ademptâ verò hac ignorantiâ putant ita exponentes & culpa affici, & reseruatione ligari. Quæ sententia in praxi est tutior.

19 His tamen non obstantibus probabiliter existimarem famulos, seruos, ac demum alios quoscunq; de mandato Parentum, vel aliorum deferentes infantes ad loca pia non incidere in reseruationem. Adducor autem ad hoc dicendum non auctoritate, sed ratione deducta ex ipsis verbis reseruationis: textus enim, & litera ipsa sic loquitur, [Qui locis pijs infantes exposuerint, cùm habeant vnde ipsos alant.] Sed serui, famuli, & alij demum omnes de mandato aliorum exponentes infantes locis pijs non habent vnde illos alant, cùm illos non teneantur alere; Ergo signum est hos non comprehendi, sed eos tantùm ad quos spectet cura infantum: per hęc enim verba, [cùm habeant vnde ipsos alant,] videtur restringi reseruatio ad eos, qui infantes alere tenentur, quales tantum Parentes sunt, vel ad summum ij, qui Parentum vicem gerunt. Quare si lata esset reseruatio in hæc tantùm verba, qui infantes exposuerint, tunc ex litera reseruationis optimè quidem concluderetur omnes, puta famulos etiam, &

seruos

ſeruos comprehendi; quandoquidem ea generalis eſſet. At verò cùm per verba ſequentia videatur reſeruatio limitari ad Parentes, qui ſuas ſoboles nutrire poſſunt, & tamen eas exponunt, vel exponi faciunt, inde eſt vt ij etiam ſoli videantur comprehendi.

Eſto ergo famuli, & ſerui exponendo mortaliter peccent, quia ſemper dicuntur cooperari actioni illicitæ, à reſeruatione tamen puto excuſari. Saluo ſẽper meliori iudicio, cui me remitto.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excuſentur ab hac reſeruatione.

20 *Non incidit is, qui infantem exponat in limine domus hoſpitalis Epiſcopi auctoritate non erecta.*

21 *Incurreretur tamen reſeruatio ſi infans exponeretur poſtquam domus ea in manus Epiſcopi deueniſſet.*

22 *Non incidit is, qui infantẽ exponat cũ intentione ſubminiſtrandi alimenta.*

23 *Non incidit is, qui exponat cum non habeat vnde infantem alat.*

24 *Quinimò ita exponens excuſaretur etiam à peccato.*

25 *Excuſantur nobiles exponentes, qui attenta propria conditione non poſſint filios ſuos alere.*

26 *Quoties tamen poſſint aliquid commodè ſubtrahere, tenerentur illud ſubtrahere.*

27 *Excuſatur à reſeruatione Pater, cuius filius exponatur, eo tantùm conſentiente, vel ratum habente.*

28 *Item Pater, qui filium ſuum à feris dilaniandum in ſyluam deferat, vel in puteum proijciat, licèt ille repertus ad hoſpitale deferretur.*

20 Reſpondeo primò excuſari eũ, qui in limine alicuius domus hoſpitalis infantem exponeret, quæ tamẽ erecta non eſſet auctoritate Epiſcopi. Et ratio eſt, quia domus ea non venit nomine loci pij, cùm fundata tantum ſit ab homine priuato, qui infantes expoſitos ſoleat ex zelo charitatis ſuſcipere, & educare. Ita Graf. in praxi lib. 2. cap. 22. nu. 20. Gamb. in explicatione huius caſus folio 212. nu. 6. Flor. de caſ. reſer. p. 2. caſu 9. nu. 8. verſ. Secundò excipitur.

21 Aduertendum tamen, quòd ſi mortuo fundatore domus ea adhuc hoſpitalis remaneret, & Pater quiſpiam poſt mortem fundatoris infantẽ ſuum illi exponeret, quem alere poſſet, incideret in caſum. Et ratio eſt, quia locus ille factus eſſet pius, & religioſus poſt mortem fundatoris, eo quod deueniſſet in manus Epiſcopi. Vnde non poſſet amplius ad profanos vſus redire. Ita DD. cc.

22 Secundò non ligari hac reſeruatione eum, qui infantem loco pio exponeret, & ſumptus neceſſarios pro infante expoſito eidem loco pio ſubminiſtraret, vel ſubminiſtrandi haberet intentionem. Et hoc patet ex ipſis verbis reſeruationis, quæ omnes exponentes comprehendit, quoties eorũ locorũ damna non reſarcierint. Ergo ſi exponant cum animo verè reſarciendi damna, non incident in caſum. Et hoc veriùs, & certiùs dicendum eſt de fœmina ea, quæ partũ ſuum loco pio exponeret ad infamiam vitandam cùm animo tamen damna omnia reſarciendi. Ita Gamb. cit. nu. 4. Belloch. de caſ. reſer. par. 2. quæſt. 16 num. 38.

Dices quid ſi infantem exponeret aliquis cum animo reſarciendi damna, ſed poſtea pœnitentia ductus nollet reſarcire.

Reſpondeo huius dubij ſolutionem pendere ex difficultate ſequenti, in

Dd 3 qua

qua constabit quandonam incurratur reseruatio,& quando non.

23 Tertiò non incurrere eum, qui infantem loco pio exponat, cùm non habeat vnde illum alat, & vnde possit damna loci pij resarcire. Ita Gamb.l. cit. Belloch. num. 39. Et ratio est iam allata, quia reseruatio comprehendit tantùm exponentes, qui verè habeant vnde partus suos alant.

24 Addo in casu hoc, sicuti in superiore & alijs similibus, excusari Pœnitentem non solùm à reseruatione, sed etiam ab omni peccato, quoties infantem ita exponat, vt illi nullũ mortis periculum immineat. Ita præter DD. citatos Syluest v. expositus q. 2.

25 Quartò non solùm excusari à reseruatione eos, qui in extrema necessitate existentes filios suos alere non possint, sed etiam viros nobiles, qui attenta propria conditione eosdem alere non possint; nisi cum maximo dedecore decidant à proprio statu in quo reperiuntur. Et hoc pendet ex ijs, quæ habet Baldus in lege si quis ad declin. cod de Episc.& Cler. vbi habet, quod si nobilis aliquis existat, qui verè alimenta habeat, sed suam dignitatem conseruare non possit, Episcopus, vel executor testamenti, qui bona testatoris in pauperes teneatur distribuere, possit illi aliquid in subsidium erogare, ex eo quòd licèt non sit omnino mendicus, attenta tamen conditione suorum natalium possit inter pauperes numerari.

Idemquè in simili docet Nouar. in quæst. forens. q. 125. legatum relictum pro maritagio puellarum posse dari puellæ, quæ habet aliquam dotem, sed non iuxta eius conditionem, & nobilitatem, eo quòd ea pauper censeatur. Demum verò hoc idem a pari colligi potest ex casu, quo vir nobilis teneatur ad restitutionem alicuius rei, & eam restituere nõ possit, nisi priuet se omni obsequio famulorum, & equorum, & de statu suo decidat: hunc enim pro eo tempore ad restitutionem non teneri, dato quòd creditor non sit in pari angustia docent Nauar. cap. 17. num. 63. Sylu. v. rest. 5. quæst. 1. 3. & 4. Less. lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 25. Ergo sicuti in hoc casu impotentia, & necessitas illum dicitur excusare ab obligatione restitutionis, excusabit pariter à reseruatione, quoties loco pio filium suum exponat, quem alere non possit, nisi de statu suo decidat.

26 Verùm tamen est, quòd sicuti pro restitutione facienda teneretur sibi detrahere quantum posset intra limites decentiæ status, quæ non consistit in indiuisibili, vt sensim restitueret: ita in nostro casu, quoties posset sibi aliquid commodè subtrahere ad filium alendum, illud teneretur subtrahere, & restrictiùs viuere, alioquin non excusaretur à reseruatione. Vt benè Graf. cit. num. 24.

27 Quintò probabiliter excusari posse à reseruatione Patrem, cuius filius ab alio exponeretur, Patre ipso tãtùm consentiente, vel ratum habente. Ratio est, quia ille non dicitur exponere, nec mandare, vt alter exponat, sed tantùm consentire expositioni, aut illam ratam habere; verba autem reseruationis non sunt scripta in consentientem, aut ratum habentem. Ita Graff. cit. num. 30. Belloch. num. 40. Flor. num. 9. Peccaret ergo mortaliter, & verè ad restitutionem teneretur, non tamen incideret in casum, ex eo quòd in ipsam actionem, puta expositionẽ infantis nullo modo influeret.

28 Sextò non affici hac reseruatione eum, qui in Syluam, vel nemus longinquum infantem deferat, vt fame moriatur, aut à feris dilanietur, vel

in puteum, aut latrinas proijciat, vnde casu repertus ad hospitale deferatur. Et ratio est, quia nec directè, nec indirectè dicitur exposuisse, neq; alijs mandasse, vt exponant.

DIFFICVLTAS L.

Quandonam incurratur hęc reseruatio.

29 *Non incurritur hæc reseruatio quando expositio infantis non est coniuncta cum damno.*
30 *Si quis exponat infantem loco pio ita vt infans paulo post moriatur, non incurritur reseruatio.*
31 *Pariter si quis ita exponat infantem, vt ille aliunde alatur, quàm ab Hospitali.*
32 *Incurritur reseruatio quando expositio est coniuncta cum damno loci pij.*
33 *Non incurritur reseruatio statim post expositionem, sed quando locus pius cœpit pati notabile damnum.*
34 *Si quis exposuerit infantem cum animo resarciendi damnum, sed pœnitentia ductus nolit resarcire, illico incidit in casum.*

29 Respondeo primò eam non incurri per solam expositionē infantis quæ fiat loco pio. Probatur ex verbis ipsis, quæ talia sunt. [Qui locis pijs infantes exposuerint, cùm habeant vnde ipsos alant, neq; eorum locorum damna resarcierint.] Ergo si infans exponatur quidem, sed tamen ita exponatur, vt nullum damnum in locum pium emergat, nulla erit reseruatio.

30 Ex quibus sequitur primò si quis infantem loco pio exponeret, & paulo post, primo, videlicet, vel altero die ille moreretur, exponentem non incidere in casum. Et ratio est, quia nullum damnum sequitur in locum pium.

31 Secundò si infantem loco pio quis exponeret, & eum nobilis aliquis exciperet ad alendum, immunem esse ab omni reseruatione ob rationem dictam, quia videlicet reseruatio ideo lata sit, vt locorum piorum indemnitati consuleretur. Vnde est vt dixerimus superiùs exponentem cum animo resarciendi dāna non incidere in casum.

32 Respondeo secundò per expositionem infantis, ex qua damnum aliquod in locum pium resultet, incurri hanc reseruationem. Patet hoc ex verbis reseruationis, ac maximè ijs, [neq; eorum locorum damna resarcierint.] Ex quibus satis colligitur si nullum damnum inferatur loco pio, nullam incurri reseruationem.

33 Vnde inferas primò si quis infantem loco pio exponat non incurrere in reseruationem statimac est expositus, sed statimac locus ille pius damnū aliquod notabile pati incipit, quod exponens non resarciat. Vnde si quispiam exposuisset infantem loco pio cū animo non resarciendi damna, sed tamen locus ille pius necdum aliquod damnum pati cœpisset, ille necdum incidisset in reseruationem. Quodnam verò damnum esset censendum notabile, iudicio prudentis viri est relinquendum. Existimauerim tamen maiorem quantitatem requiri, quàm sit ea, quæ ad peccatum mortale furti sufficiat.

34 Secundò si quis exposuerit infantem loco pio cum animo resarciēdi damna, licèt necdum inciderit in casum, si tamen pęnitentia ductus nolit damna resarcire, illico affici hac reseruatione, vt patet ex ijs verbis. Neq; eorum locorum damna resarcierint.

DIFFICVLTAS II.

Quandonam tollatur hæc reseruatio.

35 *Tollitur reseruatio statim ac is, qui exposuit resarcierit damna.*

36 *Si excommunicatio ita sit lata, sit excommunicatus donec restituerit, facta restitutione tollitur censura.*

37 *Propositum resarciendi non tollit reseruationem.*

35 RESpondeo tolli statim ac quis damna resarcierit. Quare si infantem diues aliquis loco pio exposuit, nec damnum illatum compensauit, in reseruationem incidit, & à simplici Confessario nō potest absolui. At verò facta restitutione à quolibet absolui potest. Et hoc colligitur ex mente reseruantis, quæ per ea verba nobis constat, [& eorum locorum damna non resarcierint.] Ergo vbi quis resarcierit, nulla erit reseruatio. Verè enim hæc fuit tantùm inducta, vt consuleretur indemnitati locorum piorū.

36 Hoc idem etiam colligi potest ex casu simili, in quo quæritur, si Superior hoc modo ferat excommunicationem. Titius ob furtum commissum sit excōmunicatus, donec restituat, vtrum eo ipso quòd restituit desinat esse excommunicatus. In cuius casus solutione licèt discrepent inter se DD., cùm pleriq; vt Suar. disp. 19. de cens. sect. 1. nu 3. Conin. disp. 14. de excom. dub. 16. nu. 220. Bonac. disp. 1. de cens. q 3. puncto 9. nu. 10. Et alij existiment etiam facta restitutione hunc remanere excōmunicatum. Tamen contrarium satis probabiliter docent Couar. in cap. alma Mater p. 1. §. 11. nu. 5. Auila par. 2. c. 7. disp. 2. dub. 6. Vasq. c. 18. num. 2. existimantes secuta & facta restitutione dictum Titium desinere esse excommunicatum; Ergo pari modo intelligere possumus in nostro casu facta restitutione loco pio, cessare reseruationem.

37 Ex quibus sequitur etiamsi quis habeat propositum resarciēdi, non tamen absolui posse à simplici Confessario, si ante confessionem non restituat. Verba enim reseruationis sic habent. [Neq; eorum locorum damna resarcierint,] quæ actualem restitutionem requirunt, vt proinde non sufficiat propositum restitutionis.

DIFFICVLTAS III.

Titius habēs vnde Infantem suum aleret, illum exposuit loco pio, neq; illius damna vnquam voluit resarcire. Modo ad summas angustias deuenit, ita vt non possit illa resarcire. Quæritur vtrùm possit à simplici Confessario absolui.

38 *Proponitur fundamentum sententiæ negantis.*

39 *Author affirmat.*

40 *Respondetur fundamento contrariæ sententiæ.*

38 HVic difficultati responderet fortè aliquis dicendo non posse absolui, ea nixus ratione, quia cùm in reseruationem inciderit, non potest ab ea absolui, nisi Confessarius habeat facultatē à tali casu absoluendi.

39 Respondeo tamen posse absolui. Et ratio est, quia quoad effectum tollendi reseruationem pares sunt restitutio, & impotentia. Atqui per restitutionem, seu compensationem damnorum tollitur reseruatio; Ergo eadem etiam tolletur

colletur per impotentiam. Tum quia hoc colligi potest ex verbis reseruationis, quæ eos tantùm afficiunt, qui non resarciunt damna loci pij illi secuta per expositionem infantis, quem alere poterant. Ergo si adsit impotentia nulla intelligitur reseruatio. Tum quia reseruatio hęc fuit inducta ad cogendum Pœnitentem ad restitutionem; frustra autem ad restitutionem cogitur si sit impotens. Demum verò hoc probatur ex dictis à nobis in disp. 1. q. 4. difficult. 10. quo loco quæsiuimus vtrùm Confessarius habens iurisdictionem limitatam, vt nullo modo possit a censuris absoluere, nisi satisfacta prius Parte, vi huius facultatis ita limitatæ possit absoluere Pœnitentem impotentem ad satisfaciendum Patri læsæ. Et respondimus affirmatiuè; ea nixi ratione, quòd verba Priuilegij sint benignè explicanda: neque credibile sit Superiorem velle obligare ad impossibile. Videte quæ ibi diximus de reseruatione Clem. VIII. lata contra recipientes munera à Religiosis: & reseruatione Greg. XIII. lata contra eos, qui aliquid acceperint pro iustitia, vel gratia à Sede Apostolica obtinenda. Et de reseruatione lata à Trid. contra detrahentes decimas; à quibus si impotentia excusat, dicere etiam possumus excusare ab ea, quæ lata est contra exponentes infantes locis pijs, nec eorum damna resarcientes.

40 Ex quibus patet ad rationem in contrarium: licèt enim Titius inciderit in reseruationem; hæc tamen tollitur per superuentum impotentiæ, vt proinde eâ ablatâ illico absolui possit, illiq; sufficere possit propositum resarciendi damna, si ad pinguiorem fortunam deuenerit.

DIFFICVLTAS IV.

Titius ab infantia expositus loco pio vellet ad Sacros Ordines promoueri. Quæritur an sit irregularis propter periculum illegitimationis, ita vt egeat dispensatione.

41 *Refertur sententia affirmans.*
42 *Sententia negans est probabilis.*
43 *Retenta sententia negante sic expositum esse irregularem, non opus est dispensationi Episcopi.*
44 *Quomodo intelligendum sit illud axioma, quòd in dubijs tutior pars sit eligenda.*

41 Controuersa apud DD. hæc quæstio est. Ac quidem affirmatiuè respondent Auila de cens. par. 7. disp. 3. dub. 9. Suar. de cens. disp. 50. sect. 2. Tolet. lib. 1. c. 52. Vasq. in prima secundæ disp. 66. num. 48. Rebel. de oblig. iust. p. 2. lib. 1. q. 2. num. 15. Bonac. de cens. disp. 7. q. 2. puncto 3. nu. 10. Et alij, quorum ratio est, quia in huiusmodi casu adsunt coniecturę ita vehementes, vt moraliter certum sit, infantem expositum esse illegitimum, cùm filij legitimi non soleant exponi, vt experientia ipsa testatur: in dubijs autem, maximè in materia Sacramētorum, & Ordinum, tutiorem partem esse eligēdam. Et hæc sententia est communior.

42 Non desunt tamen, qui contrariam sustineant, existimantes dictum Titium posse absq; vlla dispensatione ad Sacros Ordines promoueri. Ita Cardinalis Paleot de spurijs cap. 63. à nu. 3. ad finem. Coninc. disp. 18. de irreg. dub. 12. num. 105. quo loco ex Henriq. de irreg. cap. 8. in Glossa litera Y, refert

fert Greg. XIV. in quadam Bulla hoc statuisse. Mol. in 1. 2. quæst. 19. art. 5. disp. 87. in fine Salas August. Barbos. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 51. nu. 149. & alij. Quorum ratio est, quia quilibet præsumendus est legitimus, dum non probatur contrarium. Hinc est, vt filium non teneri credere Matri dicēti ipsum esse spurium, etiamsi sciat ipsam fuisse adulteram, doceat Glossa in cap. off. 9. de pœn & remiss. Et omnes Canonistæ in cap. Per tuas 10. de probation. Et Iurisperiti in l. si Posthumus. 14. §. de liber. & Posthum. Tum quia in dubijs præferenda est pars benignior. Ergo stante dubio præsumendum erit pro legitimatione.

43 Quòd autem Suar. cit. nu. 4. ad finem Sayr. de cens. lib. 7. cap. 10. nu. 39. Reg. in praxi lib. 3. tract. 2. cap. 7. nu. 77. Bonac. cit. existiment probabile esse, vt talis sic expositus, qui post adhibitam diligentiam non potuit venire in cognitionem suæ legitimationis possit ab Episcopo dispensari ad finem suscipiendi Ordines, non quia Episcopus possit dispensare in irregularitate proueniente ex defectu, sed quia illius facultas prodesse possit ad pacandam conscientiam adiuncta opinione probabili, quæ docet expositum non esse præsumendum irregularem. Hæc doctrina à quibusdam reijcitur ea maximè ratione, quia hæc conscientiæ sedatio non procedat ab Episcopi auctoritate, vt potequi nullo modo possit dispensare, sed à probabili Doctorum sententia, quam licitum est sequi omissa etiam probabiliori, vt aliàs docuimus; vt proinde superfluus videatur accessus iste ad Superiorem.

44 Ad regulam autem ab aduersarijs citatam, quòd in dubijs tutior pars est eligenda, respondetur, eam intelligi in hoc sensu, vt non possit quis facere id, de quo dubitatur, an sit prohibitum, nec ne, quia hoc modo esset amare periculum peccati. Non tamen procedere quo ad hoc, vt in dubio quis debeat spoliari, seu priuari re possessa, vel facere actum positiuum, de cuius obligatione non constet, vt est in casu nostro. Sic enim illa alia regula habet locū, quòd in dubio, & pari causa melior est conditio possidentis. Quam regulam non solùm esse veram in materia iustitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum, nos ipsi sub his terminis docuimus de restitutione in genere ex Doctoribus varijs, quos videre est apud Sanchez lib. 1. de spons. disp. 9. nu. 11. & lib. 2. de essentia matrimonij disp. 41. num. 32.

DIFFICVLTAS V.

Quàm graue sit hoc peccatum?

RESpondeo grauissimum illud esse de se, ac naturæ legibus repugnare, cùm filiorum educatio sit de iure naturali: obstare pariter legibus charitatis, cùm hæc infantum expositio sit coniuncta cum maximo mortis periculo; vt plurimū enim ij noctu exponuntur, vt vel propter defectum nutrimenti, vel propter aeris inclementiam miserrimè perire aliquādo cogantur. Adde verò infantulos hosce ita expositos periculis semper esse subiectos, ne canis aliquis, lupus, sus, aut aliud animal illos suffocet, vel deuoret. Vnde est, vt cùm tot, tantisq; periculis subijciantur hi infantes, tanquam homicidæ iudicentur illos exponentes, quia morti illos tradunt, l. vnusquisq; ibi quodammodo ad mortem cod. de infant. expositoribus, & lege necesse ff. de liberis agnos. vbi iurisconsultus ait, necare videtur non tantùm is, qui partum præfocat,

focat, ſed & is, qui abijcit, & qui alimoniam denegat, & is, qui publicis locis miſeriæ cauſa exponit, quam ipſe non habet. Poſtremò ineuitabile illud malum ex hac etiam expoſitione conſurgit, quia cùm vt plurimum Parentes ſuos hi infantes ignorent, inde eſt, vt grandiores facti aliquando cum proprijs conſanguineis, etiam ſororibus matrimonio copulentur, ac fortè etiam cum matre. Adde demum hoſce etiam dici fraudolentos, & ſacrilegos: fraudolentos quidem ſubtrahendo ijs victum, quibus debetur, puta pauperibus: ſacrilegos verò loca pia expilando. Ac tandem deteſtabilis horū Parentum impietas eo etiam argumento cōuincitur, quòd bruta ipſa quamquam irrationabilia ſint, tamē prolem ſuam minimè negligunt, neq; abijciunt.

DISCE LECTOR.

Exui nonnunquam ſua in filios pietate Parentes, eamq; in feras ipſas migrare.

CAPVT DECIMVM

Qui ad magicas artes veneficia, ſuperſtitiones, & alia huius generis Euchariſtia ſacriſue rebus abutuntur.

PRO huius caſus intelligentia recolenda nobis quædam ſunt, quæ in primo Decalogi præcepto traduntur, quid videlicet ſuperſtitiō ſit, & quot eius ſpecies. Sic enim faciliùs conſtabit quandonam præſens reſeruatio incurratur, & quando non.

QVÆSTIO PRIMA

Quid ſit ſuperſtitio, & in quas ſpecies diuidatur.

1 *Vnde dicta ſit ſuperſtitio.*
2 *Quomodo definiatur ſuperſtitio.*
3 *Quot ſint ſpecies ſuperſtitionis.*

1 SVperſtitionem ex eo eſſe dictam, quòd homines nimij eſſent in precando, & immolando Dijs, vt ſibi filios ſuperſtites relinquerent, exiſtimauit Marcus Tullius lib. 2. de Nat. Deorum. Vel certè ex eo dictam eſſe, quòd relictis veteribus Dijs colerēt ſuperſtitem memoriam ſuorum Maiorū, opinatus eſt Lactan. lib. 4. diuinarum inſtitut. cap. 28. Verùm quidquid ſit de hac nominis deriuatione, illud conuenit inter DD. ſuperſtitionem Diuino cultui opponi. Vnde eſt, vt de ea tractent in principio Decalogi, vt potequæ ſit contra primum præceptum, quod eſt de diuino cultu. Iam verò ad eius definitionem veniamus.

2 Superſtitio ergo ſic definitur, quòd ſit vitium religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum. Ita D. Thom. ab omnibus receptus 2. 2. quæſt. 92. art. 1. Vel certè clariùs ſic poteſt definiri, quòd ſit falſa religio, ſeu cultus vitioſus, quo vel colitur creatura cultu diuino, vel colitur Deus modo indebito.

3 Dicitur autem, ſecundùm exceſſum, non quia Deus verò cultu nimium coli poſſit, vel maiore, quàm dignus ſit, ita vt dictio illa, exceſſum, appellet circum-

cumstantiam, quantum (nihil enim potest esse nimium in materia religionis, cùm omnis cultus, quem Deo exhibere potest creatura infinitè eius dignitate minor sit.) Sed quia exhibet cultum diuinum, cui non debet, vel eo modo, quo non debet: vt proinde dictio hæc, secundum excessum, appellet aliàs circumstantias, de quibus ex dicendis constabit.

3 Diuiditur autem superstitio in quatuor species.

Prima est, quando Deo exhibetur cultus modo indebito, & hæc appellatur superstitio indebiti, & incongrui modi colendi Deum.

Secunda est quando cultus ille, qui Deo debetur, exhibetur creaturæ, eam loco Dei honorando. Et hæc appellatur Idololatria, per quam adoratur Diabolus tanquam Numen.

Tertia est, quādo homo petit à creatura instructionem, quę à solo Deo haberi potest, atq; in hoc cultum diuinum creaturæ tribuit volens per ipsam instrui de futuris, præteritis, aut præsentibus occultis. Et hæc appellatur diuinatio, per quam honoratur Diabolus, vt aliquid occultum reuelet.

Quarta est, quando homo in suis actionibus omittit dirigi à Deo, vt postulat diuinus cultus, & hunc creaturæ tribuit petendo directionem ab ipsa. Et hæc dicitur superstitio vanarum obseruationum, per quam honoratur Diabolus, vt iuuet, & dirigat in operando. Et ad hanc reducitur Magia ex Lessio lib. 2. cap. 43. disp. 1. num. 6. Sed ad singularum specierum explicationem veniamus.

QVÆSTIO SECVNDA

De prima specie superstitionis, quæ est indebitus Dei cultus.

4 *Quotuplex sit superstitio modi indebiti colendi Deum.*

5 *Superstitio cultus falsi quotupliciter contingat.*

6 *Superstitio item cultus superflui quotupliciter contingat.*

7 *Superstitio cultus falsi ex suo genere est peccatum mortale.*

8 *Superstitio cultus superflui regulariter est tantùm peccatum veniale.*

9 *Contingere tamen potest casus, vt sit mortale.*

10 *Vtrùm Cantores, qui inter Diuina Officia voce, aut organo turpia canunt, vel turpes sonos proferunt, peccent mortaliter.*

11 *Tripliciter possunt Diuinis Officijs turpia, aut profana admisceri.*

12 *Si turpia tanquam pars Diuini Officij admisceantur, est peccatum mortale.*

13 *Idem dicendum, etiamsi non admisceātur tanquam pars Diuini Officij.*

14 *Si profana tantùm admisceantur præcisò periculo scandali, aut prouocationis ad malum, talis actus non est mortalis.*

15 *Peccant mortaliter, qui falsas Reliquias Sanctorum adorandas proponunt, vel figuras Ceræ in signum falsi miraculi alicui imagini apponunt.*

16 *Peccaret venialiter is, qui diebus tantùm Dominicis vellet ieiunare.*

17 *Non esset superstitiosus is, qui Orationem Dominicam pro se solo vellet offerre.*

4 Prima superstitio est modi indebiti colendi Deum, quę item duplex est. Altera quando cultus est falsus. Altera verò, quando cultus est superfluus.

5 Superstitio cultus falsi dupliciter adhuc contingit. Primò quando cultus est falsus ratione rei significatę. Secundò quando est falsus ex parte colentis

Cultûs

Cultus falsus ratione rei significatæ esset, si quis coleret Deum ceremonijs Iudaicis, quæ falsum significant, puta Christum necdum humanam naturam assumpsisse.

Cultus verò falsus ex parte colentis esset, quando quis nomine Ecclesiæ adhiberet aliquid ad Deum colendum, quod esset contra illius institutum. Vt si quis inter diuina Officia voce, aut Organo turpia cantaret.

Dixi cultum falsum ex parte colentis esse quando quis nomine Ecclesiæ &c. Nam si nomine priuato Deum colat, in tali cultu poterit quidem inesse falsitas ex parte rei significatæ, non tamen falsitas ex parte colentis: quia falsitas ex parte colentis in eo cōsistit, quòd quis nomine alterius colat Deū contra illius institutum. At quando quis nomine priuato colit Deum, non dicitur illum colere nomine alterius. Vt benè Suar. tom. 1. de relig. lib. 2. de superst. cap. 2. à numero 15. vsq; ad 17.

6 Superstitio verò cultus superflui dupliciter adhuc cōtingere potest. Primò si cultus secundum se sit superfluus, vt si quis haberet peculiarem deuotionem in orando ante Solis ortum, vel in audienda missa ab eo Sacerdote, qui nomine Ioannis appellaretur.

Secundò si sit superfluus attentis Ecclesiæ statutis. Vt si quis præter Rubricas Breuiarij, & Missalis aliquid diceret in missa, putà bis Alleluia, quando semel tantùm illud esset dicendum: aut Credo, & Gloria, quando dicenda non sunt. His præmissis.

7 Respondeo primò superstitio cultus falsi ex suo genere est peccatum mortale. Et ratio est, quia falsitas in materia religionis est res grauissima, maximè perniciosa, & coniuncta cum graui irreuerentia erga Deū. Ita Caiet. in sum. v. superstitio cap. 1. Nau. in sum. cap. 11. num. 24. Valent. 2. 2. disp. 6. q. 10. puncto 2. vers. si autem quæratur Less. lib. 2. c. 43. dub. 1. num. 4. Suar. tom. 1. de relig. lib. 2. de superst c. 2. num. 18. Clauis Reg lib 4 cap. 4. num. 4. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 37. num. 5. Et alij apud ipsos.

8 Respondeo secundò superstitio cultus superflui regulariter est tantùm peccatum veniale. Et ratio est, quia fit ex bono animo, & intentione. Tum quia non videtur includere grauem irreuerentiam.

9 Dixi regulariter loquendo, quia si magna esset peruersio in ceremonijs magni momenti, puta in ceremonijs Missæ, tunc materia esset grauis, & valdè iniuriosa Deo, nisi fortè circumstantia aliqua excusaret. Ita Caiet. cit. & 2. 2. q. 93. ar. 1. vers in sequenti, atq; art. 2. Less. cit. num. 5. Valent. loco cit. Sayr. in Claui Reg. eodem cap. 4. nu. 4. Suar. cit. nu. 21. Sanch. num. 10. Et alij communiter.

10 Ex quibus inferas primò, quid dicendum de cantoribus, qui inter Diuina Officia voce, aut organo turpia canunt, turpesue sonos proferunt, vtrū videlicet peccent peccato superstitionis. Ac certè extat decretum Trident. sess. 22. de seruand. & vitand. in celebratione Missæ, quo præceptum est Episcopis, vt hoc musicæ genus interdicant. Quo attento D. Carolus in Concilio Prouinciali 1. tit. de musica, & cantoribus pag mihi 31 in hoc musicæ genus tale edidit decretum. [In Diuinis Officijs, aut omnino in Ecclesijs, nec profana cantica, soniuè, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ quàm ore expressæ, aut deniq; lasciua vlla canendi ratio adhibeatur. Cantus, & soni graues sint, pij, ac distincti, & Domui Dei, ac diuinis laudibus accommodati.] Et

Con-

Concilio Prouinciali 3. tit. de ijs, quæ pertinent ad Missæ sacrificium pag. mihi 96. Sic habetur. [Si quando autem, quo tempore Sacerdos secretè agit aliquid canẽdum videtur, ne quidquam canatur, quod etiam illi actioni aptè conueniens Episcopo non ante probatum sit.]

11 Pro cuius dubij solutione aduertendum tripliciter posse Diuinis Officijs turpia, vana, & profana admisceri.

Primò si turpia admisceantur tanquam pars diuini Officij.

Secundò si turpia quidem admisceãtur, sed non tãquam pars diuini Officij.

Tertiò si non admisceantur turpia, sed sono tantùm, & organis profana & secularia significentur.

12 Si primo modo turpia admisceantur diuinis officijs tanquam pars diuini officij, putà loco hymni, aut antiphonæ, peccat mortaliter qui illa canit peccato superstitionis indebiti cultus. Et ratio est, quia intendit colere Deum eo cultu, quem Ecclesia reprobat. Tum quia talis cultus aduersatur fini diuini cultus, qui est excitare mentes ad cęlestia, non verò ad vana, aut profana.

13 Si secundo modo Diuinis Officijs turpia admisceantur, putà non intendendo illa admiscere tanquam partem diuini Officij, præter malitiam scandali, aut prouocationis ad malum, peccat etiam mortaliter contra diuinum cultum, qui illa canit. Et ratio est, quia irrogatur grauis iniuria cultui diuino admiscendo turpia.

14 Si verò turpia non admisceantur, sed profana tantùm, aut secularia sono vocis, aut organi significentur: talis actus potest esse mortalis ratione circumstantiæ scandali, aut prouocationis ad malum: cæterùm in se non videtur mortalis. Et ratio est, quia sonus vocis, aut organi de se videtur indifferens; ergo erit tantùm mortalis ratione circumstantiæ mali finis. Ita Caiet. 2. 2. quæst. 91. art. 1. vers. inter hæc. Armil. in sum. v. cantus num. 4. & v. organum Nauar. in sum. cap. 12. nu. 87. Sanch. in sum. lib. 2 cap. 37. num. 7. Bonac. disp. 3. circa primum Decalogi præceptum q 5. puncto 1. num. 3.

15 Secundò inferas peccare mortaliter eos, qui falsas Reliquias Sanctorum adorandas proponunt, vel figuras Ceræ in signum falsi miraculi alicui imagini apponunt, etiamsi hoc facerent ad excitandos alios ad pietatem. Et ratio est, quia talis cultus est falsus ratione rei significatæ, proindeq; ex natura sua est contra diuinum cultum. Ita Caiet. in sum. v. superst. cap. 1. Sanchez cit. num. 9. Quod idem dicendum de ijs, qui falsa miracula concionantur, aut scriptis mandant, aut falsas indulgentias diuulgant.

16 Tertiò peccare eum peccato superstitionis, qui vellet tantùm ieiunare diebus Dominicis. Et ratio est, quia esset cultus indebitus, & superfluus: hæc tamen culpa esset tantùm venialis, cessantibus scandalo, & alio malo fine. Vt bene Sanch. nu. 13., & 14. Vnde est vt votum ieiunandi omnibus diebus Dominicis esse irritum, doceat Suar. tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 3. cap. 6. num 21. Secùs verò si votum esset tantùm ieiunandi aliquibus diebus Dominicis ob bonum aliquem finem, secluso scandalo, ac vano studio singularitatis. Ita Sanchez cit. num. 16., qui num. 18. infert eum qui vouerit ieiunare tali determinato die, puta Annunciationis, si ille incidat in Dominicam, satisfacere obligationi voti si die Dominica ieiunet, neq; teneri ieiunare die præcedenti. Tùm verò subdit posse illud ieiunium transf-

est,

ferre in Sabbatum præcedens. Et ratio est, quia quilibet potest propria auctoritate suum votum commutare in manifestè melius: atqui manifestè melius est, se conformare Ecclesiæ consuetudini, quæ ieiunium incidens in Dominicam transfert in Sabbatum præcedens; Ergo &c. Intellige tamen quoties Sabbatum illud non esset affectum alia obligatione ieiunij, vt si esset Sabbatum quadragesimæ, aut quatuor temporum; tunc enim in illud non posset transferri obligatio voti, cùm votum intelligatur de actu aliàs non obligante.

17 Quartò non peccaturum eum peccato superstitionis cultus indebiti, qui orationem dominicam vellet singulariter offerre pro se solo excludendo alios. Vt si diceret dimitte mihi debita mea. Quidquid in contrarium alij sentiant. Et ratio est, quia cultus iste nequè esset falsus ex parte colentis, quandoquidem sic orando in sua sola persona oraret, nec oraret nomine Ecclesiæ. Neq; esset falsus ex parte rei significatæ, quia verùm significaret, non falsum. Nec item cultus ille esset superfluus. Ergo non esset superstitiosus. Ad summum ergo sic orando peccaret contra charitatem excludendo alios ab eo fructu. Vt benè Sanch. cit. num. 3.

QVÆSTIO TERTIA

De secunda specie Superstitionis, quæ dicitur Idololatria.

18 *Definitio Idololatriæ.*

19 *Grauissimum peccatum est, nec metus vllo modo excusat.*

20 *Ad veram idololatriam requiritur voluntas conciliandi Creaturæ, quæ colitur opinionem eam, quæ soli Deo debetur.*

21 *Potest contingere cum hæresi, & absq; hæresi.*

22 *Peccaret mortaliter is, qui ficto animo idolum coleret, vt periculum mortis euaderet.*

18 Idololatria, quæ talis dicitur ab idolo, quod nihil aliud significat, quàm imaginem alicuius falsi Numinis, sic definitur, quod sit cultus, quo diuinus honor alicui Creaturę exhibetur, sicut Deo. Ita D.Tho. 2.2. quæst. 94. art. 1. Quare duo requiruntur. Primum est, vt cultus ille, qui Creaturæ tribuitur soli Deo sit debitus. Alterùm verò vt cultus ille verè impendatur Creaturæ eo modo, quo Deo impenditur: ita vt talem habeat de Creatura quam colit opinionem, quæ soli Deo conueniat, siue opinionem hanc habeat expressè, siue tacitè.

19 Grauissimum autem peccatum est idololatria: ità vt nec metus excuset, cùm semper intrinsecè malum sit cultum Dei Creaturæ exhibere: neq; ignorantia excusare possit, cùm recta ratio euidenter dictet non esse colendam Creaturam loco Dei. Ita Sanch. lib. 2. cap. 37 num. 21. Less. lib. 2. cap. 43. dubio 2. Et alij communiter.

20 Ex quibus inferas primò deficiente voluntate conciliandi creaturæ, quam colit per actum externum opinionem eam, quæ soli Deo debetur, non esse veram idololatriam. Sicut enim ad hæresim omnino necessarius est error in intellectu: ita ad idololatriam necessaria omnino est hæc peruersa opinio de Creatura, quæ colitur; licèt autem esset ficta, adhuc tamen esset grauissimum peccatum, vt mox patebit.

21 Secundò idololatriam siue externam, siue internam posse contingere cum hæresi, & absq; hæresi. Cum hæ-

resi

resi quidem quando Creatura, quæ colitur, creditur esse Deus. Absque hæresi verò, quando non creditur quidem esse Deus, sed tamen illi exhibetur honor, & cultus, qui soli Deo debetur. Vnde si absquè hæresi fit, nullam habet adnexam excommunicationem. Et ratio est, quia non extat in iure talis excommunicatio. Ac licèt Hæretici, & Apostatæ sint excommunicati; hic tamen nec est hæreticus, cùm nullum habeat pertinacem errorem circa fidē in intellectu: nec est Apostata, quia re vera fidem Christi non deseruit. Ita Less. cit. num. 11. Suar. tom. 1. de relig. lib. 2. de superst. cap. 6. num. 20. & duplici sequenti. Sanch. in sum. loco cit. num. 22. Quidquid ex Less. in contrarium senserit Caietanus, existimans Fidelem, qui solo actu externo committit idololatriam esse excommunicatum. In foro tamen externo iste præsumeretur excommunicatus.

22 Tertiò peccaturum mortaliter eum, qui ficto animo idolum coleret, vt mortis periculum euaderet. Et ratio est, quia idololatria etiam tantùm externa est intrinsecè mala, vt potè quæ opere externo impendat honorem diuinum rei creatæ. Ita DD. cit. Sic in explicatione primi præcepti Decalogi diximus peccare mortaliter eum, qui ad fidem occultandam simularet adorationem idoli, coram illo genua flectendo, etiamsi nullum haberet animum adorandi: Ea ratione nixi, quia hæc esset externa falsæ fidei confessio, à qua tenemur abstinere ex præcepto negatiuo.

QVÆSTIO QVARTA

De tertia specie Superstitionis, quæ dicitur diuinatio.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Diuinatio.

23 *Quid sit diuinatio.*

24 *Licèt Dæmones non possint percipere futura à causis liberis, plura tamen possunt de ijs prædicere, quàm possint homines.*

23 Diuinatio est rerum occultarum, vel futurarum cognitio, & prænuntiatio, quæ humana vi, & arte sciri non possunt, sed ex pactis cum Dæmone initis eæ innotescunt. Ita D. Tho. 2. 2. quæst. 95. art. 1.

Dicitur autem prænuntiatio, ex eo quòd non in sola mentis cognitione consistat, sed verbis præterea, aut signis vtatur, ad differentiam scientiæ per varias obseruantias acquisitæ, quæ in sola cognitione consistit.

Dicitur demum ex pactis cum Dæmone initis, ad differentiam prophetiæ, vel diuinationis naturalis, ex quibus debitis modis occultorum cognitio habetur: per illam quidem ex diuina reuelatione: per hanc verò ex disciplina, & obseruatione humana.

24 Aduertendum autem quamuis Dæmones futura à causis liberis non percipiant, qualia sunt ea, quæ a nostro pendent arbitrio, plura tamen posse de ijs prædicere, quàm possint homines: ij enim cognoscunt affectiones, & inclinationes, tum verò causas naturales, & virtutes earum, puta Solis, Lunæ, Cælorum, Elementorum. Adde peritiores eos esse ob rerum experientiam. & Scripturas meliùs intelligere, quàm nos ipsi intelligamus; vt proinde hac supposita in illis cognitione facillimum aliquando ijsdem sit futura aliqua diuinare, ac pendentia à libero arbi-

arbitrio probabilissimè coniectare. Ita Martinus Delrius lib. 4. magicarum disquis.c.2. q. 2. Pereira lib. 3. de magia cap.5.num.35.Pariter posse Dęmonem ex clandestinis consilijs,verbis,scriptis deliberationes hominis futuras conijcere, putà crastina die Titium esse à Marcello occidendum. Item ob maximam sui motus celeritatem ea illico denuntiare posse, quę in locis remotissimis gesta sunt,indeq; esse vt ea denũtiantes Diuinatores quasi futura denuntiare videantur, vt potequi ea denuntient multo tempore ante, quàm humano modo sciri possint. Aliquando etiam diuinatores futura ea per Dęmonem edoceri,quæ ipse certò scit per reuelationẽ Angeli sibi factam, Deus enim aliquando ad malum pœnæ infligendum vti solet Dęmonis ministerio, vt patet exemplo Iob, atq; ita damni genus, ac durationis tempus illi per Angelum reuelat, qua reuelatione habita illico potest Dæmon, & mali genus,& finem certò prædicere. Ita Delrius, & Pereira cit. Sic etiam,si morbus sit ex maleficio, qui ex pacto cum Dęmone inito cessaturus sit sublato signo, potest Dęmon certum morbi finem prædicere. Ita Delrius cit. Adde demũ Dęmones sæpius non prædicere futura, sed ea dicere, & enuntiare quæ moliri ipsi disposuerint.

DIFFICVLTAS II.

Quibus modis fiat Diuinatio.

25 *Diuinatio fit duobus modis.*

26 *Licèt quis expresè intenderet non inuocare Dæmonem, quoties tamen vanis signis vtatur, tacitè illum inuocat.*

27 *Quando nam contingat diuinatio cum expressa Dæmonis inuocatione.*

28 *Quale sit pactum quod inter hominem, & Dæmonem intercedit.*

25 Respondeo duobus fieri. Primò per tacitam Dæmonis inuocationem. Secundò per expressam.

Diuinatio cum tacita Dæmonis inuocatione tunc contingit,quando quis medijs vanis, quibus se Dęmon immiscet,procurat cognitionem rerum occultarum, quæ vim humanam superant. Ita Caiet. 2.2. quæst.95. art.6.& 3. Nau. in sum. cap.11. num.25. Clauis Reg.lib.4.cap.5. num.5. Mart. Delrius lib.4. disq.mag. cap.2. q.5. Suar. tom.1. de relig. lib.2. de superst. cap.9. à nu.9. vsq; ad finem.

26 Addo eam talem dici etiamsi ille, qui vanis signis vtitur non intendat opem Dęmonis implorare, aut in ea sperare. Nam volens res aliquas diuinare per media vana,quibus se Dęmon libenter solet immiscere, tacitè intendit Dęmonem implorare. Ac licèt ijs medijs vanis vtendo expresè in mente sua non intendat inuocare Dęmonem,nihilominus dum seriò media inutilia, & vana vsurpat ad rerum occultarum cognitionem, ad quam ea media non sunt sufficientia, nisi cum aliquo Dęmonis concursu, porrò dicitur tacitè Dęmonem inuocare. Ita Suar. cit qui num. 27. benè addit homines aliquando per crassam ignorantiam, & inaduertentiam velle contraria,vnum formaliter, & in se, alterùm verò in alio, & virtute: pariquè modo diuinatores hosce aliquando expresè nolle pactum cum Dęmone, & tamen tacitè illud velle, dum signis ijs vtuntur,quæ omninò inutilia sunt,& vana, ijsq; vtuntur tanquam vtilia sint, cùm tamen nullam vtilitatem habeant, nisi ope Dęmonis. Ita demum Sanch. in sum. lib.2. cap.38. num.8.

27 Diuinatio cum expressa Dęmonis inuocatione tunc contingit quando expressis verbis inuocatur Dęmon,& cum eo pactũ initur: vel quando diuinator sciens Dęmonem per aliquod signum manifestare occulta, tali signo vtitur vt sibi occulta manifestentur.

28 Pactum verò nihil aliud est, quàm promissio facta ab homine Dæmoni, & à Dæmone homini. Promittit enim Dęmoni homo animam suam, diuinorum præceptorum,ac Sacramẽtorum, præcipuèque Eucharistiæ contemptum, atq; abnegationem. Homini verò Dæmon ipse promittit se omnia in illius gratiam facturum, & quo plura homo, eò etiam plura Dæmon ipse promittit. Ac quidem dupliciter initur tale pactum. Aliquando cum ipsomet Dæmone,qui visibiliter apparet: aliquando verò medio aliquo homine, vt quando quis per Magum aliquem tale pactum init. Rursus pactum cum ipso Dęmone dupliciter fieri potest. Primò solemniter, vt quando Dæmon visibiliter apparet in suo solio sedens cum caterua aliorum Dæmonum. Secundò priuatim,& sine vlla solemnitate.

DFICVLTAS III.

Quot sint species diuinationis, quæ fit cum expresso Dæmonis pacto.

29 *Diuinatio per quam expressè Dæmon inuocatur nouem species continet.*

29 Respondeo diuinationem, per quam expressè Dæmon inuocatur nouem species continere, puta Præstigium, Somniorum diuinationem, Necromantiam, Pythoniam, Geomantiam, Hydromantiam, Æromantiam, Pyromantiam, Aruspicium.

De Præstigio.

30 *Quid sit Præstigium.*
31 *Quid sit Somniorum diuinatio.*
32 *An licitum sit obseruare somnia.*
33 *Aliquando superstitiosa est obseruatio somniorum.*
34 *Quid sit Necromantia.*
35 *Quid sit Pythonia.*
36 *Quid sit Geomantia.*
37 *Quid sit Hydromantia.*
38 *Quid sit Aeromantia.*
39 *Quid sit Pyromantia.*
40 *Quid sit Aruspicium.*

30 Præstigium est expressa Dęmonis inuocatio per fictas, & apparentes figuras, vt dicat occulta, quæ naturaliter sciri non possunt. Tale exẽplum legitur in vita Sanctorum Patrũ de muliere quadam coniugata, à qua cùm iuuenis quidam varijs artibus, ac modis copulam petijsset, & illa vt potè honesta semper recusasset, maleficio per Iudæum obtento effecit,vt omnium aspicientium oculis equa videretur, quæ postmodum à Sancto Machario fuit sanata. Meminit huius exempli D. Antoninus par. 2. cap. 9. versus finem.

De Somniorum diuinatione.

31 Somniorum diuinatio est quando homo expectat à Dæmone responsum per somnum. Vt si quis ab eo expectet responsum vtrùm thesaurum inueniet,vel qualem habebit vxorem, & similia.

32 Aduertendum tamen aliquando licere obseruare somnia.

Primò enim licet ea obseruare, quatenus

tenus bonam, vel malam corporis affectionem, & morbos indicant, cùm somnia habeant naturalem vim ad indicandum humorem prędominantem. Vnde est vt Medici somnia infirmorū sæpe percunctentur. Sic si quis incendia per somnum videat; flaua bile illum infestari iudicant. Si fumum, caliginem, profundas tenebras, funera, & alia id genus tristia; atrabile. Si pluuiam, niues, grandines, glaciem; pituita, vel frigido phlegmate. Si grauia onera ferre sibi videatur, vel in angustis locis versari vbi vix se mouere possit; signum est vim animalem multitudine humorum grauari. Si ea quæ ad libidinem pertinent; signum est rędundantiæ spermatis. Si sibi videatur volare, aut velocissimè currere; signum est leuis, & temperatæ complexionis. Si versari in cęno, fimo; signum est abundare humoribus putridis, aut intestinorum excrementis. Sic quidam qui somniauerat crus sibi lapideum effectum esse, paulo post præter opinionem factus est crure illo paralyticus. Videte Galenum in libro de presag. somniorum.

Secundò licet etiam obseruare somnia ea quæ prauam aliquam animi affectionem indicant, verbi gratia somnia ea quæ nos crebro conturbant: licitū est enim obseruare causas ex quibus ea deriuantur. Ita Martinus Delrius lib 4.disq. mag. c.3. q.6. concl.3.

33 Cæterùm si somnia illa obseruentur, quæ ad eas res se extendunt, quarum cognitio per ipsa nullo modo haberi potest, hoc est omnino superstitiosum. Vt si quis velit per ea cognoscere futura contingentia, & quæ à liberi arbitrij libertate pendent, aut prętерita, aut præsentia occulta. Ita D. Tho. 2.2. q.55. art.6. ab omnibus receptus. Et ratio est, quia ex somnijs non potest haberi de futuris contingentibus nisi leuissima cōiectura; cùm enim somnium per se ipsum non possit illos effectus contingentes producere, inde est, vt ex ipso nihil cognosci possit. Vnde est, vt pessima sit eorum superstitio, qui certo motu, & situ se componunt, vt per somnia sibi reuelentur occulta: Sicuti olim ethnici præmisso ieiunio in pellibus cæsorum animalium dormire solebant, vt responsa in somnis acciperent. Vnde extat illud Virgilij.

Pellibus incubuit stratis somnosque petiuit.

De Necromantia.

34 Necromantia est expressa Dęmonis inuocatio, qua quibusdam præcantationibus adhibito sanguine, mortui videntur resuscitati, & ad interrogata respondere. Non quod verè mortui resurgant; hoc enim facere non potest Dæmon, sed quia hominem mortuum ipse supponit cuius corpus ingreditur, & in eo loquitur, ita vt viuus appareat. Vel quia sensus nostros illudendo facit apparere cadauer, vel hominem capite abscisso, cùm tamen verè non sit.

De Pythonia.

35 Pythonia est diuinatio Dæmonis arte adhibita per homines arreptitios ad ea scienda, quæ naturaliter sciri non possunt.

De Geomantia.

36 Geomantia est diuinatio habita per corpora, & statuta ad ea pariter scienda, quæ naturæ viribus non possunt cognosci, ita tamen vt per Dæmonis artem hæc scientia

habeatur, quæ cognitio futurorum maximè habetur in statuis, vel corporibus terrestribus.

De Hydromantia.

37 HYdromantia est diuinatio habita per Dæmonis inuocationem per figuras in aquis apparentes. Vt quando per vasculum aqua plenum res furto ablatæ, vel etiam fures ipsi manifestantur, & similia.

De Aeromantia.

38 AEromantia est diuinatio habita cum Dæmonis inuocatione per figuras aereas, ex eo quòd Dæmones ita inuocati figuras quasdam aereas assumunt, & per eas futura quædam prædicunt.

De Pyromantia.

39 PYromantia est diuinatio habita cum Dęmonis inuocatione per ignes: vt quando quis per viride lignum in ignem immissum si crepitet, & ad sinistram partem, vel dexteram, ortum, vel occasum scintillas emittat, futura denuntiat.

De Aruspicio.

40 ARuspicium est diuinatio habita per interiora animaliū. Vnde ipsi diuinatores Aruspices dicūtur. In his ergo omnibus speciebus expressa semper intercedit Dæmonis inuocatio, & semper in eum finem inuocatur, vt ea sciantur, quæ naturaliter sciri non possunt.

DIFFICVLTAS IV.

Quot sint species diuinationis, quę fit cum tacita Dæmonis inuocatione.

41 *Diuinatio per quam tacitè inuocatur Dæmon continet sub se sex species.*
42 *Quid sit Astrologia.*
43 *Astrologia duplex est, Naturalis, & Iudiciaria.*
44 *Astrologia iudiciaria triplex est.*
45 *Astrologia naturalis licita est.*
46 *Superstitiosa, & prohibita est ea pars astrologiæ, quæ ex astrorum aspectu futura contingentia diuinat.*
47 *Non tamen peccat Astrologus quoties effectus contingentes non vt certò euenturos prædicit.*
48 *Ea pars Astrologiæ, quæ res occultas inuestigat superstitiosa est.*
49 *Mortaliter peccat qui furta, virginitatem, & alia similia per diuinationem inuestigat.*
50 *Quid dicendum de ijs, qui profitentur se videre venas aquarum, thesauros, cadauera in terræ visceribus abdita; apostemata, & alia humorum genera intra corpus latentia.*
51 *Sententia Authoris.*
52 *Quid sit Augurium.*
An ex auium garritu naturaliter quædam prædici possint. ibidem.
53 *Pleraquè tamen nonnisi cum tacita Dæmonis inuocatione prædicuntur.*
54 *Quid sit Auspicium.*
55 *Quid sit Omen.*
56 *Quid sit Chryomantia.*
57 *An peccent mortaliter ij, qui ab Ægyptijs, quos vulgo Cingaros dicimus, petunt vtrum bonam, an aduersam fortunam sint habituri.*
58 *Quid sit sortilegium.*
59 *Quot sint sortes.*

60 Sortes

60 Sortes diuinatoriæ sunt omnino illicitæ.

61 Sortes consultoriæ regulariter loquendo sunt illicitæ.

62 Malitia tamen quam habent sortes hæ non superstitionis est, sed vt plurimùm tentationis Dei.

63 Concurrentibus quatuor conditionibus possunt hæ sortes esse licitæ.

64 Sortes diuisoriæ in plerisq; rebus sunt licitæ, & quando.

65 In electionibus Ecclesiasticis sunt illicitæ.

66 Ad hoc vt eæ licitæ sint quatuor conditiones requiruntur.

41 Diuinatio per quàm tacitè Demon inuocatur continet sub se has species videlicet Astrologiam, Augurium, Auspicium, Omen, Chyromantiam, & Sortilegium.

De Astrologia.

42 Astrologia est diuinatio habita ex situ, & motu astrorum ad ea scienda, quæ naturæ viribus non possunt sciri. Quod addo quia pleraq; ex astris cognoscimus, puta pluuiam, Ecclipsim, quorum cognitio naturaliter habetur. Quia tamen quædam naturalem intelligentiam superant, qualia sunt res futuræ à causa libera: inde est, vt astris vtens ad ea cognoscenda, dicatur superstitiosus.

43 Quare aduertendum duplicem esse astrologiam, alteram, quæ naturalis dicitur. Alteram verò, quæ iudiciaria. Naturalis ea dicitur, quæ medicinæ, agriculturæ, & nauigationi maximè conducit, vt quando quis ex situ, cursu, & motu astrorum conijcit ea, quæ naturaliter contingunt, puta grādinem, ventos, Ecclipsim, pluuias. Iudiciaria verò ea est, quæ ex astris ipsis coniectat, & prædicit futura à causis liberis, & præterita etiam, ac præsentia omnino occulta intelligit.

44 Rursus Astrologia iudiciaria triplex est. Prima quæ dicitur electionum, per quam diuinatores intelligūt quid in singulis rebus vtiliter sit agendum, quid faciendum, quid omittendum, quando egrediendū domo, quandoue manendum. Ac demum quo tempore, & quibus in locis singula præstanda, vt ea feliciter succedant.

Secunda quæ dicitur reuolutionis, ex qua diuinatores intelligunt totius anni bello, paceq; vicissitudines, mortes Regum, Imperatorum, aeris salubritatem, atq; annonas.

Tertia quæ dicitur magisterij natiuitatum, ex qua diuinant quid cuiquè homini sit euenturum: vtrùm pauper, an diues sit futurus; sit ne nupturus nobili, an plebeiæ; pulchræ, an deformi; pauperi, an diuiti; quo genere morbi, ac tempore si moriturus. Videte Delrium lib.4. disq. mag. cap. 3. quæst. 1.

45 Respondeo primò Astrologiā naturalem esse licitam: pariterq; eam esse licitam, quatenus ex astrorum aspectu conijcit naturæ temperamentū, & hominis propensiones. Ita Caiet. 2. 2. quæst. 95. art. 5. Suar. tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 11. à numero 8. vsq; ad 12. Manuel 1. tomo sum. cap. 7. num. 3. Salas lib. 2. quæst. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 8. num. 79. & alij communiter. Neq; Pius V. in suo motu proprio in hoc damnauit Astrologos, sed tantùm quando ab astris effectus contingentes, & à libero arbitrio pendentes prædicunt.

46 Respondeo secundò eam partem Astrologiæ iudiciariæ, quæ ex astrorum aspectu futura contingentia, & à libero arbitrio pendentia diuinat esse superstitiosam, atq; omni iure prohibitam. Sic ea prohibita est Cap. igi-

tur 26. quæst.3. Cap non liceat 26.q.5. Cap.sed & illud 26. q.2. Iure item ciuili vt l. 2. 5. & 7. cod. de malef. & mathemat. Ita D.Thomas 2.2. quæst. 95. art.5. Pereira de mag. lib.3.per totum. Suar. cap.11.cit. à numero 15. vsq; ad finem. Nauar. de restit. lib. 2. cap. 2. à numero 100. Ratio autem est,quia vel hæc cognitio fundatur in astris tanquam causis actuum humanorum: & tunc tollitur libertas humanæ voluntatis; cùm enim astra sint causæ naturales,& naturaliter ac necessariò agāt, porrò si tanquam causę possent humanas voluntates determinare ad vnum, imponerent necessitatem, & sic omnia dicerentur fato contingere, vt asserebant Gentiles. Vel hæc cognitio fundatur in astris, tanquam signis. Et hoc non, quia illa nec possunt esse signa naturalia, cùm non sint causæ actuum liberorum, nec effectus illorum, nec habeāt cum illis communem causam, in cuius influxu connectantur. Neque sunt signa ad placitum, quia id ipsum asserere nihil aliud est,quàm dicere instructionem eam per Dęmones haberi, cùm per se haberi non possit, nec à Deo,nec ab Angelo bono habeatur.

47 Aduertam tamen non peccare mortaliter peccato superstitionis Astrologos, quoties effectus contingentes,& à libero arbitrio pendentes, non vt certò euenturos prædicunt, sed sola illa coniectura, ac tenui certitudine, quæ haberi potest ex astris. Et ratio est,quia coniecturalis quædam cognitio effectuum pendentium ex humana voluntate haberi potest ex astris. Et hoc sentire videntur D.Tho. 2.2.q.95. art. 5. Authores indicis librorum prohibitorum iussu Concilij Trid. Clauis Reg. lib.4.cap.7. num. 4. docentes id esse superstitiosum, quando Astrologi hæc tanquam certa prædicunt. Et expressè Tolet. lib. 4. sum. cap.15.nu.16. Mart. Delrius lib. 4. disq. mag. cap. 3. quæst. 1. concl. 1.

48 Respondeo tertiò eam partem astrologiæ,quæ res occultas, siue præteritas, siue præsentes inuestigat, esse superstitiosam, & omni iure prohibitam. Et ratio est, quia hæc per astra sciri non possunt. Ita DD. cit.

49 Vnde inferas primò peccare mortaliter peccato superstitionis eū, qui furta, thesaurum, virginitatem,& alia similia occulta per quamuis diuinationem inuestigat. Sic cap.2. de sortileg quidam qui conatus fuerat per astrolabium occultum furem inuestigare absq; intentione inuocandi Dæmonem, damnatus fuit tanquam grauissimè delinquens, ac per annum ab altaris ministerio suspensus.

50 Secundò quid dicendum de ijs, qui profitentur se videre aquarum venas, thesauros, cadauera in terræ visceribus abdita, aposthemata etiam,& alia humorum genera intra corpus latentia, non impediente corpore, vel vestitu. Ac quidem non desunt,qui sentiant hæc posse naturaliter cognosci, quos refert Sanch. in sum.lib.2.cap.83. num.37.

51 Ego verò existimauerim hos quidem posse aquarum venas cognoscere ex vaporibus mane, & vespere illic expiratis: metalla item in terræ visceribus abdita ex certo herbæ genere illic nasci solito: cętera verò nequaquam posse, nisi cum Dæmonis interuentu. Atq; hoc multò certius esse si vim hanc intelligendi certis diebus alligent, puta feriæ tertiæ, vel sextæ. Quid enim præ cęteris hi dies habere possunt ad hæc percipienda, aut oculorum aciem acuendam? Ita Mart. Delrius lib.1. disq. mag.c.3. quæst.4. litera C. vers. adijciam his, Sanch.cit.

De Augurio.

52 AVgurium est, quando habetur cognitio rerum futurarum ex garritu auium, vel vocibus quorumcunq; animalium, seu etiam hominum sternutatione: puta si cornix à sinistra parte canat, Coruus à dextra, & similia. Non negarim quidem propter habitam rerum experientiam pleraquè nunc naturaliter prędici. Sic enim cornicula sæpe crocitans prædicit pluuiam cito futuram. Pariter vespertiliones longè à domibus volantes indicant nobis serenitatem, & sic de alijs similibus. Præterea ex his quædam ad homines pertinentia possunt conijci, puta rixæ, & bella inter homines. Et ratio est, quia eadem constellatio, quæ mouet huiusmodi animalia ad aliquem effectum, inclinare etiam potest homines ad iram, & rixam. Vnde à certis animalibus certo effectu spectato probabiliter coniectari poterunt rixæ, & bella inter homines. Superstitiosum tamen erit certiùs hæc prædicere, quàm illa significent.

53 Verùm quandoquidem pleraquè prædicuntur ex garritu, vocibus, vel occursu quorundam animalium, ad quæ nullum habent instinctum, inde est, vt ea prædici non possint sine peccato superstitionis, ac tacita Dæmonis inuocatione. Sicuti etiam superstitiosum est ex quibusdam fortuitò contingentibus aliquid feliciter, vel infeliciter, vel infeliciter casurum existimare. Quomodo aliqui si summo mane domo egressi canem, aut felem offenderint, sepulchrum, aut crucem viderint, diuinant sibi eo die bene, vel male cuncta euentura. Si venatum ituri pedem in limine ostij offenderint, aut eorum vestis deciderit, vel à soricibus illam abrosam viderint, putant infelicem futuram venationem. Si cùm primùm domo egrediuntur sternutent, vel calcei corrigiam rumpant, vel in porta caput offendant, infaustum illum diem futurum arbitrantur. Et ratio est, quia cùm hæc omnia fortuitò eueniant nihil boni, vel mali ex ijs potest conijci. Ita Less. lib. 2. cap. 43. dub. 7. Azor tom. 1. instit. mor. lib. 9. c. 22. q. vnica. Sanch. lib. 2. c. 38. à numero 39. vsq; ad 43.

De Auspicio.

54 AVspicium est cùm ex auium volatu, aut nutu quorũdam animalium ea sciuntur, quæ naturaliter sciri non possunt, verbi gratia. Si quis auium pastu, volatu, cursu, motu futura prædiceret. Quomodo sibi Romani felicem bellorum exitum pollicebantur, si admoti pulli cibum sumpsissent: aduersum verò si respuissent. Quæ omnia superstitiosa sunt modo dicto de augurio.

De Omine.

55 OMen est diuinatio ad scienda, quæ naturaliter scire non possumus per verba alicuius hominis casu prolata: puta cùm ex verbis casu ab aliquo prolatis conijcitur aliquid futurum. Quale exemplum numerari potest illud Romanorum, cùm deliberantes vtrùm ad alium locum transirent, fortè eo tẽpore Centurione quodam exclamante, signifer statue signũ, hic optimè manebimus, illico vocem hanc pro omine acceperunt alio non migrandi.

De Chyromantia

56 Chyromantia est cum ex manuum lineamẽtis inquirimus rerum futurarum notitiam: licèt enim inde sumi possit aliqualis cognitio ingenij, inclinationis animi, ac bonæ, vel prauæ valetudinis, non tamen ex ijs sine ope Dæmonis colligere possumus aliquem esse coniungendum matrimonio personæ nobili, vel pauperi, & similia.

57 Ex quibus patet quid dicendum de ijs, qui ab Ægyptijs, quos vulgato vocabulo Cingaros dicimus, petunt vtrùm bonam, an aduersam fortunam sint habituri: si enim hoc ab illis petant animo credendi id quod ipsi dixerint, mortaliter peccant. Secus verò si hoc faciant tantùm ex curiositate, & animo ridendi, vt communiter fit; in hoc enim casu esset tantùm peccatum veniale: nisi fortè adesset aliqua circumstantia, puta scandali, vt si esset persona talis conditionis, vt ex eius interrogatione aliqui grauiter offenderentur. Ita Nau. in man. c. 11. nu. 31. Clauis Reg. lib. 4. cap. 7. Alcozer in sum. cap. 14. folio 46. Less. lib. 2. de iust. cap. 43. dub. 7. nu. 45. Sanch. lib. 2. in sum. c. 38 num. 48.

De Sortilegio.

58 Sortilegium est diuinatio per sortes ad habendam cognitionem rerum futurarum, quæ naturæ viribus non potest haberi. Multipliciter autem diuinatio hęc haberi potest ope Dæmonis concurrente: puta vel ex taxilorum emissione: vel ex aliquarum cartularum descriptione: vel ex signis resultantibus in plumbo liquæfacto in aquam proiecto: vel ex consideratione eius, quod primò obijcitur librum aliquem aperienti, ac demum sexcentis alijs modis.

59. Sortes verò triplicis generis dicuntur ex fine inter se distinctæ, Diuisoriæ, Consultoriæ, Diuinatoriæ.

Diuisoriæ sunt quando beneficio sortium colligitur quid cuiq; sit tribuendum: siue id ipsum sit res aliqua possidenda, siue pœna luenda, siue dignitas conferenda.

Consultoriæ sunt quando beneficio illarum quæritur consilium quid in re obscura, & dubia sit agendum.

Diuinatoriæ sunt quando per eas quæritur cognitio rerum futurarum. Vtrùm autem sortes hæ licitæ sint.

60 Respondeo primò sortes diuinatorias omninò esse illicitas. Ita Cap. 1. de sortileg. Cap. sortes. Cap. peruenit 8. Et patet ex motu proprio Sixti V. contra Astrologos. Et ratio est, quia earum moderatio, vel expectatur à Deo, vel à Cęlo, vel à casu, vel à Dæmone. Non à Deo quia nusquam Deus hoc promisit. Non à Cęlo quia euentus futuri non sunt Cęlo praecogniti, neq; ab illo pendent; Ergo sortes, quibus euentus futuros diuinamus non possunt à Cęlo moderari. Non à casu, quia si sortes casu cadunt nihil certi præsignare possunt. Reliquum ergo est, vt earum moderatio à Dæmone expectetur, ac proinde in hisce sortibus dicatur admista tacitè quædam Dæmonis inuocatio. Ita D. Th. 2. 2. q. 95. art. 8. ad omnibus receptus.

61 Respondeo secundò sortes consultorias regulariter loquendo esse illicitas. Et ratio est, quia Deus non vult suam voluntatem sortibus indagari, sed Ecclesiæ ac Sanctorum doctrina, ac petito à viris prudentibus consilio. Vnde meritò sub anathemate eæ fuerunt proibitæ. Cap. sortes 26. q. 5. vbi Leo

Leo IV. ad Episcopos Britanniæ scribens inquit, [Sortes, quibus cuncta vos vestris discriminatis Prouincijs, quas Patres damnauerunt, nihil aliud, quàm diuinationes, & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Christianos vltra nolumus nominari, & ne exerceantur anathematis interdicto prohibemus.] Ita D. Tho. 2. 2. quæst. 95. art. 8. Armil. v. sortes num. 2. Margarita Confessorum in primo præcepto folio 58. Azor tom. 1. instit. mor. lib. 9. cap. 21.

62 Aduertam tamen malitiam, quam sortes consultoriæ continent nō esse superstitionis diuinatoriæ, sed vt plurimùm tentationis Dei, quia videlicet absq; necessitate velle, vt Deus suam voluntatem peculiari modo manifestet, pertinet ad Dei tentationem. Vt benè Less. lib. 2. cap. 43. dub. 9. n. 60. Sanch. lib. 2. in sum. cap. 39. num. 86.

63 Dixi regulariter loquendo esse illicitas, quia concurrentibus quibusdam conditionibus, quas ad numero quatuor recenset Sanch. cit. possunt esse licitæ.

Prima est, vt adsit necessitas, quam esse posse spiritualem, aut tēporalem; personæ, vel etiam rerum ad magnum damnum vitandum, docet Margarita Confes. loco cit. Et hoc patet exemplo Mathiæ Apostoli, & Ionæ.

Secunda est, vt debita reuerentia ad Deum mittantur: adhibita videlicet precatione, vt Deus adesse, & eas dirigere dignetur.

Tertia, vt seruetur modus proportionatus, ne videlicet diuina oracula conuertantur ad lucra temporalia. Secus verò ad damnum vitandum.

Quarta, vt sint circa debitam materiam: ne videlicet sint circa electiones Ecclesiasticas, quia id est specialiter prohibitum. Vt mox patebit.

64 Respondeo tertiò sortes diuisorias in rebus plerisq; licitas esse, quoties euentus expectetur à casu, vel ex peculiari Dei prouidentia, non tamen in omnibus. Ita D. Tho. 2. 2. quæst. 95. art. 8. D. Anton. 2. par. tit. 12. cap. 1. §. 9. Caiet. in sum. v. sors. Sylu. v. superstitio quæst. 9. Less. cit. num. 58. Sanch. loco cit. num. 57. Et alij communiter. Sic hæreditates, & alia bona communia sępissimè sorte diuiduntur; ad idemq; pertinet contractus sponsionis, & sortium, qui inter homines frequens est. Sic etiam in tempestate maris periculosa licitum est mittere sortem, vt sciatur quinam in mare sit proijciendus, ne omnes pereant. Quod posse fieri etiam inuitis ijs, qui in naui existunt, docet Sanch. cit. num. 62. quia videlicet Dux nauis possit medium hoc ob commune bonum eligere. Sic si fortè tempore pestis, aut persecutionis Ecclesiæ ingens disceptatio adesset inter Sacerdotes, quinam remanere deberent in loco infecto, aut persecutionis, vt alijs subuenirent: nec aliàs posset lis componi, posset sortibus diuisorijs fieri electio. Ita D. August. epistola 180. ad Honoratum. Similiter licitæ sunt hæ sortes inter eos, qui ęque pauperes sint ad sciendum cuinam eleemosina sit eroganda. Ita D. August. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 28. Sic in militia consuetudine receptum est, vt quando sunt plures rei, nec expedit omnes punire, sortibus diuisorijs eligatur vnus, qui ad aliorum exemplum puniatur.

65 Dixi in respōsione non in omnibus casibus esse licitas sortes diuisorias. Nam in electionibus Ecclesiasticis eę illicitæ sunt, vt patet Cap. Ecclesia de sortileg. sub finem. Quòd non solùm est intelligendum in electionibus ad beneficia, sed etiam ad officia,

vel

vel ad Ministros Ecclesiasticos, vt patet ex verbis textus, [sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes:] erat autem sermo de electionibus Ecclesiasticis, vt proinde cū ea verba generalia sint, generaliter etiam sint intelligenda.

66 Quare ergo ad hoc vt eę licitę sint quatuor conditiones requiruntur.

Prima, vt non violetur iustitia, sed illęsum conseruetur ius Partium. Vnde est, vt non liceat mittere sortes inter dignum, & indignum; possunt enim ea cadere super indignum. Ita Less. lib. 2. de iustit. cap. 43. dub. 9. num. 58. Tolet. lib. 4. sum. cap. 15. num. vltimo. Mart. Delrius lib. 4. disq. mag. cap. 4. q. 1.

Secunda, vt non adsit irreuerentia rerum sacrarum. Vnde est, vt in sortibus mittendis non liceat adhibere librum Euangeliorum propter irreuerentiam, quæ intercederet rei sacræ, quæ si magna sit cum mortali culpa est coniuncta. Ita Mart. Delrius cit. Sanchez in sum. lib. 2. cap. 38. num. 69.

Tertia, vt euentus, vel sors non expectetur ab astris, vel ab ope Dęmonis, vel à Deo extraordinario modo, quia hoc esset tentare Deum. Vt benè Sanch. cit. nu. 70. sed vel à casu, vel ex Dei prouidentia.

Quarta, vt non mittantur sortes in ijs casibus, in quibus ius humanum illas interdicit, puta in electionibus Ecclesiasticis, vt patet ex iuribus cit.

Dices per sortem D. Matthias fuit electus ad Apostolatum; ergo sortes diuisoriæ habent locum etiam in electionibus Ecclesiasticis.

Respondeo non fuisse per sortes electum ad Apostolatum, sed assumptum ex electione diuina: sortes verò fuisse signum tantùm manifestatiuum huius electionis. Ac meritò. Sicut enim cęteri Apostoli non suffragio humano, sed Christi iudicio fuerunt electi: ita pariter decebat, vt eodem modo eligeretur is, qui in locum Iudæ erat substituendus.

DIFFICVLTAS V.

Quale peccatum sit diuinatio.

67 *Diuinatio ex suo genere est peccatum mortale.*

68 *Non datur in ea paruitas materiæ, quoties seriò fiat.*

67 Respondeo diuinationem esse peccatum mortale ex suo genere, siue ea fiat cum expressa, siue cum tacita Dęmonis inuocatione. Ita communiter DD. Et ratio est, quia per diuinationem initur consortium, & societas cum Dęmone perpetuo Dei hoste: homo enim per diuinationem subijcit se Diaboli disciplinæ, vt ab eo res occultas doceatur; ipsumq; tacitè honorat, tribuendo illi rerum futurarum cognitionem. Quare ergo malitia huius peccati in eo consistit, quia cùm ab ipso mundi exordio Deus indixerit inimicitias inter homines, & Dęmones, easq; fideles omnes in baptismi susceptione polliceantur renunciantes Diabolo, & eius operibus. Porrò quoties pactum aliquod, siue expressè, siue tacitè cum Dęmone ineatur, dicitur etiam fędus cum Dei hoste feriri; vt proinde idipsum sit quædam Dei proditio, siue apostasia, instar militum ad contrariam hostium partem declinantium, & à Rege suo deficientium.

68 Quinimò existimat Delrius lib. 4. disq. mag. cap. 2. q. 4. Sanch. lib. 2. in sum. cap. 38. num. 18., qui Valentiam citat, non dari in diuinatione paruitatem materiæ, quæ à mortali excuset.

Quod

Quod intellige quoties ea seriò fiat. Ignorantia tamen, & inaduertentia excusaret.

DIFFICVLTAS VI.

An ij diuinationis modi, quos superiùs recensuimus constituant species diuersas.

69 *Refertur sententia distinguens tres species diuinationis.*

70 *Author putat modos diuinandi iam recensitos nõ facere species diuersas.*

71 *Sic peccatum bestialitatis non differt specie pro diuersitate belluarum.*

72 *Aliquando tamen concurrere potest talis circumstantia, quæ peccato bestialitatis addat nouam malitiam: vt si quis congrederetur cum Dæmone.*

73 *Existimant aliqui si adsit pactum expressum cum Dęmone initum, illud esse confitendum.*

74 *Author putat sententiam contrariam esse probabilem.*

DIximus superiùs diuinationem esse duplicem. Alteram, quæ fit cum expresso Demonis pacto; alteram verò, in qua solùm est tacitum: atq; vtramq; multiplicẽ esse iuxta signorum diuersitatem, quibus Dęmon diuinatores docere solet. Quærimus modò vtrũ prædicti diuinationis modi constituant species diuersas in genere moris, ac necessariò confitendas; ita vt in confessione explicãdum sit an diuinatio fuerit per aerem, an verò per aquam. Et sic de cęteris.

69 Existimat Valentia 2.2. disp. 6. q. 12. puncto 2. in genere moris triplicem esse speciem diuinationis: ita vt prima sit ea, per quam expresse Dæmon inuocatur, quàm generali nomine appellat Necromantiam. Secundã sit per quam tacitè Dęmon inuocatur, quam generaliter appellat Augurium. Tertia verò quando aliquid consultò fit ad eam cognitionem comparandã, quam generali nomine appellat Diuinationem per sortes.

70 Ego verò respondeo has diuinandi species, licèt in genere naturæ inter se diuersæ sint, tamen in genere moris non differre specie; proindequè non teneri Pœnitentem in confessione explicare, per quas res diuinatio fiat. Et ratio est, quia quouis modo fiat diuinatio, eandem habet deformitatem, puta eiusdem perfectionis priuationẽ, eandemq; oppositionem cum recta ratione. Et sicuti non differunt specie furta auri, argenti, panni, equi, aliarumq; rerum pretio æstimabilium; ita neq; diuinationes, siue fiant per aerem, siue per aquam, siue per somnia.

71 Demùm verò ad hoc facit, quod de peccato bestialitatis docent communiter DD. videlicet non differre specie pro diuersitate belluarum, cum quibus committitur, cùm diuersitas belluarum inferat tantùm differẽtiam materialem; proindeq; non teneri Pęnitentem in confessione exprimere belluam, cum qua copulam habuit, sed satisfacere si dicat se congressum fuisse cum re alterius speciei. Vt benè Azor 3. par. lib. 3. c. 22. Emman. Sà v. luxuria num. 6. Chapeau. cap. 15. vers. secunda est.

72 Nisi fortè concurreret aliqua circumstãtia, quæ nouam adderet malitiam, qualis esset si fortè quis cum Dęmone congrederetur; tunc enim præter malitiam bestialitatis, adesset alia superstitionis, quia congressus ille includeret societatem cum Dęmone, vt communiter docent DD. Atq; ita de diuinatione loquentes sentiunt Caiet.

iet. in Opusc. to. 1. tract. 5. de confess. quæst. 3. vers. Et quoniam. Sotus in 4. dist. 2. q. 2. art. 4. concl. 6. Azor tom. 1. lib. 9. instit. mor. cap. 12. q. 3. Suar. to. 1. de relig. lib. 2. de superst. cap. 9. num. 5. & cap. 10. num. 2. & 3. Sanch. lib. 2. in sum. cap. 38. nu. 14. noster Bonac. disp. 3. in 1. præcep. Decalogi q. 5. puncto 3. num. 20.

73 Addunt tamen Suar. cap. 10. cit. num. 1. Sanch. cit. quando adest pactum expressum cum Dæmone, id esse confitendum: quorum ratio est, quia longè diuersum iudicium est faciẽdum in confessione de pacto expresso, quàm de tacito.

74 Contrarium verò docet Victor. in sum. vbi de confess. num. 176. in fine, quo loco asserit Pœnitentem satisfacere, si confiteatur se reum esse diuinationis mortalis. Et hoc videtur dicendum retenta sententia, quæ asserit eas tantùm circumstantias esse in confessione explicandas, quæ speciem mutant: Nam diuinatio cum pacto expresso non differt specie ab ea, in qua est pactum tacitum, sed differt solum sicut completum, & incompletum, perfectum, & imperfectum intra eandem speciem, eoq; modo, quo professio expressa differt à tacita, quæ sunt eiusdem speciei.

QVÆSTIO QVINTA

De quarta specie superstitionis, quæ dicitur vanarum obseruationum.

75 *Definitur superstitio vanæ obseruãtiæ.*
76 *Quomodo differat à diuinatione.*
77 *Vtrùm sit peccatum mortale, & in quo consistat eius malitia.*
78 *Recensentur quatuor species vanæ obseruantiæ.*

75 QVarta species superstitionis est vana obseruantia, qualis dicitur, quando medijs inutilibus, & à diuina prouidentia minimè constitutis procuratur aliquis effectus. Ita D. Th. 2. 2. q. 96. art. 1. & 2. ab omnibus receptus. Vt contingit quando quis medijs inutilibus intendit acquirere scientiam, sanitatem, vel bona temporalia.

76 Differt autem à diuinatione, quòd diuinatio tendat ad solam occultorum cognitionem, vana verò obseruantia ad effectum externum tendat, puta ad aliquid obtinendum, aut vitandum.

77 Superstitio hæc est peccatum mortale, cuius malitia in eo consistit, quia includit pactum, vel expressum, vel tacitum cum Dæmone initum. Vel quia Creaturæ diuinus honos quodammodo tribuitur expectando ab illa medijs inutilibus effectus eos, qui à Deo sunt expectandi.

78 Vanæ autem obseruantiæ quatuor sunt species, ars notoria, obseruantia sanitatis, obseruantia rerum futurarum, & obseruantia Reliquiarum.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit ars notoria.

79 *Definitur superstitio artis notoriæ.*

79 ARS notoria est superstitio quædam, qua quis credit se scientiam consecuturum absque labore per quasdam orationes, & ieiunia, adhibitis inspectionibus quarundam figurarum, prolationibus quorundam verborum ignotorum, quæ omnia de se vana sunt, & inefficacia, nisi cũ ope Dæmonis coniungantur. Et hæc superstitio peccatum mortale est ex suo genere, cùm contineat tacitum commer-

mercium cum Dæmone, cui tribuitur id, quod proprium est Dei: illius enim proprium est scientiam infundere. Vtrùm verò licitum sit vti hac scientia acquisita ope Dæmonis. Respondeo affirmatiuè, quoties eius conseruatio, vel vsus non pendeat à Dæmone. Et ratio est, quia eius vsus est de se bonus. Ita Suar. lib. 2. de superst. cap. 17. num. 1. & 2. Sanchez in sum. lib. 2. cap. 42. num. 20.

DIFFICVLTAS II.

Quid sit obseruantia sanitatum.

80 *Definitur superstitio obseruantiæ sanitatum.*

81 *An sit licitus certus modus curandi vulnera, qui fit applicando remedia vittis sanguine vulneratorum madefactis.*

82 *Traduntur tres regulæ, quæ maximè inseruiunt ad effectus superstitiosos cognoscendos.*

83 *Vtrùm vtens hoc genere medicamenti sit denuntiandus in Sancto Officio Inquisitionis.*

84 *Vtrùm à superstitione possint excusari certæ familiæ, quæ quibusdam morborũ generibus sanandis dant operã.*

80 OBseruantia sanitatum est, quãdo homo ad sanitatem obtinendam vana quædam, & inutilia media sumit, vt quãdo ad curandos morbos hominum, seu etiam animalium adhibentur verba, signa, cœremoniæ, quibus vana quædam media tanquam necessaria adiunguntur: cùm enim ea omnia nullam habeant efficaciam respectu illorum effectuum, necessariò dicendum est ex pacto expresso, vel tacito Dæmonis illos fieri. Vnde est, vt superstitio hæc cum mortali culpa sit coniuncta, nisi adsit imperfectio actus, vel ignorantia inuincibilis excuset. Ita Nauar. in man. cap. 11. Et alij DD. inferiùs citandi.

81 Ex quibus collige damnandum esse modum quorundam, quem adhibent in vulneribus curandis in loco etiam distanti applicãdo remedia vittis, aut gladio, aut lignis sanguine vulneratorum madefactis. Et ratio est, quia effectus hi non possunt vllo modo pendere à causa creata, quę non potest suum effectum producere nisi in tanta distantia: vulgatum enim, Philosophorum omnium axioma est, causas omnes naturales habere actualem sphæram actiuitatis, in qua agant. Tum quia non est maior ratio, cur si remedium applicatum panno lineo, vel ligno infecto sãguine vulnerati illi prodest, & sanitatem confert, non etiam obsit, & mortem afferat venenum tali ligno applicatum. Quare enim sanguinis sympathia transfundit efficaciam medicamenti, & non virtutem veneni? cùm sit par ratio. Dicendum ergo effectum hunc, & hunc medendi modum superstitiosum esse.

82 Et hoc colligi maximè potest ex regulis vniuersalibus, quæ communiter tradũtur ad effectus hosce superstitiosos cognoscendos, eæq; ad numero tres referuntur.

Prima est quando aliqua media inutilia, & inefficacia ad aliquem effectum abhibentur tanquam necessaria: puta quòd tot tantùm numero cruces adhibeantur, & non plures. Quòd atramentum quidem ad tollendum dolorem dentium maximè prosit, vt volunt mulierculæ, sed ter in honorem talis Sancti recitanda sit oratio Dominicalis, ita vt si non recitetur nullo modo prosit; tunc signum est effectum non pendere à causa naturali: à Deo autem asserere

sferere non debemus effectum aliquem pendere, nisi hoc nobis constet, vel ex Scriptura, vel ex Ecclesiæ traditione, vt benè monet Delrius lib. 3. q. 3. sect. 1.

Secúdò colligi potest ex modo operandi, puta quando quis applicat remedium in loco tam distanti, vt effectus non possit causæ naturali adscribi, quæ de se exigit determinatum locum, & distantiam. Vt patet experientijs.

Tertiò quando effectus superat actiuitatem causæ creatæ. Videte de his plura apud Lessium lib. 7. cap. 43. dub. 10. Sanch. lib. 2. c. 4. num. 44.

83 Quæres primò vtrùm vtens hoc genere medicamenti denuntiandus sit in Sancto Officio Inquisitionis.

Respondeo cum distinctione: vel enim facta denuntiatione scitur Inquisitores adhibituros esse remedium; vel dubitatur vtrùm illud sint adhibituri; vel scitur illos non esse adhibituros. Si primum, aut secundum, facienda est denuntiatio, quia extat præceptum Inquisitorum Sancti Officij, vt qui similibus medendi artibus vtuntur ad illud Tribunal deferantur, cui præcepto etiam in dubio emendationis est parendum, cùm possessio stet pro præcepto. Si tertium nulla adest obligatio denuntiandi. Et ratio est, quia ad opus inutile, non obligamur. Præmittenda tamen esset correctio, quando adesset probabilis spes, vt ea esset profutura. Et hoc iuxta regulas, quas in similibus casibus afferunt Sylu. v. correctio q. 10. D. Anton. 2. p. tit. 9. c. 6. in fine. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 13. Et expresse de hoc casu loquens Bonac. disp. 3. circa primum Decalogi præceptum q. 5. puncto 4. num. 19. Ad idq; facit quod in simili nos ipsi inferiùs in cap. 16. docebimus agentes de præcepto denuntiandi blasphemos.

84 Quæres secundò vtrùm à Superstitione excusandæ sint certæ familiæ, quæ quibusdam morborum generibus sanandis dant operam, vt rabido canis morsui, & similibus.

Respondeo non illico esse damnandas. Et ratio est, quia ab Ecclesia permittuntur. Tum quia non est damnanda actio, quæ sufficienti ratione non probetur esse superstitiosa, aut mala. Tum quia fieri potest vt hanc gratiam gratis datam à Deo acceperint, vel ratione temperamenti, aut occultæ proprietatis diuino munere insitę habeant naturalem vim tales morbos sanandi. Sic ex Plinio lib. 28. histor. natur. cap. 3. refert Franc. Victor. de arte mag. nu. 16. fuisse Psylos in Africa, & in Italia Marsos, ex quorum familia qui ducebant originem tales erant, vt eorum corpora tactu ipso leuarent percussos à Serpentibus, & ipsi manu imposita corpori venena extraherent. Alios item fuisse, quorum sudor medebatur multis morbis.

Aduertendum tamen diligenter est, num hoc faciant remedijs naturalibus, an ex gratia gratis data, an verò ex pacto cum Dæmone inito. Vnde est vt antequam huius generis homines absoluantur maxima cautio adhibenda à Confessario sit: nec enim sufficit quod ij ab Ecclesia tolerentur, quia aliquando pleraq; tolerantur, vt lupanaria, quæ licitè fieri non possunt. Addo diligenter etiam eos ab Ordinarijs locorum esse examinandos antequam hoc munus exercere permittantur. Ita Nauar. in man. c. 11. num. 36. Mart. Delrius lib. 4. c. 3. q. 4. Less. lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 63. vers. solùm difficultas est, Azor tom. 1. lib. 8. c. 25. q. 2. Sanch. in sum. lib. 2. c. 40. num. 47. quo loco habet hosce nec totaliter esse damnandos, nec totaliter approbandos.

DIFFI-

DIFFICVLTAS III.

Quid sit obseruantia futurorum euentuum.

85 *Difinitur superstitio obseruantiæ futurorum euentuum.*

86 *Huius generis superstitiones regulariter sunt veniales.*

85 Obseruantia futurorum euentuum est, quando ex obseruatione quarundam rerum impertinentium aliqui sibi prosperum, vel aduersum rerum, aut diei exitum ominantur. Vt de lupo illo in fabulis est, qui cùm mane crepitum fortè emisisset maximę prædæ diem illum futurum esse coniecit. Ac demum quales ij sunt, qui è domo exeuntes, si fortè pedem offendāt, aut vestem vetustate corrosam inueniant, illico sibi triste aliquid euenturum ominantur. Si domo egressis primò occurrat Virgo, putant illum diem futurum sterilem. Si verò meretrix, futurum fœcundum. Pariter ad hanc superstitionem vanæ obseruantiæ pertinent quod quædam mulierculæ matrimonij auidæ solent facere, puta in nocte Sancti Ioannis Baptistæ orare; arrectisq; auribus stare, credentes nomen, quod audierint fore earum viri nomen. Eodemq; vitio superstitionis laborant, qui inter ludendum locum mutant, vel tantisper surgunt ad malam fortunam, vt inquiunt ipsi, abijciendum. Ad idemque spectant superstitiosi Poetæ hi duo versus.

Garrula quid totis resonas mihi noctibus aures?
Nescio quem dicis nunc meminisse mei.

Quarum superstitionū plura exempla videri possunt apud D. August. lib. 2. de doctrina Christ. cap. 20., & D. Chrisost. Homilia 21. ad Populum Antiochenum.

86 Huius autem generis superstitiones, vt plurimùm quidem veniales sunt; sed si quis fortè pertinacitèr illis adhæreret, mortaliter peccaret. Ita Less. lib. 2. cap. 43. dub. 10. nu. 65. Sanch. lib. 2. in sum. cap. 40. à numero 14. vsquè ad 21.

DIFFICVLTAS IV.

Quid sit obseruantia Reliquiarum.

87 *Definitur superstitio obseruantiæ Reliquiarum.*

88 *Ad hanc superstitionem reducuntur hæ consuetudines, die Veneris vngues præscindere, die Sabbati non nere, & alia similes &c.*

89 *Vtrùm superstitiosum sit die certi Sancti venas iumentis aperire; herbas medicinales in nocte Sancti Ioannis Baptistæ colligere.*

90 *Missas cum certo candelarum numero celebrare superstitiosum est.*

91 *Vsus triginta Missæ Sancti Gregorij an sit damnandus.*

92 *An obligatus celebrare Missas Sancti Gregorij teneatur illas celebrare sine interruptione, & omnes de Requie.*

93 *Author putat posse celebrari cum interruptione.*

94 *Pariterq; non esse celebrandas omnes de Requie.*

95 *An Sacerdos qui ex fundatione Capellaniæ tenetur semper celebrare de Requie possit aliquando celebrare Missam de Sancto.*

96 *Superstitiosæ sunt quædam supplicationes publicæ, in quibus imago alicuius Sancti proijcitur in flumen vt pluat.*

97 *Quinq; obseruanda proponit Author ad vitādam superstitionem omnem, quæ*

quæ imaginibus, vel scripturis Sacris adhibendis, vel ad collum portandis committi possit.

87 OBseruantia Reliquiarum est quando vana aliqua superstitione eas, seu alias orationes, aut Breuia gestat quis ad collum appensa: puta vt Euangelium, quod collo appensum deferunt sit descriptum in carta, vt dicunt, virgine, cum quibusdam signis inutilibus, vanis, & superstitiosis. Vnde qui verba aliqua collo appensa secum ferunt spem suam in illis collocantes, ac credentes se ab hostium inuasionibus esse omnino securos, ac nullo modo posse offendi, isti peccant peccato superstitionis. Vt benè Graff. p. 1. decis. aurea. cap. 5. num. 6. Suar. lib. 2. de relig. cap. 15. num. 11. de superstit. Sanch. cap. 40. num. 20. qui benè addunt, secus esse quando has orationes, aut Breuia ad collum deferens non expectat hos euentus tanquã certò euenturos, sed confidit Sanctorum meritis, & illorum precibus sperat futurum, vt à malis præseruetur Less. lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 63. Et alij communiter.

88 Ex quibus patet primò ad hanc superstitionem reducendas esse quasdam consuetudines, quibus nonnulli aliquid facere, aut omittere consueuerunt. Vt si quis omittat die Veneris vngues præscindere: die Sabbati nere in honorem B. V. cùm tamen alia omnia opera seruilia exerceat: maiorem vim tribuere aquæ, quæ Dominicis post quatuor Tempora fuerit benedicta, quàm illi, quæ fuerit benedicta alijs Dominicis: seruare oua, quæ in die Parasceue gallinæ pariunt, eo quòd credant si in ignem conijciantur habere vim illum extinguendi: hæc enim omnia superstitiosa sunt, quia hac virtute carent. Vt benè Delrius lib. 3. disq. mag. par. 2. q. 4. sect. 6. in fine Sanch. cit. num. 6.

89 Secundò patet vtrùm à peccato superstitionis excusandæ sint quædam consuetudines, quæ longo vsu apud quosdam sunt inueteratæ: puta iumentis die certi Sancti venas aperire: herbas medicinales colligere in nocte Sancti Ioannis Baptistæ.

Respondeo enim quòd si hæc faciãt credentes herbis collectis tali die maiorem vim inesse, Rei sunt superstitionis, nisi ignorantia, & simplicitas excuset. Si verò hoc faciant ob peculiarem affectum, quem habent erga illum Sanctum, à quo opem, & auxilium sperant, tunc nullum peccatum Superstitionis committunt. Ita Delrius lib. 3. disq. mag. par. 2. q. 4. sect. 6. paulò post principium. Quo loco habet colligentes herbas in die Sancti Ioannis Baptæ, vel minuentes bestiarum sanguinem causa sanitatis certo die festo, si causam solùm naturalem attendant, vanè hoc facere. Si verò directè hoc Sanctorum meritis adscribant, atquè Deo, vt Sanctos honoranti tribuant effectum, se non audere condemnare. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 40. num. 31. quo loco monet hasce consuetudines esse extirpandas, si commodè possint extirpari, ex eo quòd superstitionem sapiant.

90 Tertiò patet superstitiosum esse vti vanis cęremonijs, & ad cultum diuinum non pertinentibus; puta Missarum numerum diebus continuis, nec interruptis, talibus horis cum certo candelarum numero celebrare; licèt enim certus numerus Missarum, & cãdelarum in aliculus misterij memoriã sit pius, tamen vanum est credere, quòd tali numero aucto, vel minuto, vel interrupto preces frustrentur suo effectu. Vnde Cõcilium Trid. sess. 22. in decreto

to de obseruand. & vitand. in Missæ celebratione contra huiusmodi superstitiones sic habet, [quarundam Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à verè religioso inuentus est, omnino ab Ecclesia Episcopi remoueant.]

91 Hinc est, vt vsus triginta Missarum Sācti Gregorij, qui ex eo ortum habuit, quia D. Gregorius fecerit triginta diebus orare pro Defunctis, non sit damnandus superstitione; nisi fortè aliquę circumstantię vanę admisceantur. Vt benè Sanch. cit. num. 41.

92 Hoc autem loco dubitant plerìq; vtrùm obligatus dicere Missas Diui Gregorij teneatur illas celebrare sine interruptione, & omnes de Requie. Cui difficultati respondet Gauantus comment. in Rubr. Missalis tom. 1. par. 1. tit. 5. litera D. dicendo valere quidem supradictas Missas si discontinuentur, sed non vt eas, quas instituit Sanctus Gregorius.

93 Ego verò respondeo posse Sacerdotem illas celebrare etiam cum interruptione. Et ratio est, quia licèt Missarum obligationes ad locum relatæ non admittant interruptionem, tamen ad personam Sacerdotis relatæ ciuili modo, & moraliter sunt intelligendæ, vt salua honestate, ac deuotione Sacerdotis, quantum fieri potest magis continuè celebrentur; honestas autem patitur, vt aliquando Missæ intermittantur. Tum quia interruptio non tollit Missarum effectum. Tum quia sequeretur eum, qui medio tempore quadragesimæ suscepit hoc onus Missarum Sancti Gregorij celebrandarum, teneri celebrare Missam in ferijs 6. Quadragesimæ, aut in die Parasceues, quod tamen nō est admittendum. Ita Homob. de bonis in examen Ecclesiæ par. 1. tract. 4. cap. 14. quæst. 117. Fraxinel. de oblig. Sacerd. sect. 4 concl. 6. §. 5. nu. 1. & 2. Bonac. de Sacram. disp. 4. q. vltima puncto 7. §. 3. num. 6. & 7.

94 Quòd verò non teneatur omnes dicere de Requie probatur, quia omnes Missæ sunt æqualis valoris ex opere operato. Vt notat D. Tho. in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. q. 1. ad 5. Et licèt cęteris paribus Missa de Requie magis prodesse possit defunctis, cùm eius preces ad Animarum libertatem directè fundantur; id totum tamen supplere potest maior Sacerdotis deuotio, vel eius Sancti intercessio, cuius suffragiū in Missa imploratur.

95 Quinimò hoc generaliter sustinent DD. cit. de Sacerdote eo, qui certis diebus ex stipendio accepto, vel ex fundatione Capellaniæ teneatur celebrare Missas de B. V. aut de Requie, aut certo Sancto, docentes si fortè in illis diebus incidat solemnitas alicuius Sancti, & Sacerdos afficiatur maiori deuotione in Missa de dicto Sancto, posse celebrare de Sancto. Quorum ratio est, quia licèt testator dixerit, vt talibus diebus dicatur Missa de Requie. B. V. aut certo Sancto; hæc tamen verba intelligenda sunt ciuili modo, & moraliter; voluntati enim testatoris præualere debet Ecclesiæ ordo, & ritus. Ita Fagund. de præcepto Ecclesię p. 1. lib. 3. c. 9. num. 6. Gauant. in Rubr. Mis. to. 1. p. 3. tit. 13. num. 20. & 21. Fraxinel. de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 4 §. 4. Azor p. 1. lib. 10. c. 32. q. 5. Emman. Sà v. Missa num. 48. Atquè id ipsum absolutè, ac sine vlla limitatione tenet Villalobos in sum. tom. 1. tract. 8 difficult. 91. num. 9. ab ijs verbis, [El que esta obligado à dezir vna Missa verbi gratia de nuestra Señora y dice &c.

96 Quartò superstitiosas esse supplicationes illas publicas, in quibus imago alicuius Sancti in flumen proij-

citur, vt pluat Ita Sanch in sum.lib.2, c.40.num. 34. Videte de his plura apud Martinum Delrium, & alios DD. cit.

97 Vnum illud aduertam ad vitandam omnem superstitionē quæ imaginibus, vel scripturis sacris adhibendis, vel ad collum portandis committi potest.

Primò obseruandum esse, vt ea nihil falsi contineant non solùm contra Sacram Scripturam, sed neq; contra Ecclesiæ auctoritatem, & cōsuetudinem.

Secundò ne aliquid in eis proferatur, aut scribatur ad inuocationem Dæmonis pertinens.

Tertiò ne ignota nomina cōtineāt, quia tunc aliquid illicitum sub illis latere videtur. Vnde D. Chrisostomus. Hom. 42. super Mathæum ait, quod Phariseorum magnificantium fimbrias suas exemplo, nunc multi aliqua nomina hebraica Angelorū confingunt, & scribunt, & alligant, quæ non intelligentibus metuenda videntur.

Quartò ne cum verbis sacris aliqua vana contineantur, puta aliqui characteres inscripti præter signum crucis, quia illi ad Dæmonis inuocationem pertinere possunt.

Quintò ne spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in alia simili vanitate.

Sextò ne in eis prænotetur, quòd qui hæc breuia portabit, vel has Orationes dixerit, tale malum vitabit, puta in peccato, in bello non morietur, aut amasiæ semper placebit, & similia.

DIFFICVLTAS V.

De Magia.

98 *Definitur Magia.*

99 *Superstitionem hanc difficillimam esse cognitu monet Author, cùm quidam effectus naturæ viribus haberi possint.*

100 *Datur quædam Magia naturalis.*

101 *Vndenam cognosci possit, an aliqua operatio pertineat ad Magiam superstitiosam.*

102 *Quomodo iudicandum sit de ijs effectibus, de quibus dubitatur vtrùm causa naturalis sit sufficiens ad illos producendos.*

98 AD superstitionem vanarum obseruationum referri posse magiam existimat Less. lib.2.cap.43. dubit. 1. dub. 2. Ea ergo sic definitur quòd sit inordinata potestas faciendi, quæ sunt supra naturam.

99 Vnum aduertam superstitionem hanc esse difficillimam cognitu, cùm difficile nobis sit, vt pote causarum naturalium proprietates ignorantibus iudicare, quandonam causa naturalis, quæ ad aliquem effectum producendum adhibetur sit sufficiens, nec ne. Sic fortè existimarit quispiam artē inueniendi aquas in terra latentes adhibita virga salicea, vel amigdalina, vel sanguinula esse superstitiosam; cùm tamen ea naturę viribus niti possit: hic enim effectus naturalis esse potest in debita distantia ob qualitates ab aqua in virgam, vel à virga in aquam transmissas. Vt notat Bonac. disp 3. in primo Decalogi pręcepto q.5. puncto 4. n.14.

100 Datur ergo quædam magia naturalis, quæ occulta quadam cognitione, & applicatione quarundam singularium virtutum rerum naturalium mira, & inusitata perficit. Et ea est licita. Vt latè probat Victor. de arte mag. q.3. num.7. Delrius lib.1. disq. mag. c.2. & 3. Pereira lib.1. de mag. c.3 Itemquè datur magia superstitiosa, cui competit definitio à nobis allata. Et hæc ex genere suo est peccatū mortale, quia con-

contineat tacitam, vel expressam Dæmonis inuocationem. Nec in ea datur paruitas materiæ, quia nihil facit quòd in re parua Dæmon inuocetur, vel quòd inuocetur in re magna. Ignorantia tamen excusare potest, vt si quis ignoraret subesse tacitam inuocationē Dæmonis, quæ cùm sœpe sit valdè occulta ignorari probabiliter potest. Ita Less. lib. 2. cap. 44. dub. 4.

101 Quæres primò vndenam cognosci possit, an aliqua operatio ad magiam superstitiosam pertineat.

Respondeo tribus modis posse cognosci. Primò ex cōditione causarum, quæ adhibentur. Secundò ex conditione effectus. Tertiò ex conditione operationis, seu actionis.

Ex conditione causarum cognoscitur magia superstitiosa. Vt si expressè inuocetur Dæmon. Si preces adhibeantur, quibus falsa sint admixta, puta Christū habuisse febres, & spasmum. Et aliæ similes causæ adhibeantur, ex quarum virtute non possit effectus ille expectari.

Ex conditione effectus, si humanam virtutem, & industriam superet.

Ex cōditione operationis, seu actionis. Vt cum repente curatur equus, vel homo absq; diuino miraculo: cū actio ad rem valdè distantem extenditur; vt si hic imago Titij pungatur, & ille Romæ existens doloribus afficiatur: si breuissimo tempore multa miliaria conficiantur.

102 Quæres secundò quomodo iudicandum esset de effectibus ijs, de quibus dubitaretur, vtrùm causa naturalis esset sufficiens ad illos producendos nec ne.

Respondeo in tali casu censendum esse illos prouenire à causa naturali. Et ratio est, quia cùm infinitæ proprietates agentium naturalium nobis occultæ sint, non est cur virtutem aliquam negemus causæ naturali, quia nobis sit occulta. Sic fortè magiæ superstitiosæ tribueret quis illos effectus, quos D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 24 refert à causa naturali manasse: inter quos refert fuisse quendam, qui pro libito ita sensibus alienabatur, vt simillimus mortuo iaceret, nec solum vellicantes, & pungentes non sentiret, sed igne etiam admoto vreretur. Pariter alium refertur sudare solitum, quoties volebat, atq; aures mouentem, vel singulas, vel ambas simul. Cęterùm quoties constaret effectum aliquem excedere vires causæ naturalis, tunc censendum esset illum esse superstitiosum, nisi fortè circumstantiæ, puta sanctitas operantis, &c. aliud suaderent. Ita Sanch. in sum. lib. 2. cap. 40. num. 44.

QVÆSTIO SEXTA

De Maleficio.

103 *Definitur maleficium.*
104 *Quotuplex sit maleficium, & quodnam sit amatorium.*
105 *Quodnam sit maleficium veneficum.*

103 MAleficiū sic definitur, quòd sit ars nocendi alijs ope, & potestate Dæmonis. Ita Sayr. in Claui Reg. lib. 4. c. 6. nu. 23. Tolet lib. 4. c. 16. Reg. lib. 17. nu. 157. Et alij cōmuniter.

104 Duplex illud est, aliud amatorium, aliud veneficum.

Amatorium illud est quo ipsi malefici vtuntur ad flectendos animos, & impurum amorem causandum, quo modo inter ipsos etiā coniugatos odia, & rixas inducunt, & vtriusque animos ad alios conuertunt. Monuerim tamen Dęmonem nullius hominis voluntatē posse cogere ad amandum, sed solùm

persuadere mouendo phantasmata, & hominis imaginationem, qua voluntas afficiatur ad rem amandam, faciendo apparere amabiliora; carnis item appetitum incitare: semper tamen hominis voluntatem manere liberam, proindeq; non excusari à peccato, vt potequæ voluntariè peccet, cùm ad amorem alliciatur quidem, non tamen cogatur. Ita Tol. lib 4. c. 16 num. 5.

105 Maleficium veneficum est illud, per quod venefici damna multoties hominibus inferunt in bonis animi, corporis, famæ, & fortunæ: ad quod reducuntur peccata Strigum infantibus insidiantium, vt illos à se occisos de tumulis clam furto recipiant, quos in caldari decoquunt, & ex parte crassiore postmodum venenum conficiunt, quo se vngunt, quando volunt à Dæmone transferri: partem verò liquidiorem reseruant, quam si aliquis potauerit statim additis quibusdam ceremonijs conscius efficitur, & magister illius Sectæ. Ita ex confessionibus Lamiarum apud Delriũ tom. 1. disq. mag. lib. 2. c. 24.

DIFFICVLTAS I.

An liceat à malefico parato alio maleficio maleficium dissoluere petere, vt illud dissoluat.

106 *Nunquam licet vti maleficio pro dissolutione maleficij.*

107 *An licitum sit id petere quando maleficus est paratus. Aliqui affirmant.*

108 *Sententia negans est omnino tenenda.*

109 *Quid si petatur sola dissolutio maleficij & maleficus non nisi alio maleficio sciat illud dissoluere.*

110 *Vtrùm si [illegible] petitio hæc sit licita quando maleficus scit illud dissoluere, & medijs licitis & illicitis. Aliqui negant.*

111 *Author affirmat.*

112 *Vtrùm possit quis à malefico petere vt maleficio dissoluat, quando licitè potest illud dissoluere, & tantùm per maleficiũ est paratus illud dissoluere.*

113 *An pro dissolutione alicuius maleficij possit admitti medicina vana, & superstitiosa.*

106 Certum hoc est apud omnes ob nullum bonum finem licere vti maleficio ad dissoluendũ aliud maleficium, quodcunquè illud sit. Et ratio est, quia intrinsecè malum est Dæmonis auxilium per maleficia inuocare. Vnde Leuitici 19. habetur [non declinetis ad Magos, neq; âb Ariolis aliquid sciscitamini, & cap. 20. Anima quæ declinauerit ad Ariolos, & Magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam.] Præsens ergo difficultas est, an licitum sit id petere quando maleficus ipse est paratus ad maleficium maleficio dissoluendum.

107 Existimant quidem id licere. Quorum ratio est, quia petens non dicitur inducere maleficum ad peccatũ, sed vti peccato ad salutem comparandam. Sic communiter DD. docent ab vsurario parato tantùm dare mutuum sub vsuris licere illud petere. Piteterq; licere petere iuramentum ab infideli parato iurare per falsos Deos. Et huius sententiæ sunt Aureol. in 4. dist. 34. q. 2. Ang. v. superstitio num. 13.

108 Respondeo tamen nullo modo licere. Et ratio est, quia tunc tantùm licitum est aliquid petere ab altero pararo illud male facere, quando illud potest, & bene, & male facere. Sic enim si cõcurrat necessitas ex parte

te petentis, nec dicitur petere malum, nec cooperari malo, quia cùm habeat iustam causam petit id, quod licèt potest præstari. Sic petens mutuum ab vsurario parato illud dare tantùm sub vsuris, non peccat si adsit iusta causa petendi, quia vsurarius ille potest licite mutuare. Nec peccat is, qui ab infideli petit iuramentum parato tantum iurare per falsos Deos, quia potest licitè iurare. Atqui in nostro casu maleficus non potest licitè maleficium dissoluere; Ergo nec licitè peti potest, vt illud dissoluat. Ita Caiet. in sum. v. maleficium ad finem Tol. lib.4. sum. c.16. nu. 9. Petrus de Led. de matrim. q.58. art.2. dub.2. Henriq. lib.5. de pœn. c.6. in fine, & lib.12. de matrim. c.8. in fine. Sylu. v. malef. q.8. Nau. in sum. c.11. num. 19. Graf. 1. p. decis. lib.6. c.6. num.10. Vega 2. to. sum. c.34. casu 110. Et alij communiter.

109 Dices primò petentem non petere à malefico, vt prius maleficium nouo maleficio dissoluat, sed petere tantùm vt illud dissoluat.

Respõdeo neq; hoc posse peti quando sciat maleficum nescire illud dissoluere absq; alio maleficio. Et ratio est, allata quia petit rem ab eo, quam non licitè potest præstare.

110 Dices secundo, ergo saltem licebit id petere quando maleficus sciret, & posset illud dissoluere medijs licitis, & illicitis, puta alio maleficio, & absq; vllo maleficio. Huic difficultati respondet Delrius lib 6. disq. mag. c.2. sect.1. q.2. dicendo sibi certum esse non licere à malefico habente media licita ad maleficium dissoluendum, petere vt illud dissoluat, quando petens sciat maleficum medio illicito vsurum. Ad hoc autem probandum nullam adducit rationem.

111 Ego verò respondeo licitum esse in tali casu petere, licèt petenti constaret, maleficum non nisi alio maleficio dissoluturum prius maleficium. Et ratio est, quia petitur à malefico id quod licitè potest ipse pręstare. Nec petitur id à malefico quatenus maleficus, sed quatenus potest tale maleficium licitè dissoluere. Sicut quando petitur à Iudęo mutuum parato tantùm dare sub vsuris, mutuum illud non dicitur peti à Iudęo quatenus vsurarij munus obit, sed quatenus licitè potest mutuare. Et quando petitur iuramentum ab Infideli parato tantùm iurare per falsos Deos, illud non petitur ab Infideli, quatenus infidelis est, sed quatenus potest licitè iurare. Ita expressè Less. l. 2. c. 44. dub. 6. nu. 46. Sanch. de matrim. disp. 95. num. 12., & in sum. lib. 2. c. 41. num. 13.

112 Quinimò addo, quoties certò sciretur maleficum posse maleficium aliquo modo licito dissoluere, sed tamen esse paratum ad illud dissoluendũ non nisi nouo maleficio, posse petentem expressè petere, vt illud nouo maleficio dissoluat, præciso tamen scandalo. Et hoc colligitur ex ijs, quę aliàs docuimus agentes de mutuo, vbi concessimus eum, qui certò nouerit mutuatorem nolle mutuare, nisi sub vsuris, posse ab eo petere, vt det mutuum sub vsuris. Et probatur quia licitum est petere à tali malefico, vt maleficium dissoluat; & illo respondente se nolle illud dissoluere, nisi nouo maleficio, licitum est petenti acceptare conditionem, & maleficium permittere; Ergo licitum erit petenti a principio hanc conditionum offerre, quando scit illam esse petendam. Tum quia huius petitionis obiectum nõ est nouum maleficium, sed est tantùm ipsa dissolutio, quæ licitè fieri potest. Quòd verò petens subdat, dissolue nouo maleficio,

hic est sensus dissolue maleficium: sed quoniam certò scio te illud velle tantùm dissoluere nouo maleficio, ideo illud permitto: vel certè dissolue hoc maleficium tuo illo maleficio, quo vis vti pro illo dissoluendo, & ad quod es animo determinatus. Qui modus dicendi licitus est, quia id non est petere, aut desiderare, sed tantùm permittere. Et in terminis de mutuo hanc sententiam docent Mol.to.2. de iust.disp.335. col.1. concl.5. Valent.2.2. disp.5.q.21. puncto 4. statim in principio. Emman. Sà in sum.v. vsura num.5. Pagund.2.pr. lib.4.cap.5. num 6. Sanch.lib.3.in sum. c.8.nu.27. qui numero 31. idem docent in materia iuramenti: videlicet ab infideli parato iurare tantùm per falsos Deos posse in sensu explicato peti iuramentum cum expressa conditione vt per falsos Deos iuret.

113 Vnum tamen monuerim: licèt hæc omnia licita sint in sensu à me explicato; non tamen licere admittere applicationem alicuius medicinæ vanę, & superstitiosę, quam pro maleficio dissoluendo velit maleficus applicare. Et ratio est, quia consentiens applicationi re vera non diceretur tãtùm permittere maleficiũ, sed vti modo vano, & superstitioso, nullã vim sanandi habente, nisi ope, & inuocatione Dęmonis. Ita Sanch. lib.7. de matrim. disp.95.num.12.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm licitum sit tollere ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa malefica posita à maleficis eo fine, vt Diabolus cesset nocere.

114 *Quænam pacta soleant inire malefici cum Dæmone.*

115 *Responsio est affirmatiua.*

116 *Quomodo effectus iste à Dæmone expectetur sine labe peccati.*

Difficultas hęc sub ijsdem terminis disputatur à Lessio lib.2. cap.44. dub.6. nu.35. Et ab alijs DD. communiter quærentibus an licitum sit id signum maleficij destruere, quo stante Dęmon perseuerat in nocendo.

114 Aduertendum à maleficis huiusmodi pacta aliquando cum Dęmone iniri, vt quandiu durauerit talis ligatura, vel tale signum, tamdiu etiam duret maleficium, & Dęmon ipse perseueret in nocendo; eo verò signo ablato, cesset maleficium, & omne nocumentum. Quòd pactum dupliciter iniri potest cum Dęmone, vt benè notat Delrius lib.6 disq.mag. cap.2. sect. 1. quæst. 3. Primò ita vt sit vnicum pactum: puta si magus cum Dęmone cõueniat tantùm de nocendo ad positionem talis signi. Secundò ita vt pactum sit duplex: priùs de nocendo ad positionem talis signi: posteriùs de cessando à nocumento, tali signo ablato.

115 Respondeo cum communi DD. sententia licere cuiquè tollere illas ligaturas, atq; illa signa maleficij ad finem destruendi pactum cum Dęmone initum, & ad finem obtinendæ salutis maleficiati. Ita Sylu. v. malef. num.2. Caiet. tom. 2. opusc.12. Scotus in 4. distin. 34. vbi dicit ridiculum esse quærere an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum; non enim inquit solùm licèt, sed etiam est meritorium destruere opera Diaboli. Petrus de Ledes. de matrim. quæst. 58. art.2. in fine. Vega 2. tom. sum. cap.34 casu 110. Less. lib.2. cap.44. dub 6. nu. 36. Sanch. lib.7. de matrim. disp.96. num.3. & lib.2. in sum. cap.41. num.18.

Et probatur quia finis intentus, puta recuperatio sanitatis maleficiati, est licitus, ac de hoc nullus dubitat: Mediū item, puta dissolutio ligaturarum, & signi, licitum est. Quod probatur quia per destructionem talis signi, neq; confirmatur pactum cum Dęmone initum, neque cum illo contrahitur amicitia: neque illi honor exhibetur. Quinimò Dęmon ipse contemnitur, & ob id signum ipsum comburitur. Nec refert, quòd Magus ipse cum Dęmone pactus sit, vt tali signo ablato cesset nocere: quia qui signum destruit non intendit ex pacto Magi operari, aut inducere Dęmonem, vt tale pactum seruet, sed intendit tantùm pactum nocendi rescindere, quod meritoriè potest facere. Et confirmatur à simili, quia si quis cum hoste pactus fuisset, vt posito tali signo ignem Vrbi inijceret. Porrò ego possem illud signum tollere, absq; eo quòd dicerer illorum pactis me immiscere. Ergo pari modo si sciam inter Magum, & Dęmonem initum fuisse pactum de nocendo ad positionem glomi capillorum, aut alterius signi similis, potero signum illud destruere absq; eo quòd dicar illorum pactis cōsentire. Quare aliud est destruere signū ex intentione, vt Dęmon ex fide data, & pacto inito desinat nocere. Aliud est destruere signum ad finem destruēdi ipsam Dęmonis inuocationem, & pactum ipsum cum Mago initum, vt sic cesset maleficium. Primum est illicitum. Secundum verò licitum.

116 Obijcies, qui destruit signum ad finem, vt cesset nocumentum, effectum hunc nō expectat à Deo per miraculum, neq; ab homine, neq; à causa naturali; Ergo à Dęmone. Atqui expectare effectum à Dęmone est illicitum. Ergo &c.

Respondeo effectum, qui expectatur non esse actionem positiuam: sed priuatiuam, puta quòd Dęmon desinat nocere: effectum autem priuatiuum, illicitum quidem est à Dęmone expectare ex fide data, seu ex vi pacti initi; at verò præciso pacto illum expectare, non est illicitum. Sic enim licet expectare à Dęmone cessationem tentationis, vel fugam ab Energumento. Vnde qui signa destruit non se habet cum Dęmone, quasi dicat, præsta quod promisisti: sed perinde se habet, ac si dicat, signa hęc tua rescindo ad finem ne amplius noceas.

QVÆSTIO SEPTIMA

Quinam incidant in hunc casum.

Antequam ad casuum decisionem veniamus duo præmittenda sunt. Primò, quęnam dicantur res Sacræ, Secundò, quænam requirantur ad hanc reseruationem.

DIFFICVLTAS I.

Quænam dicantur res Sacræ, ex quarum abusū incurratur præsens reseruatio.

117 *Pro intelligentia nominis, rei Sacræ, refertur sententia admittens quatuor species rerum sacrarum.*
118 *Opinio Authoris.*

117 Respondent huic difficultati Gamb. fol. 215. num. 9. Belloch. de cas. reser. p. 2. q. 1. num 50. dari quatuor species rerum Sacrarum: ita vt prima sint Sacramenta. Secunda vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem; ipsæ etiam Imagines Sacræ, & Reliquiæ Sanctorum. Tertia quæ spectant ad ornatum Ecclesiæ, &

Ministrorum. Addit demum quartam, puta ea omnia, quæ assignata, & deputata sunt ad sustentationem Ministrorum, siue mobilia sint, siue immobilia.

118 Ego verò tres priores species concesserim quidem venire nomine rerum Sacrarum: puta Sacramenta omnia, Olea sacra, quæ in extrema vnctione, Confirmatione, & Baptismo adhibentur, Reliquias sacras, Imagines, & alia vasa sacra, vestes, & paramenta Ecclesiæ, verba Sacræ Scripturæ, Crucem, ac demum ea omnia, quorum abusu concedunt DD. committi sacrilegium. At verò vestes priuatas, seu cibos alicuius Sacerdotis non existimo venire nomine rerum Sacrarum. Sic Nauar. cap 13. num. 16. vers. interrogatus, negat ex eorum abusu committi sacrilegium, quod nihil aliud est, quàm dicere, hæc non dici res Sacras, quandoquidem, nec significant rem Sacram, qualia sunt verba Scripturæ: nec repræsentant, qualia sunt Sacramenta. Quòd verò superstitiosus ijs vtatur tanquam Sacris, hoc nihil facit, quoties non sint res Sacræ.

DIFFICVLTAS II.

Quænam requirantur ad hoc, vt quis incidat in hanc reseruationem.

119 *Ad hanc reseruationem incurrendam duo requiruntur.*

119 Respondeo duo requiri. Primum est, vt quis abutatur Eucharistia, vel rebus Sacris.

Alterum est, vt abusus hic sequatur ad finem superstitionis. Et hoc patet ex verbis ipsius reseruationis. Non ergo hic reseruatur actus quilibet superstitionis; sed ille tantùm qui sit coniunctus cum abusu Eucharistiæ, aliarumue rerum Sacrarum.

Abusus autem nihil aliud est, quàm malus rei contra suam naturam vsus. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap. 18. nu. 13.

DIFFICVLTAS III.

Quinam ligentur hac reseruatione.

120 *Incidunt in casum Sacerdotes, qui Missas Defunctorum celebrent pro viuentibus, vt moriantur.*

121 *Item, qui hostia consecrata vtatur ad finem maleficij.*

122 *Item, qui sub mappa Altaris apponat cineres Defunctorum ad finem veneficij.*

123 *Item, qui ad finem sortilegij abutatur rebus Sacramentalibus.*

124 *Rarissimum est peccatum superstitionis cui non sit adnexa præsens reseruatio.*

125 *Incurritur hæc reseruatio, siue effectus sequatur, siue non.*

126 *Quare ad reseruationem latam contra raptores virginum requiratur effectus secutus, non verò ad hanc.*

127 *Incidit in hanc reseruationem Maritus, qui ad maleficium dissoluendum mingit intra annulum benedictum.*

120 Respondeo primò incurrere Sacerdotes eos, qui sumpta veste lugubri celebrant Missas mortuorum pro hominibus viuentibus, ad hoc vt ij, pro quibus sacrificium offerunt citiùs moriantur. Et ratio est, quia isti abutuntur Eucharistia, & rebus Sacris ad finem artis magicæ. Ita Chapeau. cap. 21. q. 2. quo loco ait Caput quicunque Sacerdotum 26. q. 5. in quo habentur pœnæ, quibus tales Sacerdotes puniun-

niuntur, videlicet gradus depositio, & perpetua relegatio.

121 Secundò incidere eum, qui Hostiam consecratam in puluerem redigeret, vel frangeret, & recitatis quibusdam verbis partim ipse sumeret, partim verò tribueret illi, à quo amari cuperet ad finem maleficij De quibus impijs hominibus loquitur Griland. tract.de sortileg.quæst.11. num 21. Ita Gamb. folio 225. Chapeauil. loco cit. Belloch. par.2. q.1.num.52.

122 Tertiò incurrere eum, qui sub mappa altaris apponat ossa cineres mortuorum, aut alia similia ad finem veneficij: Et ratio est, quia hic adest abusus Eucharistiæ, & rerũ Sacrarum.

123 Quartò incidere eum, qui ad finem sortilegij rebus Sacramẽtalibus abutitur: puta Reliquias Sanctorum; Agnus Dei; candelas benedictas; aquã benedictam, vestes sacras; Corporalia; Oleum sacrum, puta Confirmationis, vel extremæ vnctionis; signum Sanctę Crucis; inuocationem Sanctissimę Trinitatis, nominis Iesu, vel B.M.V.; pias scripturas, vel sacra amuleta; & Breuia ad collum appensa, vt Symbolum Apostolorum, Euangelium Sancti Ioannis vel alia verba Psalmorum in poculis amatorijs, veneficijs, & sortilegijs, & alijs superstitionibus superiùs recensitis quomodolibet adhibendo. Et ratio est, quia semper dicitur abuti rebus Sacris ad finem, vel artis magicæ, vel veneficij, vel demum superstitionis. Quare ergo quilibet abutens Sacramentis, vel Sacramentalibus, vel rebus sacris ad finem superstitionis (nomen autem hoc superstitionis intelligo esse tanquam genus sub se continens quatuor species superiùs explicatas) semper incidit in casum. Vnde est, vt artem notoriam exercentes, animalibus restituentes sanitatem, colligentes herbas obseruatis quibusdam diebus, horis, vel alijs circumstantijs superstitiosis, futuros item euentus obseruantes, quoties abutantur rebus sacris semper ligentur reseruatione hac.

124 Ex quibus inferre possumus rarissimum esse peccatum superstitionis, cui non sit adnexa præsens reseruatio, vt pote quod frequentissimè includat, vel verbórum sacrorum prolationem, vel Dei inuocationem, vel signum Sanctæ Crucis.

125 Addo incurri hanc reseruationem, siue effectus sequatur, siue non. Et ratio est, quia peculiaris est in hoc casu reseruatio, vt pote quæ non afficiat maleficia, sed solùm abusum rei sacræ ad finem maleficij. Stat autem perfectus abusus rei sacræ, etiamsi effectus non sit secutus. Quod non contingit in alijs casibus, in quibus diximus requiri effectum consummatum.

126 Dices stat raptus virginis, etiamsi non sequatur copula, & tamen ad reseruationem incurrendam requiritur copula; Ergo licèt stet abusus rei sacræ absquè effectu secuto, non tamen incurretur reseruatio.

Respondeo raptum, qui fuit reseruatus non esse quemcunquè raptum, sed raptum virginis, prout est species luxuriæ, & ad copulam ordinatur: quamdiu autem non est secuta copula, raptum esse quodammodo imperfectum, vt pote qui careat copula, ad quam de se ordinatur: & sic esse insufficientem ad reseruationem, cùm hæc intelligatur tãtùm de actibus exterioribus perfectis, & consummatis. At verò in casu præsenti stat perfectè abusus rei Sacræ, etiamsi maleficium non sequatur, vt proinde præsens reseruatio incurratur, non secuto etiam effectu maleficij, ad quod fuit ex intentione abutentis ordinatus.

127 Quintò

127 Quintò incidere maritum, eum, qui vt maleficium dissoluat, per quòd cum vxore coire non poterat, intra annulum benedictum mingit, eo quòd fuerit edoctus tali pacto maleficium dissolui. Et ratio est, quia hic adest abusus rei Sacræ ad finem superstitionis.

QVÆSTIO OCTAVA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

128 *Excusatur is, qui rebus sacris vtatur ad alium finem, quàm superstitionis.*

129 *Excusatur is, qui ad Altare accesserit animo subtrahendi Eucharistiam ad finem superstitionis, sed illam subtractam restituerit suo loco.*

130 *Non incurritur præsens reseruatio quando non adest abusus rerum Sacrarum.*

131 *Non incidit Sacerdos, qui scienter ministret Sacramentum extremæ vnctionis sano, aut paruulo ratione carenti.*

132 *Non incidit is, qui per alium abutatur rebus sacris ad finem superstitionis.*

128 RESpôdeo primò excusari eũ, qui vtatur Sacramento Eucharistiæ, vel rebus Sacris ad alium finem, quàm superstitionis. Exemplum esse potest de infirmo, qui ad sanitatem recuperandam Oleum Sacrum bibat, aquam benedictam, vel certè Eucharistiam ad collum deferat. Et ratio est, quia licèt talis actio sit verè abusus Sacramenti, & rerum Sacrarum, ex eo quòd sit malus vsus rei contra illius naturam, & institutionem; tamen hæc non includitur sub casu, cùm non sit ad finem superstitionis. Ita Graf. in praxi lib.2 cap.13. num.30. Belloch.p. 2.q.1.num.55.

129 Secundò excusari eum qui ad altare accesserit animo subtrahendi Eucharistiam, sed à custode repertus subtractam denuo reposuerit in eodem loco, in quo eam fuerit furatus. Et ratio est, quia semper reseruatio intelligitur cum effectu. Et vniuersalis hæc regula est in materia casuum reseruatorum, quòd attentans aliquem actum reseruatum non comprehenditur sub casu, nisi ad consummationem deueniat: hic autem non adesset effectus ille, de quo loquuntur verba reseruationis, quia nullus adesset abusus, sed solus animus abutendi. Ita Graf. cit. nu. 38.& 45.Belloch.loco sup.cit. nu.58.

130 Tertiò non comprehendi sub casu eos, qui absq; abusu rerum Sacrarum vtuntur simplicibus superstitionibus. Exemplum esse potest de ijs, qui vtuntur characteribus oualibus, quadrangulis, qualibus vtuntur malefici, sed sine abusu rei Sacræ. Idem dicendum de ijs, qui aliorum morbos curant, applicando remedia pannis lineis sanguine vulneratorum madefactis, & simili alio genere superstitionis vtuntur: modò tamen non interueniat abusus rei Sacræ. Et ratio est, iam allata; quia non quælibet superstitio reseruatur, sed ea tantùm, quæ cum abusu rerum Sacrarum sit coniuncta.

131 Quartò non ligari hac reseruatione Sacerdotem eum, qui scienter vngat sanum, vel paruulum ratione carentem. Peccaret quidem mortaliter peccato sacrilegij, quia abuteretur Sacramento, quod ideo dicitur extremæ vnctionis, quia fuit institutum in vltimum remedium: indequè est vt alio nomine dicatur Sacramentum exeuntium. At verò à reseruatione esset immunis quoties non adesset finis superstitio-

ſtitionis. Verum quidem eſt ſi lata eſſet reſeruatio in hæc verba, abutentes rebus ſacris, quòd ſub caſu comprehenderetur, quia verè diceretur abuti; ſed cùm reſeruationi additæ ſint illæ aliæ particulæ, ad magicas artes, aut veneficia: inde eſt, vt ad eam incurrendam non quilibet abuſus ſufficiat, ſed talis requiratur, qui cum aliqua ſuperſtitionis ſpecie ſit coniunctus. Ita Graf. in praxi lib.2.c.18. nu.31.

132 Quintò non comprehendi ſub hac reſeruatione eos, qui Euchariſtia, rebuſue ſacris ad finem ſuperſtitionis per alium abutuntur. Et ratio eſt, quia litera reſeruationis eos tantùm comprehendit, qui per ſe hoc faciunt, ideſt qui per ſe abutuntur. Ita Graf. cit. nu. 42. explicans excommunicationem Capuę latam contra abutentes Euchariſtiæ Sacramento, aut ſacris Oleis ad finem ſortilegij.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm inuocantes, vel adorantes Dæmonem, malefici, aut incantatores ſint ipſo facto excommunicati.

133 *Si habeant errorem in fide incidunt in excommunicationem latam contra hæreticos.*

134 *Præciſo errore in fide aliqui docent eos adhuc eſſe ipſo facto excõmunicatos.*

135 *Sententia Authoris eſt cenſurã hanc non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ.*

133 RESpondeo quoties iſti homines errorem habeant in fide, qui error in actum externum prodeat, certum hoc eſſe ligari ea cenſura excommunicationis, quæ contra hæreticos eſt lata. Difficultas ergo tota de ijs eſt, qui abſquè errore in fide Dæmonem in annulo alligatum deferũt, vel pacta cum illo ineunt.

134 Duplex in hac re adeſt ſententia. Alteram tuetur Mart. Delrius lib. 4. diſq. mag c.2.q 7. ſect.4. quo loco aſſerit Clericos ſortibus diuinatorijs vtẽtes ipſo facto incurrere excommunicationem. Suaderique hæc ſententia poteſt ex cap. ſi quis Ariolos 27. q. 5. vbi dicitur ex decretis Gregorij XIII. ſi quis Ariolos, Aruſpices, vel Incantatores obſeruauerit, aut phylacterijs eorum vſus fuerit, anathema ſit. Et cap. ſortes, vbi Leo IV. prohibet ſortes diuinatorias ſub anathematis interdicto.

135 Alteram verò tuentur Sylu. v. ſuperſt. q. vltimo Leſſ. lib.2. cap.43. dub.5. num.29. Sanch. lib.2. cap.38. nu. 91. aſſerentes non eſſe ipſo facto excõmunicatos, ſed tantùm eſſe excommunicandos, quoties ſuperſtitioni non ſit coniuncta hæreſis: illiq; iura cit. explicant, vt ſint ſententiæ ferendæ non latæ. Idem enim eſſe aiunt dicere, anathema ſit, ac dicere ſit exul, ſit extorris, ideſt in exilium mittatur. Videte Nauar. cap.27. num.12.

Dices extare in Directorio Inquiſitorum par.2. quæſt.43. conſtitutionem quandam Pontificiam editam à Io. 22. in qua ipſo iure excommunicationis pœna ijs omnibus irrogatur, qui Sacramentis, aut rebus ſacris in diuinationibus abutuntur, aut nefarijs precibus Dęmones inuocant, aut Sacrificia illis offerunt, aut eos venerãtur, & colunt, aut cum eis impia pacta faciunt.

Reſpondet Sanch. lib.2. in ſum. cap. 38. num.91. hanc item excommunicationem non ipſo iure latam eſſe, ſed ferendam. Et hæc ſententia eſt tenenda, cùm in praxi nulla cenſura ſit adſtruenda, quæ non ſit in iure expreſſa.

DIFFICVLTAS II.

Quàm graue sit hoc peccatum.

RESpondeo grauissimum esse, proindeq; excutiendam bene à Cōfessarijs esse conscientiam horum Pęnitentum. Et ratio est, quia superstitioni, & magicis artibus multa crimina videntur adnexa, videlicet Apostasia, cùm superstitiosi, & strigones soleant Christum abnegare, & renuntiare baptismo, ac fidei. Hæresis item, cum vt plurimùm isti laborent in fide, & arbitrentur pęnas illas Diaboli, non æternas futuras. Pariter idololatria: Diabolum enim loco Dei adorant, & illi exhibent cultum latriæ, quem si exhibent cum aliquo errore in fide, hæretici sunt, & ipso facto excommunicationem incurrunt. Quòd si nullus error in intellectu sit, sed tantùm malitia in volūtate, in foro saltem exteriori præsumendi sunt vt hæretici, & denunciādi. Demum hæc alia omnia sœpe numero coniuncta sunt: puta blasphemia in Deum, & Sanctos: Sacrilegium: praui concubitus: nefariæ comixtiones cum Dęmonibus: homicidia præsertim infantum, è quorum corpusculis decoctis conficiunt vnguenta, pulueres, & alia magica symbola, ad mortes animalium, vastationes segetum, & similia mala inferenda. Videte Lessium lib. 2. cap. 44. dub. 4. num. 27.

Hinc est, vt meritò exclamare possimus. O bone Iesu iterum Iudam! Adhuc satellites, & carnifices crucifigentes! etiam num membra Diaboli in Sanctissimam carnem, & pretiosissimum sanguinem tuum sœuientia sustines? Quàm verè scriptum est: Miserationes tuæ super omnia opera tua.

DISCE LECTOR

Rui in abrupta quæq; vbi sacrilegi semel ausus fuerint impuniti.

CAPVT VNDECIMVM

Qui stateras, mensuras, monetasue adulterarint, corruperintue.

CAput hoc in quatuor quæstiones secabimus. Ac quidem in duabus prioribus agemus de ijs, qui mensuras, vel stateras adulterant: in sequētibus verò de adulterantibus monetas: diuisio enim hęc clariorem casus intelligentiam dabit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam comprehendantur sub casu adulterantium stateras, vel mensuras.

1 *Quid veniat nomine lateræ, & mensuræ.*

2 *Incidunt in casum, qui stateras, vel mēsuras minuunt, vel frandant ad finem decipiendi Proximum.*

1 ANtequam ad casus decisionem veniamus. Sciendum nomine stateræ nihil aliud venire, quàm instru-

strumentum quoddam, quo res ponderantur: & minùs late patere, quàm pateat mensura: statera enim mensura quidem est, non tamen quælibet mensura est statera. Mensuræ verò nomine venire quæcunq; instrumenta adhiberi solita pro rebus mensurandis, siue capacitate, siue longitudine determinata sint. Ita Archid. in cap. Dictum, distin. 94. De mensuris autem loquitur textus in cap. ex parte, de cens. cap. 1. ne Cleric. vel Monachi. Et propriè in cap. 2. de empt. & vendit.

2 Respondeo eos omnes incurrere in hanc reseruationem qui stateras, vel mensuras minuunt, vel fraudant ad finem Proximum decipiendi in contractibus, & rerum commutatione. Adulterare enim, vel corrumpere stateras, & mēsuras nihil aliud est, quàm illas falsificare. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap 4. num. 17. Gamb. casu 11. folio 216. Zeccus c. 18. Vtrùm verò requiratur damnum tertij patebit inferius.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

3 *Excusatur is, qui falsis stateris vtatur ab alio adulteratis.*

4 *Sic vtentes literis Summi Pontificis ab alio falsificatis nō incidunt in censuram latā contra illas falsificantes.*

5 *In aliam tamen censuram inciderent.*

6 *Excusatur ab hac reseruatione is, qui in venditionibus det in mensura, vel pondere minus iusto.*

7 *Excusatur item is, qui stateras, vel mensuras adulteret ex conuentione emptoris.*

8 *Pariter, qui stateras, vel mēsuras adulteret pro licita compensatione.*

9 *An incidat in reseruationem is, qui stateras adulteret, sed pœnitentia ductus ijs non vtatur. Affirmāt aliqui.*

10 *Contrariam sententiam Author existimat probabilem.*

11 *Respondetur fundamentis Aduersariorum.*

3 Respondeo primò excusari eum, qui falsis stateris, & mensuris vtatur, quas ipse nō adulterauerit, aut corruperit. Et ratio est, quia litera reseruationis cōprehendit tantùm adulterantes stateras, non autem vtentes ijs adulteratis, aut corruptis. Ita Graf. in praxi lib. 2 cap 4. nu. 10. Gamb. casu 11. folio 16. num. 3. Zeccus casu 18. n. 3.

4 Sic in Bulla Cęnæ lata est excōmunicatio contra omnes falsò fabricantes, signantes, & falsificantes literas, vel supplicationes Summi Pontificis, aut Vicecancellarij, aut gerentium vices ipsorum, his verbis. [Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarū, etiam in forma Breuis, ac supplicationum, gratiam, vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, seu gerentes vices eorū, aut de mandato eiusdem Romani Pōtificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices ipsorum.] In hanc tamen excommunicationem non incidere vtentes literis falsificatis optimè docent Greg. Sayr. de cens. lib. 3. cap. 10. num. 7. Suar. de cens. disp. 31. de excom. Papæ reseru. in Bulla Cœnæ Domini sect. 2. num. 48. Filliuc. tract. 16. de cens. cap. 8. quæst. 2. num 185. noster Bonac. disp. 1. de cens. Papæ reser. q. 7. puncto 3. num. 7.

5 Verùm quidem est, quòd in aliā censuram inciderent contentam in Cap. Ad falsariorum, de crimin. fals., quo loco lata primò est censura excōmuni-

municationis in eos, qui per se, vel per alios falsificant literas Apostolicas.

Secundò in omnes fautores, vel defensores falsariorum.

Tertiò in omnes, qui scienter, vel cum ignorantia mortaliter culpabili vtantur literis Apost. falsis, si laici sint, vt optimè ibi notat Panorm. num. 6.

Quartò in Clericos, qui illis scienter & modo prædicto vtantur, lata est pœna priuationis officij, & beneficij Ecclesiastici, contra Hostiens. existimantem pœnam excommu. etiam à Clericis incurri, qui falsis literis Apost. modo dicto vtantur. Verùm Panorm. sententia verior, ac textui conformior videtur, cùm textus distinguat inter Clericos, & Laicos, & in pœnis sit facienda benignior interpretatio ex reg. in pœn. de reg. iur. in 6. Et cum Panorm. sentiunt Caiet. v. excom. cap. 26. Nau. in man. cap. 27. num 62. vers. 4. Tolet. lib. 1. cap. 23. num. 4. Sayrus de cens. l. 3. cap. 10. num. 4.

Quintò lata est excõmunicatio contra impetrantes falsas literas Apostolicas qua ligantur omnes, siue Clerici sint, siuè laici. Hac tamen censura non afficeretur is, qui literas à Papa impetraret tacita veritate, vel falsitate suggesta, qua veritate detecta, & falsitate non suggesta Papa literas illas non concessisset. Et ratio est, quia tales literæ in se verę sunt, vt à Pontifice conceduntur. Vt notant Sylu v. excom. 7. §. 9. Caiet., Sayr., Tol. cc. Quinimò neq; afficeretur is, qui sub nomine alieno pro se literas à Papa impetraret, vt docent Sylu., Sayr. Tolet. cc. Et ratio est, eadem. Sed ille diceretur falsas literas impetrare, qui ab alijs obtineret literas falsificatas.

6 Secundò excusari ab hac reseruatione eum, qui in venditionibus det in mensura, vel pondere minus iusto. Exemplum esse potest de ijs, qui staterę aliquid aliquando supponunt, vel eam digito attollunt, dicẽtes esse iusti ponderis, cùm tamen aliquid desit. Et ratio est, quia præsens reseruatio afficit tantùm adulterantes stateras, aut mensuras, quales non sunt, qui in contractibus minùs iusto dant. Ita Graf. l. c. nu. 24. Gamb. cit. num. 4. Verum tamen est hosce teneri ad restitutionem damni illati. Vtrùm verò si propter multitudinem, & magnum numerum deceptorum, & eorum, qui fraudem passi sunt, ignoretur dominus, dicendi sint detentores rei incertæ, & consequenter ligari reseruatione lata contra detentores rerum incertarum, videbimus suo loco.

7 Tertiò non comprehendi sub hac reseruatione eum, qui mensuras, & stateras adulterauerit, non animo decipiendi, sed ex conuentione emptoris Exemplum esse potest si Princeps constituisset rerum vendibilium taxam iniustam, & iniquam, cui venditor stare non posset absq; magno suo detrimento, & ille cum emptore conueniret, vt tantum mensuræ adimeretur, quantum eidem esset de iusto pretio à Principe diminutum. Et ratio est, quia litera est intelligẽda non de quacunquè falsificatione mensurę, sed tantùm de ea, quæ sit in fraudem emptoris. Casus enim interpretandus est iuxta dispositionem iuris, cuius finis fuit vitare damnum Proximi; Tum quia in hoc casu non diceretur propriè adulterare, vel falsificare mensuras; tantum enim daret de re, quantum acciperet de pretio. Ita Graf. cit num. 20.

8 Quartò hac eadem ratione excusari venditores, qui cum sciant emptores fecisse inter se monopolium de non emenda tali re, nisi tanto pretio, quod omninò iniustum est, & in fraudem

dem emptorum: ij minoris quidem suas merces vendunt, sed tamen curtando mensuras, ita vt tantum mercis detineant, quantum pretij detinent emptores. Non enim hi dicuntur adulterare mensuras dolosè, cùm nulli damnum inferant: tum quia propriè non dicuntur illas adulterare, cùm tantum dent, quantum accipiunt, vt proinde eæ non sint iniquæ, seu iniustæ: ac demum id faciant ad fraudem tollēdam, non verò inferendam. Idemquè dicendum in casu, quo quis mensuras hasce curtaret ad se redimendum ab aliqua alia vexatione. In foro tamen externo iste præsumeretur falsarius, ac mensuræ adulterator. Vt bene Graf. cit. num. 23.

9 Quintò existimat Graf. cit. num. 22. incidere in reseruationem eum, qui stateras, & mensuras adulterat animo fraudandi Proximum, licèt postea pœnitentia ductus nolit fraudare. Ratio autem esse potest, quia verba reseruationis comprehendant quemcũq; adulterantem stateras, aut mensuras; atqui iste verè diceretur adulterator; ergo afficeretur hac reseruatione. Ad idemque facere potest quod communiter docent DD teste Bonac. l. superiùs cit. num. 11. de falsificante literas, vel supplicationes Apost. eum videlicet incidere in censuram, quamuis illis postea non vtatur; ex eo quòd sit verus falsificator; Ergo idem dicendum in nostro casu. Et hæc sententia est probabilior.

10 Contrarium tamen meo iudicio non existimarem improbabile, videlicet eum, qui animo decipiendi Proximum adulterauerit stateras, & mensuras, sed postmodum pœnitentia ductus ijs noluerit vti, neq; fuerit causa, vt alij vterentur, non incidere in hanc reseruationem. Et ratio esse potest, quia præsens reseruatio videtur intelligenda tantùm de ijs, qui stateras, aut mensuras falsificant in præiudicium, & damnum tertij, ita vt illud sequatur: ea enim fuit lata ad tollendas fraudes, & damna. Sic Sylu. v. falsar. in princip. ait falsitatem esse mutationem veritatis cum dolo & iactura. Et Chapeau. cap. 16. de falsitate circa monetam docet, vt quis dicatur falsarius monetæ tria requiri.

Primum, vt immutet veritatem, siue circa substantiam monetæ, siue circa pondus, siue formam.

Secundum, vt hoc fiat dolosè.

Tertium, vt fiat cũ damno alicuius.

11 Ad rationem aduersariorum responderi posset verba reseruationis cōprehendere quemcunq; adulterantem, seu falsificantem stateras, aut mensuras, quoties id sit coniunctum cum damno tertij; tunc enim verè dicitur falsificator.

Ad confirmationē responderi item posset falsificantem literas Apost. incidere in censuram, licèt illis non vtatur; ex eo quòd censura illa sit lata ad coercendam audaciam, & scandala; non verò ad damna impedienda.

QVÆSTIO TERTIA

Quinam comprehendantur sub casu adulterantium monetas.

12 *Deriuatio huius nominis monetæ.*
13 *Monetam cudens si argentum pro auro substituat, incidit in casum.*
14 *An incidat in casum is, qui propria auctoritate cudat monetam iusti metalli, & ponderis. Affirmant aliqui.*
15 *Sententiam negantem existimat Author tutam pro praxi.*
16 *An saltem teneretur ad restitutionē.*
17 *Alij affirmant.*

18 *Inci-*

18 *Incidit in casum is, qui forbicibus monetam radit.*

19 *Quid si circumcideret monetam excedentem iustum pretium.*

20 *Aliqui docet hunc affici reseruatione.*

21 *Author negat.*

22 *Numo argenteo colorem aureum imponens incidit in casum.*

23 *An incideret in casum qui monetas adulteraret, sed non expenderet.*

24 *Negantem sententiam putat Author esse probabilem.*

12 ADuertendum monetam hoc nomine dici, quasi à monendo, ex eo quòd ex vna parte nos moneat, cuius Principis sit, ex altera verò cuius pretij: vel certè ex eo quòd nos moneat ne quid fraudis sit in metallo, pondere, vel publica forma, in quibus tota ratio monetæ consistit. In metallo quidem vt aureo numo non supponatur argentum; neq; argenteo plumbum; Sic enim vitiatur moneta ratione materiæ. In pondere, ne minus argenti, vel auri ponatur. In forma, vt quando mutatur nomen, signum, aut imago eius, qui monetauit; is enim, qui habet authoritatem monetandi præfigit certam formam, puta imaginem aliquam, circumscriptionem, aut signum. Quomodo in monetis Christianorum valdè aptè ex vna parte depingitur figura Crucis, Christi, aut alterius Sancti ad indicandum, vt sicuti Christus est iustitia, & veritas, Sancti vero iustitię, ac veritatis testes: ita moneta nostra vera sit, & iusta in metallo, pondere, & forma. Si ergo huius formæ aliquid minuatur, aut addatur, moneta in forma dicitur falsificari.

13 Respondeo primò comprehendi sub hac reseruatione eos, qui monetam cudentes argentum pro auro, vel plumbum pro argento substituunt; isti enim dicuntur adulterare monetam in metallo. Ita Graf l. 2. cap. 16. num. 27. Chapeau. cap. 16. de falsit. circa monet. q. 2. illat. 5.

14 Secundò existimant aliqui incidere eum, qui monetam bonam iusti metalli, & ponderis cudat, sed propria authoritate. Et ratio est, quia licèt talis moneta sit iusta in pondere, & substantia, & sit etiam signata charactere Principis; quia tamen talis character est falsus, cùm significet illam esse cussam Principis authoritate, quod non est verum; inde est, vt talem pecuniam cudens dicatur monetam adulterare, falsare, & consequenter incidat in casum. Tum quia pecunia signata vero charactere Principis semper pluris valet, quàm valeat si sit infecta, ac nullo charactere signata: idem autem est pecuniam, aut aurũ falso Principis charactere esse signatum, ac infectum esse nulloq; charactere signatum. Ita Gãb. folio 215. Chapeau. l. cit. illat. 6. Ad quod facit quod habet Bartholus in l. Qui falsi. ff. de falsis; vbi ait quòd moneta falsa est illa, quæ non fit ab eo, qui habeat authoritatem à Principe illam faciendi, & allegat leg. 2. & 3. cod. de fals. monet.

15 Graffius tamen l. superiùs cit. num. 17. de casu hoc loquens dicit, si reseruatio lata sit in hæc verba, cudentes monetam propria authoritate, tũc quidem comprehendi sub casu, ex eo quòd, licèt iusta sit moneta in metallo, & pondere, vt proinde non dicatur falsa: quia tamen semper diceretur illã propria authoritate cudere, inde esset, vt comprehenderetur sub casu. At verò si reseruatio sit lata tantùm contra falsificantes, seu adulterantes monetam, vt in nostra Diœcesi, tunc existimat hunc non incidere in reseruationem. Cuius ratio est, quia iste non dici-

dicitur commisisse falsitatem circa monetam; vnde est, vt non possit dici falsarius, sed potius inobediens. Atque idem sentire videtur noster Bonac. disp. 2. de cens. extra Bullam Cœnæ quæst. 3. par. 50. num. 2. vbi explicans censuram latam à Ioanne 22. in extrauag. Prodiens, de crim. fals. contra falsificantes monetas in Regno Franciæ, aut falsas scienter introducentes, nullam facit mentionem de falsificantibus in forma, sed exprimit solos falsificantes in ære, vel pondere, quos asserit hac censura ligari, etiamsi verum signum, formam, & speciem insculpant. Ac verè sententia hæc, meo iudicio, videtur probabilis, & in praxi etiam tuta.

16 Verùm in hoc casu hæc etiam difficultas videtur superesse, an qui monetam alias iustam in substantia, & pondere cudat, & quidem sub charactere Principis, sed propria authoritate, teneatur ad restitutionem.

Certè Nauar. cap. 17. nu. 167. agens de peccatis falsar. dicit falsarios monetæ ad restitutionem teneri, quoties falsitas sit circa substantiam permiscẽdo vnum metallum pro alio, aut circa pondus, minorem monetam pro maiori cudendo. Secùs verò si hæc tantùm sit circa formam, puta si monetã cudant sine authoritate illam cudendi, aut si formam alienam imprimant. Et rationem affert, quia primis tantũ duobus modis proximus damnificatur, non autem tertio: restitutio verò facienda tantùm est ijs, qui damnum sint passi. Et hanc eandem sententiam docere videtur Sylu. v. falsar. num. 9. Et est probabilis.

17 Verùm non desunt, qui dicant hunc teneri ad restitutionem. Et ratio est, quia infertur damnum Principi, & Monetario; quo enim falsarius maiorem pecuniam exponit, eò minorem exponunt Princeps, & Monetarius. Vnde est, vt illorum lucrum cesset, idq; fraudet mendacio. Confirmatur quia si quis secretò libros imprimeret sine licentia eius, qui habet licentiam, porrò teneretur ad restitutionem totius illius damni, quod per fraudem attulisset priuilegiato; Ergo pari modo cùm solus Princeps, & Monetarius habeant ius monetam cudendi, & ea via lucrum aliquod percipiendi: lucrum hoc iniustè impediens tenebitur ad restitutionem. Adde verò teneri etiam ad restitutionem faciendam priuatis personis; quia verè talis moneta est falsa, & consequenter nullum habet valorem, quàm simplicis auri, & argenti; aurum autem, & argentum signatum exponitur pro maiori pretio, quàm exponeretur si simplex illud esset, & infectum. Ita Capeduil. l. cit. q. 1. difficult. 1.

18 Tertiò comprehendi sub casu eum, qui forbicibus, vel alijs instrumẽtis monetam radat. Et ratio est, quia lata fuit reseruatio contra adulterantes monetam, vel corrumpentes; iste autem si non adulterator, saltem corruptor est dicendus.

19 Dices quid dicendum esset de eo, qui monetam aliquam excedentem iustum pretium tunderet, & circumcideret, ita vt illam ad iustum pretium reduceret.

20 Certè Gamb. Nau. sequens c. 17. num. 168. dicit hunc ad restitutionem teneri vel Monetarijs, vel illi, qui monetã cudi iusserit, ex eo quòd huic, vel illis pereat illud plus iusto, quod monetæ detraxit. Ex qua ratione infert mortaliter peccare, & in casum incidere.

21 Ego verò probabilius puto quod docet Chapeau. q. 2. illatione 2. quo loco asserit hunc non incidere in casum,

ſum, & rationem affert, quia nec pondus, nec metallum, nec formam iſte dicitur falſificare. Quòd verò Nau. dicat ad reſtitutionem teneri, dictū hoc non improbauerim; reiecerim tamen illationem Gambar. aſſerentis, ex eo quòd ad reſtitutionem teneatur, incidere etiam in reſeruationem: Non enim eſt eadem ratio reſtitutionis, quę reſeruationis, cùm reſtitutio reſpiciat tantùm damnum illatum; reſeruatio verò præter damnum etiam falſificationem. Et idem Chapeau. cit. concedit teneri ad reſtitutionem; negat tamen incidere in reſeruationem.

22 Quartò comprehendi ſub hoc caſu multò magis eum, qui externam monetæ formam immutat: puta ſi numo argenteo colorem aureum imponat; iſte enim propriè dicitur monetæ adulterator, ac punitur pœna falſi, vt notatur in l. Cornel. ff. de falſ. Ita Gamb. l. cit. num. 8. Graff. num. 29.

23 Quintò incidere in caſum eum, qui monetas doloſè adulteret, licèt poſtea pœnitentia ductus illas non expendat. Et ratio eſt, quia litera reſeruationis loquitur tantùm de adulterantibus monetas, nō verò de illas expendentibus. Ita Gambar. folio 217. num. 9. Sic in cenſuram incideret, qui monetas falſificaret in Regno Franciæ, aut falſas ſcienter introduceret, licèt illas non expenderet, retenta ſententia Bonac., quòd cenſura hæc adhuc vigeat: cùm tamen Filliuc. tract. 15. de cenſ. in particulari. cap. 4. quæſt. 3. num. 76. opinetur eam fuiſſe temporalem. Ea fortè ductus ratione, quòd Summus Pontifex circa principium prædictę extrauagantis meminerit de illis, qui monetam adulterabant ſub vero ſigno Caroli Regis Francorum, & Nauarræ; nunc verò ea cudatur ſub ſigno Regis pro tempore exiſtentis, non verò ſub ſigno Caroli Magni.

24 Contrariam tamen ſentētiam non damnarem; iuxta dicta ſuperiùs de adulterantibus ſtateras.

QVÆSTIO QVARTA

Quinam excuſentur ab hac reſeruatione.

25 *Excuſatur ab hac reſeruatione expendens pecuniam ab alio adulteratam.*

26 *Sic expendens falſam monetam in Regno Franciæ non incidit in cenſuram.*

27 *Non incidit, qui inſtrumenta omnia pro pecunia adulteranda parauit, ſed tamen illam non adulterauit.*

28 *Excuſantur etiam ab hac reſeruatione mercatores, qui monetam exponunt maiori pretio, quam receperint: mortaliter tamen peccant.*

29 *Monetam adulterans ad alium finem quàm ad fraudem faciendam non incidit in caſum.*

30 *An incidant Monetarij dum monetam iuſtam reprobant, & inde nouam fabricant, cui primum valorem aſſignant.*

31 *Non incidit is, qui monetam exuberantis ponderis circumcidit ita tamen, vt iuſtum pondus relinquat. Tenetur tamen ad reſtitutionem.*

25 Reſpondeo primò excuſari eū, qui pecuniam ab altero adulteratam expendat. Et ratio eſt in promptu, quia iſte non dicitur adulterare, vel corrumpere monetam; aliud enim eſt illam adulterare; aliud verò adulteratam expendere. Ad quod facit doctrina Bartholi in l. ſacculari j de extraord. crim. aſſerentis expendentem falſam monetam non puniri lege Cornelia de falſ., ſed alia, quia aliud ſit priuatim cudere, & aliud expendere; ex

ex diuersis autem non est facienda illatio,& extensio.

26 Sic expendens falsam monetam in Regno Franciæ non incideret in censuram eam, de qua superius meminimus, vt notat Bonac.d. 2. de cens. in particulari extra Bullã Cœnæ quęst. 3. pun 50. num. 3. Ad restitutionem tamen teneretur ob damnum illatum. Ita Nau.cap. 17. num. 167. Ac quidem restitutio illi esset facienda, qui damnum est passus si scitur; sin autem pauperibus arg. text. in Cap. cum tu, de vsur., vel capsæ incertorum iuxta loci consuetudinem.

Neq; ab hac restitutione excusaretur, si pecuniam ab alio adulteratam pro bona accepisset. Et ratio est, quia illius error non debet alteri nocere. Si tamen illam expendisset ignorans esse adulteratam, durante ignorantia excusaretur: at ea cessante teneretur satisfacere non illi, cui dedisset, si ille pro vera expendisset, sed damnum passo, si damnum esset notabile.

27 Secundò non comprehendi eos, qui instrumenta omnia pro pecunia adulteranda parauerint, sed illam non adulterauerint; vel quia illos pœnituerit, vel certè quia fuerint impediti; imò nec si inceperint, sed opus nõ perfecerint. Ita Graf. in praxi lib. 2. cap. 16 nu. 23. Et ratio est, quia reseruatio intelligenda semper est cum suo effectu, qualis in hoc casu est non intentio falsificandi,& adulterandi, sed falsificatio, & adulteratio ipsa. Vnde iste non teneretur lege Corn. de fals. Demum verò ad hoc facit quod in simili docent Duard. q. 10. num. 21. Alterius c 3 sub finem Bonac d. 1. de cens. in B. C. contentis q 7. pun. 3. nu. 12. de falsificante literas Apostolicas, eum videlicet non incidere in censuram, qui literas falsas falsificare inceperit, sed pœnitentia ductus ab incepto opere destiterit, ea ratione ducti, quòd non dicatur literas Apost. falsificasse, cùm illę tantùm Apostolicæ literæ dicantur falsificatæ, quæ perfectæ sunt, seu ad quas nihil requiritur iuxta Curię stylum & consuetudinem.

28 Tertiò non comprehendi mercatores eos, qui monetam exponunt maiori pretio, quàm receperint. Et ratio est, quia nec materiam, nec formã, nec pondus mutant, vt proinde nullo modo dici possint falsarij. Ita Chapeau. cap. 6. q. 2. illat. 4. Vtrùm verò mortaliter peccent contra septimum Decalogi præceptum, Non furtum facies, & consequenter teneantur ad restitutionem. Respondet idem affirmatiuè, subdens Principi ipsi iniuriam irrogari, ad quem spectat pretium monetæ pro rerum, & circumstantiarum exigentia augere, vel minuere. Ac fortè etiam damnum proximo inferri, qui minori pretio illam expendere aliquãdo cogitur, quàm ab ipsis mercatoribus acceperit.

29 Quartò non ligari hac reseruatione eum, qui monetam circumcideret, vel argenteam auri coloris faceret, non ad fraudem faciendam, sed animi gratia, vel ad alium finem: puta vt collo appendat. Et ratio est, quia iste non dicitur falsarius.

30 Quintò non incidere in casum Principes, vel Monetarios eos, qui monetam iustam reprobant, vt vili aliquo pretio emant, & inde nouam fabricēt, cui tamen adhuc priorem valorem assignent. Et ratio eadem est, cum superiore, quia videlicet, nequè contingit falsitas circa materiam, neq; circa formam. Ita Chapeau. quæst 2 cit. illat. 1.

31 Sextò non affici hac reseruatione illos, qui monetas exuberantis ponderis circumcidunt, ita tamen, vt

iustum pondus relinquant. Et ratio est, quia isti nec dicuntur monetam adulterare, neq; illam corrumpere. Peccarent tamen grauiter, & ad restitutionem tenerentur, vel Principi, vel Monetario. Ita Chapeau. cit. illat. 2.

DIFFICVLTAS I.

An Princeps, vel Respublica peccet contra iustitiam, si monetæ imponant maiorem valorem, quàm sit valor ponderis, vel metalli.

32 *Refertur sententia affirmans.*
33 *Author negat.*

32 RESpōdent aliqui peccare contra iustitiam, & sic teneri ad restitutionem. Quam sententiam sustinere videntur Glos. in l. de fals. monet., & Bartholus in l. 2. §. 1. si certum petatur. Ratio autem illorum est, quia existimant tantum valorem debere esse monetæ, nec maiorem, quantus erat valor materiæ, ex qua fuit confecta moneta.

33 Respondeo tamen non peccare, nisi fortè excessus sit improportionatus. Et ratio est, quia Princeps, vel Respublica supra valorem materiæ potest æstimare suas expensas, & laborem; cùm nullus teneatur suis expensis monetā cudere: quare ergo si excessus ille proportionetur expensis, & labori, legitimè potest exigi. Ita communiter Canonistæ in cap. 4. de iure iurando, teste Chapeau. cap. 16. difficult. 3., qui Innocentium citat, quo loco ex eodem Innocentio addit Principem, & Rempublicam posse aliquid lucri accipere vltra pondus, expensas, & laborem, dummodo id quod accipitur sit intra limites iusti tituli. Cuius ratio est, quia quòd metallum, quod rude est, fiat res altioris ordinis, ac valore excedens ipsum metallum rude, & informe, hoc manat ex signo publico Principis, vel Reipublicæ; Ergo Princeps, vel Respublica ratione huius dignitatis, quam moneta ab ipsis acquirit, poterit aliquid accipere.

Dices cum Panorm. in dicto c. quarto de iure iurando, hoc modo fieri iniuriam externis.

Respondeo nullam fieri iniuriam. Non enim intentio Principis, vel Reipublicæ monetam cudentis est, vt extra suum territorium deferatur.

DIFFICVLTAS II.

Quàm graue sit crimen adulterantium stateras, mensuras, & monetas.

RESpondeo in adulterantes stateras, & mensuras graues, ac varias pœnas iure Ciuili latas esse. Primò enim puniuntur in duplo quāti est res, in qua fraudem fecerint falsando mensuram, atq; in insulam relegantur leg. penult. ff. de falsar. Aliquando puniuntur pœna publicationis bonorum. Ita leg. 1. § final ff eodem titulo. Aliquando verò pœna damnationis ad opus publicum. l. Annona ff. de extraord. crim. In foro item pœnitentiali, qui mensuras, & iusta pondera fraudare præsumpserit triginta dies in pane, & aqua iubetur pœnitere, vt dicit textus in cap. 2. de empt. & vend. Verùm huius criminis grauitas clariùs nobis patet ex veteri testamento. Sic enim Leuitici c. 19. dicitur, nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, pondere, & mensura; Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusquè sextarius.

tarius. Et Micheæ c.6. nũquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacculi pondera doloſa, in quibus diuites repleti ſint iniquitate, & lingua fraudolẽta in ore ipſorum? Ac re vera grauiſſimè peccat quicunq; ſtateras, vel mẽſuras adulterat; nam & crimine falſi, & crimine furti implicatur; falſi quidem adulterando menſuras, ac ſtateras; furti verò illis vtendo in aliorum damnum.

Demùm verò grauiſſimum eſſe crimen adulterantium monetas conſtat primò, quia peccant contra ſeptimum Decalogi præceptum; Non furtum facies. Tum quia dicuntur committere crimen læſæ Maieſtatis, vt habetur in leg. 2. cod. de falſ. monet. ex eo quòd contra honorem Principis attentent, dum ſignum eius vſurpant. Aliæ etiam pœnæ in huius generis homines iure ciuili ſunt latæ. Vt habetur in leg. 1.2. & 3. cod. cit.

CREDE LECTOR.

Grauiſſimum eſſe ſcelus, quod tot legibus fuit coercendum.

CAPVT DVODECIMVM

Qui ſponſalia contraxerint, ſi vnà ante coierint, quàm matrimonium inter eos celebratum ſit.

1 *Definitur matrimonium.*
2 *Sponſalia vnde dicta.*
3 *Definiuntur ſponſalia.*
4 *Diſpoſitionem in qua fiat mentio de ſpõſis aliqui putant eſſe intelligendam tantùm de ſponſis de futuro.*
5 *Author exiſtimat attendendam eſſe materiam diſpoſitionis, vtrùm ea ſit odioſa, fauorabilis, vel indifferens.*
6 *An percuſſor Clerici turpiter inuenti cum ſponſa de præſenti necdum cognita incidat in excommunicationẽ.*
7 *Exiſtimant aliqui hunc incidere in cenſuram, eam tamen non eſſe Papæ reſeruatam. Id tamen Author reprobat.*
8 *De quibus nam loquatur præſens reſeruatio.*

1 SVpponenda hoc loco primò matrimonij definitio eſt. Matrimonium ergo, quod ita dicitur, quia mulier nubit, vt mater efficiatur, Auctore Gellio l. 18. c. 6. qui matrimonij ethimologiam deriuat à matris nomine nondum comparato, ſed comparãdo, ſic definitur, quòd ſit coniunctio maritalis viri, & fœminæ inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. Quæ definitio traditur cap. Illud, in fine, de præſumpt. & 27. q. 2. §. 1. inſtit. de patr. poteſt. in principio, à D. Antonin. 3 par. tit. 14. cap. 10. §. 2. Magiſtro ſentent. in 4. diſtin. 27. Nau. in Man. cap. 22. num. 19. Angel., Sylu., Armil., Tabiena, & alijs Summiſtis in v. matrim. Sanch. lib. 2. de matrim. diſp. 1. num. 1. Vt autem illud legitimum ſit, in facie Eccleſiæ eſt cõtrahendum, ideſt coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarij licentia, & coram duobus, vel tribus teſtibus. Vt patet ex Trid. ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 1. Et ſic contractum dicitur, quando Parochus

marito, & muliere interrogatis, atq; eorum consensu intellecto dicit, Ego vos coniungo in matrimonium in nomine Patris, & Filij &c. vel alijs vtitur verbis iuxta receptum vnius cuiusquè Prouinciæ ritum. Et sic licèt in ædibus priuatis contrahatur, in facie Ecclesiæ dicitur contractum; quia Parochus præsens dicitur præstare authoritatem nomine Ecclesiæ.

2 Supponenda secundò est Sponsalium definitio, quæ hoc nomine dicuntur à spondendo, vel quia spondere est spontè promittere; ad sponsalia verò requiritur spontanea promissio: vel quia mos erat antiquis, vt puella nuptura promitteretur viro à Patre, Tutore, vel amicis. Vnde qui promittebantur, dicebantur sponsi, quasi alteri promissi: is verò qui promittebat, dicebatur sponsor; contractus ipse, sponsalia, quam nominis deriuationem affert Iuris Cōsultus leg. 2 & 3. ff. de sponf., & leg. sponf. ff. de verb. signif.

3 Sponsalia igitur si in propria significatione sumantur, sic definiuntur, quòd sint futurarum nuptiarum promissio. Ita Nicolaus Pontifex Cap. Nostrates q. 5. ac demum DD. omnes.

Dixi si in propria significatione sumantur; quia aliquando sponsalia sumuntur pro matrimonio rato, necdum consummato. Vndè sponsa aliquando dicitur, quæ per verba de præsenti cum altero cōtraxit matrimonium; sed necdum fuit cognita. Et ita accipitur cap. Coniuges, cap. Qui de sponf. 27. q. 2. Et Matth. 1. cùm esset desponsata &c. Aliquando etiam sponsalia dicuntur munera ea, quæ à sponso dabantur sponsæ. Et ita nomen hoc vsurpatur 1. Regum. cap. 18. Non habet Rex sponsalia necesse.

Proprior tamen, & communior illorum acceptio est pro futuri matrimonij promissione. Et sic sponsas propriè intelligimus, quas de futuro appellamus: ita vt ij dicantur sponsi de futuro, inter quos intercessit promissio futuri matrimonij: ij verò dicuntur sponsi de præsenti inter quos matrimonium iam fuit contractum. Et nomine sponsi absolutè prolati venit sponsus de futuro.

4 Hinc est vt Couar. 4. decret. par. 1. c. 1. in fine. Lud. Lopez 2. par. instruct. tract. de matr. c. 36. folio 1031. asserant; quando in lege aliqua, testamento, aut contractu de sponsis fit mentio, dispositionem illam esse intelligendam de solis sponsis de futuro; nisi fortè aliud suadeat communis, ac frequens loquendi vsus, vel intentio eius, qui legem condit. Quod idem esse intelligendum de statuto loquente de vxore, vt non comprehendat sponsam, & in loquente de sponsa, vt non comprehendat vxorem Præp.

5 Verùm Doctores hi cum hac limitatione sunt intelligendi. Vel enim materia est odiosa, vel fauorabilis, vel indifferens. Si odiosa, tunc nomine sponsæ venit sola de futuro & nomine vxoris non venit sponsa, neq; de præsenti ante consummationem; & nomine matrimonij non veniūt sponsalia. Vnde si tale statutum extaret, vt filia maritata non succedat patri, aut marito; porrò in illo non comprehenderetur sponsa de futuro; & pœna apposita per Clement. de consang. contrahentibus matrimonium cum consanguinea, non afficit si contrahantur sponsalia. Vt benè Sanch. cit.

Si fauorabilis, tunc nomine vxoris venit etiam sponsa de futuro, nomine mariti sponsus de futuro: & potiori ratione nomine sponsæ, & sponsi, venit sponsus, & sponsa de præsenti.

Si indifferens, tunc nomine vxoris, &

& mariti venit tantùm sponsus de præsenti, siue copula sit secuta, siue non. Id quod Doctoribus citatis docet Sanchez de matr. lib. 1. disp. 1. num. 2. & 3.

6 Dices si in materia odiosa nomine vxoris non venit sponsa de præsenti necdum cognita, sequitur percussorem Clerici turpiter inuenti cum sponsa de præsenti necdum cognita, incidere in excommunicationem latam contra percussores Clerici. Cap. si quis suad., neq; illi fauere caput 3. de sent. excom. ad finem vers. nec ille; quo loco habetur percussorem Clerici turpiter inuenti, cum vxore, matre, sorore non esse compellendum ad Sedem Apost. accedere pro obtinenda absolutione: cùm enim res hęc sit Clericis odiosa, nomine vxoris, intelligenda tantùm erit sponsa de præsenti post consummationem.

Respondeo tamen nomine vxoris, venire etiam eo loco sponsam de præsenti ante consummationem; licèt materia sit odiosa, idq; colligi ex mente Pontificis, illius enim mens fuit excusare maritum ab hac excommunicatione ob grauissimam adulterij iniuriam illi illatam. Vt habetur leg. Gracchus 4. ad leg. Iuliam de adult. Quæ eadem ratio militat in quacunq; sponsa de præsenti, siue ante, siue post consummationem, cùm verè cum vtraquè committatur adulterium. Ita Glos. ibi. v. cum vxore. D. Anton. 2. par. tit. 24. cap. 1. §. 2. casu 7. Sylu. v. excommu. 6. quo loco asserit hanc esse omnium sententiam. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 1. num. 6.

7 Non approbauerim tamen, quod docent Couar. 4. decret. 1. par. cap. 1. n. 12. Anton. Cucchus. l. 5. instit. maior. tit. 5. nu. 5. Lud. Lopez 2. par. instruct. mater. de matrim. cap. 36. asserentes, licèt percutiens Clericum turpiter inuentum cum sponsa de futuro incidat in excommunicationem; hanc tamen ratione iniuriæ non esse Papæ reseruatam, proindeq; posse ab Episcopo absolui. Non inquam sententiam hanc approbauerim, vt pote, quæ nullo textu nitatur. Cum autem excommunicatio, quæ incurritur ob percussionem Clerici sit Papæ reseruata, nequè adsit textus, qui casum hunc excipiat, sicuti excipitur cum sponsa de præsenti; inde est, vt omnino dicendum sit percussorē Clerici turpiter inuenti cum sponsa de futuro ligari reseruatione Pontifici reseruata; hoc enim loco valet regula à nobis cit. nimirum in materia odiosa nomine vxoris non venire sponsam de futuro. Tum quia à iure antiquo non est recedendum absq; expresso textu. leg. ord. de appellat. Ita expresè Sanchez cit.

8 Casus igitur præsens loquitur tantùm de sponsis de futuro; de ijs videlicet, qui sponsalia quidem contraxerint, sed antequam matrimonium celebrent simul coeant, & se carnaliter cognoscant; ac meritò casum hunc sibi Ordinarius reseruauit, putant enim maximè rudiores homines licere sibi in concubitus omnes ruere, vbi primū adsit promissio nuptiarum; qui abusus vt tolleretur reseruationem hanc maximè visus est postulare.

QVÆSTIO PRIMA

Quinam incidant in hunc casum.

9 *Incidunt ij, qui postquam mutuò sponderunt de matrimonio cōtrahendo, se ipsos carnaliter cognoscunt.*
10 *Id verum est, etiamsi sponsalia sint clandestina.*
11 *Praxis pro Confessarijs.*

9 Respondeo primò incidere eos omnes, qui postquam mutuò spoponderunt de matrimonio inter se celebrando, carnaliter se ipsos cognoscunt, modò sequatur seminatio intra claustra pudoris sponsæ. Ita Graff. in praxi lib.2. cap.38. num.8. Belloch. de cas. reser par.2.q.4. num.270. Gambar. casu 13. folio 223. Zecchius casu 19. Et cum litera reseruationis absolutè loquatur de ijs, qui sponsalia contraxerint, inde est, vt in reseruationem incidat tam sponsa, quàm sponsus. Verum quidem est in aliquibus locis comprehendi tantùm sponsum. Surrenti enim casus hic in hæc verba reseruatur. Sponsus, qui ad copulam veniat ante matrimonium, ex quibus verbis apertè constat hac reseruatione sponsum solum ligari, non sponsam. Alibi verò, vt Nolæ, Parmæ, Rossani huius casus reseruatio est in numero plurali, videlicet in hæc verba: qui ante matrimonium contractum vna coierint; vel qui fidei vinculo adstricti se carnaliter commiscent; & tunc nisi aliud exprimatur, tam sponsus, quàm sponsa ex vi verborum comprehenditur sub reseruatione. Verùm quidquid sit de horum casuum intelligentia, certum est in nostra Diœcesi vtrosque comprehendi, cùm verba reseruationis generaliter, & absolutè loquantur.

10 Secundò incurrere eos, qui spōsalia clandestinè contraxerint inter se, quoties ante initum matrimonium copulam habeant. Ita Gamb. Zecch., & Graff cit. num. 18. Belloch. num. 271. Et ratio est, quia sponsalia etiam clandestina valida sunt. Ac licèt matrimonia clandestina fuerint irritata per Concil. Trid. sess.24. cap.1. non tamen irritata fuerunt sponsalia clandestina; cū enim lex Trid. irritans matrimonium clandestinum sit correctoria iuris communis, inde est, vt non sit extendenda vltra casum expressum. leg. præcip. cod. de appellat. Ac proinde cùm mentionem tantùm faciat de matri. clandest. ea non sit extendenda ad sponsalia, sed tanquam casus omissus relinquendus sit in dispositione iuris communis. leg. commod. ff. de lib. & posth. Quam sententiam sustinent Nauar. in sum. c. 25. num. 144. Viual. in candel. Sacram. mater. de sponsal. cap.4. num.28. & 47. Cordub. in sum. q.52. Lud. Lop. 2. par. instruct. materia de matrim. cap.37. folio 141. colum.1. Henriq. lib.11. de matrim. c.5. nu.8. Manuel. 1. to. sum. c 244. num.10. Vega lib.6. sum. casu 104. Gutierez lib.1. qq. canon. c.18. nu.9 in fine, qui cum Man Henriq. cit. refert. ita declaratum fuisse à Cardinalibus.

11 Hinc est vt Cōfessario sit maximè aduertendum cum rusticis; ij enim frequenter clandestinè sibi mutuò promittunt de matrimonio contrahendo, tum verò antequam illud contrahant, copulā & actum consummant, in quo casu certum est eos affici hac reseruatione.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusantur ab hac reseruatione.

12 Excusantur qui sponsalibus dissolutis copulam fornicariam habent.
13 Si ingressus in religionem dissoluit sponsalia, ille tollit reseruationem.
14 Eandem tollit votum religionis.
15 Votum etiam castitatis.
16 Votum assumendi Sacros Ordines, si vota hac dissoluant sponsalia.
17 Si matrimonium cū alia contractum.
18 Si impedimentum dirimens de nouo superueniens.
19 Si dissensus post adeptam pubertatem.

20 *Si mutuus consensus.*
21 *Quicunquè demum modus sponsalia dissoluat facit etiam, vt copula postmodum habita non sit reseruata.*
22 *Non incidunt in casum, qui post contractum matrimonium ante nuptialem benedictionem simul coeunt.*
23 *An omissio harū benedictionem sit peccatum. Aliqui putant esse mortale.*
24 *Alij putant solam petitionem esse lethalem.*
25 *Alij negant esse mortale quando non adest contemptus.*
26 *Alij putant esse saltem veniale.*
27 *Author putat nullum esse peccatum.*
28 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ.*
29 *Si peccatum esset consummare ante benedictiones id verum tantùm esset de prima copula.*
30 *Pariter id verum esset siue debitum peteretur, siue redderetur.*
31 *Non incidunt in hunc casum sponsi habentes tactus impudicos.*
32 *Habens copulam post sponsalia inualida non incidit in casum.*

12 Respondeo primò excusari eos, qui sponsalibus dissolutis copulam fornicariam habeant. Et ratio est, quia copula hæc non dicitur inter sponsos de futuro. Quare si ob aliquam ex his causis, quæ à Doctoribus enumerantur, sponsalia dissoluantur, illicò cessat reseruatio.

13 Sic si per solum ingressum in religionem etiam professione non secuta, sponsalia dissoluuntur ex parte vtriusq;, vt putat Sanch. lib. 1. de matrim. d. 42. num. 2., ita vt hæc sponsalium dissolutio non proueniat ratione cessionis iuris, quo modo dissoluerentur tantùm ex parte manentis in sæculo, quia, videlicet eo ipso, quòd quis ingreditur in religionem satis declaret se iuri suo cedere, ac sponsalibus renunciare; sed fauore nouitiatus, sicuti fauore professionis omninò dirimitur matrimonium ratum: Pro qua sententia tacito nomine viros doctissimos citat. Si inquam per ingressum in religionem sponsalia dissoluuntur, tunc si post ingressum sponsus, & sponsa simul coeant non incidūt in reseruationem. Et ratio est, allata, quia non dicuntur amplius sponsi de futuro.

14 Pariter si votum religionis dissoluit sponsalia, quia videlicet respectu sponsalium ita se habeat hoc votum, sicut respectu matrimonij rati se habet votum solemne religionis; & sicut hoc dissoluit matrimonium ratum, ita illud sponsalia. Vt tenent Nau. in sum. c. 22. num. 27. Henriq. l. cit. num. 4. Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 38. folio 1041. Philiarcus de Off. Sacerd. to. 1. p. 2. l. 2. cap. 1. & alij.

15 Si votum castitatis superueniēs sponsalibus dirimit sponsalia nōn solùm ex parte eius, qui non vouit (quod certissimum esse debet in omni sententia, quia videlicet alter ex sponsis vouendo dicatur sponsalibus renunciare: tum ob notabilem mutationem, quia videlicet, cùm sponsus ille qui vouit teneatur à petione debiti abstinere, onerosum maximè sit alteri semper cogi ad petendum, præcipuè si sit fœmina) sed etiam ex parte vtriusque, quia videlicet sponsalibus semper insit tacita conditio, nisi melior status eligatur, qualis est status continentiæ. Quam sententiam videtur expresè tenere D. Tho. 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quęst. 2. ad pri. vbi sic habet simili modo obligat votum simplex, sicuti sponsalia, vnde propter votum simplex sunt spōsalia dissoluenda. Et clarè eam sustinent Ricard. 4. distin. 27. art. 3. quæst. 4. Caiet. in sum. v. periur. ad finem cap. 7. vers.

verſ. intellige. Veracruz 1.par. ſpecul. art.21. caſu 21. Henriq. cit. Eandemq; probabiliſſimam, & tutiſſimam in praxi exiſtimat Sanch. lib.1. de matrim.d. 46. nu.7. licèt contrarium nos ipſi ſuſtinuerimus in tract. de matrim. cum Nau. in ſum.cap.22. num.27. Brunello de ſponſ.concl.8.num.2. & concluſ.31. num.3. D. Anton.3 par.tit.1. cap.18 §. 2. Lud. Lopez 2.par inſtruct.de matri. cap.38. folio 1043. Viual.in cand.par. 3.cap.14. nu.64. Sanch. l. ſuperiùs cit., & alij quam pluribus aſſerentibus per votum caſtitatis ſuperueniens ſponſalibus illa non dirimi.

16 Si votum aſſumendi ſacros Ordines dirimit ſpõſalia ex parte vtriuſq; vt tenent Sotus l. 7. de iuſt. q. 1. art.3. paulò ante ſolutionem ad arg. verſic. & pariter ad 2. Henriq. cit. Vega. l.6. ſum.caſu 41. par 4.opin 5.& alij. Licèt contrarium verius eſſe aliàs docuerim cum Palud. 4.diſt.27.q.1. art.4. num.2. Sanch. lib.1.de matrim.d.47.num.3 qui alios pro hac ſententia citat. Filliuc. tract.10.de matrim. par.1. cap 8. num. 287.& alijs. Ea ratione nixus, quia votum, quod includitur in Ordine Sacro per ſe, & ex natura ſua eſt ſimplex votum caſtitatis, ac ſi illud dicitur ſolemne id eſt per accidens, quia videlicet ex Eccleſiæ inſtitutione ſortitur effectum voti ſolemnis, qui eſt matrimonium contrahendum dirimere. Atqui votum ſimplex caſtitatis non diſſoluit ſponſalia ex parte vtriuſquè, ſed tantùm ex parte illius, qui non vouit, vt patet ex DD. pro hac ſententia nuper cc., Ergo hoc idem erit dicendum de voto aſſumendi Sacros Ordines, illud videlicet diſſoluere quidem ſponſalia ex parte alterius ſponſi, quia is, qui vouit cenſetur renunciare ſponſalibus, non tamen ex parte vouentis.

17 Si matrimonio cum alia contracto priora ſponſalia omninò diſſoluuntur, vt colligitur ex cap. Si inter de ſponſalibus, & c.1. de ſponſalibus duorum, & cap. final.27.q.2. ita vt nulla illorum remaneat obligatio, etiãſi matrimonium ipſum profeſſione, aut morte ſoluatur, eo quòd ſponſalia, & matrimonium ſint obligationes eiuſdem rationis: obligationes autem eiuſdem rationis eius naturæ ſint, vt prior extinguatur per fortiorem ſuperuenientem, quomodo votum ſtrictioris religionis omnino extinguitur per profeſſionem ſecutam in laxiore: obligatio verò ſemel extincta non amplius reuiuiſcat. leg. qui res §. aream. ff. de ſolut. & cap. Quæris de conſecr. d. 4. Quam ſententiam expreſsè tuentur Palud. 4. d.28.q.2.art.2. concluſ.2. Præpoſ. cap. ſicut num. 8. de ſponſ. Manuel. 1. tom. ſum.cap.245. num.8. Henriq.lib.11. de matrim.cap.14.num.2.& cap.13. nu.3. Sanch. lib. 1. de matrim. d. 48. num.3. Quidquid in contrarium alij ſentiant, exiſtimantes priora ſponſalia per ſubſequens matrimonium non omnino extingui, proindequè matrimonio ſoluto teneri ſponſum ad priora ſponſalia, quos videre eſt apud Sanch.cit.n.2.

18 Si ſponſalia diſſoluuntur ob impedimentum dirimens de nouo ſuperueniens, vt ſi contractis ſponſalibus, ſponſus haberet copulam cum conſanguinea ſponſæ in primo vel ſecundo gradu, in quo caſu oritur affinitas inter ſponſos, quæ dirimit matrimonium contrahendum.

19 Si ſponſalia ab impuberibus cõtracta diſſoluuntur per ſolum diſſenſum alterius pubertam adepti, vt patet cap. De illis, 1. & cap. à nobis de depóſ. impub. Quos textus non eſſe intelligendos de ſolis infantium ſponſalibus, vt putant aliqui, ſed de ſponſalibus impuberum docent Nau. in ſum. cap.

22.nu.27.& lib. 4. consilior. tit. de desponsf. impub. consilio 1. Gutierez qq. canon.lib.1.cap.18.nu.10.D.Antonin. 3.p.tit.1.c. 18 §.1 casu 8. Viual.in candelab. 1.par. de sponsf.cap.5. nu.44. Sotus in 4. dist.27. q. 2. art.5.vers.tam etsi.

20 Si sponsalia saltem puberum mutuo ipsorum consensu dissoluuntur ex eo quòd quælibet res per quascunquè causas nascitur, per easdem dissoluatur cap.1.de reg.iur.Quod verum est etiamsi ea iuramento firmata sint; ac siue iuramentum sit factum homini, & in illius fauorem, in quo casu ferè DD. omnes conueniunt sponsalia sic iurata per mutuum consensum dissolui, ex eo quòd talia iuramenta referantur in Deum tanquam in testem promissionis homini factæ, vt proinde remittente homine, etiam Deus ipse remittat; siue iuramentum principaliter sit factum in honorem Dei; vt si quis intuitu pietatis puellę pauperi promisisset se illam ducturum in matrimonium, ac promissionem suam iuramento firmasset: in quo casu licèt Doctores aliqui discrepent existimantes tale iuramentum voto æquiualere, in quo nihil potest persona priuata, cùm soli Deo ius acquiratur; tamē alij probabiliùs meo iudicio sentiunt tale iuramentum mutuo consensu dissolui posse, quia illud licèt Deo præstitum sit, Deus tamen illud recipiat in Partis vtilitatem; Ergo Pars cui debetur potest illud remittere, sicut & alia debita condonare. Tum quia ideo Pater potest omnia vota filiorum impuberum, & vota realia puberum irritare; Dominus vota seruorum; Maritus vota vxoris; ac Prælatus vota Subditorum, quia potest tollere materiam; qua sublata cessat votum. Atqui pari modo pars condonare potest promissionem factam in sui fauorem; Ergo consequenter poterit iuramentum. Vt benè Nauar. in sum.cap.22.num 25. Henriq.lib. 11.de matr.cap.14.num.6.Lud. Lop.2.par.instruct.de matrim. c. 38. folio 1048. Viual. in candelab. 1. par. de sponsalibus cap. 5. nu. 31. Sanch. lib. 1. de matrim. disp.52.nu.8.apud quem alij plures.

21 Quocunq; demum ex his modis recensitis sponsalia dissoluantur, ijs dissolutis, si copula sequatur, ea nō est reseruata, quia non dicitur inter sponsos de futuro. Atq; hoc item colligitur ex mente Concilij; illius enim mens fuit reseruare casum, qui frequēs est inter sponsos de futuro: vbi enim sponsalia contraxerint, quia spes illa, seu promissio matrimonij contrahendi liberum facit aditum sponso ad spōsam, inde est, vt aliquando ea occasione copula inter illos sequatur, ad quam impediendam videtur hoc remedium reseruationis fuisse maximè necessariū. Sed quoniam spōsalibus dissolutis omnis occasio proxima peccandi videtur ablata, inde est, vt nulla videatur necessitas reseruationis, quæ fuerat tantùm inuecta, ne sponsi ea promissione matrimonij abuterentur ad copulam fornicariam. Quid verò dicendum sit in casu, quo sponsalia dissoluta sint tātùm ex parte vnius, vt contingit in casu fœditatis notabilis, puta amissionis nasi, oculorum, morbi contagiosi, alioue simili; patebit in difficultate prima sequenti.

22 Secundò non comprehendi sub casu eos, qui post contractum matrimonium in facie Ecclesiæ simul coeāt etiam ante nuptialem benedictionem. Et ratio est, quia hi nō dicuntur sponsi de futuro, sed de præsenti, præsens autem reseruatio comprehendit tantùm sponsos de futuro. Ita Graff in praxi lib.2. cap 37. num.19. Belloch. de cas. reser.par.2 quæst.4.num.279. Zecchius in

in explicat. 19. casus folio 240. vers. Tertiò sciendum.

23 Vtrùm verò voluntaria illarũ omissio sit peccatum, ita vt peccet is, qui matrimonium consummet ante Ecclesiæ benedictionem, discrepant Doctores.

Alij enim existimant esse peccatum mortale. Et probant primò ex Euaristo Papa, vt habetur cap. Aliter 30.q. 5. ibi aliter non sit legitimum coniugium, si suo tempore Sacerdotaliter vt mos est, cum precibus, & oblationibus à Sacerdote non benedicatur. 2. Ex Ciricio Papa Epist. ad Pomer. cap. 4. vbi sic habet, illa benedictio, quam nupturæ fœminæ Sacerdos imponit sacrilegium est si violetur. Ita D. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 16 in fine. Rosel. v. matrim. 6. num. 1. & v. debitum num. 1.

24 Alij existimant esse mortale petere ante benedictiones, non autem reddere, ex eo quòd illud voluntarium sit, hoc necessarium. Ita Ricard. in 4.

25 Alij existimant non esse mortale, quoties absit contemptus; quod probant ex verbis Triden. sess. 24. ca. 1. de matrim. ibi. Eadem Sancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictiones Sacerdotales in templo suscipiendas in eadem domo non cohabitent; quoties enim peccatum mortale esset ante benedictiones Sacerdotales cohabitare, non id hortaretur, sed præciperet. Ita Doctores inferiùs citandi.

26 Alij existimant esse peccatum saltem veniale, ex eo quòd id ipsum sit anteuertere legitimum vsum matrimonij, qui est consummare post benedictiones Ecclesiæ. Ita Victor. in sum. de matrim. num. 277. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 7. in fine, & cap. 6. num. 3. Veracruz 1. par. speculi art. 14. post 6. conclus. §. Sed tamen à veniali. Et alij.

27 Alij demum, ac quidem meo iudicio probabiliùs senserunt, præciso omni contemptu & scandalo nullum esse peccatum, nequè mortale, neq; veniale, sed tantùm esse de consilio non consummare matrimonium ante benedictiones. Quorum ratio est, quia nullo iure præcipitur ne matrimonium consummetur ante benedictiones. Ac Trident. ipsum sess. 24. de matr. cap. 1. cit. clarè videtur significare, huiusmodi benedictiones esse tantùm de consilio. Atq; huius sententiæ sunt Nauar. in sum. cap. 22. num. 83. §. de bened. nupt. Philiar. de off. Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 4. cap. 19 §. quintò peccat. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 12. num. 7. Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 45. art. 5. par. 3. dubio 1. quo loco probabilem putat hanc esse sententiam.

28 Ad authoritatem Euaristi Papæ pro prima sententia relati respondeo cum Magistro 4. d. 24. cap. 2. verba illa, non sit legitimum coniugium, esse sic explicanda, idest non habere debitam coniugij honestatem; vel certè sic, non sit legitimum coniugium, idest clandestinum coniugium præsumatur, & ita explicat Glos. cap. Nostrates v. cum interueniat 30. q. 5. in fine.

Ad secundam authoritatem respondetur Pontificem loqui de matrimonio à vidua contracto, & sic dicere violari benedictiones iterum benedicendo viduam, proindeq; committi sacrilegiũ.

29 Quinimò contra nonnullos Doctores contrariæ sententiæ addo duo. Primum est, quoties peccatum esset cõsummare matrimonium ante benedictiones, id verum futurum tantùm de prima copula, non autem de reliquis. Et ratio est, quia præceptum de benedictionibus præmittendis ideo esset, vt debitus ordo cõsummandi seruaretur; semel autem habita copula, ille amplius

plius seruari non posset, & sic cessaret præceptum; eo modo, quo habens votum religionis peccat tantùm prima vice consummando, quia per illam copulam reddit se inhabilem ad impletionem voti. Neque obstat, quòd consummans matrimonium ante denuntiationes toties peccet, quoties habet copulam; huius enim causa est diuersa ratio præcepti, cùm præceptum de denuntiationibus præmittendis latum sit ob timorem impedimenti dirimentis; quæ ratio tam militat in sequentibus copulis, quàm in prima; præceptum verò de præmittendis benedictionibus latum sit, vt debitus ordo consummandi seruetur, qui semel habita copula seruari amplius non potest.

30 Alterum est, quoties peccatum esset consummare ante benedictiones, id verum futurum, siue debitum petatur, siue reddatur. Vt bene Sanch. cit. num. 12. Et ratio est, quia præceptum hoc de seruando debito ordine æquè ligaret vtrumq; coniugem, proindeq; tam peccaret reddens quàm petens, quia vterquè tenetur seruare debitum ordinem, eo modo quo vterq; coniux peccaret, si in Ecclesia, aut in foro coiret; & sic circumstantia hæc afficeret actum, non personam. Vnde non est simile de coniuge voto castitatis adstricto, qui licèt peccet petendo, non tamen alter peccat reddendo; id enim est, quia votum est circumstantia afficiens personam, non actum, & est impedimentum particulare, non commune, cùm alterum tantùm coniugem afficiat, non vtrumquè, & sic cùm alter non sit impeditus ad petendum, & vtēdum re sua, inde est, vt possit reddere.

31 Tertiò non incidere in hanc reseruationem sponsos, qui ante matrimonium contractum, actus impudicos inter se exerceant, & ad copulam nitantur, ad quam tamen non perueniant. Et ratio est, quia reseruatio hęc est intelligenda cum effectu, ita vt verè copula sit secuta, & quidem in vase debito. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap. 37. nu. 21. Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 4. num. 279.

32 Quartò si quis habitis prioribus sponsalibus à quibus non esset iusta causa recedendi, posteriora contraheret, etiamsi postmodum priora dissoluerentur; iisquè dissolutis haberet copulam cum ea puella, cum qua posteriora sponsalia contraxit, adhuc tamen non incidere in reseruationem. Et ratio est, quia posteriora illa sponsalia nullo modo fuerunt valida, non solùm in ratione sponsalium, vt requiritur pro reseruatione incurrenda, sed neq; in ratione promissionis. Vt putat Couar. 4. decret. par. 1. cap. 4. §. 1. nu. 10., cùm enim ab initio continerent promissionem rei illicitæ, inde est, vt non fuerint valida: quod autem ab initio non est validum, tractu temporis non conualescit, neq non firmatur, de reg. iur. in 6. & reg. ab initio ff. eodem tit. Sic obstrictus voto castitatis si sponsalia contrahat, ad illa non tenetur, licèt in voto fuerit dispensatus, vt docet Sanch. cit. num. 6. Et votum de re omnino indifferente non obligat, ea facta bona; vt agentes de voto hoc docuimus cum eodem Sanch. in sum. lib. 4. cap. 7. num. 19. Quòd verum etiam est si posteriora sponsalia fuissent iurata; iuramentum enim illud nullo modo obligaret, vt pote de re iniqua, & in præiudicium tertij reg. non est obligatorium, de regulis iuris in 6. & cap. Cū contingat, de iure iurando. Ita D. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 18. §. 1. & 2. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 15. nu. 3. Vega lib. 2. sum. casu 497. Vinal. in candelab. de sponsalibus 1. par. cap. 4. nu. 24.

num. 24. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 50. apud quem alij plures.

DIFFICVLTAS I.

Titius vt copulam extorqueret illi fictè promisit matrimonium. Quæritur vtrùm incidat in reseruationem; si ante contractum matrimonium illam carnaliter cognoscat.

33 *Responsio est negatiua.*
34 *Vtrùm deflorans puellam spe matrimonij fictè promissi teneatur illam ducere. Negant aliqui.*
35 *Author affirmat.*
36 *Secus tamen si fictus promissor notabiliter conditione excederet puellam siue hæc fuisset conscia, siue ignara excessus.*
37 *Quinimò si fortè fuisset conscia huius excessus, fictus promissor, nec teneretur ducere, nec dotare.*
38 *Qualis, & quanta deberet esse huiusmodi disparitas.*

33 RESpondeo non incidere. Et ratio est, quia copula hæc non dicitur inter sponsos de futuro; nulla enim intercedit promissio, sed tantùm fictio promissionis. Quinimò addo, si habuisset animum promittendi, sed tamen non habuisset animum se obligandi, adhuc immunem futurũ à reseruatione. Et ratio est, quia de essentia promissionis, & sponsalium est animus se obligandi. Vt docet Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 13. num. 2. Angel. v. pactum num. 4. tit. eodem q. 4. Armil. v. iuram. num. 14. & in materia voti Angel v. votum 1. num. 7. Ricardus in 4. distin. 38. art. 3. q. 2. ad 2. Quod idem est in materia iuramenti, videlicet si adsit animus iurandi, sed tamen desit animus se obligandi, nullã enim inde oriri obligationem ex vi iuramẽti docent Angelus v. iuram. 5. num. 8. & 10. & 30. Syluester v. iuram. 4. q. 7. & 17. & 19. Armil. v. iuram. num. 14. licèt alij existiment solum animum promittendi, absq; animo se obligandi sufficere ad sponsalia, eo quòd putent obligationem ipsam non posse præscindi à vera promissione, & esse materialem effectum ab illis manantem, sicut ab igne manat calefactio; & ita in sponsalibus docet Petrus de Ledes. q. 43. art. 2. dub. 2. & in materia voti Sotus lib. 7. de iust. quæst. 1 art. 2. vers. 3.

34 Vtrùm verò deflorans spe matrimonij fictè promissi teneatur puellam ducere. Respondent aliqui non teneri, sed satis esse illam dotare, vel ducere, eo quòd obligatio hinc consurgens sit tantùm pro damno reparando, quod sufficienter reparatur ducendo, aut dotando, cùm ita seruetur æqualitas. Sic docere videtur Bartholom. à Ledes. de matrim. dub. 19. fol. 1296. & alij Theologi Neoterici, quos refert P. de Ledes. de matrim. q. 45. art. 4. dub. 1.

35 Ego verò existimo, vt aliàs hoc idem docui in tractatu de restit. in particulari, hunc teneri ad illam in matrimonium ducendam. Et ratio est, quia ad iustitiam commutatiuam aliquando non sufficit, si seruetur æqualitas, sed illud idem, quod ex iustitia est debitum, est restituendum. Sic si equum, aut bouem quis sit furatus non satisfacit si reddat æquale, sed tenetur restituere eundem numero equum, cùm vnũ pro alio inuito creditore solui non possit leg. 2. §. Matre ff. si iustũ petatur. Atqui in nostro casu deflorator ex iustitia tenebatur habere cõsensum (quilibet enim contractus, siue nominatus,

siue

siue innominatus requirit consensum ex parte contrahentium.) Ergo cùm possit restituere habendo illum cōsensum, quem ex iustitia debebat, tenebitur illum habere. Tum quia in omnibus contractibus in quibus interueniat do vt des, facio vt facias, quando alter ex sua parte contractum impleuit, tenetur etiam alter illum implere, licèt fictè contraxerit, verbi gratia. Si quis fictè promisisset Titio decem, vt iret Venetias, porrò vbi Titius iuisset Venetias, teneretur illi tradere decem, non obstante ficta promissione, quia Titius ex sua parte impleuisset contractum; ergo cùm puella ex sua parte impleuerit contractum dando copiam sui corporis tenetur fictus promissor ad illam ducendam. Atq; ita docent D. Antonin. 2. par. tit. 5. §. 6. num. 1. Rosel. v. matrim. 4. nu. 2. Angel. v. stuprum nu. 1. Syluest. v. luxuria q. 5. Nau. in manuali cap. 16. num. 18. Henriq. lib. 11. de matrim. c. 11. Vega lib. 2. sum. q. 239. Petrus de Ledes. l. cit. Et alij apud ipsos.

36 Quoties tamen fictus promissor notabiliter cōditione excederet puellam, siue hæc fuisset conscia, siue ignara excessus non teneretur ad illam ducendam; licèt enim in contractibus vno implente, teneatur alter implere, id tamen verum est, dummodo in ijs seruetur æqualitas. Quod si adsit inęqualitas fictè contrahens non tenetur integrè implere, sed satis est si æquale reddat; Sicut fictè promittens valde superfluū meretrici pro copia sui corporis, satisfacit si æquale reddat: cùm ergo matrimonium fictè promissum sit longè inæqualius, ad illud non tenebitur fictus promissor. Quam sententiam valde probabilem existimat Corduba in quæstionar. lib. 1. quæst. 13. vers. Secundum dictum. Eandemq; putat probabilem Veracruz 3. par. speculi art. 19. concl. 4. & tenet Manuel. 1. tom. sum. c. 208. num. 8. Idemq; sentire videtur P. de Ledes. de matrim. l. cit. concl. 2. quo loco affert rationem, quare notabiliter dignior non teneatur ad matrimonium, & respondet, quia nemo tenetur restituere inęquale. Demum verò expressè hoc docet Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 10. num. 21.

37 Quinimò quando fœmina fuisset conscia huius notabilis disparitatis, vel ex alijs indicijs potuisset præsumere illum fictè promittere, sic promittens nec teneretur ducere, nec dotare, nequè aliquid restituere. Et ratio est, quia cùm fœmina tantæ disparitatis conscia ex illa, aut alijs indicijs rationabiliter, ac prudenter præsumere potuerit ac debuerit se decipi, & nulla necessitate coacta in deflorationem consenserit, ea censetur liberè ac voluntariè consensisse, vt proinde puella se ipsam potius dicatur decepisse, quàm fuisse decepta. Ita Rosel. v. matrim. nu. 3. Syluest. v. matr. 4. q. 4. Angelus v. stuprum num. 1. Victor. in sum. de matrim. num. 265., & alij plures quos citat, & sequitur Sanch. n. 19.

38 Qualis autem debeat esse hæc disparitas difficilè hoc potest definiri. Vnum illud conuenit inter Doctores, eam debere esse notabilem; at qualis sit, non ita conuenit. P. de Ledesma proximè cit. affert exemplum de puella agricolæ, aut fabri filia, & de adolescente filio Comitis. Verum strictior hæc interpretatio est. Vnde D. Anton. 2. par. tit. 5. cap. 6. §. 1. Nauar. in sum. cap. 16. num. 18. Corduba in quæst. l. 1. q. 13. dicto 2. Et alij exemplum afferunt de viro nobili, & puella agricolæ filia. Quod idem docent Nau. & Cord. cc. de viro, & puella, qui genere pares sint, sed tamen diuitijs sint notabiliter

impa-

impares. Quare meritò docet Sanch. superiùs cit. num. 6. arbitrio prudentis id esse relinquendum, qui eam esse disparitatē iudicet, vt meritò puella præsumere, & credere debuerit se decipi.

DIFFICVLTAS II.

Caius vt copulam à puella extorqueret illi matrimonium promisit, eaq; sine vlla alia repromissione verbis expressa ad finem matrimonij copiam corporis concessit. Quæritur vtrùm copula hęc sit reseruata.

39 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*
40 *Examinatur fundamentum, quòd à quibusdam afferri potest pro sententia affirmante.*
41 *Refellitur huiusmodi fundamentum.*
42 *Author negat copulam hanc esse reseruatam.*

39 IN superiore difficultate egimus de ficta promissione, vel de promissione vera, cui tamen defuerit animus se obligandi. In præsenti verò est sermo de vera promissione facta cum animo se obligandi. Atq; illud quærimus, vtrum si quis fortè promisisset puellæ matrimoniū ad finem extorquendi copulam, & illa ad finem matrimonij, consensisset copulę: vtrùm inquam si post promissionē carnaliter illam cognosceret, copula hęc esset reseruata.

40 Responderet fortè aliquis copulam hanc non futuram reseruatam, ea ductus ratione, quia talis promissio non videtur sufficere ad sponsalia ex defectu conditionis requisitæ, vt videlicet promissio sit mutua, seu adsit promissio, & repromissio, vt colligitur ex leg. 1. ff. de sponsal. vbi vocantur sponsalia repromissio, idest reciproca promissio; cùm enim sponsalia sint præuia matrimonio, quod vtriusq; contrahentis vinculum exigit, ipsa quoq; necessariò exigunt promissionem mutuam, & vinculum ex parte vtriusquè.

Sic agente de matrimonio latè ibi cum Doctoribus citatis probàuimus ad validitatem sponsalium quatuor conditiones requiri.

Prima, vt promissio sit voluntaria, cum ex promissione inuoluntaria nulla oriatur obligatio.

Secunda, vt verbis, aut signis manifestetur; quia promissio hæc fit homini, neq; homo potest promissionem aliquam acceptare, & eius obligationem acquirere, nisi aliquo signo illi manifestetur, qualecunq; illud sit, siue verbum, siue aliud æquiualens.

Tertia, vt sit inter personas iure habiles ad contrahendum.

Quarta, vt sit mutua, idest vt ex parte vnius adsit promissio, ex parte verò alterius adsit repromissio. Atqui in casu allato nulla videtur adesse repromissio ex parte puellæ, sed ad summum acceptatio promissionis; Ergo copula hæc non est reseruata, cùm non sit inter sponsos de futuro.

41 Sed contra est, quod habet Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 22. quo loco docet sponsalia non solum contrahi verbis expressis, sed etiam signis verborum vices supplentibus. Vnde est vt asserat si verba sponsalium præcesserint immissionem annuli & receptionem operari sponsalia: cum Glossa cap. Tuę, de spons. & cap. penult. eodem tit.

Pariter si habito contractu inter amicos de matrimonio contrahendo, sponsus nihil aliud exprimens mittat arras, vel iocalia, & sponsa acceptet,

id ipsum esse sufficiens signum mutuæ promissionis, cum Glossa l.cit. Cord.in sum q.193. Henriq. lib.11. de matrim. cap.13. nu.6. subdens idem esse dicendum si loco sponsalitiorum pecunias mittat. Pari modo si cùm de matrimonio ageretur viro promittenti matrimonium puella ad id requisita spontè manum det ad fidem recipiendam, id ipsum esse signum repromissionis, cum D.Antonino 3. par. tit. cap.18. Rosel. v.sponsalia num 1.

Demum verò existimat idem esse dicendum si vir matrimonium alicui puellæ promittat, dummodo ipsa det copiam sui corporis, ipsaq; statim tradat, traditionem enim illam corporis putat esse signum sufficientissimum repromissionis. Ita Sanch.cit.num.6.

Ergo si ipsa corporis traditio est quædam repromissio, per ipsam traditionem contrahentur sponsalia, & sic copula erit reseruata.

42 Respondeo tamen copulam hanc nullo modo esse reseruatam (intellige de præsēti reseruatione; si enim esset copula cum virgine, iam esset affecta alia reseruatione, de qua alibi.) Et ratio est, quia licèt ipsa corporis traditio, seu copula gerat vicem repromissionis (concedendo enim copiam corporis puella dicitur repromittere, vt bene Sanch.cit.) tamen copula hæc non est posterior sponsalibus, vt pote quæ per illam constituantur; Ergo non est copula inter sponsos de futuro; ergo non est reseruata. Et hoc verius est si sponsus matrimonium promittat sub hac expressa conditione, si concesseris copiam tui corporis; tunc enim sponsalia ipsa non perficiuntur, nisi impleta conditione, a cuius euentu pendent, & sic non perficiuntur, nisi secuta copula.

Dices puella concedendo copiam corporis dicitur repromittere; ergo ante actualem copulam stat repromissio: ergo ante actualem copulam sunt vera sponsalia; ergo copula ipsa erit reseruata, vt pote habita post contracta sponsalia.

Respondeo concesso antecedente, negandas esse omnes consequentias; nomine enim cōcessionis corporis venit copula, & consequenter cùm sponsalia perficiantur per ipsam corporis traditionem, dicuntur per copulam ipsam perfici, vt proinde copula sit quid antecedens sponsalia; sicuti ad sponsalia antecedit consensus, cuius vicem in præsenti casu gerit copula.

DIFFICVLTAS III.

Domitius puellæ promisit matrimonium: puella verò acceptauit promissionem absq; vlla alia repromissione. Quæritur vtrùm copula post acceptationem habita sit reseruata.

43 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*

44 *Referuntur fundamenta pro sententia affirmante.*

45 *Author negat.*

46 *Cum per solam acceptationem consensus non perficiantur sponsalia, copula sequens non dicitur inter sponsos de futuro.*

47 *Respondetur fundamentis sententiæ affirmantis.*

48 *Ex hac copula non oritur impedimentum publicæ honestatis.*

49 *Vtrùm saltem vi suæ promissionis teneretur Domitius ad contrahendum matrimonium.*

50 *Alij negant teneri.*

51 *Alij affirmant.*

52 *Alij distinguunt, & dicunt teneri quoties puella acceptauerit promissionem in continenti. Secus verò si ex interuallo.*

53 *Sententia Authoris.*

43 CAsus sic contingere potest. Domitius promisit matrimonium puellæ; puella verò non repromisit expresse, sed tantùm acceptauit promissionem, dicendo, accepto, placet, aut gratias ago. Quæritur, vtrùm si postmodum simul coeant, antequam matrimonium contrahant, incidant in casum reseruatum.

44 Responderent aliqui affirmatiuè, ea ducti ratione, quòd acceptatio hæc sit vera repromissio, quam diximus in superiore difficultate esse de essentia sponsalium, atq; ita per illam sponsalia perficiantur. Sicut enim in matrimonio dicente viro, accipio te in meam, si mulier respõdeat, placet, vel gratias ago perficitur matrimonium: ita in sponsalibus dicente viro, accipiam te in meam, si puella eodem modo respondeat, placet, sponsalia perficientur; cùm eius naturæ sint matrimonium, & sponsalia, vt nullo modo claudicare valeant, nec possint esse valida ex parte vnius, quin sint valida ex parte vtriusquè. Quam sententiam docere videntur D. Antonin. 3. part. tit. 1 cap. 18. in principio Rosel. v. sponsa num. 1. dum aiunt esse sponsalia, si alter ostenderit se acceptare. At tenet Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 13. num. 2. vbi habet ad hoc vt sponsalia nõ sint, necessarium esse, vt is, qui promissionem acceptat, expresse repromissionem excludat. Eandemquè probabilem existimat Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 5. num. 3.

In qua sententia illud sequitur, si ante contractum matrimonium simul coeant, incidere in casum reseruatum, cùm verè dicantur sponsi de futuro.

45 Respondeo tamen copulam hâc ante matrimonium habitam nullo modo esse reseruatam. Idq; pendet ex ijs, quæ aliàs docuimus in tractatu de matrim. vbi latè ostendimus solam acceptationem non gerere vices repromissionis; proindeq; per illam non perfici sponsalia, & sic copulam postmodum habitam non esse copulam inter sponsos de futuro. Ea autem fuit potissima ratio, quia sicuti tacens censetur consentire tãtùm in ijs, quæ sunt in illius fauorem, non verò in ijs, quæ sunt in illius præiudicium, & sic taciturnitas non est sufficiens signum repromissionis, sed solius acceptationis, cùm repromissio cedat in præiudiciũ, vt pote quæ inducat ligamen in repromittente; ita acceptans promissionem censendus est illam tantùm acceptare in quantum est in sui fauorem, idest quatenus promittens ipsi obligatur, non verò quatenus cedit in eius præiudicium, idest vt ipse obligetur. Vnde acceptatio absq; vlla alia repromissione non alium habet effectum, quàm habeat taciturnitas. Ita P. de Ledesma de matrim. quæst. 43. art. 1. dub. 1. §. in hac difficultate versic. sit conclusio, & in solutione ad 6. Lud. Lopez 2. to. instructor. materia de matrim. cap 36 folio 1033. §. præterea quoniam, Sotus quem refert, & sequitur Sanch. loco superiùs cit.

46 Ex quibus inferre possumus si per huiusmodi acceptationem nõ perficiuntur sponsalia, copulam inter illos habitam non esse inter sponsos de futuro, & sic non esse reseruatam.

47 Ad rationem in contrarium respondeo cum eodem Sanchez matrimonium quidem claudicare nõ posse, quia nullo alio modo acceptari potest,

test, quàm vt matrimonium: sub ratione autem matrimonij ita obligat ex parte vnius, vt simul obliget ex parte alterius: at verò sponsalia claudicare posse, non sub ratione sponsalium, sed sub ratione promissionis, ex eo quòd possit vnus acceptare alterius promissionem absque eo quòd repromittat, vt contingit in nostro casu:

48 Ex quibus inferas nullum hinc oriri impedimentũ publicę honestatis.

49 Controuersia inter Doctores est hoc loco, vtrùm dato, quòd præsens acceptatio non gerat vicem repromissionis, teneretur Domitius ad matrimonium contrahendum; non enim teneri puellam patet, quia ea non remanet obligata, cùm promissionem acceptauerit tantùm quatenus est in sui fauorem.

Huic difficultati satisfecimus agentes de matrimonio, nunc tamen breuiter repetam, quæ eo loco ex varijs Doctorum sententijs retuli.

50 Senserunt enim alij, puella non repromittente Domitium non teneri ad contrahendum matrimonium ad quod probandum ea potissimum ratione nituntur, quia promissio matrimonij non est contractus gratuitus, sed onerosus, do vt des, facio vt facias &c. vt proinde includat tacitam conditionem, si alter se obliget; ergo altero non se obligante, nulla consurget obligatio ex priore promissione: illud enim interest inter gratuitam promissionẽ, & onerosam, quòd illa statim obligat promittentem; hæc verò conditionalis est expectans euentum alterius promissionis. Ita Veracruz appendice ad speculum dub. 9. folio 44. & alij.

51 Alij senserunt Domitium teneri ad contrahendum matrimonium vi simplicis promissionis. Quorum ratio est, quia illud habet promissio, vt quoties fiat vero animo promittendi, neque excludat animum se obligandi, post acceptationẽ illicò inducat obligationem. Atqui in casu præsenti Domitius verè promisit matrimonium, neq; à promissione exclusit animum se obligandi; Ergo tenebitur ad matrimonium, & quidem vi simplicis promissionis, non verò sponsalium, vt pote quæ nulla sint. Ita D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 18. in princip. versiculo, nota ergo. Nauar. in sum cap. 22. num. 25. P. de Ledesma de matrim. q. 43. art. 1. dub. 1. ad 6. & alij plures, quos pro hac sententia refert Sanch. l. 1. de matrim. disp. 5. num. 7.

52 Alij demum senserunt, si is cui fit promissio illam in continenti acceptet, obligari promissorem. Secus verò si illam acceptet ex interuallo. Ita Angel. v. sponsal. num. 19. Syluest. v. eodem in princip. Id autem probant ex leg. contin. 137. in princ. ff. de verb. oblig. Quam sententiam puto veram in materia matrimonij, quando alter post acceptationem promissionis diù differret repromissionem. Cùm enim ipsa matrimonij promissio tendat ad illius complementum, & sic exigat repromissionem ex parte alterius; porrò diù illam differendo dicitur tacitè ius acquisitum remittere, & sic promissor remanet liber. Vt benè cum Lud. Lopez 2. tom. instruct. materia de matri. c. 36. §. præterea quoniam, docet Sanch. cit. num. 12. quo loco subdit prudentis arbitrio relinquendum esse, qui attentis circumstantijs definiat quodnam tempus sit longum, quodnam verò breue.

53 Ego verò difficultati propositę respondeo. Si Domitius animo liberali, & gratis promiserit puellæ matrimonium, in tali casu teneri ad illud contrahendum, etiamsi puella non repromiserit. Secus verò si promissio

non fuerit gratuita, sed respectiua, & per modum contractus onerosi. Et sic conciliantur primæ duæ sententiæ.

Prima pars probatur ex ijs, quæ habet secunda sententia, & ex ijs, quæ communiter docent Doctores disputantes de natura simplicis promissionis, asserentes simplicem promissionem ab altero acceptatam obligare ex iustitia, & quidem sub mortali, nisi fortè paruitas materiæ excuset. Videte Mol.to.2.de iust.disp.252.263., & 264.

Secunda pars probatur ex ijs, quæ habet prima sententia. Quandonam verò censenda sit gratuita, & respectiua, promittentis intentioni standum est; ab ipsa enim manat omnis obligatio. Quòd si de illa non constet, ex coniecturis id esse indagandum optimè docet Sanch. num.15. Si enim ante promissionem agebatur de matrimonio contrahendo, tunc præsumendum esset promissionem esse respectiuam. Secùs verò si promissio facta sit nullo habito contractu de matrimonio, sed ex mera beneuolentia, aut gratitudine ob beneficium acceptum.

DIFFICVLTAS IV.

Sempronius contraxit sponsalia cum Ceia, quam putabat esse virginem, postmodum habet copulam cum illa, & reperit eam esse corruptã. Quæritur vtrùm inciderit in præsentem reseruationem.

54 *Regula generalis pro dissolutione sponsalium, videlicet eas omnes causas, quæ sufficiunt ad sponsalia dissoluenda, si post illa accidant, easdem sufficere si præcesserint, & fuerint ignorata.*

55 *Quid sit dolus, & quotupliciter possit in contractu reperiri.*

56 *Vndenam possit prouenire dolus.*

57 *Declaratur punctus difficultatis.*

58 *Refertur sententia docens, quando dolus adhibitus ab altero contrahente dat causam contractui, sponsalia ipso iure esse nulla.*

59 *Author primò docet dolum incidentem in contractum non vitiare contractum.*

60 *Secundò idem asserit, etiamsi dolus det causam contractui, & ab altero contrahente proueniat.*

61 *Probatur huiusmodi contractum esse validum vtroquè iure, natura videlicet, & positiuo.*

62 *In iure multoties contractus ille dicitur irritus, qui potest irritari.*

63 *Si tamen dolus versetur circa substantiam, contractus est nullus.*

64 *Dolus proueniens à tertia persona, aut à propria opinione non vitiat contractum.*

65 *Respondetur ad casum propositum in sententia asserente dolum dantem causam cõtractui vitiare contractũ.*

66 *Dato quod sponsalia essent valida, vtrùm copula post illa habita posset excusari à reseruatione.*

67 *Author putat copulam esse reseruatã.*

68 *Si dolus proueniat à propria opinione, quia videlicet sponsus putaret puellam esse virginem, aliqui censent cõtractum esse nullum; & sic copula non erit reseruata. Author putat esse validum, & sic copulam esse reseruatam.*

69 *Quid si notabilis mutatio sequatur post sponsalia, & post mutationem habeatur copula, vtrùm ea sit reseruata.*

54 SVpponendum hoc loco primò ex ijs, quæ aliàs docui in tractatu

ſtatu de matrimonio, omnes illas cauſas, quæ ſufficiunt ad diſſoluenda ſponſalia ſi poſt illa accidant, eaſdem ſufficere pro illis diſſoluendis ſi præceſſerint, & fuerint ignoratæ. Quare ſi lepra, morbus gallicus ſuperueniens alteri ſponſo poſt ſponſalia, vt concedũt Nauar. in ſum. cap. 21. num 27. Philiar. de Offic. Sacerd. to. 1. par. 2. lib. 2. cap. 1. Si notabilis morum aſperitas, & ſæuitia, vt concedunt Angel. v. ſponſalia num. 41. Syluest. v. eod. quæſt. 10. Veracruz 1. par. ſpeculi art. 21. caſu 15. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 14. num. 6. Si paupertas ſuperueniens, vt docet Nauar. in ſum. cap. 22. num. 29. Angel. v. ſponſalia num. 33. Henriq. cit. etiamſi nulla dotis promiſſio præceſſerit. Si fornicatio commiſſa poſt ſponſalia, vt definitur cap. Quemadmodum, de iure iur. & docent Couar. 4. decret. 1. par. cap. 5. in principio num. 2. Henriq. loco cit. Viual. in candelab. 1. par. de ſponſal. cap. 5. num 34. Si tactus impudici habiti à puella cum alio, vt docet Sanch. lib. 1. de matrim diſp. 55. num. 5. Si demum hæ omnes cauſæ ſufficiunt ad ſponſalia diſſoluenda, quoties poſt ipſa eueniant, eædem etiam ſufficiunt ad ea diſſoluenda, ſi præceſſerint, & probabiliter fuerint ignoratæ: rebus enim notabiliter mutatis non obligat promiſſio, vt habetur cap. Quemad. de iure iur. res autem dicuntur notabiliter mutatæ, quando venitur in cognitionem alicuius vitij, quod ante contractum prorſus ignorabatur. Atquè id ipſum docent Henriq cit. P. de Ledeſ. de matrim. q 43. art. 3. cauſa 5. & 11. Nauar. in ſum. cap. 22. num 27. doctrinam hanc defendens de fornicatione præcedente ignorata: vnde tenetur idem aſſerere de alijs cauſis, Lud. Lopez 2. par. inſtruct. cap. 38. folio 1047. Sanch. cit. diſp. 63. per totam.

55 Supponendum ſecundò ex ijs, quæ docui de contractibus in genere, dolum qui nihil aliud eſt, quàm fallacia, ſeu machinatio ad fallendum adhibita, qua quis alterum decipit dicto, vel facto, vel omiſſione eius, quod dicere, vel facere tenebatur, vt ait P. Nauar. lib. 2. cap. 1. num. 52. dupliciter poſſe in contractu aliquo reperiri. Primò ita vt det cauſam contractui. Secundò ita vt incidat in contractum.

Dolus dans cauſam contractui ille eſt, quo quis inducitur ad contrahendum, non contracturus, ſi talis dolus non fuiſſet adhibitus.

Dolus incidens in contractum ille eſt, quo ſecluſo contrahens adhuc contraxiſſet, ſed non ita libenter, vel non cum tanto pretio: verbi gratia quis dolo venditoris emit equum ſenem, & pigrum intendens emere iuuenem, fortem, & generoſum, aliàs non empturus, dolus hic dicitur dare cauſam contractui, quia ſi venditor non vſus fuiſſet huiuſmodi dolo, emptor non emiſſet. Quòd ſi eundem equum adhuc emiſſet, etiamſi ſciuiſſet eſſe pigrum, ſed non cum tanto pretio, tunc dolus ille diceretur tantùm incidens in contractum.

56 Supponendum 3. dolum hunc poſſe prouenire vel ab altero contrahente, vel à tertia perſona, vel à propria opinione.

57 His præmiſſis, præſens difficultas illud petit, vtrùm vitium illud deflorationis Ceiæ ante ſponſalia ignoratum non ſolùm tribuat Sempronio ius diſſoluendi ſponſalia, quòd pro certo ſuppoſuimus, ſed etiam faciat, vt illa ſint irrita. Sic enim illicò patebit reſponſio ad caſum, vtrùm videlicet copula habita poſt ſponſalia ſit reſeruata, nec ne.

58 Reſpondent aliqui quando do-

lus commissus ab altero contrahente det causam contractui, sponsalia illa esse ipso iure irrita non solùm ex parte decepti, sed etiam ex parte decipientis. Ita Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 64. apud quem alij.

59 Ego verò respondeo primò contractum celebratum per dolum incidentem in contractum esse validum in vtroquè foro. Ita leg. eleganter de dolo, & est communis Doctorum, D. Antonin. par. 2. tit. 1. cap. 17. §. 6. Molin. disp. 352. Azor 3. par. lib. 6. cap. 10. quæst. 2. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 64. num. 6. vbi docet esse valida sponsalia per dolum circa causam contrahendi inita, dummodo ille causam contractui non dederit, sed inciderit in contractum, quia scilicet eo cognito adhuc essent ineunda. Et probatur, quia adest sufficiens consensus, & remoto dolo contrahens adhuc contraxisset. Tum quia nullum ius irritat huiusmodi contractum.

60 Respondeo secundò iuxta ea, quæ dixi de contractibus in genere, etiamsi dolus det causam contractui, & ab altero contrahente proueniat, adhuc tamen contractum esse validum vtroq; iure, naturæ videlicet, & positiuo, dummodo dolus non versetur circa substantiam. Sic enim contractus matrimonij per dolum initus validus est, & quia de sua natura est insolubilis, nequè potest irritari. Tum quia si deceptus velit stare contractui, deceptor non potest resilire, vt colligitur ex cap. De eo qui duxit in matrim. ac plurimi Doctores docent, quos videre potest apud Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 15. alioqui deceptor reportaret commodum ex suo delicto; Ergo signum est contractum non esse omnino irritum. Vide de hac re Lessium lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 29. ac demum ea, quæ latissimè in hanc rem diximus cũ de contractibus in genere.

61 Dixi primò esse validum vtroquè iure; quòd enim contractus ita celebratus sit validus iure naturæ probatur, quia huiusmodi dolus non tollit consensum substantialem, licèt tribuat ius ab illo recedendi. Quòd verò sit validus iure positiuo probatur, quia in iure paria sunt dolus, & metus leg. si dolo §. de inutil. stipul. & cap. cum contingit 28. de iure iur. Sed si metus det causam contractui, contractus non est omninò irritus, sed irritandus, vt cum ferè communi Doctorum sententia docent Sotus in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 3. Ricard. eadem distin. circa primum princ. q 2. Palud. dist. 15. quæst. 2. art. 5. Ergo etiam si dolus. Tum quia in sententia multorum ex aduersarijs, si deceptus velit stare contractui, deceptor non potest resilire, ne dicatur reportare lucrum ex suo dolo; Ergo est aliquo modo validus. Ita Io. Ignæus in leg. contr. 23. §. de reg. iuris nu. 150. Faber., & Belaper. apud Couar. ad reg. possess. 2. par. § 6. num. 6. Less. cit. num. 31. Regin. lib. 25. num. 121. Et alij.

62 Nequè obstat huiusmodi contractus aliquando in iure irritos dici, vel nullos, vel nullam vim habere. Respondeo enim in iure multoties contractum eum dici irritum, qui potest irritari; cùm autem deceptus vbi sciuerit dolum possit contractum irritare, inde est, vt aliquando talis contractus irritus dicatur: tùm verò dici irritum secundum quid, quia videlicet deceptor nullum ius acquisiuit, nisi talis contractus a decepto ratificetur.

63 Dixi secundò nisi dolus versetur circa substantiam rei; tunc enim contractus est irritus iure naturæ, ex defectu consensus substantialis, vt communiter docent Doctores. Secùs verò

rò si dolus versetur tantùm circa causam contrahendi (qualis in nostro casu esset virginitas) quæ cùm sit extrinseca, & accessoria rei non tollit consensum.

64 Respondeo tertiò si dolus non proueniat ab altero contrahente, sed à tertia persona, vel à propria opinione, qua contrahens se ipsum decepit, contractum esse validum, etiamsi dolus dederit causam contractui. Probatur quia dolus proueniens ab altero cōtrahente non vitiat contractum. Ergo multò minus ille qui prouenit à tertia persona, vel à propria opinione. Tum quia adest sufficiens consensus, cùm nō contingat error circa substantiam, sed tantùm circa accidentia, vt suppono. Tum quia nullum ius irritat huiusmodi contractum. Et hanc sententiam sustinent Glos. in cap. Cùm dilect. de empt. & vend. Bartol. in l. & eleganter §. de dolo in princ. Couar. reg. possess. par. 2. §. 6. num. 6. Mol. loco superiùs cit. Less. lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 33. Regin. lib. 26. num. 123. Et est communior Doctorum. Quidquid in contrarium sentiant Conrad. de contract. q. 57. Medin. cod. de restit. q. 33. existimātes adhuc contractum esse irritum ex defectu liberi consensus.

65 Ex quibus patet quid dicendū ad casum propositum. Primò enim si Sempronius non erat contracturus sponsalia cum Ceia, si sciuisset illam esse coruptam, & dolus hic prouenerit ab ipsa Ceia; in sententia Sanchez cit. & aliorum, huiusmodi sponsalia sunt nulla, & sic copula post illa habita non est reseruata.

66 Secundò retenta nostra sententia asserente huiusmodi sponsalia esse valida, adhuc sustinere fortè possemus copulam illam non esse reseruatam, eo modo, quo Less. lib. 2. c. 17. dub. 6. num. 17. licèt putet sponsalia per metum contracta esse valida, tamen sustinet posse concedi, quòd ex illis non oriatur impedimentum publicæ honestatis; ea ductus tatione; quia licèt valida aliquo modo sint, tamen quasi irrita censentur; quod enim ab initio est ita debile, vt pro arbitrio Partis possit in irritum reuocari, censetur iure quasi irritum; Ergo pari modo possemus sustinere copulam inter illos habitam non esse reseruatam, quia sponsalia illa licèt valida, tamen ita debilia sint, vt pene dicantur nulla, nec dicatur copula inter sponsos de futuro.

67 Tertiò inferre quis potest retenta nostra sententia Sempronium incidisse in reseruationem habendo copulam post sponsalia.

68 Quartò si dolus non prouenerit ab altero contrahente, sed tantùm à propria opinione; quia videlicet Sempronius contraxerit ductus errore, quo putabat illam esse virginem: tunc retenta sententia Conradi, & Medinæ asserentiū sponsalia illa esse omnino nulla, poterit Sempronius à quocunque Confessario absolui, tanquam immunis à reseruatione. Retenta verò nostra sentētia asserente illa esse valida, dicendum est dictum Sempronium habēdo copulam cū Ceia sponsa incidisse in reseruationem. Sponsalia enim hæc esse absolutè valida docuimus cū Doctoribus cit. licèt etiam ea possint in irritum reuocari, eo modo, quo rescindi possunt illa sponsalia, ad quę notabilis mutatio est subsecuta.

69 Demum patet quid dicendum, si notabilis mutatio sequatur post spōsalia contracta; puta si sponsus, vel sponsa fornicetur post sponsalia; licèt enim fornicatio subsequens det ius illa dissoluendi, tamen quia necdum sunt dissoluta, inde est, vt copula inter

illos habita ante solutionem dicatur copula inter sponsos de futuro, & sic reseruata. Quod etiam verius est supposito quòd sponsus conscius causę sufficientis pro dissolutione sponsalium adhuc tamen velit cum sponsa coire: quia per copulam hanc sponsalia ita ratificantur, vt non possint amplius ea dissolui, cùm sponsus conscius causæ sufficientis pro illorum dissolutione, accedendo carnaliter ad sponsam, censeatur remittere totum ius, quod habet; quo modo Coniuges conscij fornicationis habitæ post matrimonium, habendo simul copulam, priuantur iure petendi diuortium. Vt bene Corduba in sum. q. 49. Lud. Lopez 1. par. instruct. cap 77. §. hinc emergit. Sanch. lib. 1. de matri. disp. 66. Quinimò Corduba, & Manuel. 1. tom. sum. cap. 208. conclus. 10. num. 10. id expresè docent in casu superiùs allato, quando videlicet tempore sponsalium sponsus existimauit sponsam esse virginem; adhuc enim asserunt, & bene, non posse sponsum amplius resilire, si conscius vitij copulam habuerit. Idemquè verum esse subdit Sanchez cit. nu. 3. etiãsi sponsus haberet expressam volũtatem non remittendi illud ius, quod habet ad sponsalia dissoluenda; adhuc enim ea plenè ratificarentur, & indissolubilia fierent, quia remissio hæc non à sponsi voluntate, sed a iure ipso proficiscatur, eo modo quo coniux conscius fornicationis alterius Coniugis, si copulam habeat omnimodè priuatur iure petendi diuortium; licèt haberet expressam voluntatem non remittendi iniuriam.

DIFFICVLTAS V.

Caius tempore impubertatis contraxit sponsalia cum Sempronia, & factus pubes statim reclamauit. Quæritur an si postmodum habeant copulam, copula hæc sit reseruata.

70 *Vtrùm sponsalia ab impuberibus contracta dissoluantur per solum dissensum alterius pubertatem adepti.*

71 *Affirmat Author, dummodò resiliant statim, ac facti sunt puberes.*

72 *Is, qui priùs factus est pubes potest statim resilire, nec tenetur alterius pubertatem expectare.*

73 *Respondetur propositæ difficultati negando copulam illã esse reseruatam.*

74 *Idquè verùm est etiamsi dissensus fuisset habitus tempore impubertatis, sed tamen virtualiter durasset vsq; ad pubertatem.*

70 HVius casus solutio ab ea difficultate pendet, quam in tractatu de matrim. enodauimus, vtrũ videlicet sponsalia ab impuberibus cõtracta dissoluantur per solum dissensum alterius pubertatem adepti, quo loco respondimus affirmatiuè. Vt habetur cap. de illis 1. & cap. à nobis, de desp. impub. Cuius dispositionis ratio fuit, quia, quæ fiunt ab impuberibus non videntur fieri cum perfecta discretione, & iudicio. Quam sententiam communiter sustinet Doctores D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 18. §. 1. casu 8. Angel. v. sponsal. num. 37. Syluest. v. eod. quæst. 10. Viuald. in candelab. par. 1. de sponsal. cap. 5. num. 44. Vega lib. 6. sum. casu 105. Lud. Lopez 2. par. instruct. de matrim. cap. 38. folio 1049. in fine. Sanch. lib. 1. de sponsal. disp. 51. num. 6. Et alij apud ipsum. Quidquid in contrarium sentiant nonnulli existimantes cap. De illis, & Cap. a nobis citata intelligenda tantũ esse de sponsalibus

ſalibus infantium, non verò impuberum; ita vt illa quidem poſt acquiſitam pubertatem diſſolui poſſunt, non item hæc.

71 Id tamen monuimus eſſe intelligendum cum hac limitatione, dummodo impubes à ſponſalibus reſiliat ſtatimac factus eſt pubes, alioquin non poteſt reſilire: ius enim noluit ſponſalia perpetuò manere reuocabilia, ſed conceſſit poſſe reuocari vſq; ad pubertatem præciſe, ita vt ſi ſtatim non contradicat, dicatur illa confimare irreuocabiliter. Ita Couar 4. decret. 1. par. c. 5. § 1. n. 1. Lud. Lopez cit. n. 1050. Sanch. l. cit. num. 14. in iure autem illud dicitur ſtatim fieri, quod intra triduum fit. leg. finali cod. de iudicijs ibi, illicò etiam, ideſt intra triduum, & leg. finali cod. de errore aduocat. ibi, incontinenti, ideſt triduo.

72 Verum tamen eſt, quòd ſi duo impuberes ſponſalia contraxiſſent, is, qui priùs factus pubes eſſet, ſtatim poſſet reſilire, nec teneretur pubertatem alterius expectare, fruſtrà enim expectatur euentus, cuius nullus eſt effectus. Cap. cum contingat, de off. de leg. Sed expectatio pubertatis alteriùs nullum effectum parit; ergo qui adeptus eſt pubertatem poteſt illicò à ſponſalibus reſilire, nec tenetur alterius pubertatem expectare. Ita Couar nu. 2. Sanch. cit. num. 9. Et alij apud ipſum. Licèt contrarium ſentiat Naldus v. ſponſalia num. 1.

73 Ex quibus patet, quid dicendum ad caſum propoſitum. Cùm enim Caius ante copulam reclamauerit, & quidem ſtatim poſt adeptam pubertatem, copula illa non eſt reſeruata, ex eo quòd per reclamationem ſpōſalia fuerint diſſoluta.

74 Quinimò addo, etiamſi reclamaſſet ante pubertatem, dummodo tamen nunquam mutaſſet diſſenſum, ſed in eo perſeueraſſet vſq; ad pubertatem, copulam illam non futuram reſeruatam, quia per illum diſſenſum virtualiter durantem, ſponſalia fuiſſent diſſoluta in ipſo puncto pubertatis. Vt benè ſentit Sanch. cit. num. 16. & ſic copula poſt pubertatem habita non eſſet reſeruata, vt pote quæ non eſſet inter ſponſos de futuro.

DIFFICVLTAS VI.

An ſponſus, & ſponſa de futuro, ſi cum alio fornicentur teneantur circumſtantiam ſponſalium in confeſſione explicare.

75 *Copula habita cum ſponſa alterius de futuro non eſt adulterina.*
76 *Declaratur punctus difficultatis.*
77 *Aliqui putant circumſtantiam hanc eſſe explicandam in confeſſione.*
78 *Alij diſtinguunt, & dicunt eſſe confitendam quando ſe tenet ex parte fœminę, non verò quando ſe tenet ex parte ſponſi.*
79 *Author ſententiam negantèm putat eſſe probabilem.*

75 SVppono ex communi ſententia, eum qui accedit ad ſponſam alterius de futuro non committere adulterium. Et probatur ex definitione adulterij, quam tradit Gelaſius Papa cap. Lex illa, ad finem 37. q. 1. & D. Th. 2. 2. q. 154 art. 8. in corpore, qui adulterium ſic definiunt, vt ſit alieni thori violatio: atqui carnaliter cognoſcens ſponſam de futuro non dicitur violare alienum thorum, cùm hic ante matrimonium de præſenti nō concedatur ſponſis; Ergo non committit

mittit adulterium. Ita Henriq. lib. 11. de matrim. c. 13. num. 4. Viual. in candelab. sacram. 1. par. materia de sponsal. num. 9. Manuel. 1. tom. sum. cap. 53. num. 3. in fine Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 2. num. 2.

76 Præsens ergo difficultas illud petit, vtrùm copula hæc, licèt non sit adulterina, ita tamen malitiam fornicationis augeat, vt sit circumstantia in confessione explicanda.

77 Senserunt aliqui circumstantiam hanc esse necessariò explicandam, tam ex parte sponsi, vt si sponsus ad aliam accedat, quàm ad sponsam; quàm ex parte sponsę, vt si sponsa vsum sui corporis alteri concedat, quàm sponso; ita vt huic copulæ duplex insit malitia, altera fornicationis; altera verò fractorum sponsalium, seu iniustitiæ. Quæ sententia eo maximè nititur fundamento, quia per sponsalia acquiritur ius in corpus alterius sponsi; sic enim ex communi sententia, liciti sunt amplexus, & oscula inter sponsos de futuro; quia cùm spōsalia sint quoddam initium matrimonij, concedunt etiam ius vtendi voluptate præambula matrimoniali; quod ius violatur ab eo, qui alienam sponsam de futuro cognoscat: & à sponso, qui ad aliam accedat, quàm ad sponsam. Confirmatur quia abusus rei ex iustitia alteri debitæ est contrà iustitiam, quando videlicet vsus ipse est rei nociuus. Sic enim si equus aliquis mihi ex iustitia deberetur, & alter ab eo oculum erueret, iniustitiæ crimen committeret; licèt illius necdum essem dominus: atqui corpus sponsi ex iustitia debetur alteri sponso; Ergo illius vsus cùm sit nociuus alteri sponso, erit iniustus, & sic copulę illi pręter malitiam fornicationis, inerit etiam malitia iniustitiæ, proindeq; circumstantia hæc mutabit speciem. Ita P. de Ledes. de matr. quæst. 43. art. 1. dub. vltim. quo loco probabiliorem hanc putat esse sententiam. Sarmient. lib. 1. select. c. 5. nu. 3. Lopez 1. par. instruct. conscientiæ c. 29. Eandemquè valdè probabilem vocat Sanch. cit. num. 5.

78 Alij verò media via incedunt existimantes circumstantiam hanc esse necessariò confitendam, quando se tenet ex parte fœminæ; idest quando aliquis fornicatur cum sponsa alterius de futuro; tunc enim putant eum, qui fornicatur, & sponsam ipsam teneri hanc sponsalium circumstantiam confiteri. Secus verò, quando ea se tenet ex parte sponsi, idest quando sponsus ipse fornicatur, vel hic deliberato consensu desiderat. Id autem probatur, quia quando sponsus fornicatur cum alia, quàm cum sponsa, iniuria hæc, quæ spónsæ ipsi irrogatur, leuis reputatur: At quando sponsa fornicatur cum alio, quàm cum sponso, iniuria hæc sponso ipsi illata reputatur maximè iniuriosa. Ita Fagund. 2. præcept. l. 4 cap. 3. num. 21. Sanch. loco superiùs cit num. 7. Filliuc. to. 2. tract. 30. cap. 2. num. 53. Vilalobos in sum. tom. 1. tract. 9. dub. 36. num. 16. Et alij. Eandemquè sententiam nos ipsi aliàs sustinuimus in tract. de matrim.

79 Respondeo tamen maximè probabilem, & in praxi tutam esse sententiam eorum, qui asserunt circūstantiam hanc non esse confitendam, neq; à sponsa. Et probatur, quia solæ circumstantiæ mutantes speciem peccati sunt necessariò confitendæ, vt suppono ex ijs, quæ alibi docuimus; sed illa non mutat speciem; ergo non est confitenda. Quòd autem circumstantia hæc nō mutet speciem, probatur, quia non facit, vt copula cum aliena sponsa de futuro sit adulterium, cùm nulla con-

contingat alieni thori violatio; ergo remanet simplex fornicatio; ergo nullam aliam specie distinctam malitiam includit. Nequè verò dicas per copulam hâc irrogari iniuriam alteri sponso, & sic esse confitendam circumstantiam iniustitiæ; nam etiamsi ea sit iniuriosa, adhuc tamen nullam relinquit obligationem cõfitendi hanc circumstantiam. Sic si quis aliquem fustibus cędat, irrogat iniuriam illius fratribus, nec tamen tenetur hanc circumstantiam in confessione aperire. Demum verò probatur, quia ita se habent spõsalia ad matrimonium, sicut votũ simplex religionis ad professionem: sicuti enim hoc est promissio tradendi se religióni, professio verò est traditio; ita illa sunt promissio traditionis corporis; matrimonium verò est ipsa traditio. Sed per votum simplex religionis, religio non acquirit ius erga vouentem, nequè vouens obligatur vi illius voti ad non tradendum corpus suum alteri per fornicariam copulam; Ergo pari modo per sponsalia nullus ex spõsis acquirit ius in corpus alterius, nec vi illorum obligatur ad non fornicandum cum alio, sed eam tantùm obligationem inducunt, vt non possit cum alio matrimonium contrahere; quia hoc solùm sponsalibus repugnat; ergo accessus ad alienam sponsam de futuro, vel deliberata voluntas illius copulæ nullam aliam habet malitiam, quã simplicis fornicationis. Ita Couar. 4. decret. 1. par. cap. 1. num. 14. Viuald. in candelab. 1. par. materia de sponsalibus nu. 10. Megala in 1. par. lib. 5. cap. 11. quæst. 5. num. 9. Eandemquè sententiam probabilem putat P. de Ledes. superiùs citatus.

DIFFICVLTAS VII.

Seius contraxit sponsalia cum Berta. Quæritur an semper peccet mortaliter tangendo sponsam causa delectationis, illamq; osculando.

80 *Tactus de se non sunt intrinsecè mali.*
81 *Tactus inter omnino solutos habiti propter solam veneream delectationem ex illis consurgentem sunt lethales.*
82 *Tactus impudici iuxta nonnullorum opinionem præbent iustam causam diuortij.*
83 *Quænam dicatur delectatio venerea.*
84 *Tactus, qui fiunt causa amicitiæ ob patriæ consuetudinem non sunt peccata.*
85 *Proponitur casus de quo controuertitur, & refertur sententia negans licitos esse inter sponsos de futuro tactus aliquos, qui inter omnino solutos sint illiciti.*
86 *Author affirmat tactus aliquos esse licitos.*
87 *Dummodo tamen non sint impudici.*
88 *Pariter dummodo non adsit intentio, aut delectatio ipsius copulæ.*
89 *Respondetur fundamento contrariæ sententiæ.*
90 *Quid dicendum de aspectibus & mutuis colloquijs inter spõsos de futuro.*
91 *Respondetur difficultati propositæ.*
92 *Dari potest casus vt aliquando amplexus, & oscula excusentur, etiamsi pollutio præuisa sequatur.*

SVB his terminis generalibus hæc difficultas à Doctoribus agitatur, an sponsis de futuro licita sint oscula, amplexus, alijq; tactus. Pro cuius difficultatis solutione.

80 Sup-

80 Supponendum primò in omni sententia tactus de se non esse intrinsecè malos, sed indifferentes, quia sunt quædam actio sensus, quæ de se mala non est, ac licitè fieri potest, si causa sit honesta, illicitè vero si inhonesta. Ita D.Th.2.2.q.154.art.4., quem omnes sequuntur. Quinimò indifferentes esse tactus eos, quibus vir pudenda fœminæ attrectat, bene docet Nau cit. cùm aliquando licitè fieri possint, vt contingit in Chirurgo, qui causa medicandi illa attrectat.

81 Supponendum secundò ex dictis à nobis in tractatu de matri. tactus eos, qui inter omnino solutos habentur propter solam veneream delectationem ex illis consurgentem; licèt nec ad fornicationem, nec ad illius delectationem ordinentur, esse lethales. Et ratio est, quia tactus hi ordinantur ad copulam, cuius sunt circumstantiæ. Quod patet exemplo brutorum, quæ huiusmodi tactibus præparant se ad venerem. Vnde est, vt eandem habeant malitiam, quam habet copula, ad quam referunt. Ita Caiet. 2.2.q.154.art.4.dub.1.Rosel.v. delectatio num.3. Tabiena v. cogitatio quæst. 8.num.9. ad finem dicens esse de fide. Valen 2.2.d.9.q.3 p.3.ad finem §.si autem. Graf.2.p. decis.lib.2.c 75.num.10. Sanchez l.9. de matrim.d.46. num.7. Et quod diximus de tactibus, idem dicendum de amplexibus, & osculis.

82 Quinimò tactus hosce adeo turpes esse existimant nonnulli, vt putent illos præbere iustam causam diuortij, ac priuandi viduam dote instar adulterij. Ita Doctores plures apud Sanch.lib. 10.d.4.num. 11. Ac demum alij sentiunt legatum relictum sub cõditione castè, & honestè viuendi amitti a fœmina patiente tactus impudicos, amplexus, & oscula. Vt Couar.4. decret.2.par.c.7.§.9.nu.3.in fine. Graf. 1.par.decis. lib.2.cap.11.num.58.

83 Dixi in suppositione tactus habitos propter solam veneream delectationem: appello autem veneream delectationem eam, quæ in ipsa carne sentitur. Vt habet Caiet.in sum. v. impudicitia: seu vt inquit Tabiena v. cogitatio q.8.num.9. quæ in carne sentitur cum commotione spirituum inseruientium generationi circa partes libidinosas. Ad differentiam eius delectationis, qua placet tactus ob solam proportionem, seu connaturalitatem cum organo tactus, quæ licita est, nisi fortè periculum aliquod immineat, vt ex hac ad illam transitus fiat.

84 Hinc est, vt tactus ij, qui fiunt causa amicitiæ iuxta patriæ consuetudinem non sint peccata; & si fiant ioco, vel causa leuitatis, aut vanitatis, absq; vlla delectatione venerea, non excedant culpam venialem. Vt bene Caiet.cit.Graf.1.p.decis.l.2 c.75.num. 10. quod idem docet Nau. in sum.c.14. nu.42.de tactu mammillarum fœminæ habito à viro iocosè, & absq; alia praua delectatione, ac præciso omni periculo incitationis ad peccatum. Et de Parentibus tangentibus, aut osculantibus affectuosè, & magna cum suauitate molles infantium carnes, docent cum Nauar. Sanch cit. nu. 13. Si tamen tactus essent omnino impudici, quales sunt tactus partium verendarum, vel vicinarum verendis, quoties absq; necessitate haberentur inter personas diuersi sexus, licèt nulla adesset delectatio venerea, essent lethales, quia ad venerem ordinantur, illamquè valdè excitant. Ac si aspectus pudendarum partium fœminæ est mortalis, licèt ex sola curiositate fiat; vt sentiunt D. Antonin.2.p.tit.5.cap.1.§.7.Nauar.in sum. c.14.num.42.Sanch.cit.num.23. Multò

ma-

magis id est dicendum de tactu illarum partium.

85 His præmissis præsens difficultas illud petit, an hi tactus, amplexus, & oscula, quę inter omnino solutos lege Matrimonij, & sponsalium sunt illicita, licita sint inter sponsos de futuro.

Respondent aliqui negatiuè, qui eo potissimū nituntur fundamento, quia eiusdem sunt malitiæ tactus, & copula, & cui non licet copula, nec liciti sunt tactus, vt potè qui ad illam ordinentur, vt diximus in secunda suppositione. Quam sententiam sustinere videtur Caiet. in sum. v. impudicitia, & v. osculum, quo loco docet amplexus, & oscula esse mortalia, nisi habeantur inter coniugatos. Eandemquè in terminis docet Pedraza in sum. præcep 6. §. 5.

86 His tamen non obstantibus respondeo satis probabilem esse sententiam eorum, qui docent oscula, amplexus, ac tactus non impudicos esse licita inter sponsos de futuro. Quinimò, & à mortali excusari delectationem veneream ex ipsis consurgentem, præcisa tamen intentione, aut delectatione ipsius copulæ; aut consensus in illam, aut pollutionis periculo. Et probatur quia sicut matrimonium cohonestat copulam; ita sponsalia, quæ sunt quoddam initium matrimonij, debent cohonestare huiusmodi tactus, amplexus &c. quæ sunt quoddam initium copulæ. Ita Valent. 2.2. d. 9. q. 3. puncto 3. ad finem §. sentit tamen. Emman. Sa in sum. v. luxuria §. oscula, & tactus. Graf. 1. par. decis. l. 2. c. 82. num. 3. Alijq; plures, quos citat, & sequitur Sanch. lib 9. d. 46. num. 48.

87 Dixi primò tactus non impudicos: si enim sunt impudici, nullo modo licent inter sponsos de futuro; quia viciciniores sunt copulæ, ac proinde illis solis licent, quibus est licita copula. Ita Nauar. in sum. c. 16. nu. 13. Graf. cit. Sanchez loco cit. num. 52. Vnde est, vt propter illorum, aut copulæ periculum nullo modo sit permittendū sponsos esse solos.

88 Dixi secundò præcisa intentione, aut delectatione ipsius copulæ. Delectatio enim venerea duplex est: quædam est delectatio venerea ipsius copulæ, & hæc habita inter sponsos de futuro est mortalis; sicut enim mortalis est copula, ita & illius delectatio: quædam est delectatio sensibilis venerea, quæ ex ipsis tactibus consurgit absq; vlla intentione copulæ. Et hanc inter sponsos de futuro Doctores citati à mortali excusant.

Dixi tertiò præciso etiam periculo consensus in copulam, aut pollutionis, tunc enim tactus hi essent peccatum mortale, & eandem haberent malitiam, quam habet copula.. Vt bene Nauar. in sum. c. 16. num. 12. Valent. Graf. cc.

89 Ex quibus patet primò ad rationem in contrarium. Tactus enim, amplexus, & oscula non ideo sunt illicita inter omninò solutos, quia illis prohibita sit copula, sed quia nullo vinculo matrimonij, aut sponsalium sunt obstricti, quod eos tactus cohonestet. Et hæc est adæquata ratio.

90 Secundò quid sit dicendum de aspectibus, & mutuis colloquijs inter sponsos de futuro, hæc enim eodem modo licent, quo licita sunt oscula, tactus, & amplexus, ita vt si hæc omnia fiant ex fine honesto, puta in signum beneuolentiæ, & ad concilian dum, fouendumquè mutuum amorem in ordine ad contrahendum matrimonium, omnino licita sint: si verò fiant causa voluptatis, & delectationis ex ipsis cōsurgentis, illa quidem inter omnino solutos sint mortalia; at verò inter spon-

sponsos de futuro sint tantùm venialia; quia videlicet careant debito fine: sicuti etiam essent inter coniugatos venialia. Si tamen aspectus esset valdè impudicus, vt partium verendarum, tunc esset mortalis, vt diximus de tactibus.

91 Tertiò patet quid dicendum ad casum propositũ. Respondeo enim Seium non peccare mortaliter, tangendo sponsam, aut illam osculando causa delectationis consurgentis ex illis tactibus, & osculis; nisi fortè tactus ille sit impudicus, vel adsit aliquis consensus in copulam, vel illius periculũ.

92 Quinimò addit vlterius Sanch. cit. num. 50. dicta oscula, & amplexus aliquando ab omni culpa excusari, & esse licita inter sponsos de futuro, etiãsi pollutio præuisa sequatur, dummodò id facerent necessitate compulsi, & sine periculo consensus in pollutionem. Vt cõtingere posset si in eas angustias inciderent, vt austeri, & inurbani haberentur, nisi se ipsos amplexarentur.

DIFFICVLTAS VIII.

Titius tempore Quadragesimæ, vel Aduentus domum sponsam traduxit. Quæritur vtrùm peccauerit mortaliter.

93 *Referuntur fundamenta pro sententia affirmante.*
94 *Aliqui tantùm sentiunt quando traductio est solemnis.*
95 *Quænam dicatur traductio solemnis.*
96 *Respondetur difficultati propositæ.*

93 HVic difficultati illicò respondebit aliquis affirmatiuè nixus primò authoritate Nicolai Papæ cap. nec vxorem 33. quæst. 4. quo loco absoluè prohibet eo tempore vxorem ducere, idest traducere, vt explicat Abbas. Tum quia hoc idem docent Doctores plurimi, vt Syluest. v. matri. q. 2. Rosel. v impedim impedi. 17. in principio. Idem etiam sentit Graf. 2. par. decis. lib. 2. c. 13. num. 22. ad medium pro contraria sententia inferiùs citandus. Et alij plures apud Sanch. lib. 7. de matrim. d. 7. num. 15. Demum quia hoc idem prohibitum videtur in nostris Concilijs, vt Actorum par. 1. Concil. Prou. 5. tit. quæ ad matrimonium pertinent. §. ne quis cuiusquè gradus; quo loco sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda cauetur, ne statutis temporibus, quibus nuptiarum solemnitates interdictum est celebrari, domum sponsa traducatur, aut nuptialia conuiuia fiant. Quod idem sub eadem pœna prohibitum est Actorum par. 4. tit. de Parochi diligentia in denunciationibus, versus finem. §. ne nuptias solemnes sinat celebrari, pag. mihi 552.

94 His tamen non obstantibus respondent alij temporibus Quadragesimæ, & Aduentus solam solemnem traductionem esse prohibitam, ex eo quòd hęc coniuncta sit cum nimia mẽtis euagatione repugnante illorum temporum sanctitati, quod non reperitur in traductione non solemni. Ita Nauar. in sum cap. 32. num. 71. Graff. 1. par. decis. lib. 2. cap. 85. num 28. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 31. ad finem. Lud. Lopez 2. par. instruct. de matrim. cap. 46. in fine, & alij plures; Ac si prima matrimonij consummatio non est ijs temporibus prohibita, vt bene docent Nauar. Bellarm. Lopez cc. quibus accedunt Vega 2. tom. sum. cap. 34. casu 179. Emman. Sa in sum. v matrim. vbi de impedim. non dirrim. num. 2. & alij.

alij. Porrò idem etiam dicere possumus de traductione non solemni, Vnde iuxta hanc sententiam explicari potest Cap. nec vxorem, & Concil. Prouinc. citatum.

95 Nomine autem traductionis solemnis hisce temporibus prohibitæ venit traductio sponsę in domũ sponsi, conuiuio, aut alijs vanæ lætitiæ signis sociata, vnde in Concilio Prouinc. cit. habetur, aut nuptialia conuiuia fiant.

96 Ex quibus patet quid dicendum ad casum propositum; quoties enim dictus Titius tempore Quadragesimæ, vel Aduentus, absq; vlla solemnitate sponsam domum traduxerit, nullum peccatum commisit, spectata sola traductione, nisi fortè hæc alia mala circumstantia vestiatur. Quòd si illam solemniter traduxerit, mortaliter peccauit: grauis enim illa pœna proposita, interdicti videlicet ab ingressu Ecclesiæ, arguit trasgressionem hanc esse mortalem. Et præcisa etiam hac Concilij nostri constitutione, mortale peccatum esse hanc solemnem traductionem docet Nauar. cit. Neque obscurè id significat Caiet. in sum. v. nuptiarum peccata, Armilla v. nuptiæ num. vnico, dicentes, nuptias tria importare; Primò benedictionem coniugum. Secundò traductionem sponsæ. Tertiò solemnitatem conuiuij; & violantes hoc statutum mortaliter peccare.

DIFFICVLTAS IX.

Quàm graue sit peccatum, quòd committunt sponsi venientes ad copulam ante contractum matrimonium.

HVius peccati grauitatem indè aliqui ostendunt, quòd copula hæc sit stuprum, quoties sponsa sit virgo. Sed de hoc patebit in explicatione vltimi casus, quo loco quæremus, an copula cum virgine consentiente distinguatur à simplici fornicatione. Certè graue peccatum hoc est, etiamsi simplex fornicatio sit; habet enim alias circumstantias ratione quarum aggrauatur. Primò circumstantiam scandali cohabitando cum ea, quam omnes sciunt non esse sponsam de præsenti. Secundò quia constituitur sponsa in periculo fornicandi, si fortè ex aliqua causa, puta morte sponsi, vel alia simili, sponsalia dissoluantur. Tertiò si pluries rem habeat, tenetur Pœnitens in confessione numerum peccatorum explicitè confiteri, iuxta dicta de Pœnitentia. Quidquid dicat Graff. lib. 2. in praxi cap. 37. num. 14. non teneri numerum explicitè dicere, sed satis esse si tempus confiteatur, per quod in illo statu permanserit. Si enim confessio hæc valeret, eadem esset illius obligatio, qui per mensem in hoc statu fuisset, & centies cum sponsa rem habuisset; ac esset illius, qui per mensem perseuerasset in hoc peccato habendo suam sponsam pro concubina, & decies tantùm cum illa peccasset: cùm enim attenta illius sententia, numerus expressè non sit confitendus, porrò vterq; satisfaciet dicendo se per mensem in hoc statu permansisse, & tamen vnus centies sponsam suam carnaliter cognouit, alter verò decies tantùm. Tempus ergo erit confitendum, quoties numerus peccatorum in memoriã non veniat; at verò si illius recordetur Pœnitens, ille vtiq; est aperiendus. Vtrùm verò sententiam eandem sustineat Nauar. quem pro se citat Graff. hoc nescio; illud verò certò scio, Nauarrum cap. 6. in manuali nu. 14. apertè asserere peccatorem teneri exprimere

mere certum numerum peccatorum, quoties illum exprimere possit, dicendo toties tale peccatum cõmisi. Quòd si eum exprimere non possit, quia non recordetur, debere secum rationem ponere, quoties tale peccatum committere potuerit singulo die, mense, vel anno, & sic debere confiteri, atquè subdit peccaturum mortaliter eum, qui aliquid ex numero, cuius recordetur subticeret. Ergo in sententia etiam Nauarri numerum peccatorum tenetur Pœnitens confiteri si potest, nec satisfaciet si tempus, per quod in concubinatu fuit, confiteatur. Sed de his satis fusè egimus in tract. de pœnitētia.

DISCANT PAROCHI

Inter ipsa Sponsalia tanti peccati grauitatem detestati.

CAPVT DECIMVMTERTIVM

Casus restitutionis rerum, quæ incertum est, quibus restitui debeat.

CAput hoc tribus quæstionibus cõstabit. In quarum prima agemus de obligatione restituendi bona incerta. In secunda quinam incidant in hanc reseruationem. In tertia quinam excusentur ab ea.

Priùs autem aduertendum casum hunc in Concilio Prouinciali 5. fuisse reseruatum, tit. de ijs, qui pertinent ad Sacram pœnitentiæ in fine. Fuerat autem ibi lata reseruatio in hæc verba. Casus restitutionis rerum, quæ incertum est, quibus restitui debeant, Episcopo deinceps reseruati sint. Sed quoniam dubium esse poterat, an præsens reseruatio comprehenderet tantùm casus rerum incertarum, quæ per dolum, ac fraudem acquisitæ sunt, sed earum dominus ignoratur; an verò etiã rerum earum, quæ in manus nostras deueniunt absq; nostra culpa, quales sunt res inuentæ; ideo ad dubium omne tollendum in Synodo Diœcesi 11. pag. mihi 411. additum fuit, vt quo ad iudicium faciendum attinet, locum etiam haberet reseruatio hæc in restitutione rerum, quæ casu inuentæ, nec furto subtractæ, aliouè dolo sublatæ, aut alio modo malè partæ restituendę sunt. Ideo autem verba hæc, quo ad iudicium ferendum attinet, reseruationi addita fuerunt, quia in rebus casu inuentis, cùm nulla intercedat culpa inuentoris, nullo modo poterat intelligi reseruatio, quam diximus superiùs afficere tantùm peccata mortalia. Fuit ergo per hæc verba extensa reseruatio, ita vt non solùm caderet supra culpam detentoris rerum incertarum, sed etiam supra iudicium ferendum à Confessario, vel Pœnitente, quibus voluit Ordinarius adimere facultatem distribuendi res incertas, siue casu inuentæ sint, siue dolo sublatæ.

QVÆSTIO PRIMA

De obligatione restituendi bona incerta.

DIFFICVLTAS I.

Quænam dicantur bona incerta.

1 *Bona vacantia quænam dicantur.*
2 *Quænam dicantur bona derelicta.*
3 *Surripientes bona Christianorum, quæ in periculo naufragij deijciuntur in mare causa leuandæ nauis incidunt in censuram; ad quam sufficit sola surreptio, etiamsi bona illico restituantur.*
4 *Excusaretur tamen ab hac censura is, qui surriperet in modica quantitate.*
5 *Item qui surriperet bona infidelium naufragantium.*
6 *Item qui surriperet bona Christianorũ alibi naufragantium, quàm in mari.*
7 *Item si bona haberentur pro derelictis.*
8 *Quænam dicantur bona incerta.*

1 Bona alia dicuntur vacantia; alia derelicta; alia incerta. Vacantia ea dicuntur, quæ remanent post mortem, non relictis hæredibus, neque vllo testamento facto. Et hæc si laicorum sint morientium ab intestato, neq; habentium hæredes intra decimũ gradum iure ciuili communi ad fiscum deuoluuntur. leg. vacantia cod. de bonis vacan. Sin verò sint peregrini mortui ab intestato, ea non pertinent ad hospitem, apud quem mortuus est, sed per Episcopum loci tradenda sunt hæredibus, si fieri potest, vel certè in pias causas distribuenda. Ita Authent. omnes peregrini cod. communia de success. his verbis. Si Peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perueniet, sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur.

2 Bona derelicta ea dicuntur, quæ abijciuntur cum intentione non amplius illa recuperandi. Et hæc fiunt primi occupantis. Nomine autem horum bonorum non veniunt ea, quæ in periculo naufragij in mare deijciuntur causa leuandæ nauis, & saluandæ vitę. Quinimò si quis huiusmodi bona surriperet, contraheret excommunicationem contentam primò in Cap. de raptor. vbi sic habetur, qui Christianos naufragium passos, damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi nouerint se subiacere. Secundò contentam in Bulla Cœnæ his verbis, Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorũcumq; nauibus tempestate, seu in transuersum, vt dici solet, iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex ijsdem eiecta &c.

3 Quam censuram non solum incurrunt surripientes, sed etiam rapientes per vim. Et ratio est, quia licet furtum, quod committitur surripiendo, seù furando non sit rapina, vt docui suo loco, & verba reseruationis loquantur tantùm de furto, non de rapina, tamen in rapina includitur furtum, cui vlterius superaddit nouam malitiam violentiæ.

Præterea ad eandem incurrendam sufficit sola surreptio, etiamsi illicò fiat restitutio; Summus enim Pontifex absolutè tulit excommunicationem in surripientes, absquè eo quòd vllam faceret mentionem moræ in restituendo. Ita Sayr. de cens. lib. 3. cap. 8. nu. 3. Tol. lib. 1. cap. 21. Suarez disp. 21. sect. 2. nu. 29. Reginal. lib. 9. num. 268. Quidquid in contrarium sentiat Caiet. v. excommu. cap. 23. Quinimò addunt, & bene Suar. cit. num. 30. Filliuc. tract. 16. c. 4. q. 13. num. 99. eum, qui surripit bona naufragorum, & postea diutius differt restitutionem, duplicem censuram in-

currere; alteram in Bulla Cœnæ contentam ob surreptionem, & Papæ reseruatam: alteram in cap. excomm. cit. de raptor. nulli reseruatam; diuersa est enim actio prohibita in Bulla, & in Cap. excomm. illic surreptio, hic verò morosa detentio; vnde cùm adsit duplex delictum, & duplex contumatia sub censura prohibita, duplex etiam erit censura.

4 Excusaretur tamen ab hac excommunicatione primò is qui bona naufragantium surriperet in modica quantitate. Vnde est, vt duorum aureorum valorem exigant Sayr. de cens. lib. 1. c. 9. num. 33. Stephanus Quaranta v. bona naufragantium Filliuc. in simili de muneribus Religiosos.

5 Secundò immunis esset ab hac censura is, qui surripit bona infidelium naufragantium. In Bulla enim sermo tantùm est de bonis Christianorum.

6 Tertiò immunis esset, qui surriperet bona Christianorum naufragantium in flumine, vel lacu, aut extra litus maris eiecta. Et ratio est, quia Bulla facit tantùm mentionem de ijs, qui rapiunt ex bonis in mari, aut litore inuentis.

7 Quartò immunis esset, qui acciperet bona, quæ probabiliter crederet pro derelictis haberi. Quænam autem talia censenda forent, ex circumstantijs esset colligendum; quarum prima desumi potest ex verbis proijcientis, vt si proijciens diceret se nolle, vt ea, quæ proijcit cum rebus suis amplius numerentur. Secunda ex loco, vt si dominus propè litus esset passus naufragium, & postquam ad litus appulisset, de rebus suis recuperandis nullo modo curaret. Tertia ex tempore, vt si dominus res suas proiecisset in mare eo tempore, quo nullum grauis tempestatis periculum imminebat. Quarta ex modo proijciendi, vt si librum apertum proiecisset, cùm eundem clausum, & obsignatum proijcere posset. Quinta ex ipsa re, vt si res, quæ in mare proijcitur talis esset, vt statim esset peritura, verbi gratia si in mare proijcerentur vasa plena saccharo; vel si proijcerentur metalla, quæ propter grauitatem tendunt ad profundum. Vnde hæc accipi possent, quia pro derelictis videntur haberi. Ita Sayr. de cens. lib. 3. c. 8. nu. 9. Graf. 1. par. decis. aur. lib. 4. c. 14. nu. 74. quo loco docet etiamsi quispiam cum periculo vitæ suæ, puta natando talia bona acceperit, incidere in Bullam, & ad restitutionem teneri, nisi fortè ea essent breui peritura. Et clariùs Filliuc. tract. 16. & 6. de cens. in particulari cap. 64. num. 93. quo loco docet bona eiecta, & alioqui peritura non comprehendi in hac Bulla, & exemplum affert de saccharo, farina, libris, & fructibus. Cuius ratio est, quia talia bona, hoc ipso quòd proijciuntur, haberi solent pro derelictis, ex leg. falsum §. si iactum ff. de furtis. Quinimò subdit etiamsi dominus proijciens non habuerit illa pro derelictis; quoties tamen fuerunt peritura, nequè dominus vllo modo per se, aut per alium fuerit illa recuperaturus, illa eripientem è naufragio non affici hac censura, nequè ad restitutionem teneri; quia parum interfit, quòd dominus nō habuerit illa pro derelictis, cùm loco derelictorum ea debuerit habere. Sicuti qui res suas alioqui certò perituras, mallet perire, quàm in alterius manus venire, non propterea efficeret, vt si deuenirent, essent restituendæ: non enim Reipublicæ interest, vt re sua quis malè vtatur. Contrarium tamen sentit Bonacina de cens. in Bulla Cœnæ disp. cit. q. 5. p. 4. nu. 7. vers. verùm hæc quinta. Et hanc sententiam puto veriorem.

8 Bona

8 Bona incerta à Doctoribus dicuntur etiam ea,quę nunquam habuerunt dominum, qualia sunt gemmæ, coralium, venæ metallorum, & alia huius generis; vel si dominum habuerunt, nunc amplius non habent, qualia sunt thesauri. Propriè tamen dicuntur ea, quæ de præsenti dominum quidem habent, sed ignotum, qualia sunt bona inuenta, quorum dominus ignoratur, & quæ debentur ex iniusta acceptione, aut contractu, ita tamen, vt debitor ignoret dominum.

DIFFICVLTAS II.

De diligentia adhibenda pro domino inquirendo.

9 *Rem habens incertam tenetur tantam adhibere diligentiam pro domino inueniendo, quantam dictare potest prudentis arbitrium.*

10 *Si ante debitam diligentiam de bonis incertis disponat, tenetur ad nouam restitutionem.*

9 QVI rem aliquam habet, cuius dominus ignoretur, tenetur adhibere diligentiam pro domino inquirendo, quando, vbi, & à quibus ratio dictet dominum agnosci posse, secundùm prudentis arbitrium. Ita ex Caiet. Soto. Rebel. 1.par. lib. 2. de restitut.quæst.12.sect.3.Lessius lib.2.c.14. dub. 6. num. 31. ac demum Doctores omnes. Quę quidem diligentia eo maior esse debet, quo res est maioris momenti. Vnde si magni momenti sit, ea per multos annos erit adhibenda. Secùs tamen si nulla adesset spes inueniendi dominum, in hoc enim casu ad nullam diligentiam teneretur. Vt bene Syluest.v.restit.8. in principio, cùm nullus obligetur ad opus inutile.

10 Hinc est, vt si quis ante debitam diligentiam bona incerta conuertat in pia opera, si postea dominus cōpareat, illum teneri ad integram restitutionem, doceant cōmuniter DD. ex Lessio cit.Mol.disp.747.nu.4. propè finem, quo loco sic habet, qui ante cōpetentem diligentiam distribuit, tenetur postmodum facere competentem diligentiam pro domino inquirendo, ecquè reperto tenetur de suo restituere, quæ pauperibus distribuit. Zecch. casu 7. de cas. reser. Azor 3. par. lib.4. cap. 16. quæst. 1. Et ratio est, quia res non dicitur incerta, nisi post eam diligentiam, quæ pro rei qualitate est necessaria.

DIFFICVLTAS III.

Cuinam sit facienda restitutio.

11 *Bona incerta alia debita sunt ex contractu, alia ex delicto, alia sunt inuenta.*

12 *Incerta, & debita ex delicto distribuenda sunt in pauperes de iure positiuo, aut consuetudine.*

13 *Idem dicendum de ijs,quæ sunt debita ex contractu.*

14 *Doctores plurimi existimant ea esse in pauperes distribuenda iure naturæ.*

15 *Author negat.*

16 *Cessante lege, aut consuetudine bona incerta non sunt distribuenda pauperibus.*

17 *Quid dicendum de bonis inuentis.*

18 *Pauperibus sunt distribuenda, vel ad capsam incertorum deferenda.*

IN præsenti difficultate non agimus de ijs bonis, quæ nunquam habuerunt dominum, qualia sunt lapilli prætiosi, venæ metallorum, & similia; neq;de ijs,quæ si habuerunt dominum,

nunc tamen non habent, qualia sunt thesauri, & alia bona vacantia, sed de ijs bonis, quæ dominum quidem habent, sed tamen ignotum.

11 Aduertendum ex his bonis incertis alia esse, quæ ex contractu sunt debita, puta ex deposito, commodato, mutuo, venditione. Alia esse, quæ debita sunt ex delicto, vt contingit, cùm in emptionibus multi ratione falsati ponderis defraudantur. Alia esse quæ sunt inuenta.

12 Respondeo primò bona incerta, quæ debita sunt ex contractu, aut delicto, de iure positiuo, aut consuetudine esse distribuenda in pauperes, vel ad capsam incertorum deferenda, iuxta consuetudinem, vel decreta locorum. Ita Med. cod. de restit. q. 3. Nauar. cap. 17. num. 92. & 93. Azor lib. 4. c. 26. Less. l. superiùs cit. num. 33., qui asserit esse communem Doctorum.

Et quidem de incertis debitis ex delicto probatur responsio ex cap. cum tu, de vsur. Vbi Alexander III. præcipit, vt ea, quæ per vsuras fuerunt comparata, si non supersunt hæredes eorũ, quibus debentur, distribuantur pauperibus, & vsurarij eorumq; hæredes ad huiusmodi distributionem cogantur pœnis Ecclesiasticis. Vnde est, vt Doctores communiter hoc idem, quod de vsuris fuit decretum ab Alexandro III. extendant ad incerta, quæ ex alijs delictis sunt debita, puta ex furto, rapina, damno dato, & alijs iniustis contractibus. Hocquè meritò, ne videlicet homines iniurijs, & delictis suis possint ditescere, & locupletari.

De incertis verò debitis ex contractu, qualia sunt ea, quæ debentur ex mutuo, commodato, deposito, venditione, potior est difficultas, ex eo quòd nullum adsit præceptum obligans ad illorum restitutionem.

13 Respondeo tamen præcisò decreto de illis ad capsam incertorum deferendis, extare cõsuetudinem obligantem ad illa pauperibus restituenda. Quidquid in contrarium sentiat P. Nauar. lib. 4. de restit. cap. 2 num. 76. asserens post adhibitam debitam diligentiam, pro domino inueniendo, & non inuento, posse huiusmodi bona retineri ab ipso debitore.

14 Dixi autem in responsione bona incerta distribuenda esse in pauperes iure positiuo, aut consuetudine. Et ratio est, quia non modica est difficultas, vtrùm etiam iure naturæ, ea sint distribuenda pauperibus. Ac sane Doctores plurimi, quinimò ferè omnes, qui asserunt bona incerta esse distribuenda pauperibus, asserunt etiam deberi iure naturæ; dicunt enim ideo hęc esse restituenda pauperibus, quia debitor iure naturæ tenetur hæc restituere eo modo, quo potest, vt si ipsæ res non possint ad dominum prouenire, saltem earum vtilitas perueniat. Atqui hoc fit, si pauperibus distribuantur, ergo iure naturæ sunt pauperibus distribuenda. Verùm hęc ratio tantùm probat iure naturali esse quidem conueniens, & optimum consilium, si pauperibus distribuantur; nòn verò probat iure naturali esse distribuenda in pauperes, secundùm leges iustitiæ, ita vt iustitiæ lex ad restitutionem obliget, nisi in pauperes dispensentur.

15 Quare eius sum sententiæ, vt putem, bona incerta non esse iure naturæ distribuenda pauperibus. Quod probatur primò, quia fieri potest, vt dominus mortuus sit in peccato mortali, vel in hæresi, aut infidelitate, in quo casu distributio ea non potest illi prodesse. Tum quia si res incertæ ex lege naturali deberentur pauperibus, lex hæc vtpotè naturalis vbiquè vigeret,

ret, ac proinde etiam apud Ethnicos. Tum quia in quibusdam partibus Fiscus occupat eorum bona, qui moriuntur ab intestato, neq; relinquunt heredem intra decimum gradum. Ergo signum est hæc non deberi pauperibus iure naturali, alioqui intolerabilis esset lex. Demum verò si hoc verum esset, non posset Summus Pontifex facere compositionem cum debitore bonorum incertorum. Ergo signum est ea iure naturali non spectare ad pauperes. Ita Less. l.cit.num.37. Azor superiùs cit.

16 Vnde inferas cessante lege positiua, aut consuetudine, quæ habet vim legis, bona incerta esse quidem restituenda, non tamen esse pauperibus distribuenda. Sic ius naturale dictat homicidas, fures esse puniendos, non tamen dictat hac, vel illa pœna esse puniendos, sed hoc liberum relinquit Principi, vel Reipublicæ. Quare si bona hæc pauperibus debentur, ex iure tantùm positiuo, seu ex consuetudine debentur, non verò ex iure naturæ. Vnde est, vt non improbabilis sit sententia Petri Nauarri, seclusa quacunq; particulari cõstitutione asserentis bona illa incerta, quæ debentur ex contractu, posse tanquam adespota post diligentẽ inquisitionem retineri. Quòd si quis illi objciat rem esse restituendã eo modo, quo potest; quare si non possit dominus inueniri, vel eius hæres, ad quem pertineat, eam esse ita restituendam, vt illius animæ prosit. Respõdet teneri quidem possidentem rem incertam procurare, vt ea, vel eius pretium, seu vtilitas temporalis perueniat ad dominum, non tamen teneri procurare, vt si vtilitas temporalis peruenire ad dominum non potest, perueniat spiritualis. Verùm hæc Petri Nauarri sententia nõ potest admitti, cùm in nostra Diœcesi incontrarium obstet decretum de huiusmodi bonis ad capsam incertorum deferendis.

17 Restat modo difficultas quid dicendum de bonis inuentis, de quibus Sotus lib.5.de iustit.quæst.3.art.3. ad 2. ita respondet, videlicet posse inuentorem post adhibitam debitam diligentiam pro domino inueniendo, nec inuento, ea sibi retinere, etiamsi pauper non sit. Eandemq; sententiam sequitur P.Nauar. l.superiùs cit. nu.75. Sarmient. lib. 6. select. cap. 10. P. de Aragonio in 2.2. quæst.62. art.5. Et probabilem vocat Less. cit. num.48. in fine.

18 Respondeo tamen etiam hæc esse pauperibus distribuenda, vel capsę incertorum deferenda iuxta consuetudinem, vel decreta locorum; dummodo prius fuerit adhibita diligentia pro domino inueniendo. Ita Syluest.v.inuentum num. 2. qui asserit omnes Canonistas ita sentire. Nauar. cap.17.nu. 170. Couar.ad reg. peccatum 3.pa.§.1. num.1. Azor 3.par.lib.4.cap.27. Regin. tom.1. lib.10.cap.14. num.194. Rebel. par.1. lib.2. quæst. 12. sect.1. Less. l. cit. dub.7. Et est ferè communis Doctorũ; eademq; in praxi est sequenda. Primò quia fauet pietati. Secundò quia videtur hæc esse voluntas Domini, vt sic res sua illi aliquo modo prosit. Demum verò propter decreta nostræ Diœcesis.

DIFFICVLTAS IV.

Quinam veniant nomine pauperum.

19 *Nomine pauperum non solùm veniũt pauperes mendici, sed etiam loca pia, & ij, qui indigent rebus necessarijs ad congruum victum. Animæ item in Purgatorio.*

20 *Item venit is, qui victum quærit labore suo.*

21 *Item is, qui non habet vnde sibi consulat secundùm suam conditionem, & statum.*

22 *Demum venit omne opus pium.*

19 RESpondeo intelligi non solùm pauperes mendicos, sed etiam loca pia; qualia sunt Hospitalia pauperum, Monasteria, Ecclesię luminaribus, ornamentis, aut rebus similibus indigentes.

Pariter venire eos, qui indigēt rebus necessarijs ad congruam, & decentem suæ vitæ sustentationem. Ita Nauar. c. 17. num. 93. Regin. lib. 10. nu. 196. Azor lib. 4. c. 26. in fine. Animas item in Purgatorio existentes, quæ ad nos clamant, Miseremini mei. Vnde si quis haberet bona incerta, præciso decreto illa deferendi ad capsam incertorum, posset illa expendere pro Missis dicendis pro Animabus Purgatorij.

Hinc est, vt semel à quodam Parocho consultus, qui ex longa omissione officij canonici, non modicam fructuum obligationem contraxerat fabricæ beneficij, aut pauperibus restituendorum, vt patet ex Concilio Lateranensi sub Leone X. Et ex Bulla Pij V. edita 12. Calend. Octobris 1571. quę incipit, ex proximo Lateranensi Concilio salubris sanctio emanauit, responderim suæ obligationi satisfacere posse celebrando Missas, vel alia suffragia offerendo pro Animabus Purgatorij; cùm etiam eæ veniant nomine pauperum. Id quod docet Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. de horis canon. c. 30. num. 18. Filliuc. tract. 23. cap. 10. q. 9. nu. 324. Bonac. de horis canon. d. 1. q. 5. pun. 4. nu. 4. Eidemq; vlteriùs inquirenti an ijsdem sacrificijs, quæ Dominicis diebus pro ouibus suis offerebat, existimanti se tali onere esse obstrictũ, huic obligationi satisfaceret, responderim affirmatiuè, nixus ea sententia, quam in tractatu de sacrificio aliàs docui cum Vasq. Conin. Nald. Fraxinel., & alijs, præcisa omni alia obligatione extrinsecùs adueniente, & attenta sola ratione beneficij Curati, Parochum nunquam teneri applicare sacrificium pro suis ouibus.

20 Pariter nomine pauperum venire etiam eum, qui victum potest quærere, aut quærit labore suo. Ita Bald. in l. paupertas ff. de excus. tutorum, & Iason in l. nisi constante ff. de solut. matri. Hinc est vt Marcus Ant. Genuens. in suis practicabil. Eccles. trincen. 13 q. 387. nu. 2. doceat legatum relictum pro puella paupere maritanda deberi etiã illi, qui ex labore suo viuat.

21 Pauperem etiam dici eum, qui non habet vnde sibi consulat secundum suam conditionem & statum. Vnde Iacob Mandel l. 1. cons. 69. nu. 7. ex Bald. in l. si quis ad declinand. colum. 2. vers. circa tertium, cod. de Episc. & Clericis, sub nomine pauperis, intelligit nobilem, cui imminet onus dotandi filias, & eas dotare non potest; licèt habeat vnde illas alere possit. *Et ita* ex Theologis sentiunt Mol. de iustit. tract. 2 d. 747. num. 1 Pet. Nau. de rest. l. 4. c. 2. nu. 50. Nauar. in man. c. 17. num. 93. Vasq. in opusc. de restit. c. 5. §. 4. dub. 1. nu. 6. & 12. Regin. in praxi tom. 1. l. 10. c. 14. num. 197.

22 Demum verò nomine pauperis venire etiam omne opus pium docet Petrus Nauar. loco cit. num. 46. Rebel. 1. par. l. 2. de restit. q. 2. nu. 13., proindeq; etiam Monasteria Religiosorum, & Religiosos ipsos, vt bene Io. And. in cap prim. in nouel. de testam. l. 6., & Imola in leg. captatoriæ; in fine, de legibus 1.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm in distributione rerum incertarum sit eligendus pauperior.

23 *Refertur sententia affirmans.*
24 *Author negat.*

23 IN simili casu respondent affirmatiuè Io. Valer. in suis differ. vtriusquè fori. v. elect. differ. 2. num. 4. in fine, quo loco disputans an Confessarius cui à tertia persona in articulo mortis fuit relicta certa summa pecuniarum pauperibus distribuenda, teneatur eligere pauperiorem, respondet dictum Confessarium peccare saltem venialiter eligendo pauperem, si alius sit pauperior. Idemquè docet si eleemosina sit relicta pro puellis pauperibus maritandis.

24 His tamen non obstantibus respondeo non esse eligendum pauperiorem, proindeq; habentem res incertas; præciso decreto de illis deferendis ad capsam incertorum, satisfacere suæ obligationi si pauperibus distribuat. Ita Bart. in l. vnam ex famil. §. in fine de leg 2. Bald. in leg cum quidam, ad finem, de legatis 2. Emman. Card. Franc. Mant. de coniect. vltimar. volunt. l. 8. tit. 5. num 6. quo loco sic habet. Notandum est, quod is cui committitur electio pauperum, non habet necesse eligere pauperiorem, nam locus est gratificationi, nec peccat, qui vnam pauperem alteri præfert. Ac demum Mol. de rest. d. 747. vers. vtrùm autem necesse sit.

DIFFICVLTAS VI.

Titius pauper habet res incertas. Quæritur an possit illas sibi tanquam pauperi applicare.

25 *Responsio est affirmatiua.*
26 *Id verum est etiamsi bona incerta fuissent ex delicto acquisita.*
27 *Quid si post applicationẽ is fieret ditior.*

HÆC etiam difficultas à nobis instituitur, præciso decreto in Synodo Diocesana 11. contento, vi cuius diximus iudicium distribuendi res incertas in nostra Diœcesi ad Ordinariũ spectare, easq; ad capsam incertorum esse deferendas. Et quærimus an si pauper illas inueniat, possit post præmissam debitam diligentiam pro domino inueniendo illas sibi tanquam pauperi applicare.

25 Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia inuentor non debet esse peioris conditionis, quàm alij pauperes. Ita Scotus d. 15. q. 3. Caiet. q. 62. art. 5. Less. l. 2. c. 14. dub. 6. nu 41. Eandemq; sententiam sustinere tenentur P. Nauar. & alij in difficultate 3. citati, qui absolutè docent, sicut thesaurus, & alia similia iure naturæ, ac humano iure secluso sunt inuentoris, ita etiam post præmissam debitam diligentiam pro domino inueniendo, eoq; non inuento, fortunati inuentoris res incertas, debere esse.

26 Addo id verum esse, etiamsi bona incerta fuissent ex delicto acquisita, adhuc enim paupertas esset ratio sufficiens, cur posset sibi illa applicare; licèt ratione delicti commissi mereretur iisdem priuari. Ita Less. cit.

27 Dices quid si post applicationem ditior euaderet, teneretur ne illa alijs pauperibus restituere.

Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia illa sibi titulo paupertatis appli-

cando benè dicitur illa distribuisse iuxta generalem intentionem eius, ad quem spectat hæc bonorum incertorum distributio, Pontificis videlicet, & domini incerti. Ita Less. cit. num. 42. Caiet. 2.2. q. 62. art. 5. Vasq. de rest. c. 5. dub. 1. nu. 10. Azor l. 4. c. 26. quæst. 2.

DIFFICULTAS VII.

Titius habens rem incertam, sibi tanquam pauperi illam applicauit. Quæritur an si post applicationem, compareat dominus, teneatur ad illius restitutionem.

28 *Refertur sententia negans.*
29 *Cum distinctione respondet Author.*
30 *Quid si res incerta fuisset ex delicto acquisita.*
31 *Quid si post debitam diligentiam res incerta fuerit alteri pauperi applicata.*
32 *Quid si extet decretum vt distributio fiat per Episcopum, vtrùm applicans sibi rem incertam illius dominium acquireret.*
33 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ.*

28 RESpondet negatiuè Henriq. de indulg. c. 34. nu. 8. quo loco sic habet. Quo ita facto (idest facta applicatione) non tenebitur postea domino reperto satisfacere, ratione acceptionis iniustę (cum culpa sit purgata per diligentiam, & applicationem legitime factam) nec ratione rei acceptæ, in qua factus est ditior, quia eo facto acquisiuit dominium rei. Addi etiam ea potest ratio ad sententiam hanc suadendam, quòd dum res fuit applicata pauperi, censetur in vtilitatem domini restituta, & dominus tenetur huiusmodi restitutionem ratam habere. Atq; hoc idem docet Bonac. disp. 1. de restit. q. 3. pun. 4 nu. 18. Et hæc sententia est probabilis.

29 Ego verò respondeo cum distinctione. Vel enim res, quam dictus Titius sibi tanquam pauperi applicauit, adhuc extat, vel non extat. Si ea extet in se, aut in pretio, tenetur illam restituere domino comparenti. Et ratio est, quia tenetur ratione rei acceptæ, neq; est in tanta necessitate, vt suppono, vt illam possit sibi retinere. Si verò non amplius extet, nec in se, nec in pretio, ad nihil tenetur; non ratione rei acceptæ, vt potequæ non amplius extet: nec ratione iniustæ acceptionis, cùm bona fide illam consumpserit; possessor autem bonæ fidei tenetur tantùm ad restitutionem rei extantis, & ad id in quo factus est ditior, vt aliàs docuimus cum de restitutione in genere, ac expresse docent communiter Doctores.

30 Dices quid si res illa incerta ex delicto fuisset acquisita: puta si dictus Titius minutis furtis rem illam incertam acquisiuisset, ac demum post debitam inquisitionem animo restituendi factam, sibi tanquam pauperi applicasset, & consumpsisset; teneretur ne illam domino comparenti restituere.

Respondeo negatiuè, dato quòd in nulla re factus esset ditior. Et ratio est allata, quia nec teneretur ratione rei acceptæ, vt potequæ non amplius extaret nec in se, nec in pretio. Nec ratione iniustæ acceptionis; quia culpa omnis iam esset absterfa per voluntatem restituendi, per diligentem inquisitionem pro domino comperiendo, & per actualem restitutionem, quam sibi tanquam pauperi fecisset. Tum quia si dictus Titius rem illam incertam ex de-

licto acquisitam post diligentem inquisitionem pro domino inueniendo alteri pauperi applicasset, non teneretur ad restitutionem, vt patebit inferiùs; Ergo nec tenebitur si sibi illam applicauerit, consumpseritq;. Ita Less. lib. 2. cap. 14. dub. 6. num. 43.

31 Ex quibus inferas quid dicendum de re incerta, quam quis alteri pauperi post debitam diligentiam distribuerit, ad nihil enim tenetur: non ratione rei acceptæ, vt potequæ non sit amplius in illius potestate: nec ratione iniustæ acceptionis, quia licèt illam iniustè accepisset, tamen culpa omnis esset absterſa per restitutionem factam tali pauperi, eo modo quo potuit, & fieri debuit in tali casu. Ita Less. cit. noster Bonac. l. cit nu. 17. Si tamen apud pauperem extaret, teneretur ad illius restitutionem, modo superiùs dicto. Ita Mol. de restit. d. 746. in fine. Distributio enim rerum incertarum semper fit cum tacita conditione, si non compareat dominus, antequam eæ consumantur, vel alienentur ab ipsis pauperibus, qui illas in eleemosynam acceperunt. Si tamen pauper bona illa incerta in eleemosynam accepta alienasset, ita vt apud alterum extarent, non teneri illum alterum, comparente domino ea restituere docet Mol. cit. & benè. Et ratio est, quia esset irrationabilis, & iniqua conditio, si ita traderentur in eleemosynam, vt etiam postquam ritè alienata essent à pauperibus, aut ad aliud opus pium conuersa, adhuc essent restituenda domino cõparenti, maximè si titulo oneroso fuissent tradita.

32 Demum verò addo hæc omnia vera esse, etiam stantibus constitutionibus quibus in Diœcesi Mediolanensi cautum est, vt distributio rerum incertarum fiat per Episcopum; licèt enim dictus Titius peccasset applicando sibi res incertas, tamen illarum dominium per applicationem acquisiuisset, quia accepisset bona, quæ pauperibus debebantur. Ita Bonac. disput. 1. de restit. quæst. 3. pun 4. num. 14.

33 Ad rationes nu. 28. allatas pro contraria sententia respondetur. Et quidem ad primam dicendo per applicationem factam pauperi non illicò transferri dominium in pauperem, nisi fortè res ea possideatur tempore necessario ad vsucapionem.

Ad secundam dicendo teneri dominum habere ratam illam applicationem, quo ad vsquè rem suam non inueniat: atsi inueniat, non teneri illam habere ratam, quia cum hac tacita conditione fiat applicatio, vt si dominus compareat res sua illi restituatur.

DIFFICVLTAS VIII.

An possit Episcopus sibi reseruare restitutionem rerum incertarum.

34 *Refertur sententia negans.*
35 *Referuntur fundamenta huius sententiæ.*
36 *Author affirmat.*
37 *Tribus modis potest Episcopus reseruare sibi res incertas.*
38 *Episcopus potest sibi reseruare distributionem rerum incertarum.*
39 *An possit Episcopus reseruare hanc distributionem etiamsi nulla intercesserit culpa.*
40 *Sententia Authoris.*

34 IN huius difficultatis solutione duabus sententijs distrahuntur Doctores plurimi. Aliqui enim existimant Episcopum nullo modo posse sibi reseruare distributionem rerum incer-

cer-

certarum. Ita Rosella v. restit. 15. §. 2. Sylu. v. rest. 8. quæst. 5. & 6. Angel. v. eodem tit. 2. §. 14. Tabiena v. eodem q. 38. qui D. Tho. citat, itemq; Io. Calder. in quodam suo consilio, & Fratrem Clarum asserentes Episcopum non posse excommunicare Sacerdotes impedientes se de incertis. Atquè hanc eandem sententiam docet Gabriel. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3. dub. 4. proposit. 1. vbi habet ad Episcopum non pertinere incertorum restitutionem, nisi aliquo casu excepto, neq; sibi posse distributionem illorum reseruare per statutum Synodale, decere tamen, vt restitutio fiat pauperibus loci, cuius verisimile sit fuisse verum dominum, cùm ita contingere possit, vt bona ad suum verum dominum redeant. Io. Medina de restit. q. 3. causa. 10. Nauar. in man. cap. 17 nu. 92. Molina de restit. d. 747. vers. quòd verò attinet, quo loco addit in aliquibus tantùm casibus Episcopum posse sibi vendicare munus distribuendi talia bona.

Primus est quando is, qui illa distribuere tenebatur mortuus esset, nequè vllum reliquisset hæredem, suæquè voluntatis executorem.

Secundus est, quando is, qui ea bona teneret esset suspectus, ac de eo verisimiliter timeri posset non esse restituturum: qua ratione Cap. cum de Iud. præcipitur, vt malè parta per Iudæum, quæ inter pauperes erant distribuenda, Diœcesani arbitrio distribuantur.

Tertius, quando is qui teneretur restituere, mala fide restitueret, puta largiendo amicis, aut non indigentibus, tunc enim cogi posset per Episcopum ad tantundem restituendum, quia non intelligitur factum, quod aliter factum est ac debuit fieri, de reg. iur., qui in timore.

35 Ea autem potissimùm ratione nititur hæc sententia, quòd sicuti Episcopus non potest me inuito ius meum ad se transferre, & efficere vt sit suum; ita nec potest ad se transferre onus meũ, quod videlicet lex Diuina mihi, aut naturalis imponat. Atqui mihi debitori rei incertæ lex naturalis imponit onus restituendi. Ergo non potest Episcopus me inuitum hoc onere liberare, atquè illud ad se conuertere.

36 Quidquid tamen asserant Doctores hi: certissimum illud nobis esse debet Episcopum posse sibi reseruare distributionem rerum incertarum. Ita Hostiens. in cap. Cùm sit, de Iud. quem sequitur Glos. in cap. si Epis. de pœnit. & remiss. lib. 6. Eandemq; sententiam tueri videtur Ricard. in 4. d. 15. art. 5. q. 4. ad 2. arg. quo loco agens de rebus incertis restituendis sic habet, dicendum, quòd in illo casu illud quod restitui debet, erogari debet pauperibus authoritate Ordinarij, qui est pauperum pater, vbi consuetum est per Ordinarium talia fieri; quod ideo dico, quia per ius scriptum non interdicitur illi, qui restituere tenetur in prædicto casu erogare pauperibus per se ipsum, si hoc faciat fideliter, & de consilio bonorum Bonac. de restit. disp. 1. q. 3. p. 4 num. 13.

47 Pro clariore autem intelligentia aduertendum tribus modis posse intelligi hanc reseruationem rerum incertarum.

Primò ita vt cadat supra ipsos debitores, & detentores rerum incertarum, quibus Episcopus velit impedire, quo minus ea bona quæ tenent, distribuere possint pauperibus, & munus hoc sibi reseruare. Quam sententiam sustinent Hostiens. Ricard Bonac. cc.

Secundò reseruatio hæc intelligi potest, ita vt afficiat eos, qui vel in vsurpatione rerum incertarum, vel in

earum

earum restitutionis dilatione mortale peccatum commiserint, proindeq; ab hoc peccato absolui non possint, nisi adeant Superiorem: quem modum tenet Mol.l.cit.nu.4.asserens, licèt Episcopus non possit se intromittere in distributionem rerum incertarum, posse tamen reseruare sibi absolutionem culpæ lethalis, quam earum detentores commiserint. Idemquè tenet Rebel.par.1.lib.2.de rest.q.12 n 24 & 25.

Tertiò demum intelligi potest hęc reseruatio, ita vt afficiat etiam Confessarios, quibus adimat facultatem de rebus incertis dispensandi, & hoc fortè, vt ea incommoda euitarentur, quæ ex Confessariorum vel auaritia, vel inscitia oriri poterant. Dispositio enim rerum incertarum, si illis fuisset cõcessa, vel eas aliquando nimis auari vsurpassent; vel certè ignari, & rudes minus rectè circa illarum dispositionem consuluissent.

38 Respondeo ergo primò Episcopum reseruare sibi posse distributionem rerum incertarum. Ita Doctores pro secunda sententia relati. Hocquè probat primò praxis, cùm omnes Ordinarij sibi casum hunc reseruent. Tùm verò decreta superiùs citata, quæ cùm Superiorum sint, non sunt temerè carpenda. Quinimò addit Graff. in praxi lib.2.cap.33. num.12. casum hunc esse vnum ex casibus de iure Episcopis reseruatis.

39 Potior difficultas est de modo, quo intelligi potest hæc reseruatio, vtrùm videlicet hæc locum habeat tãtùm, quando intercedit culpa lethalis ipsius Pęnitentis, quam commiserit per dilationem huius restitutionis, quo modo sentiunt Molina, & Rebel. cc. an verò locum habeat etiamsi nulla culpa Pęnitentis contingat, ita vt non tantùm reseruata culpa dicatur, sed etiã iudicium distribuendi res incertas.

40 Respondeo secundo reseruationem hanc tribus modis superiùs recensitis esse intelligendam; videlicet, vt primò afficiat Pœnitentem, & retentorem rerum incertarum, quoties peccatum mortale commiserit in illarum vsurpatione, vel dilatione restitutionis. Secundò afficiat eundem, quatenus eidem facultatem adimit talia bona dispensandi, & distribuendi pauperibus. Tertiò afficiat etiam ipsum Cõfessarium, cui facultatem neget res incertas distribuendi. Et hoc patet ex verbis Syn.Diœces.11. superiùs cit. ibi, quo ad iudiciũ faciendum attinet &c.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam incidant in hanc reseruationem.

41 *Incidit in casum, qui bona incerta detinens, illa non restituit.*

42 *Pariter is, qui rem alienam cùm malâ fide possidere incœperit, eò tandem deuenit vt dominum ignoret, nec restituit.*

43 *Pariter qui rem inuentam sibi tanquam pauperi applicat.*

44 *Item qui res incertas inconsulto Superiore pauperibus distribuunt.*

45 *Excusari tamen ab hac reseruatione posset ob ignorantiam constitutionis editæ de rebus incertis ad capsam deferendis.*

46 *Vtrùm is, qui rem incertam vltro pauperibus distribuisset, teneretur de suo restituere.*

47 *Incideret in casum is, qui res incertas pauperibus distribueret inconsulto Ordinario, etiamsi ad id fuisset à testatore electus.*

48 *Id tamen verum esset quoties constaret summam illam pauperibus deberi titulo rei incertæ.*

41 Res-

41 RESpondeo primò incidere eos, qui bona incerta detinentes adhibita sufficienti diligentia pro domino illorum inueniendo, & non inuẽto, illa non restituant. Et ratio est, quia verè dicuntur incertorum detentores.

42 Secundò incidere eos, qui cùm res alienas mala fide possidere incęperint, postmodum eò deuenerunt, vt illarum rerum dominum ignorent, nec restituunt. Exempla esse possunt de Macellario, Sartore, & alijs venditoribus, qui modo huic, modo illi aliquid subtrahentes, ad summam rei notabilis perueniant, cuius dominus propter multitudinẽ ementium omninò ignoretur: summa enim hæc venit nomine rei incertæ, eiusq; distributio ad Ordinarium spectat.

43 Tertiò incidere in hanc reseruationem eum, qui rem alienam inuenerit, & præmissa sufficienti diligentia pro eius domino inueniendo, nec inuento, eam postmodum sibi applicauerit, cùm esset pauper. Et ratio est, quia vt patet ex verbis Synodi 11. cit. in principio huius capitis, reseruatio hæc non solùm cadit supra culpam Pœnitentis detinentis res incertas, sed etiam supra dispositionem illarum, quam sibi Episcopus reseruauit. Quidquid in contrarium sentiant Doctores in superiori quæstione, difficultate vltima citati.

44 Quartò incidere in casum etiã eum, qui res incertas premissa, & facta sufficienti diligentia pro domino inueniendo, nec inuento, ipse demum spontè pauperibus distribuerit. Et ratio est eadem, quæ in superiori illatione fuit allata, quia nimirum Ordinarius non solùm sibi reseruauit absolutionem à culpa commissa in detentione, vel vsurpatione rei incertæ, sed etiam distributionem ipsam, ita vt iudicium, cuinam personæ pauperi res incertæ sint distribuendæ, tam Pœnitenti, quàm Cõfessario ademerit, & sibi tantùm reseruauerit. Quæ doctrina primò colligi potest ex verbis reseruationis, quæ habentur in Synodo 11. cit. & mox examinabuntur. Tum verò ex praxi, & stilo huius nostræ Ecclesiæ Mediolanensis, quem ita esse testati sunt hac de re à me consulti grauissimi viri, atquè in studio casuum conscientiæ versatissimi.

45 Intellige tamen hoc verum esse, dummodo ex parte Pęnitentis non adesset ignorantia inuincibilis, quæ illum, & ab omni culpa, & ab omni reseruatione excusaret. Si enim incertorum detentor, debita præmissa diligentia pro domino inueniendo, nec reperto, vltrò ea pauperibus distribueret, putans se benefacere, porro ille ab omni reseruatione esset immunis, vtiliter enim incerta distribuisset, nesciens de reseruatione, seu lege à Superiore lata de incertis ad eum deferendis. Vt hoc idem docuimus in disput. 1. huius tractatus, q. 2. diff. 5. nu. 17.

46 Dices quid si rei alienæ inuentor, debita præmissa diligentia pro domino inueniendo, nec inuento, *vltrò* eam pauperibus distribueret; dato quòd in reseruationem incidat, quia incertorum distributio Superiori sit reseruata, vtrum modò teneatur inuentor restituere, & quidem de suo, quandoquidem res illas pauperibus ipse distribuit, quas non poterat distribuere.

Respondeo incidere quidem in reseruationem, incerta distribuendo, inconsulto Episcopo; verùm non teneri de suo ad denuò tot restituenda Episcopo, quot pauperibus ipse distribuerit. Et ratio est, quia hic nulla intercessit violatio iustitiæ, cùm verè illis distribuerit, ad quos res incertæ spectabant,

ſtabant, & qui ad illas ius habebant, quales ſunt pauperes; Epiſcopus enim ſi ad incerta ius habet, ius hoc non eſt de illorum vſu, ſed tantùm de illorum diſtributione. Ita Bonac. diſp. 1. de reſtitut. q. 3. p. 4. num. 14. quo loco habet pauperem propria authoritate ſibi applicantem res incertas, illicitè quidem applicare, ſed tamen illarum dominium ſibi comparare.

Confirmatur hæc ſententia ex caſu ſimili de compenſatione: ſi enim lata ſit excõmunicatio contra eos, qui ſurripuerunt, non comprehendi eum, qui in compenſationem aliquid acceperit, etiamſi alia via recuperare potuerit, docet Leſſius lib. 2. cap. 12. dubit. 10. num. 16. cuius ratio eſt, quia licèt peccauerit quoad modum accipiendi, nõ tamen peccat quoad rem, puta retinendo. Ita in noſtro caſu, licèt is qui inconſulto Superiore res incertas pauperibus diſtribuit peccet quoad modũ diſtribuendi, non tamen peccat quoad rem, cùm illis diſtribuat, quibus debentur; & ſic nõ tenetur ad reſtitutionem.

47 Quintò incidere in caſum etiã eum, qui res incertas vltrò pauperibus diſtribuat, nulla habita diſpenſatione per ordinarium, etiamſi ad id à teſtatore aliquo fuiſſet ſpecialiter deputatus, qui ſummam aliquam pecuniæ reliquiſſet reſtituendam pro malè ablatis, quorum dominum neſciret. Et ratio eſt, quia illa ſumma venit nomine rei incertæ, proindeq; eius diſtribuendæ iudicium Ordinario eſt reſeruatum.

48 Intellige tamen hoc verum eſſe, dummodo ex teſtamento conſtaret eam ſummam relictam eſſe à teſtatore pro anima ſua, ad hoc vt debito illi ſatisfaceret, quod contraxiſſet per fraudes adhibitas in pretio, menſura, vel pondere, ita vt poſtmodum dominus ignoraretur; vel certè pro rebus inuentis, ad quarum reſtitutionem teſtator ipſe teneretur; ſi enim ſimpliciter pro anima ſua reliquiſſet centum pauperibus diſtribuenda, nulla alia facta mentione; tunc certum eſſet huius voluntatis impletionem ad executorem eum ſpectare, quem ſpecialiter teſtator reliquiſſet. Quòd ſi nullum reliquiſſet, ſpectare ad Diœceſanum, vt cõmuniter docent Doctores, eo quòd talis diſpoſitio veniat nomine legati pij, ſeu ad pias cauſas facti; legata autem pia tunc tantùm per Epiſcopum diſtribuenda ſint, quando per teſtatorem non fuit deſignata certa perſona.

QVÆSTIO TERTIA

Quinam excuſentur ab hac reſeruatione.

49 *Excuſatur is, qui res incertas poſt adhibitam debitam diligentiam pro domino inueniendo, eoq; non inuento ad Superiorem defert.*

50 *Item is, qui rem alienam detineret cuius dominum ignoraret, ſed tamen illius inueniendi probabilem ſpem haberet.*

51 *Item qui poſt adhibitam diligentiam necdum eſt in mora ad reſtituendum.*

52 *An per reſtitutionem tollatur reſeruatio.*

53 *Sententia affirmans eſt probabilis.*

54 *Negans eſt probabilior, & in praxi conſulenda.*

55 *Qui propter impotentiam non poteſt reſtituere, idonea ſponſione obligandus eſt ad reſtitutionem.*

56 *An poſt terminum tranſactum ſi non reſtituat, quia duret eadem impotẽtia, incidat in nouam reſeruationem.*

57 *Integrum eſt Confeſſario remittere ſummam viginti aſſium ob paupertatem Pænitentis.*

58 *An*

58 *An id verum sit non solùm in rebus inuentis, sed etiam in ijs, quæ per fraudem fuerunt acquisitæ.*

49 Respondeo primò excusari eũ, qui res incertas habens, præmissa statim debita diligentia pro domino inueniendo, nec inuento, eas illico ad Superiorem deferat. Et ratio est, quia neq; dicitur fuisse in mora ad restituendum, ratione cuius culpã contraxerit Superiori reseruatam; nequè sibi illas applicauit, vel pauperibus distribuit, sed earum distribuendarum iudicium soli Superiori reliquit.

50 Secundò non incidere eum, qui mortaliter peccauit res alienas, quarũ dominum ignoraret, occupando, vel retinendo, dummodo tamen probabilem spem haberet dominum inueniendi: & modicam, aut nullam diligentiam adhibuit pro eo inueniendo. Et ratio est, quia eæ nondum veniunt nomine rerum incertarum, & sicuti necdum sunt debitæ, vt pauperibus distribuantur, ita necdum ad Superiorem sunt deferendæ. Vt enim patet ex verbis Synodi 11. non priùs ad capsam incertorum sunt deferendæ, quàm diligenter inuestigatum fuerit de earum domino, cùm id cedere possit in domini præiudicium. In hoc ergo casu, quoties spes probabilis esset reperiendi proprium dominum, licèt præcessisset mortale peccatum in illis diutiùs retinendis, absolui tamen posset Pœnitens à quocunquè Confessario, dummodo firmiter statueret se adhibiturum debitam diligentiam, pro domino inueniendo, & restituturum tempore congruo. Ita Mol. disp. 747. num. 4.

51 Tertiò non incidere eum, qui rei incertæ detentor, debitam statim adhibeat diligentiam pro domino inueniendo, qua adhibita confiteatur, ita tamen, vt necdum dicatur esse in mora ad restituendum: tunc enim à quocunq; Confessario posset absolui, dummodo haberet propositum incerta restituendi, & ad Superiorem deferendi. Et ratio est, quia in hoc casu tunc tantùm dicitur habere locum reseruatio, quando vel Pœnitens peccatum mortale commisit in occupatione, aut detentione incertorum; vel certè quando inconsulto Episcopo ipse vltrò pauperibus ea distribuit. Sed hic nulla intercedit culpa ex parte Pœnitentis, vt suppono, cùm neq; peccauerit mortaliter ea occupando, eo quòd illa inuenerit; nequè detinendo, cùm non dicatur in mora ad restituendum; nequè pariter intercedit culpa vlla ratione distributionis. Ergo nulla intelligitur reseruatio. Posset igitur à quocunquè Confessario absolui, dummodo propositum haberet illa ad Superiorem deferendi, quamprimum commodè posset.

52 Grauior tamen hoc loco super. est difficultas, an si quis mortaliter peccauerit in retinenda re incerta, eo quòd fuerit in mora ad illius restitutionem, & postmodum illam restituat, ad Superiorem deferendo, an inquam in tali casu sit immunis ab omni reseruatione.

53 Certè non desunt Auctores, ijquè grauissimi, qui asserant reseruationem omnem tolli. Ita Rebel. lib. 2. de restit. quæst. 12. num. 26. Mol. l. cit. cuius verba hæc sunt. Item esto lethale peccatum interuenisset, si tamen Pœnitens distribuisset ea bona, ita quòd ad nullam eorum restitutionem teneretur, nulla quoq; esset reseruatio peccati præteriti commissi. Idem etiam sentit Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 14. num. 5. Quæ sententia confirmari potest ex ijs, quę diximus superiùs in Cap.

9. quæst.

9. quæst.2. diffic.2. quo loco docuimus eum, qui locis pijs infantem exponat, cùm habeat vnde illum alat, incidere quidem in reseruationem, vbi damnũ aliquod notabile loco pio sit secutum eam tamen tolli facta restitutione; Ergo idem dicendum in casu præsenti. Et hæc sententia est probabilis.

54 Verùm contraria sententia est sustinenda, quam tenet Bonacina disp. 1. de restit. quæst. 3. par.4. num. 20. & praxi in hac nostra Diœcesi receptæ est magis accommodata, videlicet durare adhuc reseruationem, etiam facta restitutione. Probari autem potest hęc veritas ex verbis Synodi 11. quę huiusmodi sunt. [Cùm quod inuentum est, verè restituitur, vel si, qui inuenit præ paupertate, aliaue causa restituere nõ potest, idonea sponsione caueat, se mẽsium saltem sex spatio restituturum; tunc Parocho, alijq; Confessori, quibus scripta facultas data erit, ab eiusmodi casu Pœnitentem absoluere licebit.] Ex quibus verbis duo colliguntur.

Primum est etiamsi quod inuentum est verè restituatur à Pœnitente, hunc tamen adhuc non esse absoluendum, nisi à Parocho, seu alio Confessario, quibus facultas in scriptis sit data; Ergo signum est adhuc vigere reseruationem, etiamsi restitutio sit secuta. De reliquo si nulla vigeret reseruatio, ad quid facultas in scriptis esset Parocho concedenda, qui pro absolutione sufficientem iam haberet iurisdictionem?

Dices primò sermonem ibi non esse de eo, qui restituat res incertas Superiori, sed de eo, qui eas vltrò, & Episcopo inconsulto pauperibus distribuat; quem certum est ex dictis adhuc facta restitutione, in reseruationẽ incurrere.

Respondeo hunc non verè dici restituere, quoties incerta sponte ipse distribuat pauperibus, cùm restitutio incertorum, ad hoc vt vera & legitima sit, debeat fieri in manu Superioris, attentis particularibus decretis huius nostræ Diœcesis. Quoties ergo litera reseruationis dicit, etiamsi quod inuentum est verè restituatur, adhuc tamen per Parochum tantùm, seu alium Confessarium, quibus facultas in scriptis sit data, esse Pęnitentem absoluendum; signum est velle, eum facta etiam vera restitutione cõprehendi sub casu.

Dices secundò facultatem eam, quę in scriptis exigitur intelligendam tantùm esse de ea, quæ cuilibet Confessario simpliciter conceditur ad confessiones audiendas. Sed contra est, quia in ipso textu fit mentio Parochi, cui tamen pro Parochianis nunquam facultas in scriptis conceditur, nisi hæc sit pro reseruatis; facultatem enim audiendi confessiones Parochianorum habet eo ipso, quòd Ordine sacerdotali initiatus ad Curam Animarum est assumptus.

Dices tertiò si facultas hæc esset intelligenda de facultate à reseruatis, rigorosa nimis esset hæc reseruatio, vt potequæ semper incurreretur, siue restitutio statim fieret, & nulla interposita mora; siue non. Verba enim Synodi 11. hunc habent sensum, cùm quod inuentum est verè restituitur, adhuc tamen absolutionem esse obtinendam per Confessarium deputatum pro hoc casu.

Respondeo sermonem ibi esse non de quocunquè, qui res incertas restituerit, sed de eo tantùm, qui eas quidẽ restituerit, sed fuerit in mora ad restituendum, vnde mortalem culpam cõtraxerit: & tunc textus dicit, dato etiã quòd verè restituatur, id quod est inuentum, adhuc tamen absolutionem esse impendendam à Parocho, aut alio

Sa-

Sacerdote, quibus facultas in ſcriptis fuerit conceſſa.

55 Alterum verò eſt, quod ex verbis citatis colligitur eum,qui res incertas inuenit,ſeu poſſidet,dato quòd præ paupertate, ſeu alia cauſa illas reſtituere non poſſit, adhuc tamen idonea ſponſione eſſe obligandum ad reſtitutionem faciendam intra ſpatium ſex menſium, & tunc tantùm à Confeſſario facultatem pro caſibus reſeruatis habente poſſe abſolui.

56 Vtrùm verò Pœnitens abſolutus à priori reſeruatione,& facta ſponſione de reſtitutione facienda intra ſpatium ſex menſium, ſi terminus hic tranſigatur abſquè eo quòd vnquam poſſit reſtituere, incurrat nouam reſeruationem.

Reſpondeo in tali caſu non incurrere. Et ratio eſt,quia ex ſuppoſitione quòd impotens factus non poſſit reſtituere,nulla intelligitur noua commiſſio, ratione cuius incurratur præſens reſeruatio; hæc ergo dicenda tantùm eſt denuò incurri, quando potens incerta reſtituere,non reſtituit. Vt benè Mol.de reſt.diſp.747. cit. verſus finem.

Ad confirmationem pro contraria ſententia allatam reſpondetur, patere nobis diſparitatem,ex verbis cit.Synodi 11. & praxi. Ex verbis quidem citatis, quandoquidem habet Synodus, etiamſi quod inuentum eſt, verè reſtituitur, adhuc tamen Pœnitentem eſſe abſoluendum à Parocho,vel Confeſſario, quibus facultas in ſcriptis ſit data. Ergo ſignum eſt reſeruationem adhuc durare. Ex praxi item,quandoquidem ea eſſe videtur, vt ad Superiorem Pœnitens remittatur, licèt fortè apud aliquos in contrarium vigeat, ac probabiliter putent, facta reſtitutione reſeruationem nullam eſſe. Quam ſententiam non puto eſſe improbabilem; eàquè ſi quis vellet ſuſtinere, poſſet verba Synodi, cum quod inuentum eſt verè reſtituitur, interprætari de eo, qui vltrò, & Epiſcopo inconſulto illud reſtitueret, quem ſuperiùs diximus incidere in reſeruationem.

57 Aduertendum tamen hoc loco eſt in dicta Synodo 11. hanc facultatem Confeſſarijs concedi, vt ob paupertatem, vel aliam legitimam cauſam, quæ illis videbitur,poſſint remittere Pœnitenti debitam reſtitutionem rei inuentæ, quæ pluris non valeat viginti ſolidis, quæ facultas cum penes Confeſſarium ſit, arguit non affici reſeruatione eum, qui mortaliter peccaret dictam ſummam ſpontè retinendo; neq;eum,qui dictam ſummam ſibi tanquam pauperi applicaret, ex eo enim quòd libera eſt Confeſſario diſpoſitio viginti ſolidorum, cenſetur etiam ablata omnis reſeruatio,proindeq; licita quælibet illius ſummæ applicatio, quę pauperi fiat.

58 An verò ſicuti poteſt Confeſſarius remittere Pęnitenti debitā reſtitutionem rei inuentæ, quæ pluris non valeat viginti ſolidis, ita etiā poſſint remittere eidem reſtitutionem rerum dolo acquiſitarum, quarum nūc dominus ignoretur, vſq; ad dictā ſummam.

Reſpondeo ſi verba reſeruationis attendamus, verè ibi ſermonem tantùm eſſe de rebus inuentis, proindequè non eſſe faciendam hanc extenſionem, quoties eius faciendæ non adſit legitimum aliquod fundamentum. Tum quia particularis ratio militat, propter quam dicere debeamus non habere Confeſſarium facultatē remittendi vſquè ad dictam ſummam in rebus per fraudem acquiſitis: verè enim mortaliter peccauit, qui per fraudem incerta acquiſiuit, vt proinde dicere debeamus non tam dignum eſſe hac

condo-

condonatione, quàm dignus sit is, qui inculpabiliter rem aliquam inuentam acquisiuit; cuius bonæ fortunæ Superior voluit aliquid indulgere condonando dictam summam. Contrarium tamen satis probabile existimarem, videlicet posse Confessarium Pœnitenti remittere vsquè ad dictam summam restitutionem rerum quarum libet incertarum, licèt per fraudem, siue absq; fraude acquisitarum, eamq; Pœnitentem ipsum posse sibi tanquam pauperi applicare; ita vt quod de rebus inuentis expressè est definitum, idē sit intelligendum de rebus omnibus incertis.

DIFFICVLTAS VNICA

Quàm graue sit hoc peccatum.

HVius peccati grauitas ex eo nobis innotescit, quòd cū reseruatio sit de maioribus criminibus. Gloss. in cap. quòd translat. de off. legati, & restitutio incertorum sit vnus ex casibus de iure Episcopo reseruatis: porrò sequitur casum hunc esse vnum de maioribus criminibus.

Illud tamen hoc loco Confessarios monebo, vt grauiori verbo excipiant Pœnitentes eos, qui incerta recusant, vel differunt restituere; peccant enim grauiter restitutionem hāc differendo, iuxta illud D. Augusti. si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti; quia plus non inuenisti, plus non rapuisti. Tum verò reijciant simplices eas personas, quales mulierculæ sunt, quæ promittunt Confessario se semper intercessuras pro anima illius apud Deum; non enim hoc sufficit, sed facienda semper est debita restitutio.

ERGO SCIANT CONFESSORES

Cum furibus agi, quoties cum rerum incertarum detentoribus agatur.

CAPVT DECIMVMQVARTVM

Qui ieiunij diebus, alijsq; cùm ab Ecclesia vetitum est, nulla legitima causa, aut facultate non impetrata carne vescuntur.

CAsus hic variè in locis varijs est reseruatus. Nolæ enim in hæc verba lata est reseruatio, comedentes carnes diebus prohibitis absquè nostra licentia.

Ferrariæ, qui quadragesimæ, alijsquè diebus ieiuniorum, cùm ab Ecclesia vetitū est sine nostra licentia carnibus, vel alijs cibis prohibitis vescuntur.

Bononiæ verò nulla facta mentione carnium, vel aliorum ciborum prohibitorum huius casus reseruatio his verbis continetur, solutio quadragesimæ sine licentia in scriptis, nec non dolosa ipsius licentiæ concessio per medicos, & alios deputatos. Ac demū diuersimodè in alijs locis diuersis reseruatur. Sed verba reseruationis nostræ explicemus.

Qui in diebus ab Ecclesia prohibitis. Hi autem sunt tota quadragesima;

licèt enim dominicis quadragesimæ diebus non teneantur fideles ieiunare vt habetur in cap. quadragesima, de consecr. dist. 5. tamen in illis etiam teneantur à carnibus abstinere: dies Veneris, & Sabbati totius anni, omnes vigiliæ, & ieiunia quatuor temporum.

Carne vescuntur. Carnis autem appellatione non solùm venit caro, sed etiam lardum, sagimen, ius carnium, & alia cum carnibus cocta. Quod ita certum est, vt ab hoc dissentire erroneum putet Graff. in praxi lib. 2. cap. 10. num. 39.

QVÆSTIO PRIMA

Quinam incidant in hanc reseruationem.

1 *Quot conditiones necessariæ sint ad hanc reseruationem incurrendam.*

2 *Incidunt omnes tam mares, quàm fœminæ, qui absq; causa diebus ab Ecclesia prohibitis carne vescuntur.*

3 *Item is, qui transacta media nocte carnis priuij carnibus vescatur.*

4 *Quid si essent diuersa horologia, & hora mediæ noctis fuisset data per vnũ tantùm horologium.*

5 *Quid si adesset vnum tantùm horologium, & hora mediæ noctis cæpisset dari, vtrùm possent comedi carnes vsquè ad finem pulsuum campanæ.*

6 *Incidit in casum is, qui comedat olera cocta cum carnibus.*

7 *Item is, qui ebibit liquorem ex carnibus confectum.*

1 VT clarior sit huiusce quæstionis intelligentia. Aduertendum tria necessaria esse pro hac reseruatione incurrenda. Primò vt fiat carnium comestio. Secundò vt hæc carnium comestio fiat diebus ab Ecclesia prohibitis. Tertiò vt ea fiat sine legitima causa, aut facultate non impetrata. Id enim clarè patet ex verbis reseruationis.

2 Respondeo primò incidere eos omnes, tam mares, quàm fœminas; qui absq; causa, aut facultate non impetrata vescuntur carnibus in illis diebus, quibus illis vesci ab Ecclesia est prohibitum; puta in quadragesima, in diebus Veneris, Sabbathi, quatuor temporibus, vigilijs, alijsq; demum omnibus, in quibus carnium comestio est ab Ecclesia prohibita. Ita colligitur ex verbis reseruationis. Ita demum Graf. lib. 2. c. 10. num. 6. Belloch. par. 2. quæst. 9. num. 71.

3 Secundò incidere eum, qui transacta media nocte carnispriuij sine legitima causa, vel absq; facultate carnibus vescatur. Idemq; dicendum si ijsdem cibis prohibitis ab Ecclesia vescatur post primam mediam noctem quatuor temporum, vigiliarum, & aliorum dierum vetitorum. Et ratio est, quia dies insequens, qui est primus quadragesimæ, aut quatuor temporum, & vigiliarum, inchoatur à media nocte. Ac licèt obligationes Ecclesiasticæ diuersimodè apud Doctores inchoenter, cùm diem festum existiment aliqui incipere à vespera vsq; ad vesperam: alij verò à media nocte vsq; ad mediam noctem: quo ad officium verò canonicum, consuetudine receptum sit, vt dies festus incipiat à vespera diei antecedentis, & duret vsq; ad vesperam insequentem: quo ad ieiunium tamen incipit à media nocte vsq; ad mediam noctem sequentem: sicuti etiam dies festus à media nocte ad mediam noctẽ protenditur; ita vt pro toto eo tempore non liceat operas exercere. Vt bene Nau. in man. c. 13. num. 5. Clau. Reg. lib. 7. c. 3. nu. 10. Beia par. 1. res-

pons.

ponf. caf. confc. cafu 2. Et alij communiter.

4 Dices quid fi effent diuerfa horologia, & hora mediæ noctis fuiffet data per vnum horologium, necdum verò per aliud, incideret ne in cafum, fi carnes comederet.

Refpondeo negatiuè. Et ratio eft, quia illa diuerfa horologia fe habent veluti quædam diuerfæ rationes, & opiniones probabiles, quarum alteram liceret amplecti, altera omiffa. Quod verum eft, fiue dies præfens, fiue infequens effet ieiunij. Si enim dies ieiunij fit hodierna, iam poteft comedere carnes, quia iã data eft hora mediæ noctis per vnum horologium, & confequenter iam inchoatur dies fequens. Si verò dies ieiunij fit craftina, adhuc poteft carnes comedere, quia poteft expectare pulfus alterius horologij. Ita Sanch lib. 2. de matrim. difp. 41 num. 40. quo loco docet hunc poffe tanquam ieiunum die fequenti communicare. Quidquid in contrarium fentiant Io. Salas in 1. 2. D. Th. tract. 8. dift. vnic. fect. 25. num. 264. Rodriq. in noua edit. fuæ fum. tom. 1. cap. 105. n. 6.

5 Si tamen vnum tantùm adeffet horologium, & poftquam cępiffet fonare horam mediæ noctis antecedentis diem Veneris, quatuor temporum, vigiliarum, aut quadragefimæ, aliquis carnes comederet, mortaliter peccaret, & incideret in referuationem; licèt defineret illas comedere, antequã vltimus pulfus campanæ daretur. Et ratio eft, quia ifte diceretur carnes comediffe diebus ab Ecclefia vetitis; quãdo enim primus pulfus campanæ datur, fignum eft dimidiam noctis partẽ effe expletam, & alteram partem inchoari, quæ fpectat ad diem infequentem; & fi diuerfi pulfus funt, id contingit, quia vnico pulfu hora mediæ noctis non poteft indicari. Ita Sanchez cit. quo loco docet hunc non poffe die fequenti communicare.

6 Tertiò incurrere in referuationem eum, qui olera cocta cum carnibus in illis diebus manducet. Et ratio eft, quia paria funt guftare carnes, vel olera cocta cum carnibus, vt notat Geminian. in cap. fin. diftin. 30. Et ita facit, quòd quis in die, quo non poteft comedere carnes, non poffit etiam olera cocta cum carnibus comedere: & vt Monachis omnino eft prohibita comeftio carnium in refectorio, C. cum ad Monaft. §. in refect. de ftat. Monac. ita etiam comeftio olerum, quæ cum carnibus cocta funt, cum ifta duo ęquiparentur, vt habet Prępof. in dicto cap. fin. num. 2.

7 Quartò incidere eum, qui ius, feu liquorem ex carnibus cõfectum ebibit. Et ratio eadem eft cum fuperiore.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excufentur ab hac referuatione.

8 *Excufatur is, qui ante mediam noctem diei quo Ecclefia prohibet vfum carnium, illas comedit.*

9 *Item is, qui comederet carnes die Veneris, vel Sabbathi, in quem incideret dies Natalis Iefu Chrifti.*

10 *Quid fi ex voto eo die eßet ieiunandum, vtrùm incurreretur præfens referuatio.*

11 *Explicatur Cap. finale de obferuatione ieiunij quod Authoris fententiæ videtur obftare.*

12 *Non incidit, qui inaduertenter diebus ab Ecclefia vetitis carnes comedit.*

13 *Nec item is, qui carnes comederet ex neceßitate.*

14 *Nequè is, qui illas comederet ex me-*

tu cadente in virum constantem.
15 *Nequè pueri vsu rationis carentes.*
16 *Excusantur etiam coqui, & alij Curiales qui cibos prægustant.*
17 *Excusantur item comedentes belluas marinas, vt sturiones &c.*

8 RESpondeo primò excusari eos, qui ante mediam noctē quatuor temporum, vigiliarum, vel dierū aliorum ab Ecclesia prohibitorum, carnibus vescuntur. Et ratio est, quia prima pars noctis diei præteritæ est, non autem insequentis. Ita Belloch. in explicat. similis cas. p. 2. q. 9. num. 75.

9 Secundò non incidere in casum eum, qui in die Veneris, vel Sabbathi, in quem incideret dies Natalis Domini Nostri Iesu Christi carnibus vesceretur. Et ratio est, quia in eo die non est vetitum ab Ecclesia carnes comedere. Hoc enim datur excellentiæ illius diei, vt non solùm spiritualiter gaudeant fideles, sed etiam corporaliter. Ita Graff. lib. 2. in praxi c. 10. n. 29.

10 Vtrùm verò Religiosus puta S. Francisci, qui die Veneris tenetur ex regula ieiunare, & à carnibus abstinere, incideret in casum hunc à Superiore suo latum, quoties in eum diem Natiuitas D. N. incideret, & in eo carnes comederet.

Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia nō diceretur comedere carnes in die ab Ecclesia vetito; obligatio enim ea particularis esset, & ex voto, aut cōstitutione, non Ecclesiastica; iuxta ea, quæ docet Sanch. in sum. lib. 4. cap. 11. num. 64. quo loco habet cap. finali de obseruatione ieiunij pro tali die, in quē dies Natalis Dominicus incidat, prohibitionem iuris communi abstinendi à carnibus abstulisse; & sic si aliqui carnibus vescantur, peccare quidem eos posse cōtra priuatam constitutionem, aut votum, non verò contra communem Ecclesiæ prohibitionem. Idemq; prius docuerat Lud. Lopez 1. par. instruct. tract. de pœn. cap. 112. de ieiun. folio 716. vbi habet, Fratres Dominicanos vescentes carnibus in illa die in refectorio contra suas constitutiones, nullius culpæ reos fore; sed solius pœnæ, quia in solam constitutionem delinquunt; quæ illos ad solam pœnam obligat. Atque hoc idem dicendum de eo, qui in vigilia tantùm ex voto carnes comederet; hic enim non diceretur carnibus vesci diebus ab Ecclesia vetitis.

11 Obijcies cap. ipsum finale de obseruat. ieiunij, ibi, [qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt adstricti in sexta feria, si festum Natiuitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter excellentiam festi &c.] ex quo textu videtur colligi adstrictis voto, aut regulari obseruantia nullo modo ab Ecclesia fuisse concessum, vt carnibus vescantur in sexta feria, in quam dies Natalis Dominicus incidat, & sic si vescantur, peccare contra Ecclesiæ præceptum, proindequ; incidere in reseruationem. Pro qua sententia tacito nomine Sanch. relatus num. 59. citat Salmantinos Doctores, quorū subscriptiones asserit se vidisse.

Respondeo tamen textum eum ita esse intelligendum, vt per Ecclesiam omnibus concessum sit vesci carnibus ea sexta feria, vel die Sabbathi (licet enim in ipso textu sit mentio tantùm de sexta feria, tamen de vtraquè die idem est intelligendum, cùm concessio hæc sit facta ob festi excellentiam) in quam incidat dies Natalis Dominicus, nisi fortè obstet votum, vel regularis obseruantia, & sic illas edentes cum voto, aut regulari constitutione, peccare quidem contra votum,

parti-

aut particularem religionis constitutionem; non verò contra communem Ecclesiæ prohibitionem, eo quòd hæc sit omnino pro illis diebus ablata.

12 Tertiò non incidere eum, qui inaduertenter prædictis diebus ab Ecclesia vetitis carnes comederet. Et ratio est, quia indeliberatio illa, seu inaduertentia efficit, vt comestio ea non sit peccatum, cùm sit inuoluntaria. Ita Armilla v. consideratio num. 1. Nauar. c. 21. nu. 27. Syluest. v. ieiunium nu. 21.

13 Quartò immunem esse ab hac reseruatione eum, qui carnes ex necessitate comederet, eo quòd aliud non haberet. Et ratio est, quia necessitas facit licitum, quod iure est illicitum. Vnde in cap. licet de pænit. & remiss. habetur, quòd qui ex pœnitentia tenetur ieiunare in pane, & aqua, potest alijs cibis vti, si panem non haberet, ex eo quòd necessitas non sit legi subiecta.

14 Quintò non incidere in reseruationem eum, qui iusto metu cadente in virum constantem, carnes comederet in quadragesima, vel alijs diebus ab Ecclesia prohibitis; vt si ab impio aliquo Christiano, quis cogeretur carnes comedere. Et ratio est, quia cum abstinentia à carnibus pro eo tempore sit de iure positiuo, inde est, vt non obliget cum tanto incommodo. Ita Graf. cit nu. 40. qui hoc limitat, dummodo comestio hæc non præcipiatur in contemptum Christianæ fidei, quia tunc teneretur potius mortem eligere, & pati, quàm carnes illas comedere. Ego verò adhuc existimarem hunc esse immunem ab hac reseruatione, quia licèt carnes comedendo peccaret contra præceptum fidei, non tamen peccaret contra præceptum Ecclesiæ, vtpote quod non obliget cum tanto incommodo, ac proinde non diceretur comedere carnes die ab Ecclesia prohibito. Sic in simili casu docet Sanch. in sum. l. 2. c. 10. nu. 49. famulum qui metu graui cogatur legere librum hæretici hæresim continentē, aut de religione tractantem immunem esse ab excommunicatione; neque vllum peccatum committere, quia præcepta Ecclesiastica non obligent cum tanto incommodo. Additq; etsi peccaret mortaliter legendo quando in fidei contemptum metu graui compelleretur, adhuc tamen non ligari hac censura. Et rationem affert quia licèt peccaret mortaliter in præceptum diuinum tuendæ fidei & religionis, non tamen in præceptum Ecclesiæ hanc lectionem interdicentis, cuius transgressioni statuta est hæc pœna.

15 Sextò non ligari hac reseruatione pueros vsum rationis non habentes. Secus verò si vsum rationis habeant, & sint doli capaces, quod in septennio ferè semper contingit. Et ratio est, quia licèt ante vigesimum annum non teneantur ieiunare, teneantur tamen stare consuetudinibus inter Christianos receptis, quális hæc est, de non edendis carnibus in diebus ieiunij, vel alijs ab Ecclesia prohibitis. Quare Parentes ij, qui filijs suis vsum rationis habentibus carnes porrigunt in hisce diebus comedendas, mortaliter peccant. Et ratio est, allata, quia licèt Ecclesia non obliget ad ieiunium ante vigesimum primum annum propter incrementum ætatis, quod videtur indigere trino septennio, obligat tamen omnes, vt in diebus, quibus alij ieiunant, à cibis prohibitis abstineant. Vt colligi potest ex consuetudine intra Christianos recepta. Ita Lud. Beia par. 4. resp. cas. consc. casu 10.

16 Septimò non comprehendi sub casu coquos, vel alios Curiales, qui cibos

bos prægustant, vt illos condiant, vel domino veneni suspicionem tollant. Idemq; dicendum de Medicis prægustantibus medicinas. Et ratio est, quia hoc rationabili de causa faciunt, estq; consuetudine ipsa approbatum. Ita Graff. cit. num. 31.

17 Octauò non affici hac reseruatione comedētes belluas marinas, sturiones, & alios huius generis pisces. Et ratio est, quia carnium appellatione non veniunt pisces. Secùs verò si quis comederet aues, & pullos qui ex aquis nascuntur, hic enim verè incideret in casum. Vt bene Graff. cit. nu. 37. & 38.

DIFFICVLTAS I.

An in esu carnium detur paruitas materiæ.

18 *Responsio est affirmatiua.*

19 *Monialis egrediens e Monasterio per duos tātùm palmos in nonnullorum sententia excusatur à pœnis latis contra frangentes clausuram.*

20 *Legens paginam libri hæretici excusatur à censura.*

21 *Item retinens per duos dies libros hæreticorum.*

22 *Item Clericus qui per quartam horæ partem causa recreationis deferat sclopum.*

23 *Non sic tamen qui per quartā horæ partem detineret infantem in lecto absq; præscripta cautione cunarum.*

24 *Aliqui docent in rebus Venereis dari paruitatem materiæ Author id reprobat.*

25 *Exercentes seruilia in die festo per spatium duarum horarum non peccant mortaliter.*

26 *Colloquētes cum Moniali per spatium vnius miserere non inciderent in censuram si quæ esset lata contra colloquentes Moniales.*

18 Respondeo affirmatiuè, ea enim si in alijs præceptis tam affirmatiuis, quàm negatiuis datur, concedenda etiam videtur in præcepto de abstinendo à carnibus in diebus ab Ecclesia prohibitis. Hinc est, vt Tannerus in 2. 2. D. Tho. d. 3. quæst. 3. dub. 5. nu. 93. de hoc casu loquens sic asserat. Dubium non est in die ieiunij peccari toties quoties carnes comeduntur, & in hoc ex ipso fidelium sensu non excusare paruitatem materiæ. Quod eatenus verum existimo, quatenus esus carnis, seu cibi vetiti existimatur aduersari fidei professioni. Aliàs non video (inquit idem Tannerus) cur non æquè in hac, ac in alijs materijs à mortali excusare possit materiæ paruitas. Hanc ergo existimarem, si quis passerculi caput comederet.

19 Sic Monialem non incidere in pœnas latas contra frangentes clausuram, si ad duos tantùm palmos sit egressa ianuam, docet Graff. in decis. par. 1. lib. 4. cap. 23. num. 15. & de cas. reseru. lib. 1. cap. 5. num. 45. Naldus in sum. v. clausura nu. 4. licèt sententiam hanc non approbet Sanch. in sum. to. 2. lib. 6. cap. 16. num. 70. quo loco docet egressum hunc, aut ingressum ad duos pedes non esse censendum modicum in hac materia, sed eum tantùm, qui non sit perfectus, & consummatus; vt si pars corporis sit intra ianuam, pars verò extra; quomodo excusat Monialem eam, quæ ponit se in Rota, & facit illam volui ad partem externam, ad quam Seculares accedunt.

20 Sic paruitatem materiæ excusare ab excommunicatione lata contra legentes, vel detinentes libros hæreticorum in Bulla Cœnæ contenta, docet Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 10. nu. 31. quo loco subdit, modicam materiam esse si vnam solam paginam

ginam perlegat, quamuis liber sit ex voluminibus maioribus (vt vulgò dicitur in folio grande) quam sententiam sequitur Duardus in explicat. Bullæ Cœnæ lib.2. can.1.q.46. Filiuc. tom.2.tract.22.c.7. num.204. Laurent. Portel. in addition. ad dubia Regul. versic. libri prohib. num. 7. in fine; in eandemq; inclinat Laym. lib. 3. tract. 1. c.8. nu. 5.

21 Et de retinentibus libros hæreticorum docent Sanch. cit. num. 55. & Duard q.51. num. 33. modicum esse tempus, si quis illos retineat per duos dies, & sic excusari ab excommunicatione. Qua eadem ratione consultus semel à quodam Confessario, vtrùm Clericum eum, qui per vnum diem in domo immuni detinuisset sclopos rotatos absoluere posset ab excommunicatione contenta in Synodo 32. c. 22. de vita & honest. Clericorum: respondi, posse, etiamsi per vnum, aut alterum diem illos detinuisset, quia ad tantam pœnam incurrendam, retentio hæc videtur modica, & si in retentione rei alienæ, quæ strictiori iure naturæ obligat, tempus hoc existimatur modicum, & breue; eodem plane modo existimari potest breue, & modicum in detentione libri hæretici, aut armorum.

22 Sic Clericum, qui recreationis gratia per quartam horę partem deferret sclopum, vt insidentem arbori auem pilulis plumbeis occideret, excusarem ab excommunicatione contenta in Synodo Diœcesana citata; quia delatio hæc videtur modica ad tantam pœnam.

23 Non sic tamen ab excommunicatione contenta in Concilio Prouic.6.tit. de ijs, quæ pertinent ad sacram baptis. excusarem eum, qui per quartam horæ partem detineret infantem in lecto absq; præscripta cautione cunarum. Et ratio est, quia detentio hæc non videtur modica spectato fine à legislatore intento, cui ea maximè repugnat, cùm eo temporis spatio infans possit mortis periculum subire. Secus verò si quis eo tantùm tempore detineret, quo bis, aut ter repeti posset Psalmus Miserere. Hinc est vt pro leuitate, vel grauitate materiæ dignoscendæ bene præcipiant Doctores, spectandum esse finem, quo legislator ductus est ad legem condendam, & si materia grauiter repugnet fini intento, illam grauem esse dicant; si leuiter, leuem.

24 Sic etiam in rebus venereis dari paruitatem materiæ docent Sanch. de matrim. lib.9. disp.46. num.9. 27. & 40. Salas in 1.2. d.6. sect. 21. num. 149. qui sic habet, Cur in cęteris præceptis detur paruitas materiæ non in hoc. Vilalob. in sum. tom.2. tract.40. dub.9. num. 8. licèt ego contrariam sententiam omnino sustinendam semper existimauerim, eandemquè à Theologis Societatis Iesu docendam decreuerit Claudius Aquauiua die 24. Aprilis 1612. Ob idquè Sanchez ipse in sum. tom.2. lib.5. cap.6. num.12. priorem sententiam retractauerit.

25 Sic agentes de tertio præcepto Decalogi diximus opus seruile in die festo esse quidem prohibitum, sed ratione paruitatis materiæ à mortali excusari. Vnde est, vt ibi cùm Filliuc. tom.2. tract.27. cap.11 nu.205. docuerimus non peccare mortaliter eum, qui diebus festis per spatium duarum horarum, seruilia exerceret; quia vt bene docet Sanchez in sum. lib.1. cap.4. nu. 18. paruitas materiæ à mortali excusans, non absolutè, & secundùm se, sed respectiuè ad totam materiam pręceptam est spectanda. Atqui spatium dua-

rum horarum, licèt secundum se consideratum videatur tempus notabile, tamen non ita videtur, si respectiuè consideretur, & in ordine ad totam materiam præceptam vnius diei.

26 Sic si lata sit excommunicatio contra colloquentes cum Monialibus, non cōprehendi sub hac censura eum, qui transeundo salutet Monialem, vel de statu suo interrogatus breuiter illi respondeat, docuimus in superiore disp. quæst. 1. difficult. 6. num. 13. cum Graff. in decis. par. 1. lib. 4. cap. 8. nu. 5. Finel de cas. reser. c. 5. nu. 10. Quinimò Doctores aliqui, quos tacito nomine citat Diana par. 3. tract. 2. de dubijs Regularium resolut. 48. vers. Nota sextò, & tract. 5. in miscellaneo resolut. 69. docent colloquentes cum Moniali per spatium vnius quadrantis horæ non ligari censura, ratione paruitatis temporis. Quam sententiam non puto probabilem. Ac demum ipse existimat illum immunem futurum, qui per spatium vnius miserere cum Monialibus loqueretur.

DIFFICVLTAS II.

An ligetur hac reseruatione is, qui in quadragesima manducet oua, vel lacticinia sine legitima causa, aut facultate non impetrata.

27 *Explicatur punctus difficultatis.*
28 *Refertur sententia affirmans.*
29 *Author negat.*

27 Certè casus hic nullam habere difficultatem videtur, quoties sub ijsdem verbis nobis esset lata reseruatio, quibus superiùs diximus esse latam Bononiæ, & Ferrariæ, & quibus esse latam Regij, refert Graff. in praxi cap. 10. num. 25. In his enim locis reseruatio simpliciter lata est contra vtentes carnibus, vel alijs cibis vetitis in diebus, in quibus ab Ecclesia illi prohibiti sunt; cùm autem oua, & lacticinia tempore quadragesimæ sint prohibita, illa comedens tali tempore ligabitur ea reseruatione; at verò in hac nostra Diœcesi lata tantùm est reseruatio contra eos, qui in diebus, quibus ab Ecclesia prohibitum est carnes comedere, ijs vescuntur. Et hoc colligitur manifestè ex verbis ipsis reseruationis, in quibus eorum tātùm fit mentio, qui sine legitima causa, aut facultate non impetrata carnes comedunt. Vnde attentis verbis reseruationis difficultas in eo est, vtrùm incidat in hūc casum is, qui tempore quadragesimæ comedat oua, lac, butirum, aut caseum.

28 Graff. loco cit. num. 7. & 8. in explicatione similis casus sub ijsdem fere verbis reseruati (cuius casus hæc sunt verba, qui diebus ab Ecclesia vetitis, absq; legitima causa, aut facultate non impetrata carnes comederit) docet in quadragesima carnium appellatione venire ea omnia, quæ habent à carne originem, vel carnem producūt, vt oua, caseum, lac, probatq; etiam ex eo, quia hęc omnia propter adipem, & pinguedinem renes incendunt, & ad luxuriam prouocant. Tum verò ex D. Hieronymo contra Iouinianum habet, ouum nihil aliud esse, quàm carnem liquidam, ideoq; propter tantam caliditatem magis prohiberi ouum vnum comedere, quàm bonam piscium refectionem. Addit etiam de lacte loquens illud esse sanguinem colore mutato; & sicuti incideret quis in casum comedendo sanguinem, ita etiam comedendo lac, pariterquè comedendo in quadragesima caseum, ex eo quòd

caseus nihil aliud sit, quàm lac coagulatum.

29 Ego verò respondeo neq; oua, neq; lacticinia venire nomine carniũ; & sic illa comedentem in quadragesima absq; iusta causa, aut facultate non impetrata, non incidere in casum; quia casus iste loquitur tantùm de comedentibus carnes.

Sic Monacis Carthusianis denegatæ carnes sunt, & tamen concessa sunt oua, & lacticinia.

Sic in alijs diebus extra quadragesimam, puta Veneris, Sabbathi, vigiliarum, & quatuor temporum licitus est lacticiniorum vsus, non tamen carnium. De reliquo deberemus dicere in quadragesima nomine carnis, venire etiam oua, & lacticina; extra quadragesimam verò venire solam carnem veram, quæ ridicula esset nominis interpretatio.

DIFFICVLTAS III.

Titius habens legitimam causam comedendi carnes diebus ab Ecclesia vetitis, ex eo quòd grauiori detineatur infirmitate, illas comedit absquè facultate à Superiore impetrata, quæritur vtrùm incidat in hunc casum.

30 *Proponitur ratio dubitandi.*
31 *Sententia negans est probabilior.*
32 *Respondetur fundamento contrariæ sententiæ.*
33 *Habens iustam causam comedendi carnes diebus ab Ecclesia prohibitis mortaliter peccat si cùm possit facultatem petere, non petat.*
34 *Peccat mortaliter qui facultatem comedendi carnes petat non habens iustam causam.*
35 *Præsens reseruatio non viget in tota Prouincia, sed in sola Diœcesi.*

30 Ratio dubitandi ea est, quia cùm dictus Titius possit petere licentiam comedẽdi carnes, mortaliter peccat non petendo, & sic videtur sub reseruatione comprehendi.

31 Respondeo tamen probabilius esse hunc non incidere in reseruationem. Et probatur per illam dictionem, aut, quæ est alternatiua, ad eam enim incurrendam requiritur iuxta literam, vt quis vescatur carnibus absquè legitima causa, aut facultate non impetrata, & istæ afferuntur tanquam duæ causæ inter se distinctæ, ita vt sicuti comestioni carnium absquè iusta causa adnexa est reseruatio, ita concursus iustæ causæ illam tollat: & sicuti earumdem comestio facta absquè licentia inducit reseruationem, ita ab hac excuset impetratio facultatis: & sic iusta causa, & licentiæ impetratio sint duæ causæ excusantes ab hac reseruatione. Atqui in nostro casu adest iusta causa. Ergo nulla erit reseruatio. Ita Graffius in praxi libro secundo cap. 10. num. 6.

32 Ad rationem dubitandi, quòd nimirum non dicatur habere iustam causam, quia cùm possit petere veniam, illam non petat.

Respondeo hæc duo distingui inter se, iustam causam, & concessionem facultatis, & vnum ab altero supponi: quod patet ex facto Superioris, qui hanc facultatem non concedit nisi habenti iustam causam comedendi carnes; Ergo prius est adesse iustam causam, quam intelligi hanc facultatem esse concessam. Quare qui in graui necessitate est constitutus dicitur habere iustam causam, & tamen ille potest

test necdum facultatem petijsse. Tum quia litera reseruationis excusat non solùm eum, qui carnes comedit ex iusta causa; sed etiam eum, qui illas comedat ex facultate impetrata; Ergo hæc duo inter se distinguuntur, puta iusta causa, & licentia.

33 Ex quibus duo collige. Primum est peccare quidem mortaliter eum qui habens iustam causam carnes comedendi, illas comedat facultatem non impetrando, cùm possit; non tamen incidere in casum: peccatum autem mortale diceretur ratione inobedientiæ: quando autem transgressio legis facta ex rationabili causa excuset à peccato mortali, videri potest idem Graffius in decis. aur. par. 1. lib. 1. cap. 14. num. 13.

34 Alterum est peccare item mortaliter eum, qui sine iusta causa facultatem impetraret carnes comedendi; eo quòd medicos falleret morbum simulando, immunem tamen esse ab omni reseruatione, cùm litera eos tantùm comprehendat, qui carnes comedant in diebus ab Ecclesia prohibitis iusta causa non concurrente, vel sine habita facultate.

35 Aduertendum hoc loco est, Casum hunc in Diœcesi tantùm esse reseruatum, proindequè eius reseruationem vigere tantùm in Diœcesi, & à subditis Diœcesanis incurri; lata enim tantùm est in Synodo Diœcesana 2. Decreto 18. vt proinde extra Diœcesim non obliget; superiores verò hucusq; explicatos in tota prouincia esse reseruatos; eorum enim reseruatio lata est in Concilijs Prouincialibus, vt proinde in tota Prouincia obligent. Et ratio huius est, quia lex ad hoc vt obliget, debet ad omnes ferri, & ab omnibus acceptari; reseruationes autem latæ tantùm in Synodis Diœcesanis, quales sunt omnes insequentes, nequè ad omnes existentes in Prouincia sunt latæ, nequè ab ijsdem sunt acceptatæ. Ergo Diœcesanos tantùm obligabunt, cùm ad eos tantùm extendantur.

DIFFICVLTAS IV.

An Peregrinus per modum transitus, & hospitij in nostram Diœcesim confluens, & carnes comedens eo die, quo in nostra Diœcesi adest obligatio ieiunandi, non item in propria, mortaliter peccet atq; incidat in reseruationem.

36 *An peregrini teneantur legibus sui domicilij.*
37 *Refertur sententia affirmans.*
38 *Sententiam negantem Author putat esse probabiliorem.*
39 *Respondetur rationi in contrarium allatæ.*
40 *Quando leges obligant, & in loco domicilij, & in loco ad quem peregrinus diuertit, tenetur eas seruare.*
41 *Confluens Mediolanum feria quarta proxima ante primam dominicam quadragesimæ potest carnibus vesci, etiamsi in proprio domicilio teneatur ieiunare.*
42 *Quid si quis confluat dedita opera, vt carnibus vescatur? Aliqui putant hunc non posse vesci.*
43 *Author affirmat.*
44 *Lusitanus transiens per Castellam potest in diebus Sabbathi vesci intestinis animalium.*
45 *Sacerdos latinus transiens per græciã potest more græcorum celebrare in fermentato. Secùs verò si inter græcos adessent Ecclesiæ latinorum.*
46 *Si adsit festum in vna parochia ali-*

cuius

cuius oppidi, & in alia non adsit, potest subditus illius Parochiæ in qua adest festum proficisci ad Parochiam, in qua tale festum non obligat, & ibi exercere seruilia.

47 *Vtrùm teneretur audire sacrum antequam egrederetur è Parochia. Aliqui affirmant.*

48 *Contrarium putat esse probabile Author.*

49 *Respondetur rationibus, quæ in contrarium possunt afferri.*

50 *Qui discessurus est à loco, in quo non ieiunatur potest carnes comedere, etiãsi vesperè esset peruenturus ad locum, in quo ieiunatur: vbi tamen peruenisset ad eum locum, non posset amplius carnes comedere.*

51 *Discedens è loco, in quo ieiunium obligat, vbi peruenerit ad locum, in quo illud non obligat, poterit carnes comedere.*

52 *Vtrùm is, qui moraliter est certus, se vesperè peruenturum ad locum in quo ieiunium non obligat possit mane ientaculum sumere. Refertur ratio dubitandi.*

Author affirmat. ibidem.

53 *Respondetur rationibus in contrarium allatis.*

54 *Illi apud quos non est receptum nouũ Calendarium, si Mediolanum aduenıant eo tempore, quo ieiunium quadragesimale est completum, possunt vesci carnibus, etiamsi apud illos non sit completum.*

36 CAsus huius solutio ab ea quæstione pendet, in qua quæritur, quibusnam legibus teneantur Peregrini, an legibus sui domicilij, dum absunt: an legibus, & consuetudinibus loci, per quem transeunt: an verò nullis.

DVBIVM PRIMVM.

37 QVoad primum, an videlicet Peregrinus teneatur legibus sui domicilij. Respondent alij affirmatiuè. Probant autem, quia vt habetur ex regulis iur. in 6. qui sentit commodum, sentire debet incommodum. Sed Peregrini quamdiu absunt, illud sentiunt commodum, vt non astringantur legibus transitus; Ergo illud sentire debent incommodum, vt ligentur legibus patriæ, cùm illam necdum deseruerint. Ita D.Ant.2. par. tit. 9.c.2.§.2. Palud.4.d.15.q.4.art.3. Rosella v. ieiunium nu. 16. Sylu.v.eod.q.2. & alij.

38 Alij tamen meo iuditio probabilius existimant, non teneri. Quod probant ex c.2. versic. statuto Episcopi, de constit. in 6 quo loco habetur Subditum furantem extra territorium non affici excommunicatione à suo Episcopo lata contra furantes. Et ratio ibi allata hæc est; quia [impunè non paretur extra territorium ius dicenti] vbi glos. verbo impunè, explicat, non parentem extra territorium non pati pęnam. Ergo licitum est trãsgredi leges proprij domicilij extra illud, vbi eæ non obligent. Tum quia hoc videtur conforme cõmuni axiomati.

Si Romæ fueris, Romano viuito more.
Si fueris alibi, viuito sicut ibi.

Ita Nau. in sum.cap.23.num.120. Sylu. verb. excommunicatio 2. num. 7. Less. lib.4. cap.2. dub. 8. Graff. lib.4. decis. cap.7.num.37. Sanch.de matrim lib.3. disp. 18. nu.18. Bonac. de legibus disp. 1. quæst.1.pun.6.num.59. qui Suarium, Emmanuelem Sà, Reginaldum, Azorium, & alios plures citat.

39 Ad rationem in contrarium respondetur regulam illam, qui sentit com-

commodum &c. valere in casu, quo incommodum sit regulariter adnexum, & inseparabile à commodo. Secus verò in alijs casibus; sic enim iuxta veriorem sententiam Nouitius sentit commoda religionis, cùm gaudeat illius priuilegijs, nec tamen sentit eius onera, & incommoda, cùm illius præceptis non teneatur.

40 Vnum tamen monuerim tanquam certum, videlicet quoties leges, & consuetudines proprij domicilij vigeant etiam in eo loco, ad quem peregrinus diuertit, eas omnino esse seruādas. Et ratio est, quia nulla adest causa excusans.

41 Ex qua doctrina inferunt primò Doctores, confluentes Mediolanum feria quarta, & quinta ante primam Dominicā Quadragesimæ, posse mori nostro se conformare, & carnibus vesci, etiamsi in proprio loco teneantur ieiunare. Ita Lessius l. cit. nu. 59. Bonac. cit. num. 64. Sanch. in opere morali lib. 1. cap. 12. num. 30.

42 Hanc tamen sententiam ita limitāt aliqui, vt dicant eam esse veram quando confluentes Mediolanum, vel in locum in quo non adsit obligatio ieiunij ducuntur causa iusta: Secus verò si aliò diuertant causa vescendi carnibus, seu vt possint contrauenire legi vigenti in proprio domicilio. Ita Pet. de Ledesma, Manuel, Barthol. à Ledes. à Sanch. relati lib. 3. de matrim. disp. 18. num. 29. asserentes si incolæ locorum in quibus receptum est Tridentinum confluant eò, vbi non est receptum, posse quidem iuxta illius loci legem matrimonium contrahere absquè Parocho, & testibus quoties non adierint ea loca in fraudem Tridentini: cęterùm si ea loca adierint in fraudem decreti Tridentini, tunc matrimonium futurū inualidum, cùm fraus nemini debeat patrocinari. Idemquè sequitur Rebel. de iust. par. 2. lib. 2. q. 7. sect. 3. num. 16. & videtur tenere Clauis Reg. dicens posse aliquem discedere à loco, in quo dies sit festus, & ire ad laborandum in loco, in quo dies ille non sit festus, dummodo absit fraus, & adsit vrgens causa.

43 Verùm hæc limitatio, à me alias fuit reiecta in tractatu de matrimonio. Vnde assero cum Less. Sanch. Bonac. cit. confluentem ad alium locum causa vescendi carnibus non peccare mortaliter, quia iste non dicitur fraudem committere, sed iure suo vti, quod expresse etiam docet Suar. to. 1. de relig. lib. 2. cap. 13. num. penult. dicens hanc non esse fraudem, sed quandam obligationis præcepti fugam.

44 Secundò infertur Lusitanum transeuntem per Castellam posse in Sabbatho vesci intestinis animalium, licèt in Lusitania id sibi non liceat, ex eo quòd dum abest, non teneatur legibus sui domicilij. Ita Nauar. in sum. cap. 23. nu. 120. Henriq. lib. 9. de Missa cap. 25. num. 2. in fine Less. cit. num. 55. Sanch. in opere morali num. 29.

45 Tertiò Sacerdotem Latinum transeuntem per Græciam posse more græcorum celebrare in fermentato. Et sic Sacerdotem græcum transeuntem per Ecclesiam latinam posse celebrare in azimo iuxta morem Ecclesiæ latinæ. Ita DD. relati. Si tamen inter latinos aliquæ græcorum Ecclesiæ reperirentur, in quibus more græcorū celebraretur, & inter græcos adessent aliquæ Ecclesiæ latinorum, tunc vnusquisquè teneretur Ecclesiæ suæ vsum seruare, quia perinde esset, ac si in propria Ecclesia celebraret. Ita Sanch. de matrim. l. sup. cit. num 20.

46 Quartò quando adest festum in vna Parochia alicuius Oppidi, in altera

ra verò non adest, posse subditos illius Parochiæ; in qua adest festum proficisci ad Parochiam, in qua tale festum non obligat, & ibi seruilia exercere. Ita Suar. de relig. l. sup. cit. num. 6. Less. cit. nu. 55. Et ratio est, quia præceptum non prohibet discessum à loco in quo obligat; & extra illum tale præceptum non amplius obligat.

47 Dices teneretur ne iste audire Sacrum, antequam egrederetur extra Parochiam.

Respondent affirmatiuè Sayr. in Clau. Reg. lib. 7. cap. 3. nu. 12. Emman. Sà, in sum. v. festum num. 9. Lud. Lopez 1. par. instruct. cap. 52. §. nec peccant.

48 Ego verò licèt sententiam hanc tutiorem existimem, contrarium tamen puto probabilem, videlicet hunc non teneri ad Sacrum, quoties durante adhuc commoditate implendi præceptum, puta ante meridiem sit peruenturus ad locum, in quo festum non obligat. Ratio est, quia in proprio loco, seu in propria Parochia optimè potuit absque peccato vsquè ad illud tempus auditionem Sacri differre: vbi verò est extra limites propriæ Parochiæ, iam deobligatus omnino est ab illo præcepto.

49 Neque obstat primò, quòd antequam proficisceretur adstrictus esset præcepto audiendi Sacrum, quia quãdo alicui præcipitur, vt intra tale tempus aliquid faciat; intelligitur semper tacita conditio, si toto illo tempore subditus præcepto maneat. Vnde si contingat illum intra tempus opportunum ad impletionem, vel per dispensationem, vel alio modo eximi ab obligatione, omnino remanet deobligatus.

Neq; obstat secundò, quòd conscius alicuius impedimenti superuenturi, vi cuius præuideat, se non posse interesse Sacro, teneatur præuenire audiendo summo mane, si possit. Hoc, inquam non obstat, quia impedimentum superueniens non tollit obligationem audiendi, sed excusat omissionem. At verò profectio in locum, in quo festum non seruatur, omnino deobligat. Ita Sanch. de matr. l. cit. nu. 21. & in opere morali nu. 32. Less. cit. num. 56 Licèt Suar. tom. 1. de relig. lib 2. cap. 15. num. penult. dicat id ingeniosè potius esse excogitatum, quàm admittendum.

50 Quintò infertur eum, qui discessurus sit à loco, in quo non ieiunatur posse carnes comedere, etiamsi vesperè peruenturus sit ad proprium domicilium, vbi ieiunatur.

Aduertam tamen, vbi peruenerit ad proprium domicilium, non posse ibi carnibus vesci, etiamsi illas mane extra proprium locum comedisset. Et ratio est, quia in loco domicilij tenetur illius legibus. Verum quidem est, quòd posset cœnare, quia per carnium comestionem fuisset violatum ieiunium, & eo semel violato, non amplius obligat. Ita Less. cit. num. 57. Sanch. in opere morali num. 33. Et de matrim. lib. 3. disp. 18. cit. num. 22. Versiculo, quintò infertur.

51 Sextò discedentem è loco, in quo ieiunium obligat, quoties vesperè sit peruenturus ad locum, in quo illud non obligat, posse carnes comedere, si ibi comedantur, etiamsi tota die ieiunauerit, non enim tenetur seruare leges proprij domicilij: & ex alia parte potest se conformare legibus loci, in quo est.

52 Potior hoc loco difficultas est, vtrùm iste, qui moraliter certus esset, se vesperè perdenturum ad locum, in quo posset comedi carnes, vtrùm, inquam, mane antequam equum conscenderet, posset ientaculum sumere. Ratio enim du-

dubitandi est, quia quamdiu permanet in proprio domicilio, tamdiu tenetur ieiunare; Ergo non potest ientare. Tum quia necdum adest causa excusans, & potest mutata sententia non discedere à proprio domicilio.

Respondeo tamen dato, quòd sit moraliter certus, se peruenturum vesperè ad locum, in quo ieiunium non obligat, posse mane ientaculum sumere. Et ratio est, quia obligatio ieiunij est obligatio quędam indiuisibilis, quæ afficit totam diem, nec afficere potest partem, quin afficiat totam diem: cùm autem ieiunium in casu allato non possit obligare vespere, inde est, vt nequè obliget mane. Vnde hæc est regula generalis in materia ieiunij, quicunquè intra diem aliquem potest bis comedere, non tenetur eo die pręcepto ieiunij quoad vnicam refectionem. Ita Sanch. ll. cc. Less. num. 58.

53 Ad primam rationem dubitandi respondetur vigere quidem præceptum ieiunij etiam quoad vnicam refectionem, sed tamen quoad hanc partem eo non ligari ob moralem certitudinem, quam habet se hoc præcepto non obligatum iri vesperè.

Ad alteram respondetur causam excusantem verè necdum adesse, sufficere tamen moralem futuræ causæ certitudinem: quomodo operarius, qui ad opus seruile exercendum descendat, potest non obstante præcepto ieiunij comedere antequam incipiat laborare, licèt necdum adsit causa excusans, & ea possit impediri.

54 Septimò demum inferunt DD. cit. eos, apud quos non est receptum nouum Calendarium, vt Rhætos, & alios, aduenientes Mediolanum eo tempore, quo Mediolani est completum ieiunium quadragesimale, quamdiu Mediolani commorantur, posse carnes comedere, etiamsi apud illos non sit completum hoc ieiunium. Et ratio est allata: quidquid in contrarium alij sentiant.

Dices hoc præceptum ieiunij quadragesimalis est generale. Ergo obligat omnes, & vbiq; est implendum. Respondeo obligare omnes, & vbiquè non tamen absolutè, sed sub tacita conditione, si videlicet non simus in loco, in quo illud sit expletum, tunc enim possumus nos conformare consuetudinibus loci, in quo reperimur.

DVBIVM SECVNDVM.

55 *Aliò diuertens cum animo ibi manendi, illico tenetur legibus illius loci.*

56 *Peregrinus tenetur legibus loci, in quo reperitur, quando imminet scandalū.*

57 *Refertur sententia affirmans peregrinum teneri legibus loci, per quem transit, etiamsi eæ non obligent in proprio domicilio.*

58 *Sententiam negantem probabiliorem putat Author.*

59 *Limitatur primò, dummodo peregrinus non diuertat aliò cum intentione ibi manendi maiore anni parte.*

60 *Limitatur secundò quoad solemnitates contractuum, quæ sunt seruandæ iuxta leges locorum.*

61 *Limitatur tertiò nisi fortè legis transgressio cedat in damnum illius oppidi.*

62 *Ciuis Mediolanensis in feria quarta ante primam Dominicam quadragesimæ diuertit Modoetiam, vbi ieiunium quadragesimale inchoatur, vtrùm ibi possit carnes comedere.*

63 *Referuntur fundamenta pro sententia affirmante.*

64 *Sententia negans est omnino tenenda.*

65 *Respondetur fundamentis pro contraria sententia.*

66 *Peregrinus per modum hospitij diuertens*

tens aliò vbi adsit obligatio ieiunandi, potest carnes comedere, quoties lex ieiunij non vigeat in loco domicilij.

67 *Ciuis Mediolanensis diuertens Modoetiam feria quarta ante primam Dominicam quadragesimæ, si ibi carnes comedat, incidit in reseruationem.*

QVoad secundum, an videlicet Peregrini teneantur legibus, & cõsuetudinibus loci, per quem transeunt etiamsi eæ in proprio domicilio non obligent.

55 Duo hoc loco tanquam certa supponenda sunt. Primum est, quando quis proprium deserens domicilium aliò diuertit animo ibi constituendi sedem, teneri legibus, & consuetudinibus illius loci, in quo sedem constituit. Et ratio est, quia verè est incola.

Alterum est licèt diuertat aliò per modum transitus, si tamen scandalum aliquod immineret, quia non seruaret leges loci, per quem transiret, teneri ad illas seruandas.

57 Duplex in hoc casu adest sententia. Prima asserentium teneri, quam probant ex D. August. epist. 118. cap. 1. & epist. 119. cap. 18. Et habetur c. illa distin. 12. ibi, Mater mea Mediolanum me secuta inuenit Ecclesiam Sabbatho non ieiunantem, tunc consului Ambrosium Episcopum, at ille ait, cùm Romam venio Sabbatho, ieiuno; cùm Mediolani sum, non ieiuno: Sic & tu ad quamcunq; Ecclesiam veneris eius morem serua. Vbi Glos. v. Societatem, habet, inde sumi argumentum, quemlibet teneri viuere secundùm consuetudinem illorum, inter quos versatur. Tum quia, vel lex illa, & consuetudo localis est, vel personalis. Si personalis, ergo sequitur personam quocunq; ierit, ad modum interdicti personalis, quod tamen est contra dicta superius, cùm docuerimus, Peregrinum non teneri, dum abest seruare leges proprij domicilij, quoties eæ non obligent in loco, in quo reperitur. Si localis; Ergo obligat quoscunq; etiam Peregrinos, quamdiu adsunt in eo loco: Sicuti in loco interdicto Clericus licèt Peregrinus non potest celebrare. Ita Nauar. in sum. cap. 23. num. 120. Couar. 4. var. cap. 20. num. 8. vers. fuit. Maior 4. dist. 15. quæst. 5. Alcozer, Henriq. Lud. Lop. & alij plures pro hac sententia relati à Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 18. nu. 4. Et est probabilis.

58 Secunda tamen sententia, quàm probabiliorem puto asserit forenses, & Peregrinos nõ ligari legibus locorum, in quibus pro tempore, & per modum hospitij reperiuntur, cessante tamen scandalo, & quando eæ non obligent in proprio domicilio, iuxta dicta superiùs. Et probatur quia ad obligandum requiritur iurisdictio in obligante, & subiectio in eo, qui obligatur: iurisdictio autem non acquiritur quando Peregrinus non habet animum ibi manendi maiore anni parte. Hinc est, vt Episcopus non possit dispensare cum extraneo in sua Diœcesi breuiter commoraturo, aut illi Sacramenta ministrare exceptis Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, in quibus peculiaris extat consuetudo. Tum quia qui transit, aut pro breui tempore diuertit ad aliquem locum non dicitur moraliter in eo esse l. quæsitum 76. §. finali ff. de legat. 3. Ita Palud. 4. dist. 25. quæst. 4. art. 3. num. 24. D. Anton 2. par. tit. 6. cap. 2. §. 2. Tolet. lib. 6. sum. cap 5. num. vlt. Vega 1. tom. sum. cap. 14. casu 11. Azor tom. 1. instit. mor. lib. 7. cap. 30. quæst. vlt. Clau. Reg. lib. 3. cap. 4. nu. 15. Sanch. de matrim. l. sup. cit num. 6. Et in sum. lib. 1. cap. 12. num. 38 Bonac. disp. 1.

disp.1. de legibus quæst.1. pun.6. n.36. Et alij apud ipsos.

Dices Peregrini non seruantes leges, & consuetudines locorum puniũtur à Superioribus eorum locorum, in quibus pro tempore reperiuntur. C. fin. de foro competen. Ergo signum est illos teneri ad earum obseruationem.

Respondeo puniri à Superioribus locorum, vel quia sequantur contrariã sententiam, quàm etiam nos ipsi putamus probabilem; vel ratione scandali, aut periculi, ad quod præcauendum iure naturæ tenentur etiam exteri.

59 Hæc tamen sententia limitanda est primò iuxta dicta num. 15. dummodo Peregrinus non diuertat aliò cum intentione constituendi ibi domicilium, vel ibi manendi maiore anni parte; tunc enim illicò ligatur legibus loci, verbi gratia legibus ieiunij, festorum illius loci, ac demum desinit esse Peregrinus, & fit incola illius loci. Ad contrahendum autem in aliquo loco domicilium requiritur intentio ibi manendi perpetuò l. domicilium ff. ad municipalem: itaut primò adsit actualis habitatio, tum verò animus ibi perpetuò manendi. Vt bene Sanch. lib. 3. de matrim. disp 23. num.2.

Dixi vel ibi manendi maiore anni parte; intentio enim hæc licèt non sufficiat ad contrahendum absolutè domicilium, sufficit tamen ad contrahendum domicilium parochiale, & ad contrahendam obligationem legum illius Parochiæ: vnde est, vt ibi recipere possit omnia Sacramenta, excepto Ordine, & prima tonsura, quæ à proprio Episcopo recipienda sunt; proprius autem Episcopus dicitur ille, qui est Episcopus Diœcesis, in qua ordinandus habet domicilium, vel beneficium Cap. Cum nullus, de Temporibus Ordinationum in 6. Vt bene Sanchez l. cit. Laym. lib.1. tract. 4. cap. 12. num.1. Less. lib.2. cap. 34. dub. 19. num. 92.

60 Secundò limitanda est quoad solemnitatem contractuum; forenses enim, & Peregrini tenentur seruare leges, & consuetudines locorum, in quibus contrahunt, cùm ratione contractus quilibet sortiatur forum in loco contractus C. fin. de foro competen. Et l. si fundus ff. de Euictionibus.

61 Tertiò limitanda est nisi fortè legis trangressio cedat in damnum illius Oppidi; tunc enim Peregrini tenentur illam seruare. Vt si sit aliqua lex, quæ prohibeat aliquid extrahi ex illo Oppido, vel ne viatores ibi commorentur, nisi tanto tempore in bonũ illius Oppidi. Vt bene Sanch. cit. nu. 14. cum Bartolò, Baldo, & alijs. Panormit. Cap. à nobis de sententia excommu. Suar. lib.3. de leg. cap. 32 num. 8. cum Couarr.

62 Restat hoc loco quærendum, quid dicendum ad casum hunc. Titius Ciuis Mediolanensis in primis quatuor diebus antecedentibus primam Dominicam quadragesimæ (quibus diebus Mediolani non ieiunatur, nec abstinetur à carnibus, aut lacticinijs) petijt Papiam, aut Modoetiam, aut alium locum, in quo ieiunatur, iuxta ius commune. Quæritur, an possit ibi carnes comedere iuxta vsum, & consuetudinem sui domicilij.

63 Huic quæstioni videtur illicò respondendum affirmatiuè, suppositis ijs, quæ diximus: cùm enim Peregrinus non teneatur legibus loci, in quo per modum transitus reperitur quoties non habet animum ibi perpetuò manendi, aut maiore anni parte commorandi, porrò non videtur dictus Titius teneri ea lege ieiunij, quæ vigeat in eo loco, ad quem per modum hospitij se transtulit. Tum quia qui ad breue tempus abest

abest habetur pro præsente: sed qui illis diebus præsens est Mediolani non tenetur ieiunare; Ergo etiam non tenetur, si alibi per modum transitus reperiatur. Tum quia versamur in materia fauorabili, fauores autem ampliandi, odia verò restringenda. Ita Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 18. n. 7. Palacios 4. distin. 15. disp. 8. post 6. conclusionem, quo loco docet Castellanũ transeuntem per Lusitaniam posse more suæ patriæ die Sabbathi vesci intestinis, licèt in Lusitania id non permittatur.

64 Contraria tamen sententia, & verior est, & tenenda, proindequè asserendum Titium teneri in tali casu ieiunare, & à lacticinijs abstinere. Et ratio est, quia quando leges aliquæ obligant ex iure communi, licèt non obligent in proprio domicilio Peregrinorum ex eo quòd abrogatæ sint consuetudine (vt Mediolani abrogatum est pro illis diebus præceptum ieiunandi) eæ tamen extra hunc locum, in quo vel non sunt receptæ, vel consuetudine ipsa abrogatæ sunt, obligant omnes, etiam Peregrinos. Quando ergo diximus Peregrinum non teneri legibus loci, per quem transit, si eæ non obligent in proprio domicilio; id verum est de specialibus, & peculiaribus legibus alicuius loci, non autem de ijs, quæ à iure communi sunt latæ. Ratio autem differentiæ est, quòd ad obligandum requiritur iurisdictio; cùm autem lator legis specialis & peculiaris non acquirat iurisdictionem in Peregrinos breui commoraturos, inde est vt illos non obliget: E contra verò quia incidens ius commune est Ecclesia, quę in omnes Christifideles habet iurisdictionem, inde est vt eius legibus omnes obligentur etiam Peregrini. Tum quia priuilegium, quo Mediolanenses illis quatuor diebus possunt carnibus, aut lacticinijs vesci non est personale, sed locale deobligans Ciuem Mediolanensem à lege ieiunij, quamdiu Mediolani existit, vbi lex hæc vel non est recepta, vel consuetudine est abrogata; cæterùm si extra Territorium existat, tale priuilegium nihil prodest, proindequè tenetur ieiunare iuxta loci consuetudinem. Ita Nau. cap. 23. num. 120. Suar. tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 14. num. 27. & 28. Vers. vltimò tandem. Sair. in Clau. Reg. lib. 3. cap. 4. num. 25. Henriq. lib. 9. de Missa cap. 25. num. 2. Sanch. in opere morali lib. 1. cap. 12. num. 39. quo loco retractat sententiam, quam sustinuerat in tractatu de Matrimonio, Bonac. de legibus disput. 5. quæst. 1. pun. 6. num. 55. qui num. sequen. hoc idem infert dicendum de Castellano, qui die Sabbathi transeat per ea loca, in quibus viget ius commune abstinendi á lacticinijs, docetq; eum per Lusitanos transeuntem non posse vesci intestinis animalium.

65 Ex quibus patet ad primam rationem dubitandi.

Ad secundam respondetur negando eum, qui ad breue tempus abest fictione iuris censeri præsentem in omnibus casibus, sed tantùm ijs, qui in iure sunt expressi Cap. in præsentia de probationibus. Adde demum, quòd si pro præsente haberetur, sequeretur eum teneri legibus proprij domicilij, etiamsi eæ non obligarent in loco, in quo est, quod tamen est contra dicta superiùs.

Ad tertiam respondetur priuilegiũ hoc esse potius odiosum, quam fauorabile; quæ enim sunt contra ius commune appellantur odium iuris.

Decisio difficultatis propositæ.

66 EX quibus infertur primò quid dicendum ad difficultatem initio propositam. Respondeo enim Peregrinum, qui per modum transitus, & hospitij ad nos diuertens comedit carnes eo die, quo speciali lege tenebamur ieiunare non obligante in loco domicilij, nullo modo peccare, cùm licitè possit cõformare se legibus proprij domicilij, neq; teneatur eas sequi, quæ obligant in loco transitus. Et sic patet non incidere in reseruationem, quæ peccatum mortale supponit.

67 Secundò infertur Ciuem Mediolanensem diuertẽtem Modoetiam in feria 4. & 5. ante primam Dominicam quadragesimæ, ibiq; comedentem carnes, incidere in reseruationem, cùm verè dicatur comedere carnes diebus ab Ecclesia prohibitis: ibi enim existens licèt non teneatur ad legis illius loci, tenetur tamen legibus iuris communis, quo iure tali die ibi indictum est ieiunium.

DVBIVM TERTIVM.

68 *An peregrinus quamdiu abest à proprio domicilio, ligetur aliquibus legibus, & quibus.*

68 QVoad tertium, quibusnam legibus teneantur Peregrini quamdiu absunt à proprio domicilio: quoties enim dicamus primò eos non teneri legibus proprij domicilij. Secundò non teneri peculiaribus legibus loci, in quo sunt; iam videntur nullis legibus teneri.

Respondeo tamen primò illos teneri legibus quæ in suo domicilio, & in loco, in quo reperiuntur obligant. Secundò eos teneri legibus iure communi latis, & sic non sequi quòd sint omnino exempti à legibus, vt quidam videntur obijcere contra nostram sententiam.

DIFFICVLTAS V.

Titius eodem die ieiunij pluries comedit carnes. Quæritur vtrùm plura peccata reseruata commiserit.

69 *Vtrùm toties peccetur, quoties in die ieiunij carnes comeduntur. Responsio est affirmatiua.*

70 *Vtrùm quæcunquè comestio, quæ in die ieiunij fiat dempta prima sit peccatum.*

71 *Respondetur negatiuè.*

72 *Quare pluries comedens in die ieiunij non peccet pluries: & tamen pluries peccet Sacerdos in eodem die pluries consecrans.*

73 *Pluries peccat, qui pluries in die quadragesimę comedit oua, & lacticinia.*

74 *In plures reseruationes incidit, qui pluries in die ieiunij comedit carnes.*

75 *Vtrùm qui vouit aliquo die ieiunare toties peccet, quoties eo die carnes comedit. Respondent aliqui affirmatiuè.*

76 *Author putat peccari tantùm prima vice comedendo.*

77 *Qui ieiunium vouit peccat quidem si secundo comedat, non tamen si tertio, aut quartò.*

78 *Qui vouisset determinato aliquo die ieiunare pane, & aqua peccaret prima vice bibendo vinum in notabili quantitate; secus verò si iterum biberet.*

79 *Quomodo votum ieiunij dicatur instar præcepti Ecclesiastici.*

80 Qui

80 *Qui vult determinato die ieiunare, excusatus à ieiunio potest carnes comedere, quod non contingit, si ex præcepto Ecclesiæ sit ieiunandum.*

69 HVius casus solutio ab ea difficultate pendet, vtrùm toties peccetur mortaliter, quoties in die ieiunij, Veneris, aut Sabbathi carnes comeduntur.

Cui difficultati respondendum est affirmatiuè iuxta ea, quę communiter docent DD. Et ratio est, quia præceptum non comedendi carnes in die ieiunij, aut Veneris est simpliciter negatiuum, ita vt sensus huius propositionis, ne in die ieiunij carnes comedantur, sit iste, nunquam in die ieiunij comedantur, cuiusmodi negatio distributionem tribuit prędicato more aliarum negatiuarum propositionum, seù præceptorum: vnde est, vtrùm præceptum hoc sit simpliciter negatiuum, toties peccetur, quoties in die ieiunij carnes comeduntur: sicuti quoties eodem die quis furatur, mæchatur, aut occidit, toties etiam peccat, quia præcepta hæc furandi, non mæchandi, nō occidendi simpliciter negatiua sunt. Ita Sancius in selectis disp.41. num.26. quo loco subdit hoc idem esse dicendū de eo, qui tempore quadragesimę oua, & lacticinia comedat, Fagund. 4 Ecclesiæ præcepto lib. 1. cap.4. num. 9. Regin. lib.4. cap. 16. num. 192. noster Bonac. de præcept. Ecclesiæ quæst. 1. pun. 3. num. 11. Et alij communiter.

70 Obijcies hoc modo sequeretur eum, qui violat ieiunium secundò comedendo, toties mortaliter peccare, quoties eo die postea comedat, ita vt ter, quater, aut quinquies comedat, toties etiam mortaliter peccet. Sed consequens à nobis non admittitur iuxta ea, quæ alias docuimus agentes de ieiunio; Ergo nec antecedens. Sequela probatur, quia etiam pręceptum ieiunandi est negatiuum, sic enim explicatur, Ne bis eodem die comedas. Ergo multiplex huius præcepti transgressio multiplex etiam peccatum erit. Confirmatur quia Sacerdos, qui absq; priuilegio sępius eo die celebrat toties peccat, quot facit sacrificia post primum, excepto die Natali Domini; Ergo pari modo toties quis peccabit in die ieiunij, quoties comedet post primam comestionem. Et hanc sententiam sustinent Maior in 4. dist. 15. q.6. Med. tract. de ieiunio q. 5. Couar. lib.4. var. resol. cap. 20. nu. 13. Et alij.

71 Respondeo negando sequelā. Disparitas autem in eo est quia præceptum ieiunij ex ea parte, qua prohibet carnium comestionem est simpliciter negatiuum, facit enim hunc sensum, nunquā in die ieiunij comedes carnes. At verò ex ea parte, qua prohibet multiplicem comestionem non est simpliciter negatiuum, facit enim hunc sensum; De alijs cibis comedes, sed semel tantùm in die. Vnde priorem negationem essentialiter includit, posteriorem verò includit tantùm tanquam limitatam, & finitam conditionem, ne scilicet bis comedamus, qua non obseruata ieiunium amplius non obligat: & quia non amplius obligat, indè est vt noua comestio non sit nouum peccatum. Sic si alicui præceptum esset ne certum locum transiliret vno passu, porro præceptum hoc includeret negationem non transiliendi locum illum vno passu: at quia negatio hæc non esset essentialis præcepto, sed ea includeretur tātùm quatenus conditio, inde est, vt peccaret quidem transiliendo primo passu, non tamen si secundo, aut tertio iterum transiliret.

72 Ad confirmationem respondeo præceptum non amplius quam semel in die sacrificādi absolutè, & simpliciter esse negatiuum, & obligare pro toto die; indequè esse vt multiplex illius transgressio multiplex peccatum sit, quia non solùm obligat ad non sacrificandum bis vno, & eodem die, sed etiam obligat ad non sacrificandum ter, quater, quinquies, & pluries. At verò præceptum ieiunij obligat tantùm ad non comedendum bis, itaut facta secunda comestione cesset obligare, & quia post secundam comestionem cessat præceptum ieiunij, inde est vt tertia comestio non sit nouum peccatum.

73 Hinc colligi potest primò quid dicendum de eo, qui pluries in die quadragesimæ comedit oua, & lacticinia; ille enim toties peccat, quoties comedit quia præceptum hoc est simpliciter negatiuum, & est distinctum ab eo, quo prohibentur carnes. Vt bene Sancius l. cit.

74 Secundò quid dicendum ad casum propositum. Respondeo enim Titium toties incidere in casum reseruatum, quoties in die ieiunij, Veneris, Sabbathi, aut quadragesimæ carnes comedit, tot enim peccata sunt, quot comestiones.

75 Vtrùm verò qui vouit aliquo die ieiunare toties peccet, quoties in illo die carnes comedit. Respondet affirmatiuè Azor lib. 11. instit. moral. cap. 20. quæst. 6. ex eo quòd ieiunium certa die promissum illud contineat, vt nunquam eo die carnes comedantur.

76 Ego verò respondeo peccare tantùm prima vice comedendo. Et ratio est, quia licèt tale votum includat abstinentiam a carnibus, eam tamen non includit directè, sed indirectè tantùm, & dependenter à ieiunio, quatenus videlicet est pars essentialiter ad ieiunandum requisita. Vnde est, vt quia semel violato ieiunio per carniū comestionem cessat obligatio circa principale, eadem etiam cesset circa accessoriam abstinentiam à carnibus. Ita Sanch. in sum. lib. 4. cap. 11. nu. 42.

77 Sic licèt is, qui ieiunium vouet dicatur vouere vnicam comestionem: quia tamen hanc non vouet directè, sed tantùm dependenter à ieiunio, inde est vt fracto ieiunio per secundam comestionem non amplius peccet si tertiò, aut quartò comedat. Secus autem eueniret si directè, & expressè quis voueret vnicam in die comestionem; hic enim toties peccaret quoties post primam comestionem comederet illa die.

78 Sic si quis vouisset ieiunare aliquo determinato die pane, & aqua, peccaret quidem mortaliter prima vice bibendo vinum in notabili quantitate; si tamen denuo illud biberet non amplius peccaret. Et ratio est, quia abstinentia à vino non fuisset promissa directè, & per se, sed accessoriè tantùm quatenus ea est necessaria ad ieiunium cum solo pane, & aqua. Atqui semel potato vino in notabili quantitate tale ieiunium non amplius posset seruari; Ergo nulla amplius vigeret obligatio abstinendi à vino. Secus tamen esset si quis vouisset comedere solum panem, & solam aquam potare; vel certè si vouisset non bibere vinū: tunc enim peccaret toties, quoties vinum biberet. Et ratio est, quia in tali casu abstinentia à vino non accessoriè, sed directè fuisset promissa. Vt bene Sanchez in sum. lib. 4. c. 11. cit. n. 41. & 45.

Objicies contra dicta, votum ieiunandi aliquo determinato die obligat instar præcepti Ecclesiastici. Sed præceptū Ecclesiasticū violatur toties, quoties carnes comedūtur. Ergo & votum.

Respondeo Ecclesiam posse dupliciter obligare ad ieiunium. Primò præcipiendo tantùm ieiunium, indirectè verò, & accessoriè abstinentiam à carnibus, quatenus hæc ieiunio est essentialis. Secundò præcipiendo etiam directè abstinentiam à carnibus diebus quibus ieiunatur. Si primo modo præcipiat, non toties violatur præceptum quoties carnes comeduntur, sed prima tantùm vice illud violatur, qua carnes comeduntur. Si verò secundo modo, tunc bene toties peccatur quoties carnes comeduntur, quia directè, & principaliter fuit etiam præcepta abstinẽtia à carnibus, vt proinde huius præcepti obligatio non pendeat ab obligatione ieiunij, sed illâ extinctâ, remaneat hæc.

79 Ex quibus patet quo sensu possit dici, quòd votum ieiunij obliget instar præcepti Ecclesiastici de ieiunio: vno enim modo potest verè dici, quòd votum ieiunij obliget instar præcepti Ecclesiastici de ieiunio; altero verò modo non. Et quia Ecclesia hoc posteriore modo præcipit ieiunium, hinc est, vt qui ex præcepto Ecclesiastico tenetur ieiunare, si comedat carnes, non satisfaciat in confessione dicendo, se ieiunium violasse, sed teneatur dicere, se in die ieiunij carnes comedisse, quia duplex peccatum commisit, alterum violando legem ieiunij, alterum verò violando legem de abstinendo à carnibus in die ieiunij. At verò is, qui vouit ieiunium determinato die, si eo die carnes comederet, satisfaceret in confessione dicendo, se ieiunium non seruasse, ad quod tenebatur ex voto, neq; teneretur circumstantiam carnium exprimere ex eo quòd abstinentia à carnibus in voto ieiunij indirectè tantùm promittatur.

80 Sic qui vouisset tali die ieiunare, si fortè concurreret causa quæ illum à ieiunio excusaret, posset carnes comedere: qui verò tali die teneretur ex præcepto Ecclesiæ ieiunare, licèt concurreret causa à ieiunio excusans, tamen eo die teneretur à carnibus abstinere. Et quod diximus de voto ieiunij, idem est dicendum de ieiunio in pœnitentiam Sacramentalem iniunctо. Ita Sanch. cit. num 42.

DIFFICVLTAS VI.

De ieiunij commodis, & quàm grauiter peccent vescentes carnibus ab Ecclesia prohibitis.

IEiunij bona si quis optet, legat Basilium orat. 1. ab ijs verbis, Ieiuniũ Prophetas generat, potentibus robur addit &c. Et D. Chrysostomum Hom. 1. de ieiunio tom. 5. Ieiunium Angelorum imitatio est pro nostra virili, contemptus præsentium, Schola precum, alimonia Animæ &c.

Horum tamen aliqua si quis recensere velit, potissima hæc sunt. Primò bona valetudo. Quæ enim mala non inuexit gula? Hinc vertigines, apoplexia, paralysis, & varij capitis dolores: hinc tusses, asthmata, phthisis, & pectoris mala: hinc variæ cruditates, & lancinationes in stomacho: colica dysenterea, diarrhoea in intestinis: obstructiones in mesentereo, in hepate, in splene, calculi in renibus: hinc omnes morbi articulares: hinc crudis humoribus corruptis multæ febrium species, vt verissimè illud vulgari iam, ac trito adagio feratur, plures occidi gula, quam gladio.

Secundò longæuitas; dum enim ieiunium arcet, aut consumit humores

naturam grauantes, inde fit, vt nonnisi senio, aut naturalis caloris defectu ab hac vita decedatur. Hinc est, vt si vitas Sanctorum Patrum perlegamus plures miremur ad extremam ætatem vitam suam produxisse.

Tertiò carnis tentationes extinguit, eamquè spiritui subijcit: hæ enim ferè proueniunt ex copia humidi, & calidi redundantis; ieiunium autem siccat, & refrigerat. Cyprian. Serm. de ieiunio. Ieiunijs vitiorum sentina siccatur, petulentia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates &c.

Quartò intellectum reddit promptiorem ad omnes suas functiones obeundas, vt quotidiana docet experientia. Atquè id ipsum testatur Chrysost. hom. 1. in Gen. Ieiunium leues pennas animæ producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat &c.

Quintò diuinis illustrationibus animam aptat. Vnde est vt Cyprianus cit. optimè dicat Ieiunium scripturarum delitijs pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cœlesti pane nutritur &c.

Sextò flagella pro peccatis nostris impendentia auertit. Vt constat exemplo Regis Achab. 3. Reg. 21. & exemplo Niniuitarum.

Septimò impetratorium illud est diuinarum gratiarum, & beneficiorum. Id quod fusè declarat Cyprian. Quoties viri Sancti aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiunijs incubuere, & lachrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carni hærentibus supplices beneficia postularunt, nec defuit prouentus.

Octauò demum est meritorium vitę æternæ. Matth. 6. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi, videlicet mercedem cęlestem, de qua mox subdit, Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo &c. Ierem. 35.

Quàm grauiter verò peccent qui diebus ab Ecclesia vetitis absq; legitima causa, aut facultate non impetrata carnibus vescuntur, id ipsum argumento est, quòd hi præsumuntur tanquam hæretici, quia non faciunt id, quod faciunt omnes alij fideles. De hæret. c. ad abolendam, & sic possunt accusari coram Inquisitoribus sanctæ fidei, & ex sola hæresis suspicione tanquam hæretici puniri. Ad quod facit Extra de hæret. Cap. Excommun. 2. Graff. in praxi lib. 2. cap. 10. num. 21. Ac iure; cùm enim hæretici ieiunium nostrum maximè criminentur damnantes, quòd in ieiunio à carnibus abstineamus, & ab ouis, ac lacticinijs in quadragesima: quòd certis diebus ieiunemus: quòd ex præcepto: quòd ex opinione cultus ieiunemus, putantes per hoc nos Deo placere, cum id superstitiosum ipsi putent; quòd ieiunemus ad satisfaciendum pro peccatis: ac demum quòd illo vtamur ad aliquid à Deo impetrandum; porrò Christiani videntur maximè hæreticis, illorumquè prauis de ieiunio opinionibus fauere, ieiunia non obseruantes.

DISCE LECTOR
Pessima quæq; vitia suum veluti Parentem agnoscere Intemperantiam.

CAPVT DECIMVMQVINTVM

De obligatione, quam habent Confessarij publicè peccantibus publicam pœnitentiam imponendi.

1 *Propter quid institutum fuerit genus hoc publicæ pænitentiæ.*

2 *Refertur quædam pia consuetudo publicæ pænitentiæ infligendæ.*

3 *Refertur Pænitentia publica in Clericos eos statuta, qui Synodali tempore cauponas frequentent.*

4 *Genus hoc publicæ pænitentiæ modo videtur in desuetudinem venisse.*

5 *Hæc publica pænitentia ijs tantùm est iniungenda qui illam voluntariè acceptent.*

6 *Pro quibus peccatis ea iniungi debeat.*

CAsus hic in Concilio Prouinciali primo, tit. de ijs, quæ pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ, est reseruatus in hæc verba [Confessarij quemadmodum à Sacra Tridentina Synodo iussum est publicè peccantibus publicam pęnitentiam imponant: neq; illud publicæ pœnitentiæ genus, nisi data ab Illustrissimo Archiepiscopo facultate, secreta alia pœna commutare audeant] Pro cuius intelligentia.

1 Aduertendum primò, hoc publicæ pœnitentiæ genus in Concilio nostro Prouinciali statutum, ac præscriptum maximè fuisse in executionem Concilij Tridentini Sess. 24. cap. 8. Decreto de Reformat. Quo loco, quandoquidem Apostolus dixerat, publicè peccantes palam esse corripiendos, monet vt quando ab aliquo publicè, & in multorum cõspectu crimen aliquod commissum fuerit, vnde alios scandalo offensos, commotosquè fuisse non sit dubitandum, condigna pro modo culpæ pęnitentia illi iniungatur: vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam vitam reuocet: ita tamen vt Episcopus hoc publicæ pœnitentiæ genus in aliud secretum possit commutare, quando ita iudicauerit expedire.

2 Aduertendum item secundò, receptam hanc olim in Ecclesia nostra fuisse consuetudinem, vt qui ob publica sua peccata grauiori pœnitentia indiguissent, initio quadragesimæ sacco induti, nudis pedibus, vultu ad terram demisso, vniuerso Clero adstante in Ecclesia Episcopo se præsentarent, qui eorum delictis diligenter examinatis publicam illis pœnitentiam iniungebat: ac demum post multas orationes, cineremq; Capiti impositum, cilicio tectos, populo suspirijs, ac gemitibus plenus præcipiebat, vt ab Ecclesia eijceret, eo planè modo, quo Adã fuerat è Paradiso terrestri eiectus: quo dicto ij illico pellebantur, & ab Ecclesia auulsi manebant vsquè ad aduentum feriæ quintæ in Cœna Domini. Patet hoc ex epistola pastorali D. Caroli in Septuagesima Actor. par. 7. fol. mihi 1015.

3 Aduertendum tertiò huius publicæ pœnitentiæ genus quoddam extare in Actis contentum par. 2. Synodo Diœces. octaua, decreto, Pœnitentiæ Clericis impositæ Synodali tempore cauponas frequentantibus, cuius verba hæc sunt [Mandamus igitur hos, qui hoc Synodali tempore ad cauponas diuerterunt, id quod & decreto Prouinciali, & disciplinæ Synodalis sanctione vetitum est, superpelliceo exutos ad Altare maius genibus flexis Psalmos septem Pœnitentiales dice-

dicere; & cras feria 6. ieiunare pane & aqua; & quidquid pecuniæ in dimenso cibo crastinæ feriæ erogaturi erant, id in eleemosinam Christi pauperibus conferre.

4 Aduertendum quartò, genus hoc publicæ pœnitentiæ in desuetudinem venisse: atq; in quibusdam delictis tantummodo, iisq; grauioribus puniendis vsurpari: licèt laudabili sanè instituto aliqui Parochi illud in more habeant; vt die festo laborantes, publicos blasphematores, choreas ducentes publica pœnitentia puniant.

5 Aduertendum quintò, publicam hanc pęnitentiam ijs tantummodo iniungendam, qui illam voluntariè acceptent. Hoc patet ex ijs, quæ suo loco diximus, cùm de obligatione sigilli. Et ratio est, quia alioqui hoc modo, indirectè saltem, publicaretur peccatū Pęnitentis. In casu autem quòd Pęnitens illam nollet acceptare, sine absolutione esset dimittēdus. His positis,

6 Quæres, vtrùm hæc publica pęnitentia sit imponenda; & pro quibus etiam peccatis iniungi debeat.

Respondeo, spectando decreta Cōcilij Tridentini, & Prouincialis nostri cit. eam esse iniungendam: & quidem publicis peccatoribus, quales sunt publici concubinarij, vsurarij, & alij similes. At verò, si praxim spectemus, consuetudinem hanc tam laudabilem, & piam quasi exoleuisse. Argumento est, quòd cùm publici peccatores frequentissimi sint, rarissima tamen publicæ huius pęnitentiæ exempla cernuntur: itaut vix semel in anno audiamus publicum aliquem peccatorem ad Ecclesiæ ianuam præ manibus accensam candelam tenentem cōstitisse. Verùm tamen est obligationem hanc alicubi vigere: & à viris pijs, & Parochis qui officio suo ritè fungi volunt, consuetudinem hanc accuratè, & cum Populi fructu obseruari.

INGEMISCE LECTOR
Humanæ naturæ vitio ita esse comparatum,
Vt facta improbè citissimè inolescant:
Obsolescant verò præclarè instituta.

CAPVT DECIMVMSEXTVM

Qui Deum, aut Sanctissimam eius Matrem blasphemauerit.

SEptem hosce casus insequentes reseruauit sibi fel. record. Eminētiss. Federicus Borromæus Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus in Synodali Sessione habita anno 1606. die 12. Mensis Aprilis.

QVÆSTIO PRIMA

De blasphemia.

AD clariorem huiusce casus intelligentiam præmittenda quędā sunt, quæ primo præcepto Decalogi sunt communia: quid, nimirum: quotuplex sit blasphemia: & quot modis ea committatur; sic enim faciliùs intelligemus, quinam sint ij, qui in hanc reseruationem incidant.

DIFFI-

DIFFICVLTAS I.

Quid sit blasphemia.

1 *Definitio blasphemiæ.*
2 *An solis factis, & signis committatur blasphemia.*
3 *An ad blasphemiam requiratur falsitas.*
4 *Quomodo reperiri possit falsitas in blasphemia prolata non modo enuntiatiuo, sed imperatiuo, aut deprecatiuo.*
5 *Ad blasphemiam requiritur, vt locutio sit per modum conuicij.*
6 *Cui virtuti opponatur blasphemia, & quo præcepto sit prohibita.*

1 VArijs modis Doctores varij definiunt blasphemiam. Mihi inter cæteras definitiones placet ea, quam tradit Bannes 2.2. quæst. 13. art. 1. notabili 2. quòd sit locutio falsa contra Deum, vel Sanctos per modum conuicij.

2 Dicitur locutio licèt enim aliqui existiment in solis factis, & signis posse esse blasphemiam: cùm non minùs factis, & signis, quàm verbis ostendatur praua voluntas, Vt Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 12. Corduba in quæst. lib. 1. quæst. 17. §. 15. notab. 1. Quod contingere potest, si quis imagines Dei, aut Sanctorum conculcet: si in faciem alicuius Sancti expuat: si alapa feriat. Ego tamen probabilius puto cum Suar. tom. 1. de religione tract. 3. lib. 1. cap. 4 num. 4 & 5. Less. lib. 2. cap. 45 dub. 5. num. 24. Sanch in opere morali lib. 2. cap. 32. nu. 5. blasphemiam non consistere in factis, sed in solis verbis ore, aut scripto prolatis: ita vt Deus dehonoretur per expressionem alicuius dicti improbi. Et ratio est, quia blasphemia opponitur laudi Dei: laus autem solis verbis, ore, vel scripto exhibetur. Tum quia communiter blasphemia dicitur vitium linguæ. Tum quia sequeretur, quòd idololatria, infidelitas, & alia similia vitia essent blasphemiæ, cùm facto ipso cultum eum, qui solius Dei proprius est, Creaturis tribuant.

3 Dicitur falsa; & quidem primò ex re significata: vt quando de Deo affirmatur quod illi non conuenit: vel de eodem negatur quod illi conuenit: vt si quis proteruè assereret Deum esse iniustum, partialem: vel Dæmonem esse omnipotentem.

Secundò ex modo significandi: cùm, videlicet, verè aliquid de Deo enuntiatur, quod illi conuenit: illud tamen significatur per modum conuicij, contumeliæ, vel irrisionis: vt si quis per modum irrisionis de Christo diceret, illum fuisse eunuchum: quia licèt in Christo fuerint membra; non tamen fuerunt contumeliosa. Et hæc dicitur falsitas in modo loquendi.

4 Dices cum Suarez loco superiùs citato num. 9. Azorio to. 1. instit. mor. lib. 9 cap. 28. quæst. 1. & 2. in blasphemia non esse necessariam falsam assertionem: quod ex eo patet, quia falsitas reperitur tantùm in enuntiatione modi indicatiui; cùm tamen blasphemia contingere etiam possit in modo imperatiuo, vel deprecatiuo: puta, malum aliquod imprecando.

Resp. quæstionem hanc de nomine esse. Et ratio est, quia licèt in tali genere blasphemiæ non reperiatur falsitas tanquam res enuntiata; reperitur tamen tanquam res desiderata: dum enim quis malum aliquod Deo imprecatur, optat aliquid, quod esse non potest. Vt bene Sanch. cit. num. 6.

Dicitur tertiò contra Deum, vel Sanctos. Et ratio est, quia ex communi sensu

sensu theologorum blasphemia semper Deum respicit, siue immediatè, siue mediatè. Immediatè quidem, quando directè ea est contra Deum: mediatè verò, quando quis blasphemat Crucem, Sanctos, & alias Dei Creaturas, quatenus ad Deum referuntur.

5 Dicitur demum per modum cõuicij. Et ratio est, quia plasphemia formaliter consistit in derogatione diuinæ excellentiæ, siue expresse fiat, siue implicitè Quare aduertendum, de ratione blasphemiæ esse derogationem diuinæ gloriæ: Sed hanc dupliciter contingere posse. Primò directè: vt si quis blasphemet cum intentione dehonorandi Deum, vt blasphemant Damnati. Secundò indirectè: vt quando quis expressè quidem non vult detrahere diuino honori; sed tamen ex circumstantijs videtur velle detrahere: quandoquidem talem profert blasphemiam, cuius circumstantiæ, si examinentur, videntur continere contemptum Dei.

Hinc est, vt Bannes superiùs citatus notabili 4. Pet. de Led 2. to. sum. tract. 1. cap. 9. conclus. 4. optimè doceant, blasphemiam retinentem veram speciem blasphemiæ esse duplicem. Alteram perfectam, & formatam, quæ ex odio Dei procedit, quæ dicitur blasphemia secundùm affectum: ex eo quòd ita blasphemans directa intentione intendat imminutionem, & derogationem diuinæ gloriæ. Alteram informem, & non vndequaquè perfectam, quæ videlicet non procedit ex odio Dei, sed ex iracundia, & passione; quæ dicitur blasphemia secundùm intellectum; non quia non adsit voluntas, sed quia desit detestatio Dei: sed tamen est verè, & propriè blasphemia. Eo modo, quo fides in peccatore dicitur informis, quia est destituta sua perfectione, & forma charitatis: sed tamen est verè, & propriè fides. Directa ergo voluntas derogandi diuinæ maiestati, vel bonitati non est necessaria ad blasphemiam: alioqui, vt bene monet Sanch. cit. nu. 2. rarissimæ essent blasphemiæ; cùm communiter animus proferentis non sit velle diuinæ bonitati derogare: sed ea ex passione bilis, ac ira procedat. Sed sufficit voluntas indirecta.

6 Ex his patet primò, blasphemiam opponi virtuti Religionis, cuius est Deum, & Sanctos reuereri.

Secundo, eandem prohiberi primo præcepto Decalogi: cùm enim opponatur Religioni debitum Deo honorem exhibenti, dicendum est, eam prohiberi primò pręcepto, quod debite Deum esse colendum præscribit.

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex sit blasphemia.

7 *Blasphemia alia est cordis, alia oris.*
8 *Alia simplex, alia hæreticalis.*

7 REspondeo primò, aliam dici cordis, aliam oris: itaut oris ea dicatur, quæ ore profertur: cordis verò, quæ tantùm mentalis est.

8 Secundò, aliam dici simplicem, aliam verò hæreticalem. Simplex ea est, quæ directè non continet falsitatem contra veritatem fidei, idest, neq; affirmat, neq; negat aliquid contra fidem per verbum modi indicatiui: Sed simpliciter tantùm aliquod conuiciũ in Deum profert: vel per modum imprecantis, & optantis, vt si quis malum aliquod Deo optaret: vel per modum conuiciantis, vt si quis Christi membra contumeliosè nominaret.

Hære-

Hæreticalis ea est, in qua aliquid asseritur contrarium veræ fidei: cuius generis eæ omnes sunt, Abnego Deum: Crucem Christi: Chrisma, quod fronte percepi: aut puritatem Beatæ Mariæ Virginis: Vel certè, Deus iniustus est: partialis: ignarus: & similia. Ita Sanch.lib.2.cap.32.num 36. Si quis tamen abnegaret aliquem Sanctum, puta D. Carolum: blasphemia hęc simplex tantùm esset, non autem hæreticalis: ex eo quòd nihil assereret, quod directè repugnaret articulis fidei. Diceretur autem blasphemia simplex, quia contineret verbum contumeliosum in D.Carolum. Ita Sanchez l. cit. Secùs vero esset, si quis D. Petrum ita denegaret, vt etiam denegare vellet Ecclesiam, cuius caput fuit D. Petrus: tunc enim committeret blasphemiam hæreticalem.

DIFFICVLTAS III.

Quot modis committatur blasphemia.

9 *Tribus modis cõmittitur blasphemia.*
10 *Blasphemus est, qui Deo maledicit, & illi malum imprecatur.*
11 *Item qui Deo exprobrat, quæ illius propria sunt.*
12 *Item qui per falsos Deos iurat.*
13 *Item qui Creaturis maledicit, quatenus sunt quid Dei.*
14 *Item qui dicit, al dispetto di Dì, rinego Dì, omissa vocali O.*
15 *Secus verò, si quis dicat, hoc ita verum est, sicuti est verũ Euangelium.*
16 *Excusatur item, qui contra hominem iurat per Corpus, & sanguinem Dei.*

9 Respondeo tribus potissimùm modis eam committi.

Primò affirmando de Deo aliquid, quod illi non conuenit.

Secundò negando de Deo aliquid, quod illi conuenit.

Tertiò, quæ Dei sunt sine debita reuerentia nominando, aut per ea turpiter, & inhonestè iurando.

10 Ex quibus sequitur primò, illũ esse dicendum blasphemum, qui Deo maledicit, illiq; malum aliquod imprecatur: aut si dicat, maledictus sit Deus. Et ratio est, quia blasphemiæ hæ imprecatoriæ sunt: & consequenter per eas aliquid Deo tribuitur, quod illi non conuenit. Ita Sotus de iuramenti abusu cap 6. & lib. 8. de iustit. quæst. 2. art. 3. colum. 6. Azor to. 1. inst. mor. lib. 11. cap. 3. quæst. 2. Suar. tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1 cap. 5. n. 8. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 32. num. 25.

11 Secundò blasphemum esse eũ, qui Deo exprobret ea, quæ illius propria sunt: vt si irreuerenter iuret per Corpus, & Sanguinem Dei: qualis irreuerentia contingit quando quis per indignationem, & iram erga Deum conceptam: vel certè per modum cõtumeliæ, & vituperij ita blasphemat. Secus verò, si contemptus omnis, & indignatio absit: tunc enim si quis iuraret per Corpus, & Sanguinem Dei, potiùs dicendus esset iurare, quàm blasphemare: Nisi fortè iuramentum hoc de Deo proferret, vt Deus est, non vt est Christus; sic enim contineretur error in fide, cùm Deus vt Deus careat corpore, & sanguine.

12 Tertiò, committere blasphemiam iurantes per falsos Deos. Et ratio est, quia de Deo aliquid negant, quod illius est proprium, putà infallibilem veritatem, quam etiam falsis Dijs adstruunt.

13 Quartò, blasphemos eos esse, qui Creaturis maledicunt, quatenus eæ sunt quid Dei: sicuti enim in Creaturis

turis laudari potest Deus; ita in eisdem etiam dehonorari. Huius autem generis eæ perditissimorum hominum blasphemiæ sunt, Putanna della Vergine, Al dispetto della Vergine, Al sangue della nostra Donna, & aliæ similes in Sanctissimam Mariam, aut alios Sanctos prolatæ.

14 Quintò, blasphemum eum esse, qui dicat, Al dispetto di Dì, Rinego Dì, omissa vocali, O. Et ratio est, quia licèt vocalis illa omittatur, adhuc tamen intelligitur,& est sufficienter prolata: vt proinde quoties adsit intentio blasphemandi, nihil desit ad rationem blasphemiæ. Ita Lazatius de blasphemia q.3. num. 37. Et alij inferiùs citandi.

15 Secus verò est si quis dicat, hoc ita verum est, sicuti verum est Christũ ex Virgine natum: vel sicuti verum est Euangelium: vel tam innocens ego sum, quàm innocens est Christus à peccato: modò tamen ita proferens non intendat adæquare veritatem humanam diuinæ veritati: sed intelligat tantùm, hoc suo modo verum esse, sicuti suo modo verum est, Christum passum, natum ex Virgine &c. proindequè potiùs indicare velit similitudinem, quàm paritatem. Ita Azor 1.par. inst.moral. lib. 11. cap.3. quæst.2. Lud. Lopez 1.par. instruct. cap. 282. vers.3. de isto modo Sanch. in sum. lib.2. cap. 32. num.31.

16 Pariter excusatur à peccato blasphemię, qui contra hominem iurat per Corpus, & sangninem Dei. Et ratio est, quia eo modo dicendi vtitur per modum iuramenti. Item excusatur is, qui dicit, Al dispetto di quel Becco, che mi sostien al mondo. Ratio est, quia hæc verba non sunt referenda in Deum, cum alij sint, qui alimenta pręb endo, dici possint sustinere: nisi tamen ex circumstantijs colligeretur verba hæc in contemptum, & iniuriam Dei proferri. Sed de his, alijsq; similibus blasphemandi formulis fusiùs, & clarius patebit in quęstionib. sequentibus.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam incidant in hunc casum.

17 *Incidit in casum, qui dicit Deus est iniustus, acceptator personarum.*
18 *Item qui malum aliquod imprecatur.*
19 *Item is, qui maledicta in Deũ conijcit.*
20 *An incidat is, qui hispano idiomate dicat, Pesete Dios.*
21 *Debodo à Dios, an sit verbum blasphemum.*
22 *Rinego de tal, Por vida de tal, an sit verbum blasphemum.*
23 *Incidit in casum, qui iurat per pudenda Christi, aut Mariæ.*
24 *Item is, qui Deo malum aliquod imprecatur.*
25 *Item qui dicit, Io disgratio Dio di quello, che mi fà.*
26 *Item qui dicit Deus non est Deus, vel est iniustus &c.*
27 *An incidat is, qui dicit, al dispetto di Dio.*
28 *Incidit is, qui dicat, volo hoc facere velit, nolitue Deus.*
29 *Item qui dicat, possim renegare fidem, nisi te percutiam.*
30 *Item is qui dicit, Credo che Dio non si ricordi di me.*
31 *Item qui dicat volo hoc facere al dispetto di Di omissa vocali O.*
32 *Item qui dicit Putanna di Dio, della Vergine.*
33 *An incidat is, qui dicat, al dispetto della nostra Donna.*
34 *An incidat is, qui postquam protulit, dispetto di Dio, addit Bacco, pon del buono &c.*

35 Quid

35 *Quid pro praxi sit faciendum, aut obseruandum.*
36 *Quid si quis dicat, al dispetto, che non voglio dir di Dio.*
37 *Incidit is, qui semel tantùm Deum, aut B. Virginem blasphemet.*
38 *An incidant in casum iurantes per membra honesta Dei, vt per Corpus, & sanguinem Christi.*
39 *Refertur sententia affirmans.*
40 *Sententia Authoris.*
41 *Quid si adsit indignatio, & ira.*
42 *Author distinguit.*
43 *Quid sit obseruandum pro praxi.*
44 *Demum incurritur præsens reseruatio quotiescunq; blasphematur Deus, aut nomen B. Mariæ Virginis.*

17 RESpondeo primò incidere ita blasphemantem, Deus est iniustus: acceptator personarum: non est Omnipotens: non credo in Deum: Renego Deum, fidem, Crucem, Chrismа, maternitatem, puritatem Mariæ: blasphemię enim hæ hæreticales sunt, cùm per modum indicatiui importent fidei abnegationem, & infidelitatem. Ita docent Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 5. nu. 7 & 8. Manuel 1. to. sum. cap 34. num. 1. Sanch. in sum. lib. 2. cap. 32. num. 36 apud quem alij.

18 Secundò, incidere in reseruationem eum, qui malum aliquod Deo comprecetur dicendo; Malum hoc Deo contingat: vel hispano idiomate, Mal grado aya Dios: sic enim cùm Deo attribuatur id, quod ab ipso est omnino alienum; inde est, vt verbum hoc sit blasphemum. Azor to. 1. institut. mor. cap. 3. quæst. 2. Manuel loco iam citat.

19 Tertiò, incidere eum, qui maledicta in Deum conijciat: non enim maledicta possunt Deo conuenire: & sic maledicta in Deum prolata esse blasphemiam, docent Doctores communiter.

20 Quartò, ligari hac reseruatione eum, qui hispano idiomate dicat, Pesete Dios, cuius locutionis hic est sensus, Deum tædeat, Deo displiceat. Et hunc modum dicendi inter verba blasphema refert Sanch. in opere morali loco iam cit. num. 17. Monet tamen Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 4. casu 375. nu. 11. aduertendum priùs esse, super quo facto hæc verba proferantur: ita vt si factum sit illicitum, puta si quis dicat, tædeat Deum hunc fornicari, non sit blasphemia; quia cùm fornicatio, vt potè peccatum, Deo displiceat, nihil Deo tribuitur, quod ei non conueniat. Idemq; habet Floronus de cas. reser. par. 2. casu 3. §. 2. num. 7. sic distinguens: vel enim talis imprecatio est circa aliquod bonum, vel circa aliquod malum. Si circa bonum: vt si quis dicat. Displiceat Deo, vt concubinam relinquam: vt iniuriam inimico meo condonem: & ita hæc verba proferantur, vt cupiat benefacta Deo displicere, dicit esse blasphemiam. Secus verò si circa malum: vt si dicat, Displiceat Deo, vt fœnus exerceam, vt inimicum occidam.

Sanchez verò putat spectandum tàtùm esse modum proferentis: ita vt si modus sit contumeliosus, verbum sit blasphemum: Secus verò si non sit contumeliosus.

21 Debodo à Dios, aliqui existimant esse verbum blasphemum: & sic incurrere in reseruationem talia verba proferentem. Atq; id verum est, quoties huius vocis hic sit sensus, non credo in Deum: vel Abnego Deum, vt putat Couar. de pactis 1. par §. 7. nu 9. vers. 7. Vel iste, deuoto Deum: seu, maledico Deo: execror Deum; sic enim proferens esset verè blasphemus. Cęterùm

rùm si huius vocis sensus hic esset, voto á Dios: vel per Deum iuro: tunc verbum non esset blasphemum, sed solam voti, aut iuramenti formam contineret. Vt benè Sanch. cit nu. 19.

22 Riniego de tal: Por vida de tal, vtrùm sit verbum blasphemum; & talia verba proferens incidat in casum pendet hoc ex intentione proferentis: si enim nomine, tal, intelligat Deum aut Sanctos erit verbum blasphemum, vt benè docet Lud. Lop. 1. p. instruct. cap. 282. Vers. quartò. Pet. de Led. 2. to. sum. tract. 1. c. 9. post 5. conclusionem dub. 1. proindeq; si intelligat Deum, incidet in casum: cùm præsens reseruatio non comprehendat quamcunque blasphemiam, sed eam tantùm, quæ iacitur in Deum, aut Beatam Virginem Mariam. Ad dignoscendum autem, vtrùm nomine, tal, intelligeret Deum, spectandæ essent circumstantiæ: si enim ira fremens, eleuansque in cœlum oculos verbum hoc proferret, tunc præsumeretur illud protulisse contra Deum. Vt benè cum Doctoribus citatis monet Sanch. num. 23. Quod valet pro foro externo: cœterùm in foro interno standum est dicto Pœnitentis.

23 Quintò affici hac reseruatione eum, qui iuret per Christi, aut Mariæ pudenda, vel illa inhonestè nominet; licèt enim ea membra habuerint; non tamen illa habuerunt tanquam quid ignominiosum, & vituperabile, sed tanquam partes naturales corporis: ac licèt verba huiusmodi non contineant falsitatem enuntiatiuè, vel in actu signato; eam tamen continent quoad modum dicendi, vel in actu exercito: quam falsitatem sufficere ad blasphemiam docuimus superiùs. Et sic verba huiusmodi esse blasphema docent Nauar. in sum. cap. 12. nu. 85. Suar. to. 1. de relig. tract. 3 lib. 1. cap. 4. num. 8. & 9. Corduba in quæst. lib. 1. q. 17. §. 15. notabili 1. Azor tom. 1. inst. Mor. lib. 9 cap. 28. q. 3. & lib. 11. c. 3. q. 2.

24 Sextò incidere eum, qui Deo malum aliquod imprecetur dicens, Pereat Deus, Maledictus sit Deus. Non tamen blasphemia hæc esset hæreticalis cùm non opponatur articulis fidei, vel Sacramentis Ecclesiæ. Ita Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. de blasphemia nu. 27.

25 Septimò incidere eum, qui dicit, Io disgratio Dio di quello che mi fà: hic enim verè dicitur blasphemiã in Deum proferre, cùm in illum verbum contumeliosum iaciat. Neq; pariter hęc hæreticalis esset, cùm huiusmodi verba non sint derogatoria articulis fidei, sed simplex euomitio ingratitudinis. Ita Graff. l. cit num 29.

26 Octauò incurrere in casum eũ, qui dicat, Deus non est Deus: vel asserat Deum non posse factibilia facere: vel esse iniustum, crudelem, proditorem, acceptatorem personarum, vel hæc terrena nescire. Vel turpiter proferat, Deus non vult mihi benefacere. Vel si Deus nõ vult mihi succurrere, succurrat Diabolus: Dęmon potest plusquam Deus: vel iniuste me Deus flagellat: si Deus hoc diceret, dicerem illum mentiri: cum enim hæ locutiones omnes sint blasphemæ, & quidem in Deum; inde est, vt illas proferens incidat in casum. Ita Graff. num. 44. Bell. par. 2 q. 12. num 6. & 7.

27 De hac autem locutione, al dispetto di Dio: quod hispano idiomate dicitur, à despecho de Dios, controuersantur aliqui, vtrùm sit blasphemia: videtur enim habere hunc sensum, vt sicuti mala fiunt, quæ Deo displicent, ita & hoc malum fiet, licet Deo displiceat: qui modus non videtur

tur blasphemus, vt pote nihil derogans immensæ Dei potestati. Ita Doctores quidam apud Couar. de pactis par. 1. §. 7. num. 6. vers. 1.

Verius tamen est, & omnino sustinendum, verbum hoc esse blasphemũ. Vnde est, vt idem Couar. existimet oppositam sententiam esse omnino falsam. Et ratio est, quia manifestè tendit in diuinæ potestatis derogationem, quasi ea proferens sit paratus aliquid agere, etiamsi Deus nolit. Et sic hunc incidere in casum, docet Graff. Belloch. citati Floron. p. 2. casu 3 §. 2. num. 5.

28 Nonò ligari hac reseruatione eum, qui dicat, Volo hoc facere, velit, nolitue Deus: verba enim hæc important diminutionem diuinæ potestatis, quasi Deus non possit impedire. Et sic verbum hoc esse blasphemum docet Sanch. in sum. lib. 2. cap. 32. num. 18. quo loco habet non futurum blasphemum, qui ita diceret: quamuis hoc sit peccatum, illud tamen adhuc sum facturus: ex eo quòd modus iste loquendi nihil aliud inferat, quàm peruersam peccandi voluntatem.

29 Decimò affici hac reseruatione eum, qui verba blasphemiæ proferat, licèt sub conditione. Vt si dicat non credo in Deum: aut possim renegare fidem, vel Deum, nisi te percutiam, aut nisi veritatem dicam: vel Deus est iniustus si de illo vindictam non sumit: vel Deus non est Deus, si miraculum hoc non faciat. Ita Belloch. par. 2. q. 1. num. 244. & q. 12. nu. 4. Et ita verba hæc esse blasphema docent Couar. de pactis 1. par. §. 7. num. 9. vers. 2. Lud. Lopez 1. par. instruct. cap. 282. vers. Sextò, & de qualitate. Azor par. 1. instit. mor lib. 9. cap. 28. quæst. 5. Sanch. cit. num. 24. Quidquid in contrarium sentiat Salazar de vsu, & consuetudine cap. 5. nu. 28. vers. vnde possunt: quo loco habet, huiusmodi verba non esse blasphema, quia conditionalis nihil ponat in esse. Ratio autem blasphemiæ ab eo pendet, quia in huiusmodi propositionibus includitur tacita affirmatiua propositio negandæ fidei, iustitiæ diuinæ, vel diuinitatis, quoties non sequatur vindicta, percussio, aut miraculum.

30 Vndecimò incurrere in reseruationem eum, qui dicit, Io credo che Dio non si ricorda di me: vel certè, Dio non hà mai fatto questo matrimonio: detrahitur enim hoc pacto potentiæ, & prouidentiæ Dei. Ita Belloch. num. 250. & 252.

31 Duodecimò incidere eum, qui dicat: volo hoc facere al dispetto di Di, omissa vocali O: vel maledetto sia Di: vel al dispetto di Ma, omittendo reliqua: licèt enim vltima vocalis omittatur, sufficienter tamen ea intelligitur. Secus verò esset, si talia verba proferens, ideo vocalem suppressisset, ne Deum iniuriaret, quem iniuriandi antea nõ habebat animum. Vt in multis contingit, qui ex inconsideratione, inaduertentia verba illa proferunt, sed illa adueniente nollent protulisse: vnde est, vt omittant vocalem illam, o; tunc enim à peccato blasphemiæ excusantur, & consequenter ab omni reseruatione.

Monuerim tamen hoc loco Confessarios, ne cum huiusmodi personis se faciles præbeant in absolutione impẽdenda: blasphemiam enim si non integrãt, ideo faciunt vt malitiam suam occultent. Vide Floron. de cas. reser. par. 2. casu 3. § 2. num. 5.

32 Decimotertiò patet multò magis incidere in hanc reserua.ionem eũ, qui Deum, aut B. Virginem blasphemet dicendo, Putanna di Dio, Putanna

na della Vergine; appellatione enim Virginis venit excellẽtior, ideſt Chriſti Mater Sanctiſſima Maria. Ita Lazar. p.2.q. de blaſphemia q.7. num.27. & ſeq. Belloch.q.12.cit. num.7.

33 Si quis verò ita iuraret, Al diſpetto della noſtra Donna, vtrùm diceretur blaſphemus: reſpondeo iuxta diſtinctionem ſuperiùs allatam in illatione 4. pro intelligentia locutionis illius, riniego de tal, por vida de tal. Si enim habuerit intentionem blaſphemandi B. Virginem, locutio ea erit blaſphemia, & ſic incidit in caſum. Secus verò ſi non intelligit B. Virginem. In foro tamen externo locutio hęc haberetur tanquam blaſphema, vt poteq̃ quæ ex communi loquendi vſu indicet Mariam, quæ dicitur, noſtra Donna, quia verè eſt Aduocata noſtra: vt canit Eccleſia in antiphona Salue Regina, dum inquit, Eia ergo Aduocata noſtra. Sic Galli Mariam appellant, Noſtra Dama. Hiſpani verò, Noſtra Señora. Ita Lazar. ſuperius cit. q.3. num.38 & ſequent. Floronus l. cit. nu. 6. Belloch.q.12.cit. num.11.

34 Decimoquartò affici hac reſeruatione eum, qui ita blaſphemet, Al diſpetto di Dio, licèt addat, Bacco, non del buono, non del vero: quoties hoc vltimum verbum addat tantùm ad occultandam ſuam malitiam, & prauam blaſphemandi conſuetudinẽ, vel ad pœnas euitandas: vt diximus de eo, qui ita blaſphemet, putanna di Di, omiſſa vocali, O. Quod idem dicendum de eo, qui tale verbum proferret, Dio becco, ſed poſtmodum adderet, Diauolo. Secus verò ſi ſimpliciter huiuſmodi verba proferret, & antequam illa proferret, aduerteret. Huius autem generis hæ aliæ locutiones ſunt, Per il Corpo de dieci, Diera: aut al Sangue, ò Putanna di Dio Bacco: aut al diſpetto di Chriſtofforo, aut della Vergine Gioanna: aut Putanna de Zio.

35. Pro praxi aduertendum eſt, vtrùm huiuſmodi verba proferens ſit ſolitus blaſphemare: & tunc dico, ſi iſte, qui eſt ſolitus blaſphemare antequam talia verba proferret, dicat ſe intendiſſe dicere, putanna di Dio Bacco, in foro conſcientię immunis eſt à peccato blaſphemiæ. Cœterùm ſi nihil aduerterit, ego dico iſtum verè intendiſſe blaſphemare, ſed poſt prolatam blaſphemiam, rubore ſuffuſum addidiſſe illud vltimum verbum, Bacco, nõ del buonò, vel aliud ſimile ad occultãdam malitiam. Vnde in hoc caſu dico iſtum incidiſſe in reſeruationem. Id autem maximè in luſoribus contingit. Vide Floron. par.2. caſu 3. §.2. nu.3.

36 Hoc idem aduertendum docet Floron. cit. §.1. num. 4. & ſeq. cum ijs, qui ita blaſphemant, Al diſpetto che non voglio dir di Dio, Putanna che non voglio dir di Dio.

Ego tamen hunc maiori dignum excuſatione puto, quia poſt prolationem illius verbi, Putanna, vel al diſpetto, illicò declarat ſe, non intelligere de Deo, ſubdendo, che non voglio dir. At verò ſi ita proferat, Putãna di Dio, Bacco: verè protulit totam blaſphemiam, & vltimum verbum, Bacco, ſæpiſſimè interrumpitur, & additur ad petendam excuſationem. Tum quia negatio in medio propoſitionis appoſita facit propoſitionem negatiuam, arg. Cap.1. de offic. deleg. lib.6. & lib.3. cap. quibus ad lib. proclam. non lic. Tum quia proteſtatio videtur factum irritare, vt inquit Felin. in Cap. Cum M. de Conſ. num.74. verſ. fallit quartò. Sed hic adeſt proteſtatio, dum dicit ſe nolle intelligere de Deo. Ita Graff. in praxi lib.1. cap.10. num.72. loquens de pro-

proferente huiusmodi verba, quem immunem facit à reseruatione.

37 Decimoquintò incidere in hãc reseruationem eum, qui etiam semel tantùm Deum, aut sanctissimam eius matrem Mariam blasphemauerit. Ita Graff. cit num.*73*. Secus verò si fuisset reseruata tantùm blasphemia consuetudinaria, vt in tabella Anconitana, & alibi.

38 Potior hoc loco difficultas est de iurantibus per membra honesta Dei, puta per Corpus, & sanguinem Dei. Et quidem si iurans per Corpus Dei, nomine Dei, intelligat Deum, vt Deus est, certum est hunc esse blasphemum: quinimò etiam hæreticum. Sed regulariter hoc nullus fere intendit, aut cogitat. Sermo ergo est de ijs, qui iurant ad Corpus, vel sanguinem Dei, intelligendo Deum incarnatum, idest Christum.

39 Non desunt, qui dicant ita iurantem esse blasphemum, quia huius iuramenti sensum faciunt execratorium: ita vt sensus sit, Amittat Deus Corpus, vel sanguinem si non ita est. Ita Couar. de pactis 1. par. §.7. num.*9*. *vers.8.* referens pro hac sententia Bartolum, Alexandrum: quam tamen ipse limitat, quando quis assuetus esset ita iurare.

40 Ego verò præcisa indignatione, ira, & contemptu sentio, ita iurantem non esse blasphemum. Et ratio est, quia nihil Deo tribuitur, quod verè nõ habeat: neq; membra honesta Christi nominare cedit in illius ignominiam: quo modo cedit nominare pudenda. Nequè sensus huius iuramenti execratorius est, sed simplex, ac si iuretur per Sanctum Euangelium, aut Sacramentum. Ita Caiet. in sum. v. blasphemia. Sylu v. iuramentum 2. in fine. Tolet. lib.4 sum. cap.*13*. num.*6*. Sanch. lib.2. sum. cap.*32*. num. *29*. qui plures alios pro hac sententia citat, addens si iuramentum hoc reuerenter emittatur, nec futuram culpam venialem: nequè frequentem cõsuetudinem iurandi efficere, vt tale iuramentum sit blasphemia, aut peccatum mortale: sicut nec alia iuramenta dicuntur mortalia ob frequentem illorum vsum.

41 Grauior etiam difficultas est, si iuramentum hoc emittatur cum indignatione, & ira. Certum hoc est, si adsit contemptus, ita vt hæc membra Dei honesta nominans iniuriosè, & per modum vituperij, & contemptus illa nominet, esse verè blasphemum, & incidere in casum. Et ratio est, quia cum in Deo nihil sit contemptu dignum, adesset falsitas in actu exercito, vel in modo dicendi: vt diximus superiùs in illatione 5. de iurante per pudenda Christi, aut Mariæ.

Cęterùm si non adsit contemptus, sed tantùm indignatio, & ira: aliqui absolutè sentire videntur ita iurantem esse blasphemum. Suar tom. 1. de relig. tract. *3*. lib. 1. cap. *6*. num. 11. vbi ait, quando absquè forma iuramenti per modum iniuriæ, & indignationis aliquis dicit, Ad Corpus Dei, mihi videtur in rigore blasphemia grauis, nisi per inaduertentiam excusetur. Toletus lib. 4. cap. 13. Et ita opinionem hanc vti magis probabilem se libenter amplecti asserit Belloch. q. 12. sæpius cit. num. 14.

42 Ego verò adhuc rem esse distinguendam puto. Vel enim ita iurans concipit indignationem, & iram erga Deum: vel erga hominem, cum quo contendit. Si erga Deum: tunc dico ita iurantem esse blasphemum, & incidere in casum. Secus verò si erga hominem. Et ratio est, quia licèt talia verba irreuerenter proferantur, non

tamen ea proferuntur per modum cõtumeliæ, & iniuriæ Deo irrogatæ: neque aliquid falsi continent. Quòd si indignatio erga Deum concipiatur, tunc verè committitur blasphemia, & incurritur reseruatio: quia in actu exercito falsè significatur Deum mereri indignationem. Et hoc est, quod docet Caiet. in sum. v. blasphemia in fine, vbi sic habet [Scito quod dicere ad sanguinem Dei, vel ad Corpus Dei: siue inuocando per modum iurantis: siue resonando in rixa, aut turbatione contra aliquem, non est blasphemia.] Nau. in sum. cap. 12. num. 85. Lud. Lopez 1. par. instruct. cap. 282. Vers. postquam de malitia. Sanch in sum. loco superiùs cit. num. 30. qui ex Caiet. & Lud. Lopez addit, quando indignatio est erga hominem, ad summum esse peccatum veniale graue, & tanto grauius, addit Caiet. quanto frequentius.

43 Vnde pro praxi monerem Confessarios, vt primò interrogarent Pœnitentes, quo animo, quaue intentione hęc verba protulissent: ac si responderent, se ex indignatione, & ira talia protulisse, ex circumstantijs colligerent, vtrùm indignatio, & ira esset erga Deum, & tunc ne absoluerent tanquam affectos reseruatione. Hoc autem modo, seu cum hac indignatione existimauerim iurare maximè eos, qui inter ludendum sentiunt fortunam sibi maximè aduersam: ij enim nonnunquam in verba indignationis, ac iræ plenissima labuntur: & non erga colludentem, quandoquidem illi non indignantur: sed erga Deum. Quòd si dicant, se Deo non indignari, sed fortunæ, quam semper aduersam experiantur: hoc illis non ita facilè est credendum; cùm enim certò sciant non extare hanc, quam ipsi appellant fortunam, indignantur auctori, idest Deo. Tum quia hoc dicunt ad excusandam malitiam: & licèt non intendant Deo indignari, tamen facto ipso illi indignantur.

44 Decimosextò, & vltimò incidere in hanc reseruationem eos omnes, qui Deum, aut Sanctissimam eius Matrem Virginem Mariam blasphemant: siue blasphemia hęreticalis sit, siue non. Quare hanc regulam generalem statuo. Quoties dicatur contra Deum, aut B. Virginem verbum contumeliosum, opprobriosum, iniuriosum, turpe, obscenum, maledicum, sceleratum, inhonestum, vel vituperosum, indignum, pudibundum, vel in contemptum, in despectum, in vilipendium, aut paruipendium, derisionem, conuitium, vel iniuriam: semper est blasphemia. Vt bene Plot. in tract. de blasphemia num. 2 quem sequitur Lazar. q. 2. de blasph. num. 26. & incurritur reseruatio. Addo grauiorem esse blasphemiam, & reseruationem hanc multò magis incurri, si per falsos Deos iuretur: hoc enim insigne blasphemiæ genus est, cùm honor vni Deo debitus alijs falsis Dijs tribuatur. Vt bene Graf. in praxi lib. 1. c. 10. de blasphemia num. 56.

QVÆSTIO TERTIA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

45 *Excusatur ab hac reseruatione ex blasphemia, quæ neq; in Deum, neq; in B. Virginem est prolata.*

46 *Item qui dicit, Al cospetto di Dio.*

47 *Item qui dicat Posar Dio, Possanza di Dio.*

48 *Item qui dicat, Puossa rinegar Dio, se questo non è vero, quoties iuramentum contineat veritatem.*

49 *Excu-*

49 *Excusatur etiam is, qui in corde tantùm blasphemiam proferat.*

50 *Item is qui dicit, Ad Corpus & Sanguinem Christi, quando verba hæc non proferantur cum indignatione erga Deum.*

51 *Item is, qui per falsos Deos ita iuret, vt non intendat illis tribuere summam veritatem.*

52 *Item is, qui ex inaduertentia verba blasphema proferat.*

53 *Item is, qui nutu aut facto tantùm, non verbo sit contumeliosus erga Deum.*

54 *An incidat in casum is, qui in ebrietate blasphemiam proferat, quam ante ebrietatem præuidit. Affirmant aliqui.*

55 *Sententia Authoris.*

45 RESpondeo primò excusari eos, qui in Sanctos proferunt blasphemiam: puta, si quis D. Franciscum, vel Carolum negaret: non enim hoc loco blasphemia omnis est reseruata, sed ea tantum, quæ in Deum, vel B. Virginem sit prolata.

46 Secundò non incurrere eum, qui dicat, Al conspetto di Dio: modò tamen proferens non habeat animum conuiciandi. Ratio autem est, quia per hæc verba neq; aliquid Deo tribuitur, quod illius proprium non sit: neq; aliquid de Deo negatur, quod illius proprium sit: neque aliquid, quod illius proprium sit per contumeliam profertur. Vnde est, vt non sit blasphemia: perinde enim est dicere, Al conspetto di Dio, ac dicere coram Deo. Ita Lazar. quæst. 3. num. 12. & seq. Belloch. de cas. reseru. par. 2. quæst. 12. num. 32.

47 Tertiò non incurrere eum, qui dicat, Puofar Dio, aut Possanza di Dio. Ratio autem est, quia vsus iste verborum videtur importare tantùm quandam admirationem, qua videtur affici is, cui præter spem aliquid euenerit. Secus tamen esset, si quis hæc verba proferret animo Deum iniurandi: puta significando se, velle aliquid facere contra Dei voluntatem; ita vt sensus esset, hoc sum facturus, velit, nolituè Deus; hoc enim modo derogaretur Omnipotentiæ Dei, proindeq; esset blasphemia, & quidem hæreticalis, vt iam diximus. Ita Flor. par. 2. casu 3. §. 2. num. 1. Bell. cit. nu. 31.

48 Quartò non incurrere eum, qui dicat Possa renegare lo Signore Iddio, si hoc non est verum. Et ratio est, quia verba hæc continent potius modum iurandi, licèt irreuerenter, quàm blasphemiam. Secus tamen esset si iuramentum non contineret veritatem. Ita Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. num. 46 Bell. cit. nu. 30. Quare modus hic ab eo distinctus est, quem superiùs recensuimus de eo, qui diceret, Possim renegare Deum, si te non percutiam: in hoc enim modo videtur proferens, se ostendere paratum ad fidem potiùs negandam, quàm abstinendum a percussione. Vnde est, vt dicatur blasphemus. Secus verò est in priore, qui merè assertorius est, & ad veritatem indicandam.

49 Quintò immunem esse ab hac reseruatione eum, qui in corde tantùm proferret blasphemiam, etiamsi hæc hereticalis esset. Ratio est, quia vt diximus in superiore disputatione reseruatio semper intelligitur de actibus exterioribus perfectis, & cõsummatis.

50 Sextò excusari eum, qui dicat per Corpus, & Sanguinem Dei, loco tamen Dei intelligendo Christum, qui Deus est, & homo. Ratio est, quia hæc non est blasphemia, nisi forté hæc verba cum indignatione erga Deum

proferantur. Vt patet ex dictis in fine quæstionis superioris.

51 Septimò excusari eum, qui per Baccum, vel alios falsos Deos iuret, dummodo tamen iurans non intendat illis tribuere summam veritatem, quę solius Dei est propria. Ratio est, quia hæc non est blasphemia.

52 Octauò excusari eos, qui ex inaduertentia, vel ignorantia proferant verba blasphema, nescientes illorum significationem, & nullam habentes intentionem blasphemandi: reum enim, vt inquit D. Augustinus, non facit nisi rea mens. Idemq; dicendum de eo, qui ex aliqua ira, vel passione non aduertendo ad verba in blasphemiam prorumperet: imò si ea mentis perturbatio sit, quæ omnem rationis deliberationem tollat, nequè peccatum veniale erit, vt bene Belloch. nu. 270. Quòd si ex vulgari sensu aliquis sciret talia verba blasphemiam continere, & illa nihilominus vellet proferre, etiãsi eorum significatum non intelligeret, adhuc tamen includeretur, sub casu. Ratio est, quia tunc verè diceretur blasphemus, voluntariè enim proferret verba, quæ sciret iniuriam Dei continere. Vnde est, vt aliquando quidem excusari possint proferentes verba germanica, aut gallica, quæ in sua significatione blasphemiam sonant: aliquando verò excusari non possint, iuxta intelligentiam verborum, & intentionem, quam habent proferentes. Ita Graff. cit. num 49.

53 Nonò excusari eum, qui nutu, aut facto erga Deum est contumeliosus: vt si in illius faciem expuat, lapidem contra illum proijciat, vel digitum illi minitando mordeat. Et ratio est, quia blasphemia propriè & essentialiter consistit in dicendo aliquid contra Deum, quod eius honori deroget. Vnde est, vt illam definientes diximus esse locutionem falsam contra Deum per modum conuicij. Vide quæ dixi in quæst. 1. diff. 1.

54 Decimò, & vltimò existimant aliqui comprehendi sub casu eum, qui in ebrietate blasphemaret, dummodò ante ebrietatem præuidisset se solitum blasphemare, atquè hoc non obstante voluisset se inebriare. Ratio illorum est, quia talis blasphemia diceretur voluntaria in causa. Et sic putant quòd iste incideret in censuram, si ea esset lata contra blasphemantes. Ad quod facit regula, quam communiter tradũt DD. ad dignoscendum quodnam voluntarium sufficiat ad incurrendã censuram: videlicet, si verba legis absolutè prohibeant aliquod delictum sub censura, puta homicidium, censuram incurri voluntariè occidendo, eo voluntario, quod sufficit ad culpã, let halem, & ad contumaciam contra Ecclesiam. Sed voluntarium in causa sufficit ad peccatum mortale; Ergo sufficiet ad censuram; Ergo etiam ad reseruationem. Secus verò quando culpa sua fuisset quidem factus ebrius, sed tamen non aduertisset ad periculum blasphemandi, quia in tali casu sola ebrietas esset illi imputanda, non blasphemia.

55 Ego tamen contrarium verius esse puto. Et ratio est, quia talis blasphemia in ebrietate prolata non est peccatum. Ergo nec reseruata. Pro quo aduerte blasphemiam, & alia peccata oris, puta hæresim, maledictionẽ, contumeliam essentialiter non esse talia, nisi cum vsu rationis proferantur. Vide quæ dicemus inferiùs nu. 77. Cęterùm ita blasphemantem non incidere in casum expresè docet Graff. in praxi lib 1 cap. 10. num. 52.

Addo id verum esse, etiamsi quis vinum vsquè ad ebrietatem sumeret ad

finem

finem blaſphemandi; adhuc enim etiamſi in ebrietate blaſphemaret, iſte non incideret in caſum. Et ratio eſt, quia illi adhuc imputari non poſſet peccatum blaſphemiæ, vtpotè quod vſum rationis requirat. Vide Sancium in ſelectis diſp.20. num.5. ad medium, qui ad finem numeri infert eum, qui ſe inebriauerit animo iactandi blaſphemias, ſi tempore ebrietatis illas iactet, non teneri in confeſſione dicere, ſe illas, iactaſſe, ſed ſatis eſſe dicere, quòd ſe inebriauerit animo illas iactandi.

QVÆSTIO QVARTA

Soluuntur nonnullæ difficultates ad peccatum blaſphemiæ pertinentes.

DIFFICVLTAS I.

An omnes blaſphemiæ ſint eiuſdem ſpeciei.

56 *Refertur ſententia docens blaſphemiā in Deum diſtingui ſpecie à blaſphemia in Sanctos.*
57 *Author negat.*
58 *Contingere tamen poteſt vt ex alijs circumſtantijs ſpecie differant.*
59 *An Pœnitens teneatur confiteri diuerſitatem blaſphemiarum.*
60 *Refertur ſententia affirmans.*
61 *Author negat.*

56 EXiſtimant aliqui blaſphemiam in Deum differre ſpecie à blaſphemia in B. Virginem, & Sanctos. Ita Leſſ. lib.2. cap.45. dubit.5. num.33. verſus finem, & alij, vt refert Azor pro contraria ſententia citandus.

57 Ego verò reſpondeo blaſphemias omnes, quæcunquè eæ ſint, ſiue in Deum, ſiue in Sanctos prolatæ: ſiue enunciatiuæ, quales eæ ſunt, in quibus aliquid affirmatur, vel negatur: ſiue imprecatiuæ, quales ſunt eæ Damnatorum: ſiue dehoneſtatiuæ, quales ſunt eę, quibus membra Chriſti, vel Sanctorum nominantur indecorè, vniuerſas inquam eſſe eiuſdem ſpeciei. Et ratio eſt, quia quælibet blaſphemia opponitur vni, & eidem virtuti religionis: atqui religio tribuens cultum Deo, & Sanctis propter Deum eſt vnius ſpeciei. Ergo etiam vnius ſpeciei eſt blaſphemia, qua Deus in ſe, vel in Sanctis ſuis blaſphematur. Tum quia ita ſe habet blaſphemia Dei, & Sanctorum, ſicut ſe habet iuramētum emiſſum per Deum, & per Sanctos: Sed iuramentum per Deum emiſſum non differt ſpecie à iuramento per Sanctos emiſſo; ergo nec blaſphemia &c. Ita Caiet. in ſum. v. blaſphemia. Val. 2.2. diſp. 1. quæſt. 13. pun. 1. Lazarius q.3. nu. 51. Azor tom.1. inſtit. moral. lib.9. cap.28. quæſt.10. Sanch. in ſum. lib.2. cap. 32. num. 38. Bonac. in primum Decalogi præcept. quæſt. 7. pun. 4. num.1. apud quos alij plures.

58 Verum tamen eſt ex alijs circumſtantijs poſſe contingere, vt blaſphemiæ ſpecie differant: vt patet in blaſphemia hæreticali, & errorem cōtra fidem continente; hæc enim ratione hæreſis contentæ, quæ eſt peccatū ſpecie diſtinctum à blaſphemia, ſpecie etiam diſtinguitur ab alijs blaſphemijs ſimplicibus. Hoc item patet in blaſphemia, quæ procedat ex odio formali Dei; in hac enim vltra malitiam blaſphemię reperitur malitia odij Dei, quod opponitur charitati, vt benè Suar. to.1. de Relig. tract.3. lib.1. cap.6. Sanch. Bonac. citati.

59 Hinc patet ad eam quæſtionē, in qua quæritur, vtrùm Pœnitens te-

neatur confiteri diuersitatem blasphemiarum. v. g. si quis blasphemauerit per vitam, sanguinem, per membra pudenda Christi, vel maledixerit Deo, vtrùm teneatur circumstantiam blasphemiæ explicare.

60 Respondent Doctores plures esse explicandam. In qua sententia aperiendum in confessione est vtrùm blasphemia sit contra Deum, an contra B. Virginem, an verò contra Sanctum. Ita Suar. cit. Filliuc. to. 2. tract. 25. cap. 1. num. 26. Laym. in theol. morali lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 11. Lopez 1. par. instruct. cap. 282. Regin. tom. 2. lib. 18. cap. 14. num 201. Sanctarel. tract. de hæresi cap. 4. dub. 1. num. 4. Sanch. l. cit. num. 39. Et alij plures.

61 Ego verò iuxtà alibi dicta assero non teneri Pœnitentem explicare diuersitatem blasphemiarum, nequè hanc à Confessario esse inquirendam, exceptis tamen duobus casibus numero præcedente recensitis, in quibus diximus blasphemias differre specie. Et ratio est, quia blasphemiæ in Deum, & in Sanctos sunt eiusdem speciei, vt probauimus: in confessione autem eæ tantùm circumstantiæ aperiendæ sunt, quæ speciem mutant, vt aliàs docui in tractatu de Sacramento pœnitentiæ. Ita Giptius tract. de cas. reseru. cap. 9. num 37. Homobon. de cas. reser. par. 2. cap. 1. Idemquè sentire videtur Chapeau. de cas. reser. casu 19. quæst. 3. dum habet circumstãtiam blasphemiæ esse quidem confitendam non quia blasphemiæ inter se differant specie, has enim in prima quæst. docuerat in vna formali ratione obiecti omnes conuenire, sed ratione reseruationis, vt videlicet Confessarius intelligat, an sit casus reseruatus nec ne: Quæ doctrina vera est si confessio fiat inferiori Confessario non habenti facultatem absoluendi à reseruatis; secùs verò, si ea fiat Superiori: tunc enim satisfaceret Pœnitens dicendo se blasphemasse, iuxta ea, quæ in simili docuimus superius in cap. 4. quæst. 1 diffic. 5. num. 30.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm in blasphemia detur paruitas materiæ.

62 *Respondetur negatiuè.*
63 *Damnatur sententia docens mendaciũ iocosum iuramento confirmatum excusari à mortali.*
64 *Verba blasphemiæ etiam per iocum proferre est letbale.*
65 *Contumelia prolata in Sanctum non vt Sanctus est, sed vt homo est, potest ob paruitatem materiæ excusari à mortali.*

IN præsenti difficultate quæritur vtrùm dari possit casus, in quo blasphemia in Deum, aut in Sanctos excusetur à mortali ratione paruitatis materiæ, quo modo hæc eadem in alijs peccatis sæpissimè excusat.

62 Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia qualiscunquè contumelia prolata in Deum, vel in Sanctos, vt Sancti sunt, grauissima est. Ita Caiet. in sum. v. blasphemia Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. num. 2. Lud. Lop. 1. par. instruct. cap. 282. colum. 5. Val. 2. 2. disp. 1. q. 13. pun. 1. notabili 3. Chapeau. de cas. res. casu 19. q. 1. versus finem. Hæc ergo tantùm potest esse venialis ob defectum plenæ deliberationis: puta cùm quis sic prorumpit in blasphemiam, vt non aduertat quid dicat, vel quem sensum habeant verba ipsa blasphemiæ. Quo eodem modo aliàs docuimus periurium assertorium de quocunquè mendacio sit, etiam leuissimo

uissimo nunquam posse fieri veniale ob materiæ paruitatem, sed ob plenæ deliberationis defectum, ex eo quòd malitia periurij non pendeat à grauitate, vel leuitate materiæ mendacij, cùm hæc accidentalis periurio sit, sed pendeat ex eo, quòd Deus adducatur in testem falsi, ad quod parum facit, fuerit ne mendacium in materia graui, vel leui: fuerit ne perniciosum, an verò iocosum, & officiosum. Vt benè Caiet. in sum. v. periurium cap. 1. vers. inchoando igitur, Sotus lib. 8. de iust. q. 2. ar. 3. conclus. 2. Tolet. lib. 4. sum. cap. 21. num. 8. Couar. 1. variar. cap. 1. num. 2. & de pactis 1. par. §. 1. num. 4. Suar. tom. 2. de relig. vbi de iuramento lib. 3. cap. 4. num. 2. Sayr. in Claui Regi lib. 5. cap. 4. num. 15. & 16. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. pun. 3. colum. 6. conclus. 1. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 4. q. 1. Et de iuramento officioso, aut ex metu emisso, sed veritate destituto, loquentes Caietanus, Suar. cit. nu. 6. Sayr. Sotus, Toletus apertè docent nullo fine quantumuis sancto, ac necessario, nulloq; metu posse à mortali excusari: quia mentiri sit ita intrinsecè malum, vt nullo modo possit honestari: neq; iuramento confirmatū possit ex quacunq; causa à mortali excusari.

63 Vnde est vt meritò communiter damnetur sententia quorundam iuris peritorum, quos refert Angelus v. periurium, dicens eorum sententiam esse quidem probabilem, contrariam tamen tutiorem, asserentium mendacium iocosum iuramento cōfirmatum excusari à mortali: certissima enim sententia est tale periurium esse mortale; imò aliquo modo grauius, quā si serio fuisset emissum, quia cùm tale iuramētum præ cæteris sit magis vanū, magis etiam diuini nominis honori derogat. Vt benè Sylu. v. periurium num. 1. & v. iuramentum 6. q. 6. Sayr. cit. Suar. l. cit. nu. 5. Couar. de pactis 1. parte §. 6. nu. 5.

64 Sic verba blasphemiæ, licèt ioco proferantur, adhuc tamen id esse lethale, docet Nauarrus in sum. cap. 12. num. 48. Et ratio est, quia non leuis iniuria irrogatur Deo, si quis per iocū dicat, Renego Deum, vel si per iocum nominet illius membra pudenda. Benè tamen monet Sanchez lib. 2. in sum. cap. 32. num. 40. si fortè iocus tolleret omnem irreuerentiam, futurum etiam vt tolleret rationem blasphemiæ: sicuti hoc idem num. 9. docuerat de eo, qui per falsos Gentilium Deos, puta Iouem, aut Mercurium iuraret, non animo per illos iurandi, sed potiùs causa illis irridendi.

65 In ratione pro responsione allata dixi, qualemcunq; contumeliam prolatam in Sanctos, vt Sancti sunt, esse grauem. Si enim ea proferretur in aliquem Sanctum non formaliter, sed materialiter, puta non vt Sanctus est, sed vt homo est, tunc paruitas materiæ efficere posset, vt talis blasphemia esset tantùm venialis, quia sanctitas tunc se haberet per accidens, vt si quis diceret Sanctum Chrispinum fuisse sutorem, aut SS. Ioannem & Paulum fratres fuisse eunuchos, Ita Ludouic. Lopez, Sanchez citati.

Dices verba hæc nullo modo continere blasphemiam.

Respondeo eam aliquo modo continere, cùm Sancti propter coniunctā sanctitatem sint plus honorandi etiam in naturalibus, sed tamen non excedere culpam venialem.

DIFFICVLTAS III.

An habens consuetudinem blasphemandi sit absoluendus.

66 *Respondent aliqui negatiuè, quoties Pœnitens aliàs promiserit emendationem, nec sit emendatus.*

67 *Refertur sententia docens esse absoluendum, quoties post admonitionem adhibuerit aliquam diligentiam pro extirpanda praua consuetudine.*

68 *Author ad casum respondet sic. Si nunquam aliàs Pœnitens fuit monitus de praua consuetudine, debere statim absolui.*

69 *Si aliàs monitus adhibuit aliquam diligentiam pro extirpanda praua consuetudine, debere item absolui.*

70 *Si monitus sæpe nullam vnquam adhibuerit diligentiam, adhuc stante dolore, & proposito emendationis posse absolui.*

71 *Vtrùm in hoc casu satius esset differre absolutionem.*

66 DE hoc casu agunt Lud. Lopez 1. par. instruct. cap. 282. vers. Sed quid si blasphemus, Petrus de Ledes. 2. tom. sum. tract. 1. cap. 9. Manuel, Metina, & alij, respondentquè quoties in alijs confessionibus Pœnitens promiserit emendationem, nec sit emendatus, differendam illi in posterum esse absolutionem donec emendetur.

67 Azor. tamen de casu simili loquens, puta de habente prauam consuetudinem iurandi, mitiùs respondet in tomo 1. lib. 11. instit. moral. cap. 3. quæst. 4. docetquè absoluendum esse, quoties post admonitionem factam per Confessarium, adhibuerit aliquam diligentiam pro hac consuetudine extirpanda. Secùs verò si pluries admonitus nullam diligentiam adhibuisset, nisi fortè alia iusta causa concurreret, vi cuius posset etiam in hoc casu impendi absolutio.

Ex hac Azorij responsione infero cum Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 45. quid dicendum ad casum allatum.

68 Primò habentem prauam consuetudinem blasphemandi, si nunquam fuerit admonitus de illa deponenda, debere statim absolui. Et ratio est, quia si nunquam fuit monitus, non est in tanta culpa.

69 Secundò si in alijs confessionibus admonitus, ex parte sua aliquam adhibuit diligentiam pro extirpanda praua illa consuetudine, debere etiam absolui. Et ratio est, quia ex parte sua conatur illam euellere, vel certè pro illa euellenda aliquid confert: & si absolutio differatur, fortè perterritus animo cadet, & in peius labetur.

70 Tertiò si sæpè monitus de praua consuetudine nullam tamen voluit adhibere diligentiam pro ea euellenda, adhuc in rigore posse statim absolui, quoties doleat de peccatis, atquè in posterum firmiter proponat emendationem. Et ratio est, quia nullam habet extrinsecam occasionem, vi cuius necessariò impediatur absolutio, vt dicitur de nolente dimittere concubinam, quam domi habet; sed si in blasphemias labitur, in illas ex carnis fragilitate labitur sicut etiam in alia peccata. Et hæc eadem valent de habente consuetudinem peierandi.

71 Vtrùm verò satius sit absolutionem differre, rectè monet Sanchez, id ex Confessarij prudentia pendere. Si enim Pœnitens id non multum ægrè ferat, & speretur non ob id illum esse à confessione retrahendum, sed potiùs id fore medicinam, optimè faciet Confessarius si maiori suauitate possibili adhibita absolutionem distulerit. Cæterùm si contrarium potiùs timeatur, satius erit absolutionem impendere: nisi fortè Pœnitens illis blasphemijs magnum præberet scandalum, itaut Cõfessarius iudicaret ad Dei gloriam

riam conducere illum non absolui donec scandalo satisfaciat, ostendendo aliquam vitę emendationem.

DIFFICVLTAS IV.

An blasphemiæ inaduertenter prolatæ, ortæ tamen ex praua consuetudine blasphemandi sint peccatum mortale.

72 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*

73 *Affectus praua consuetudine blasphemandi, si consuetudinem interrumpat per efficax propositum illam emendandi, blasphemiæ inaduertenter emissę post illam interruptionem, non imputantur ad culpam.*

74 *Difficultas potior est de blasphemia inaduertenter quidem emissa, sed procedente ex praua consuetudine adhuc durante.*

75 *Aliqui sentiunt tales blasphemias esse peccata.*

76 *Author respondet negatiuè.*

77 *Quare ebrio imputetur homicidium ante ebrietatem prauisum, & non imputetur blasphemia illi, qui aduertat se in illam erupturum ob prauam consuetudinem blasphemandi, quam habet, & quam non conatur extirpare.*

78 *Si lata esset reseruatio, aut excommunicatio in blasphemos, ita blasphemans non incideret in censuram, aut reseruationem.*

72 CAsus hic esse potest. Titius solitus est labi in blasphemias, & ex hac blasphemandi consuetudine vitium hoc contraxit, vt in illas tertio quoque verbo labatur, atq; vt plurimum inaduertenter. Quæritur vtrùm semper mortaliter peccet blasphemãdo. Quòd autem quæritur de blasphemo, idem planè quæri potest de eo, qui inaduertenter falsum iuret ex praua consuetudine iurandi.

73 Pro huius casus solutione vnum est supponendum tanquam certissimũ, videlicet, qualiscunquè sit ea consuetudo iurandi, aut blasphemandi, si ea interrumpatur per efficax propositum illam corrigendi, & emendandi, iuramenta, & blasphemias post illam interruptionem inaduertenter emissas non imputari ad culpam; sicuti blasphemia inaduertenter emissa non imputatur illi, qui nullam habeat blasphemandi consuetudinem. Et ratio est, quia cùm causa sit interrupta, blasphemię eæ inaduertenter prolatæ non possunt dici voluntariæ in causa. Ita Toletus lib. 4. sum. cap. 13. num. 7. vbi ait habentem cõsuetudinem blasphemandi, si curet, & desideret illam emẽdare, non peccare blasphemando. Suarez tom 2. de relig. tract. de iuramento lib. 3. cap. 6. num. 8. Sanch. in sum. lib. 3. cap. 5. num. 19. apud quem alij plures. Idemq; clarè docet Layman in theolog. morali lib. 1. tract. 2 cap. 3. num. 6. in fine, his verbis. Postquam verò Pœnitens prauam consuetudinem efficaci proposito retractauit, tunc consequentia falsa iuramenta, & verba blasphemiæ eadem consuetudine quasi naturali, & necessario impetu prouenientia non imputabuntur ad peccatum, cùm neq; sint voluntaria in se, vt suppono, neq; in sua causa, puta consuetudine, quippè quæ ab ipso per propositum retractata, non amplius voluntaria censeri debeat.

74 Difficultas in eo est, an blasphemiæ, & iuramenta falsa inaduertenter prolata sint peccata mortalia,

quando

quando procedunt tanquam ex causa ex mala consuetudine adhuc durante.

75 Respondent aliqui affirmatiuè; quorum ratio est, quia tales blasphemiæ sunt voluntariæ propter prauam consuetudinem blasphemandi ex graui negligentia non correctam: sicuti peccata commissa in ebrietate, & ante ebrietatem præuisa imputantur ad culpam, quoties Pœnitens non curauerit ea vitare, eo quòd tunc sint voluntaria in sua causa. Ita Toletus cit. loquens de blasphemo habente cõsuetudinem blasphemandi: nec curante illam extirpare Nauar. in sum. cap. 12. num. 6. Sayr. in Claui Reg. lib. 5. cap. 5. nu. 10. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 1. in dubio, quod mouet circa primam conditionem ad votum necessariam, ante versiculum, Ad obiecta autem in oppositum, & in sum. v. periurium cap. 1. Armilla ver. eodem num. 1. & alij plures.

76 Ego tamen respondeo cum cõtraria sententia, affectum praua consuetudine iurandi falsum, aut blasphemandi, si hic, & nunc indeliberatè, & ex naturali inaduertentia blasphemet, aut falsum iuret, non peccare mortaliter, licèt tales blasphemiæ, aut iuramẽta orta sint ex praua consuetudine. Et ratio est, quia tales blasphemiæ, aut iuramenta falsa nec sunt voluntaria in se, neque in causa; ergo non sunt mortalia. Antecedens quoad primam partem probatur, quia illa inaduertentia fuit inuincibilis; Ergo &c. Quoad secũdam partem probatur sic, quia blasphemia, iuramentum, & alia peccata oris sunt talis naturæ, vt non sint peccatum, nisi fiant cum vsu rationis: vnde est, vt non possint esse mala tantùm in causa, vt patebit ex responsione obiectionis. Ita Sanchez in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 28. Reginal. in praxi. tom. 2. lib. 18. cap. 6. sect. 3. num. 85. Suarez de relig. tom. 2. de iuramento lib. 3. cap. 7. à num. 3. vsq; ad 8. Filliuc. to. 2. tract. 25. cap. 10. num. 317. Sancius in selectis disp. 20. num. 5. apud quos alij plures.

77 Dices ebrio imputatur homicidium, quòd ante ebrietatem præuiderit; ergo etiam imputanda est blasphemia illi, qui memor suæ prauę consuetudinis blasphemandi non conatur illam extirpare, aduertens illam prauam consuetudinem esse causam proximam incidendi in plures blasphemias indeliberatas.

Huic argumento respondet Sancius cit. dicendo in eo esse discrimen, quòd homicidium, fornicatio, aut aliud simile peccatum intrinsecè, & ex sua natura malum est, licèt imputetur tantùm vtenti ratione: at verò peccata oris, vt blasphemia, periurium, contumelia nec imputantur ad culpam, nec mala sunt, nisi fiant cum vsu rationis; vnde est, vt illa possint imputari in sola causa, hæc verò non item, cùm horum peccatorum essentia exigat vsum rationis. Sic essentia hæresis, verbi gratia, in eo consistit, quòd quis videns, & sciens, articulis diuinæ Fidei contradicat, quod non potest accidere si adsit inaduertentia; at verò essentia homicidij consistit in priuatione vitæ, quæ etiam in ebrietate potest sequi. Hinc ergo est, vt homicidium in causa possit esse malum, non item hęresis, aut aliud peccatum oris.

78 Vnde inferas, si lata sit excommunicatio in periuria, vel ea sint reseruata, tali reseruatione, aut censura, nõ affici periuria indeliberata, vt benè Sanch. cit. num. 34. & lib. 1. cap. 16. nu. 46. Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 8. nu. 6. Idemquè nos ipsi de blasphemia docuimus superiùs num. 55.

DIFFI-

DIFFICVLTAS V.

An audientes blasphemum teneantur illum denuntiare.

79 *Audiens blasphemantem tenetur illum grauiter increpare.*
80 *An præceptum hoc sit naturale tantùm, an verò etiam positiuum.*
81 *Audiens blasphemum tenetur illum denuntiare ex decreto Concilij Lateranensis.*
28 *Audiens blasphemum habentem consuetudinem blasphemandi tenetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ illum denuntiare.*
83 *Quinam dici possit blasphemus consuetudinarius. Alij censent duas vices facere consuetudinem.*
84 *Alij sentiunt tres vices.*
85 *Author putat prudentis arbitrio id esse relinquendum: vel certè necessarium esse, vt saltem quinquies diuersis temporibus blasphemauerit.*
86 *Quinam dicatur frequentare Monasteria Monialium, seu quid intelligatur per frequentiam quæ in Cap. Monasteria, est prohibita.*
87 *Respondetur difficultati propositæ.*

79 ADuertendum primò in Concilio Lateranensi sess.9.§.Ad abolendam, præceptum fuisse, vt audiens blasphemantem illum grauiter increpet, etiamsi nulla spes emendationis adsit; sic enim habet, [quicunquè blasphemantem audierint, eum acriter verbis obiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse continget.] Vnde est vt Doctores plures, Nauar.in summa cap.12 nu.83. Petrus de Ledes.2 tom summæ tract.1. cap.9. in fine Ludou. Lopez 1. par. instruct. cap.51. paulo post principium apertè doceant, audientem teneri increpare blasphemantem, etiamsi emendationem desperet, dummodò id facere possit sine proprio periculo. Eandemquè sententiam sustinet Sanchez in summa lib.2.cap.32. nu.46. licèt tale præceptum dicat non obligare, eo quòd non sit vsu receptum.

80 Verùm Azor tom.1.lib.9. institut.moral.cap.28. quæst.7. contrarium verius censet, existimatq; tale decretum non continere nouum ius, sed voluisset tantùm reuocare in memoriam audientis præceptum naturale, ac diuinum fraternæ correctionis, quod minimè obligat, quando non adest spes emendationis.

81 Aduertendum secundò extare decretum eiusdem Concilij Lateranensis, quo præcipitur blasphemum denuntiari, his verbis, [Eum deniquè deferre, vel notificare apud Iudicem Ecclesiasticum, seu Secularem intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem simul audierint, singuli eum accusare teneatur, nisi fortè omnes eò conuenerint, vt vnus pro cunctis tali officio fungatur.] Et Iulius III. in sua constitutione pontificia, quæ incipit, In multis, præcipit, vt audientes blasphemum, illum intra triduum denuntient, alioquin incurrant in easdem pœnas blasphemi. Et quotannis Inquisitores dum promulgant edicta præcipiunt sub pœna excommunicationis latæ sententiæ denuntiari blasphemos.

82 Aduertendum tertiò in hac nostra Diœcesi extare edictum, quo audientes blasphemum habentem cōsuetudinem blasphemandi iubentur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ illum denuntiare.

83 Quinam autem dici possit habere consuetudinem blasphemandi, non

non satis constat inter Doctores; alij enim docent duas vices facere consuetudinem. Sic Dæmoniaci à Dæmonio vexati, qui arreptitij dicuntur: Lunatici item morbo caduco affecti, qui frequenter cadant, non posse in Ordinibus ministrare, habetur Cap. Communiter dist. 33. cap. 1. 7. q. 2. dicuntur autem frequenter cadere, si bis. Glos. in Cap. Monasteria, de vita & honestate Clericorum, verbo, frequentare. Pariter Clericus, qui vitium nefandum exerceat est deponendus, Cap. Clerici, de vita & honestate Clericorum. Quod est intelligendum quando id bis factũ fuerit, per d. C. Monasteria.

84 Alij verò docent ex tribus vicibus consuetudinem induci.

85 Ego verò cum Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 1. num. 292. existimauerim Iudicis, aut Confessarij arbitrio id esse relinquendum. Cęterùm si particulare iudicium sit ferendum, dicerem ad hoc, vt quis dicatur ex consuetudine blasphemare, necessarium esse vt saltem quinquies ex quodam habitu diuersis temporibus blasphemias protulerit. Et rationem affert idem Bellochius, quia cùm vitium hoc in linguę lubrico consistat non ita facilè est ad pœnam trahendum. Lazar. p. 2. Canon. q. 8. nu. 3. 4. & 5.

Dixi diuersis temporibus, quia si quis nedum quinquies, sed decies vno & eodem tempore, & continuato sermone blasphemaret, non diceretur blasphemus consuetudinarius. Et ratio est, quia non multiplex, sed vna tantùm haberetur blasphemia; multiplicatio enim blasphemiæ simul eodem tempore, & in continuatione eiusdem sermonis facta vnicum dumtaxat conficit delictum.

86 Confirmari potest hæc doctrina: cùm enim Cap. Monasteria, de vita, & honestate Clericorum, prohibitum sit frequentare monasteria Monialium, ijs verbis, [Monasteria Sanctimonialium si quisquam Clericus sine manifesta, & notabili causa frequẽtare præsumpserit, per Episcopum arceatur, & si non destiterit, ab Officio Ecclesiastico reddatur immunis: si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni:] ex Doctoribus tamen quærentibus quid intelligatur per frequentiam adeundi Monasteria, non desunt qui dicant relinquendum id esse iudicio, & arbitrio prudentis viri, ita Hostiensis eodem Cap. Monasteria nu. 2. verbo frequentare, Nauarrus commentario 4. nu. 61. verbo, quibus addo, de Regular. Manuel quæstionum regular. to. 1. q. 45. art. 4. Sanchez lib. 6. in summa cap. 16. num. 110. Bonac. tract. de clausura quęst. 3. punct. 2 num. 4. Et licèt Nauarrus & Manuel existiment eum non dici frequentare Monasteria Monialiũ, qui illa duodecies tribus annis, semel singulo quoquè trimestri inuiseret, & visitaret: esse verò frequentiam, si ter tribus diebus continuis: & Lamas in methodo curationis in appendice §. 4. putet esse frequentiam loqui duabus vicibus vna die, vel duobus diebus continuis; non sic verò duas vices in toto mense: tamen arbitrium hoc nimis strictum esse existimat Sanch. citatus; vnde censet esse frequentiam, quando semel singulis mensibus, aut ter tribus diebus continuis adiret Monasteria. Addit Bonacina, quando semel singulis hebdomadis, vel mensibus, aut quater in eadem hebdomada: Secus si quater in anno, seu semel singulis tribus mensibus. His præmisis.

87 Respondeo ad difficultatem propositam, & dico blasphemos esse denuntiandos: & quidem si blasphemia

mia

mia sit hæreticalis, eos esse denuntiandos Inquisitoribus, de hac enim ij soli cognoscunt: si verò sit simplex, denuntiandos esse Episcopo, vt patet ex Aduertendo 3. Intellige tamen hoc postremum, quoties qui blasphemiam protulerit habeat cõsuetudinem blasphemandi: vnde existimarim audientem blasphemiam non hæreticalem multoties excusari ab hac obligatione, cùm illi non constet de consuetudine blasphemandi.

DIFFICVLTAS VI.

An audiens blasphemum teneatur præmittere correctionem antequam denunciet.

88 *Refertur sententia docens denuntiationem esse faciendam absque vlla prauia correctione.*

89 *Refertur sententia docens semper esse præmittendam correctionem.*

90 *Refertur sententia distinguens crimen hæresis ab alijs criminibus, & obligans ad illud denuntiandum absq; vlla correctione.*

91 *In crimine hæresis formalis, quando ea publica est, denuntiatio est facienda absque vlla prauia correctione.*

92 *Etiamsi vnus tantùm nouerit aliquem esse hæreticum, tenetur ad illum denuntiandum absque vlla correctione.*

93 *Vnde nam oriatur hæc obligatio denuntiandi absq; vlla correctione.*

94 *Denuntiandus est hæreticus, licet adsit spes emendationis.*

95 *In alijs criminibus præmittenda est correctio antequam denuntientur.*

96 *Non improbabilis est ea sententia, quæ hoc idẽ docet, etiã in crimine hæresis.*

97 *Iudicium Authoris de hac sententia.*

98 *Hæreticus emendatus adhuc est denuntiandus.*

99 *Fœmina in ipso actu confessionis sollicitata si certò sciat Confessarium esse emendatum non tenetur illum denuntiare.*

100 *Quando nam præsumendum sit Confessarium esse emendatum.*

101 *Respondetur difficultati initio propositæ.*

QVæstio hæc sub his terminis generalibus à Doctoribus communiter instituitur, an si iure aliquo, aut edicto præceptum sit, vt criminosi denuntientur, denuntiatio hęc sit facienda absq; vlla præuia correctione. Qua in re triplex adest sententia.

88 Prima est, quæ asserit omnino esse faciendam absq; vlla præuia correctione. Ea autem ratione nititur, quòd duplex sit denuntiatiò, altera Euangelica, altera iudicialis: illa quæ intendit emendationem, hęc quę punitionem; cùm autem præcepta Superiorum tendant ad punitionem delictorum, inde est vt omnino obligent absquè vlla pręuia correctione. Ita Sancius in selectis disp. 11. num. 56. Azor. lib. 9. instit. moral. cap. 28. quæst. 8. vbi loquens de obligatione denuntiandi blasphemum, dicit illum esse denuntiandum absq; vlla pręuia correctione, eo quòd præceptum hoc tendat ad criminis punitionem, non verò ad illius emendationem. Villalobos in sum. par. 2. tract. 4. diffic. 11. num. 3. Bonac. in tract. var. disp. 6. pun. 3. nu. 9. Henriq. lib. 11. cap. 24. nu. 11. in Glossa litera C. Turrian. in 2. 2. tom. 1. disp 58. dub. 3. Conninc. de fide, spe, & charitate disp. 28. dub 8. num. 151. Et alij plures. Refertur etiam pro hac sententia decretum Concilij Lateranensis §. ad abolendam, sess. 9. vbi loquendo de auditoribus blasphemiæ, ita dicitur [blasphemiam verò deferre, vel notificare

ficare apud Iudicem Ecclesiasticum, seu secularem intra triduum debeant] de quo meminimus in difficult. superiore, Aduert. 3.

89 Secunda sententia docet correctionem fraternam semper esse præmittendam ante omnem denuntiationem. Fundamentum autem illud potissimum est, quia præceptum huius correctionis est de iure naturali, & diuino, vt patet ex verbis Christi, Corripe inter te, & ipsum solum, cui præualere non potest præceptum denuntiationis, quod est humanum. Probari etiam potest, saltem in casu quo delictum sit occultum, quia talis denuntiatio est nociua famæ illius qui peccauit, & nulli est vtilis; Ergo tunc non solùm non est facienda, sed etiam est illicita. Consequentia patet admisso antecedente; Proximi enim famam prodigere illicitum est, quoties non adsit iusta causa. Prima pars antecedentis probatur, quia manifestare alterius delictum occultum est illi inferre nocumentum in fama, quod inter alia grauissimum est. Secunda item pars probatur, quòd videlicet talis denuntiatio nulli sit vtilis: quia Iudex audiens talem denuntiationem nihil omnino potest agere, neque potest interrogare denuntiatum, neq; de illo inquirere; Ergo est omnino inutilis; Ergo saltem quando delictum est occultum denuntiatio hæc nullo modo est facienda. Ita Sotus de iust. lib. 5. q. 5. ar. 1. Syluest. v. correctio quæsito 5. Toletus lib. 5. cap. 57. num 3. Lazarius tract. de blasphemia q. 12. nu. 31. Homobon. de cas. reser. par. 2. cap. 1. Angelus v. denuntiatio q. 2. Rosella v. inquisitio num. 1. qui citat D. Th. 2. 2. q. 35. art. 7.

90 Tertia sententia distinguit hæresim formalem ab alijs criminibus, quæ hæresim tantùm sapiunt; & hæreticos formales docet esse denuntiandos absque vlla præuia correctione; alios verò criminosos priùs esse corrigendos, quàm denuntientur.

91 Resp primò in crimine hæresis formalis quando ea publica est, denuntiationem esse omnino faciendam absq; vllâ præuia correctione. Ita D. Th. 2. 2. q. 68 art. 1. vbi licèt de accusatione loquatur, à fortiori tamen intelligendus est de denuntiatione. Tum quia ille nunquam satis videtur distinxisse iudicialem denuntiationem ab accusatione, sed promiscuè alteram pro altera vsurpasse. Ita demum DD. omnes in sequenti responsione citandi. Probatur ratione, quia peccatum hæresis est grauissimum, quod facillimè serpere potest, & alijs nocere, quoties, sit publicum, cùm ergo huic malo tam graui, & noxio non alio modo possit melius occurri, quàm denuntiando, denuntiatio erit sub præcepto, non solùm Ecclesiastico, quod clarius est, sed etiam diuino, & naturali ex obligatione charitatis. Ex quo patet responsio ad præcipuum fundamentum secundæ sententiæ.

92 Respondeo secundò, etiamsi vnus tantùm nouerit aliquem esse hæreticum, adhuc tamen teneri ad illum denuntiandum absq; vlla præuia correctione; proindeque hæreticos occultos esse statim denuntiandos, etiamsi adsit spes emendationis, & quòd nulli nocebunt. Hæc conclusio est communis, & omnino certa. Et probatur ex doctrina Patrum: nam Leo Papa Ser. 4. de collectis in fine sic habet [Hortamur, vt Hæreticos vbicunque latentes vestris Presbyteris publicetis, magna est enim pietas perdere latebras.] Et infra, [Cauendi sunt, ne cuiquam noceant; perdendi sunt, ne in aliqua Ciuitatis

uitatis nostræ parte consistant.] Et D. Ambros. lib. 2. de Offic. cap. 24. ait, In causa temporali licet tibi silere; in causa autem Dei, vbi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatũ est non leue. Tum verò probatur ratione, quia talis denuntiatio est maximè necessaria ob bonum commune: & licèt simplex denuntiatio de peccato sic occulto non det facultatem Iudici, vt possit procedere ad inquirendum de tali persona in particulari, potest tamen Superior facere inquisitionem generalem, vnde potest fieri, vt aliquã maiorem notitiam consequatur. Tum quia quoties sciat Hæreticus, se nullo modo esse tutum, etiamsi vni tantùm suam hæresim manifestet, non ita facilè audebit suam hæresim disseminare; vnde ob id, vel timebit magis contra fidem sentire, vel hæresim suam alijs communicare.

93 Dixi primò, absquè vlla præuia correctione; hanc enim obligationem nobis imponunt edicta Inquisitorum, per quę obligantur fideles omnes ad denuntiandum Hæreticum quantumuis occultum. Et meritò; per priuatam enim monitionem nonnisi cum maxima difficultate, & rarissimè emẽdabitur Hæreticus. Tum quia semper imminere potest periculum, ne dum secretè corripitur, fingat se emendatum, & ita persistat in eodem errore, & fideles in eadem occasione infectionis: cùm ergo tanti morbi curatio difficillima sit, ea peritiori Medico est committenda.

94 Dixi secundò, etiamsi adsit spes emendationis. Et ratio est, quia huic priuatæ monitioni non est admodum fidendum; sunt enim Hæretici valde subdoli, & sub cinere doloso ignem fouent. Tum quia sæpissimè, vt dixi, huius generis homines propter timorem pœnæ fingunt se emendatos. Demum quia Hæreticus ille fortè alios infecit, vel ille ab alijs fuit infectus; vnde necessarium est, vt hoc ab Inquisitore fidei sciatur, vt possit occurrere huic malo. Ita Sanch. in sum. lib. 2. cap. 32. num 47. vbi sic habet, quia speciale est in crimine hæresis, vt ob magnum eius periculum, & difficillimam hæretici correctionem sit statim nulla correctione præmissa denuntiandum. Gutierez lib. 1. qq. canonicarum cap. 11. nu. 53. Azor. lib. 9. institut. moral. cap. 28. quæst. 8. Fagundez 2. præcept. lib. 6. cap. 4. num. 11. Suarez superiùs citatus, quibus adde Areualensem tractatu de correctione fraterna conclu. 6. propos. 6. qui hanc de Hæretico doctrinam cõfirmat ex Scriptura, & Patribus, Salmeronem tom 4. in Euang. par. 3. tract. 11. §. Deinde meritò.

95 Respondeo tertiò in alijs criminibus distinctis ab hæresi præmittendam esse correctionem antequam denuntientur. Et ratio est, quia cętera peccata non sunt ita grauia, nec ita nociua vt hæresis; vt proinde cesset ratio in superiore responsione allata, vi cuius diximus speciale hoc esse in crimine hæresis, vt ob magnum illius periculum illico, & absquè vlla præuia correctione denuntientur hæretici, siue ij publici sint, siue occulti. Ita Sanchez citatus. Fagundez 2. præcept. lib. 4. cap. 31. vbi loquens de muliere sollicitata in confessione sic habet [sed antequam fiat denuntiatio præmittenda est fraterna correctio, si detur spes emẽdæ, quia præceptũ correctionis fraternæ est de iure naturali, & diuino, dictat enim ius naturale; vt famæ, ac bonæ opinioni Proximi consulamus, quàm minimo illius damno; pręceptum verò huius denuntiationis est humanum; vnde non potest præualere aduersus

præ-

præceptum iuris naturalis] Sayrus in Claui Reg. lib. 11. cap. 4. nu. 8. Pet. Nauar. lib. 2. de restit. cap. 4. dub. 11. num. 131. Reginal. in praxi tom. 2. lib. 24. cap. 3. sect. 6. num. 52. vbi sic habet [Superior non potest præcipere, vt prętermissa correctione fraterna Reus occultus denuntietur: neq; ei tale quid præcipienti obediendum est.] Eandemquè sententiam extendit etiam ad peccatum hæresis. Vnde subdit. Non est verò negandum, quòd si firmiter existimet quis per secretam admonitionem se conuersurum hæreticum, ac impediturum omnia mala, quæ ab eo timeri possunt, ipse debeat vti præmonitione. Portel in dubijs Regul: v. correctio fraterna num. 1. vbi habet. Constat ex Euangelio ante denuntiationem in inquisitione præmittendam esse correctionem fraternam, quæ adeo necessaria est, vt si sit spes, quòd illa proficiet, & sufficiet, non est crimen denuntiandum Prælato, etiamsi crimen ipsum sit contra Communitatem, etiamsi sit hęresis.

96 Ex quibus patet primò non improbabilem esse sententiam, quæ docet etiam in crimine hæresis præmittendam esse correctionem, non obstāte decreto Dominorum Inquisitorum præcipientium sub excommunicatione, vt hæc denuntiatio fiat absquè vlla correctione; praxis enim hæc fortè fundatur in probabilitate suæ opinionis, ita tamen vt non tollat probabilitatem contrariæ. Tum quia si auctoritas vnius Doctoris classici reddit opinionem probabilem, vt benè probat Valen. to. 2. d. 2. q. 12. pun. 4. q. 4. Nau. in sum. cap. 27. num. 88. Emman. Sà, in sum. v. Dubium num. 3. quos citat, & sequitur Sanch. in sum. lib. 1. cap. 9. nu. 7. id totum confirmans ex D. Thom. quodlib 3 art. 10. vbi ait posse quemquam amplecti opinionem quā à Magistro audiuit, in ijs, quæ ad mores pertinent. Porro cùm hæc sententia plures habeat, tam ex recentioribus, quàm ex veteribus Patronos secutos D. Th. 2. 2. quæst. 35. art. 7. vbi sic habet, si tamen esset firma spes, quòd Hæreticus statim esset emendandus, præmittenda esset priuata correctio; cùm inquam hæc sententia plures habeat Patronos, licitum cuilibet erit absquè vllo periculo illam sequi.

97 Meo tamen iudicio opinio hęc in praxi nullo modo est sustinenda ob rationes allatas. Tum quia hæreticus non est frater Euangelicus, licèt sit frater natura, idest Proximus; & per consequens ordo Euangelicus non est cum illo seruandus, vt optimè notauit Archidiaconus in Cap. si peccauerit 2. quæst. 1., & Panorm. in Cap. Noui, de Iudicibus.

Ad auctoritatem D. Thomæ respōdetur, illum esse intelligendum, attenta sola lege naturali, & charitatis, & seclusis edictis Inquisitorum, vt bene explicat Penna in 2 par. Direct. Comment. 18.

98 Secundò patet, retenta nostra sententia hæreticum èmendatū adhuc esse denuntiandum ob rationes iam allatas, quia videlicet non est ita facilè credendum: cùm plerumquè hæretici fingant se emendatos ob timorem pęnæ. Tum quia contingere potest, vt vel ipse alios infecerit, vel ab alio fuerit infectus. Demum quia malum hoc perniciosissimum est, vt proinde omni diligentia, & studio sit eradicandum, & pro eo eradicādo meritò potuerint Inquisitores præcipere hanc denuntiationem.

99 Tertiò fœminam in ipso actu confessionis à Cōfessario sollicitatam ad turpia, si certò sciat Confessarium

esse

esse pœnitentem, & emendatum, non obstantibus hac super re diuersorum Pontificū decretis, vt Clementis VIII. Pauli V. & Gregor. XV. præcipientibus denuntiari sollicitātem tanquam de hæresi suspectum, non teneri ad illum denuntiandum. Ita Portel in addit. ad dubia Regular. verb. sollicitare fœminas nu. 18. vbi sic habet, si fœmina sollicitata certò sciat Confessarium esse Pœnitentem, & moraliter intelligat pœnitentiam illius de præterito esse veram non tenebitur denuntiare, quia finis denuntiationis est emendatio Proximi: cùm verò fœmina intelligat moraliter Confessariū esse emendatum cessabit obligatio denuntiationis, quia cessauit finis illius, qui erat emendatio Proximi. Hanc eandem sententiam docet Peirinus in Priuileg. Ordin. Minimorum to. 2. constitut. 4. Gregor. XV. §. 6 num. 31. vbi sic habet, si mulieri sollicitatæ constet de emendatione sollicitantis non tenetur denuntiare, quia cùm probauerimus hoc peccatū fraternam correctionem admittere, si hæc profuit, vel sine hac peccatum est emendatum, non est cur ad denuntiandum procedatur. Ita demum DD. plures, vt Sotus lib. 3. quæst. 5. art. 5. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 24. nu. 21. Finellius de cas. reser. casu 2. num. 8. in fine. Naldus in sum. v. accusare nu. 1. Zanard. in Director. Confessor. par. 3. cap. 31. Rodericus à Chuna in tractatu de Confess. sollicit. quæst. 3. num. 15. apud quem Serafinus de Freitas nu. 34. Ac licèt horum Doctorum plerique loquantur tantùm de hæretico emendato, idem tamen potiori ratione asserere tenentur de Cōfessario emendato.

100 Quando autem præsumendū sit Confessarium esse emendatum, vt Pœnitens vi edicti non teneatur illum denuntiare, putauerim arbitrio boni viri, id totum esse relinquendum, qui attenta qualitate personæ id totum iudicet cum prudentia, & maturitate. Ita Freitas apud Rodericum de Chuna cit. quæst. 18. nu. 39. in fine, vbi etiam cum Mascardo concl. 600 num. 14. Farinacio in praxi quæst. 13. num. 26., & alijs docet criminosum spatio trium annorum præsumi emendatum. Idemquè sentit Homobon. de exam. Eccles. par. 1. tract. 7. cap. 7. quæst. 33.

Existimant alij confessionem Sacramentalem probare aliquem esse emendatum. Felin. in Cap. testimonium, de testibus. Vnde in hac sententia Sacerdos celebrans post sollicitationem præsumendus esset emendatus.

Alij verò censent criminosum præsumendum esse emendatum, si consecutus sit Iubileum. Ita Genuensis in praxi cap. 18. num. 6.

101 Quartò, & vltimò patet quid dicendum ad difficultatem initio propositam. Respondeo enim præmittendam esse correctionem fraternam; speciale enim hoc est in peccato hæresis formalis, vt ob magnum illius periculum, & ob difficillimam illius emendationem absquè vlla correctione præmissa denuntietur. Quare edicta, & decreta in superiore difficultate citata, & contra blasphemos statuta intelligenda sunt seruato ordine Euangelico; itaut si blasphemia sit publica, fiat denuntiatio; vel etiamsi occulta sit, & desperetur fore, vt correctio prosit. Vt autem correctio fraterna iudicaretur non profutura, non satis esset eam semel fieri, & non prodesse; sed iterum, atquè iterum ea esset adhibenda quamdiu iudicio prudentis viri sperari posset emendatio: vt bene ex Sanchez tom. 1. de matrim. lib. 3. disp. 15. nu. 3. docet Fagundez 2. precept. Ec-

eclef. lib. 4. cap. 5. num. 31. Cęterùm si blasphemia sit occulta, & speretur fore vt Proximus fraternè correctus emẽdetur, correctio est omnino præmittenda. Ita Medina lib. 1. sum. cap. 14. §. 2. Lud. Lopez 1. par. instruct. cap. 282. in fine Sanch. in sum. lib. 2. cap. 32. in fine referẽs Manuel 1. to. sum. c. 34 n. 6.

DIFFICVLTAS VII.

Quàm graue sit peccatum blasphemiæ.

Grauissimum hoc peccatum esse patet ex eo, quia derogat cultui Deo debito, & quodammodo pertinet ad infidelitatem, cùm opponatur confessioni fidei. Tum quia blasphemi omni iure puniuntur grauissimis pœnis. Iure diuino pœna mortis, Leuit. 24. Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierint manus suas super caput eius, & Populus vniuersus lapident eum. Et ad filios Israel loquens ait, Homo qui maledixerit Deo suo portabit peccatum suum, & qui blasphemauerit nomen Domini morte morietur, lapidibus obruet eum omnis multitudo Populi, siue Ciuis sit, siue peregrinus fuerit. Iure Canonico, Cap. statuimus, de maledicis, blasphemus iubetur septem diebus Dominicis stare pro foribus Ecclesiæ dum aguntur Missarum solemnia, & vltimo die sine pallio, & calceamentis ligatus corrigia in collo, & in septem sextis ferijs præfatarum Dominicarum ieiunare pane, & aqua, neque intrare Ecclesiã, & in qualibet præfatarum dierum si non possit tres, saltem vnum pauperem reficere; vel si nec vnum possit, in aliquid aliud iubetur hanc pœnitentiam commutare, & si illam nolit facere interdicitur ei Ecclesiæ ingressus, & in morte priuatur Ecclesiastica sepultura. Hæc tamen pœna non habet locũ in Clerico blasphemo, quia Clericus non agit pœnitentiam publicam, Cap. ex pœnitentibus, dist. 60. Et hoc ne dignitas Ordinis vilescat; proinde iure antiquo alijs pœnis punitur, Cap. Si quis per Capillum 22. quæst. 1. Nouissimè verò in Concilio Lateranensi sub Leone Decimo emanauit constitutio cõtra Clericos blasphemos, vt prima vice amittant suorum beneficiorũ fructus vnius anni: altera vice vno, aut altero beneficio priuentur: tertia priuentur omnibus beneficijs, dignitatibus, & officijs, & fiant inhabiles ad alia consequenda, & retinenda.

Dictio autem illa, prima vice, intelligitur de prima vice punitionis, non verò blasphemiæ. Vnde etiamsi Clericus pluries blasphemasset, quoties tamen nunquam aliàs fuisset de hoc crimine conuictus non alia pœna vi huius constitutionis esset afficiendus quã amissione fructuum vnius anni suorum omnium beneficiorum. Vt habetur in additione ad Quarantam verb. blasphemia.

Iure ciuili blasphemus olim incurrebat pęnam mortis, Auth. vt non luxur. cont. nat. §. præterea. Huius tamen constitutionis pœnam intelligit Couar. in rubr. de pactis par. 1. §. 7. nu. 10. locum habere in eo, qui blasphemandi habeat consuetudinem, nec possit corrigi.

Iure etiam regio, prouinciali, vel municipali in varijs regnis, ac prouincijs variæ pœnæ sunt latæ contra blasphemantes, de quibus videri potest Couar. l. cit.

Demum verò huius peccati grauitas constare etiam potest ex verbis Matth. 12. & Marci 3. quo loco habetur blasphemiam in filium hominis remitti

posse,

posse, blasphemiam verò in Spiritum Sanctum non posse remitti nequè in hoc, nequè in futuro seculo. Nomine autem blasphemiæ in Spiritum Sanctum Doctores aliqui intelligunt finalem impœnitentiam vt ex S. August. tradit D. Thom. quæst. 88. art. 1. ad 3. & sic certum est eam esse irremissibilem. Alij intelligunt peccatum ex certa malitia, quod irremissibile appellant, quia difficilè remittitur, cùm non habeat in se causam excusationis. Ita D. Thom. citatus, Henriq. lib. 4. cap. 13. num. 6.

Hoc vnum monuerim Dei, ac Sanctissimæ Virginis Mariæ blasphemos

Meliores illos Superos habere iratos.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM

Pater, aut Mater, aut Vir qui consenserit vt filia, aut vxor se prostituat.

1 *Hoc loco quinam veniant nomine Patris, & Matris.*
2 *Quinam nomine Viri, & vxoris.*
3 *Quinam nomine filia.*
4 *Quotupliciter possit Pater, vel Maritus præstare consensum in prostitutionē.*
5 *Quid sit consentire prostitutioni.*

CAput hoc duabus quæstionibus constabit, in quarum altera quæremus, quinam incidant in hanc reseruationem; in altera verò quinam excusentur. Pro clariore tamen huius casus intelligentia aduertenda sunt quinque.

1 Primò nomine Patris, aut Matris hoc loco venire tantùm verum Patrem, & veram Matrem: siue legitimi ij sint, & naturales; siue naturales tātùm: proindequè excludi Auum, & Auiam; sub appellatione enim Patris non continetur Auus, neq; sub Matris appellatione Auia l. Iulia §. hoc capite ff. de ritu nupt. l. Patri ff de adulter. Secus verò si diceret, Parens; nomine enim Parentum diximus superiùs in explicatione octaui casus venire Superiores Patre in infinitum. Ita Graff. in praxi lib. 2. c. 15. de consentientibus ad prostituendum num. 1. quo loco citat. l. appellatione Parentis ff. de verb. signific. & l. quique ff. de in ius vocan.

2 Secundò nomine Viri, & vxoris intelligi tantùm Maritum, & Vxorem: ita vt sub casu comprehendatur Maritus consentiens prostitutioni vxoris suæ.

3 Tertiò nomine filiæ venire solùm primum gradum; itaut omnes aliæ personæ excludantur, puta neptis, & alij gradus primo inferiores. Intelligendus autem casus est tam de filia legitima, quam de naturali tantùm, modo explicato de Patre.

4 Quartò quadrupliciter posse Patrem, vel Maritum consentire prostitutioni filiæ, vel vxoris. Primò crimen non prohibendo; error enim, cui non resistitur, cùm tamen possit resisti, dicitur approbari. Secundo fauorem ad peccandum præstando. Tertiò licentiam ad peccandum dando. Quartò peccanti amabilem se præstando. Vnde est, vt idem Graffius num. 12. bre-

uiore vtens compendio dicat, consensum quadrupliciter præstari, negligentia, consilio, cooperatione, & auctoritate seu defensione.

Quintò consentire prostitutioni nihil aliud esse quàm consentire, vt filia, aut vxor copiam faciat sui corporis ad meretricandum. De quo verbo facit mentionem text. in l. palam ff. de ritu nup. & Leuit. c. 19. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam incidant in hunc casum.

6 *Incidit in casum Pater siue legitimus, siue naturalis tantùm, qui consentit, vt filia se prostituat.*

7 *Incidit Maritus consentiens prostitutioni vxoris.*

8 *Incidit Pater, Mater, & Vir consentiens postitutioni filiæ, aut vxoris, etiamsi filia, & vxor essent paratæ ad meretricandum.*

9 *Incidit in casum Pater, Mater, & Maritus consentientes, etiamsi id faciat ad subleuandam paupertatem.*

10 *Incidit etiam Pater, & Maritus, qui causam filiæ, & vxori præbet meretricandi.*

11 *Pater etiam, aut Marius qui filiam, aut vxorem vendat ad fornicandũ.*

12 *Pater etiam, & Maritus, qui filiam, aut vxorem relinquat in taberna, aut alio loco simili, vt se prostituat.*

6 RESpondeo primò incidere Patrem, siue ille legitimus sit, siue naturalis tantùm, qui actu consentiat, vt filia se prostituat, & copiam sui corporis alijs det ad meretricandum. Patet hoc ex Aduertendo primo. Et licèt, iuxta Iureconsultum in l. qui certa ff. si cert. pet. pater sit is, quem iustæ nuptiæ designant; cùm tamen casus simpliciter loquatur, de patre etiam simpliciter est intelligendus. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap. 15. num. 23.

7 Secundò incurrere Maritum cõsentientem prostitutioni vxoris, quiquè aliquo ex modis superiùs recensitis in Aduertendo quarto sit causa, vt vxor sua copiam corporis alijs faciat. Idquè clarè constat ex litera.

8 Tertiò incurrere Patrem, Matrem, & Maritum consentientes prostitutioni filiæ, & vxoris: dato etiam quòd filia, & vxor essent paratæ ad quæstũ sui corporis faciendum. Ratio, est, quia semper dicuntur consentire, si cùm possint prohibere, & impedire, non prohibeant. Quare siue consenserit Pater, vel Maritus, vt Filia, vel Vxor pudica euadat impudica; siue cùm esset impudica consentiat, vt fiat impudicitior, semper comprehenditur sub casu. Vt bene Graff. cit. nu 24.

9 Quartò incidere Patrem, & Maritum consentientes, vt filia, aut vxor se prostituat, etiamsi id faciat ad paupertatem, & inopiam subleuandam, qua ferè extrema præmatur. Et ratio est, quia sicuti paupertas non excusat à peccato, ita nec à reseruatione. Ita Graf. cit. nu. 26.

10 Quintò ligari hac reseruatione Maritum, & Patrem, qui causam vxori, & filiæ præbet meretricandi. Quare si illam relinquat sine necessarijs ad victum, ea verò præ paupertate quæstum corporis faciat, vterquè illorum dicitur in culpa, & incidere in casum; qui enim causam damni dat, damnum dedisse censetur. Et hoc multò veriùs est, si ex calliditate, & dolo neget necessaria vt filia, vel vxor se prostituat; tunc enim non solùm diceretur consentire non impediendo, sed

etiam

etiam intendendo ipsam prostitutionem. Ita Graff. num. 25.

11 Sextò incidere in casum Maritum, seu Patrem vendentem vxorem, aut filiam ad fornicandum. Et ratio est, quia vterq; dicitur in causa prostitutionis; is enim verè dicitur consentire prostitutioni, qui illius est causa. Ita Graff. num.40. Nequè obstat quòd litera reseruationis comprehendat tātùm consentientes, non autem vendentes; non enim à proprietate sermonis receditur dicendo illos comprehēdi, quia si Pater sæpius vendat suam filiam ad fornicandum, verè dicitur illius prostitutioni consentire.

12 Septimò incidere patrem, aut maritum, qui filiam, aut vxorem in taberna, aut caupona relinquat, vt pecunia accepta se prostituat; licèt enim non verbo, facto tamen dicitur consentire. Vt bene Graff. cit. num. 38.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

13 *Excusantur ab hac reseruatione Auus, & Auia consentientes vt Neptis se prostituat.*

14 *Excusatur Pater, & Mater consentiens in prostitutionem filij ad crimen nefandum.*

15 *Fratres item consentientes in prostitutionem sororis.*

16 *Excusantur item Pater, Mater & Maritus non impedientes postitutionem filiæ, aut vxoris, quam non possint impedire.*

17 *Excusatur Pater, & Mater non impediens prostitutionem filiæ coniugatæ, vel viduæ.*

18 *Probabiliter etiam excusatur Pater, Mater, aut Maritus qui consentiat vt filia aut vxor semel, bis, vel ter cum alio copulam habeat.*

19 *Quidnam sit id, quod importat prostitutio.*

20 *Quandonam puella dici posset pluries fecisse copiam sui corporis.*

21 *Excusari potest seruus cuius filia, aut vxore Dominus quater, aut quinquies, aut etiam pluries abutatur seruo non audente contradicere.*

22 *Aliqui existimant reseruationē hanc eos tantùm casus comprehendere in quibus Pater, Mater, aut Maritus ita consentiant in prostitutionem, vt filiæ, aut vxor fiat omnibus venalis.*

23 *Non incidit in casum Maritus ægrotus, qui Medico semel concedat copiam corporis suæ vxoris.*

24 *Non incidit in casum Pater, aut Maritus, qui repugnet prostitutioni, licet postmodum participet de pretio accepto.*

25 *Non incidit in casum Pater habens copulam cum filia.*

26 *Excusatur Mater, quæ ad amorem cōciliandum consentiat, vt filia desponsata coeat cum sponso de futuro.*

13 RESpondeo primò excusari Auum, vel Auiam consentientes, vt Neptis se prostituat. Et ratio est, quia illi non veniunt nomine Patris, sed Parentum; Parentes autem omnes in hoc casu negauimus comprehendi. Pariter excusari Tutores, Curatores consentientes, vt Virgo se prostituat. Et ratio eadem est, quia illi non veniunt appellatione Patris. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap. 15. num 46.

14 Secundò non comprehendi Patrem, aut Matrem consentientes in prostitutionem filij ad crimen nefandum. Ratio est, quia standum est in proprietate verborum: nomine autem filiæ non venit filius. Secus autem es-

set si Pater, aut Maritus consentiret in nefariam prostitutionem præposteræ libidinis cum vxore sua, vel filia.

15 Tertiò non incidere in casum fratres consentientes in prostitutionē sororis. Et ratio est, quia illi sub litera reseruationis non comprehenduntur, sed Pater tantùm, Mater, aut Maritus.

16 Quartò non ligari hac reseruatione Maritum, vel Patrem non impedientes prostitutionem vxoris, vel filię, cùm non possint. Vt contingere potest, si effrenatus miles puellæ alicuius castitatem ante oculos Parentum vellet violare, eamquè cęteris violandam tradere. Et ratio est in promptu, quia nullus dicitur consentire actui, quem impedire non potest, etiamsi ad eum impediendum teneatur.

17 Quintò non affici hac reseruatione Patrem, & Matrem non impedientem prostitutionem filiæ suæ, vel coniugatæ, vel viduæ. Et ratio est, quia si sit coniugata est sub dominio Mariti; vnde illius prostitutio Marito imputatur, non Patri; si verò sit vidua, iam est sui iuris, & sic eius prostitutio non magis imputatur Patri, quàm alteri. Præsens autem casus loquitur de filia existente sub potestate Patris, cùm eius cura, & custodia ad Patrem spectet.

18 Sextò probabiliter posse sustineri non incidere in casum Patrem, vel Maritum, qui assentiatur vt filia, vel vxor semel tantùm, bis, vel ter cum aliquo habeat copulam. Et ratio est, quia verbum ipsum, prostituere aliquid magis videtur importare, quàm importet adulterium, vel fornicatio. Quare si litera reseruationis diceret, Pater, aut Mater consentiens in filiæ deflorationem; tunc vltro concederem ligari hac reseruatione Patrē quoties consentiret in copulā cum filia. At verò cùm dicat, consentiens in prostitutionem; & prostitutio aliquid magis importet, quam importet simplex stuprū, aut fornicatio; certè dicēdum videtur Patrem consentientem, vt filia sua, quæ esset virgo ab alio semel, bis, aut etiam ter defloraretur, non incidere in casum. Ideq; dico de Marito; non enim lata est reseruatio in maritum consentientem adulterio vxoris, sed prostitutioni; prostitutio autem aliquid magis videtur importare, quam importet adulterium. Sicut enim si vxor ipsa alteri, quàm marito semel faciat copiam sui corporis non illicò dicitur se ipsam prostituere, sed simplex adulterium committere; ita Maritus in id consentiens non dicitur prostitutioni consentire, sed adulterio.

19 Quòd si quispiam quærat, quodnam sit id; quod importat prostitutio. Respondeo importare euulgationem corporis factam animo meretricandi: nō dicitur autem mulier euulgare corpus suum, si semel, bis, aut etiam ter alicui faciat copiam sui corporis; sed debet eam, vel pluribus personis facere; vel vni personæ pluries; vel certè sufficere potest si semel copiam corporis faciat, sed cùm animo perseuerandi in eo statu.

20 Quandonam autem dici possit pluries fecisse copiam sui corporis, & quinam numerus esset necessarius Respondeo nō posse certam regulam præscribi, sed prudentis Confessarij iudicio id esse relinquendum. Ac si in capite Superiore num. 85. dixi ad hoc vt quis dicatur ex consuetudine blasphemare necessarium esse, vt saltem quinquies ex quodam habitu diuersis temporibus blasphemias protulerit; multò magis numerum hunc exigerem in fęmina ad hoc vt ea dicenda esset pudicitiam suam prostituisse.

Sed cùm certi aliquid in hac re non valeam definire, Confessarios saltem mone-

monebo, vt quoties caſus iſte inciderit, aduertant vtrùm mulier copiam ſui corporis faciat gratia quæſtus, an verò ex impuro amore, & libidine, qua erga alium quàm Maritum ſit capta: vt contingere poſſet ſi Maritus eſſet ſenex, vel deformis, vel ægrotus, vel ſi rixæ inter coniuges intercederent; tūc enim ſi ad libidinem ſuam explendam aliquoties cum priuato amaſio vxor coiret, Marito etiam aduertente, nec audente contradicere ob priuatos reſpectus, vt nonnunquam contingit; porro Maritum hunc à reſeruatione excuſarem. Et ratio eſt, quia ſi mulier ex libidine qua erga amaſium rapiatur illi ſemel, aut etiam pluries copiam corporis faciat, non ideo dicitur ſuum corpus euulgare, ſeu proſtituere; nomen enim ipſum proſtitutionis, quæ græco nomine dicitur προκυαγῦον propriè videtur eſſe ſcortorum, quæ mercede, & pretio copiam ſui corporis faciunt, & aliorum libidini obſequuntur. Vnde eſt, vt Maritus non impediens ob priuatos aliquos reſpectus, puta quia vxor ſit viro ipſo animoſior, vel ob alios ſimiles; etiamſi mortaliter peccaret non impediendo, immunis eſſet dicendus ab hac reſeruatione.

21 Sic etiam ab hac reſeruatione excuſarem, ſeruum, aut agricolam, cuius filia, aut vxore Dominus ter, quater, quinquies, aut etiam pluries abuteretur, puella ipſa, Patre, aut Marito non audente contradicere. Et ratio eſt, quia in rigore copula hęc non eſt proſtitutio, cùm copiam ſui corporis concedat tantùm, quia ex reuerentia non audet contradicere, non verò gratia quæſtus.

22 Quinimò non deſunt viri doctiſſimi à me ſuper hoc caſu conſulti, qui putent reſeruationem hanc eos tantùm caſus comprehendere, in quibus Pater, Mater, aut Maritus ita conſentiant in proſtitutionem filiæ & vxoris, vt eius pudicitiam vel domi vel alibi venalem omnibus faciant; cùm id ipſum videatur ſonare verbum, proſtituere, ideſt vt hiſpano idiomate dicitur, Poner la moça al burdel y puteria. Cui ſententiæ licèt non ſubſcribam, eam tamen ob illorum auctoritatem nō exiſtimarim improbabilem.

23 Septimò in hanc reſeruationem non incidere ægrotum eum, qui Medico nolenti mederi niſi copiam vxoris faciat, ad finem recuperandæ ſanitatis eam ſemel concedat. Et ratio eſt allata, quia videlicet ſi mulier aliqua ſemel alicui corporis ſui copiam faciat, maximè abſquè mercede, & ſine animo perſeuerandi in eo ſtatu, ſed vt ſuæ, vel etiam alienæ libidini indulgeat, non ideo dicitur proſtituta. Quidquid in contrarium ſentiat Graff. cit. num. 28.

24 Octauò non incidere in caſum Maritum, vel Patrem, qui verè repugnet vxoris, vel filiæ proſtitutioni, ſed ea nihilominus pudicitiam, & corpus ſuum venale faceret; etiamſi poſtmodum Pater, & Maritus de pretio ab amaſio accepto participarent. Et ratio eſt, quia non dicuntur conſentire illius peccato, ſed potius vti illius malitia ad proprium commodum, per ea quæ in ſimili docet Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 12. nu. 52. quo loco quærit, an vir ſuſpicans de adulterio vxoris poſſit illam obſeruare cum teſtibus, an verò teneatur illicò peccandi occaſionem auferre. Quod idem quæritur de cuſtode nemoris, an poſſit ſe abſcondere, vt in illud ingrediens deprehendatur. Vel de Dominis, & heris, an videlicet poſſint permittere famulis, ſeu non auferre occaſionem furandi, vt deprehenſi corrigantur. Demum verò

pro casu nostro sentit Bellochius de cas. reser. par. 2. quæst. 18. nu. 28. explicans septimum casum tabellæ Ripanæ in hæc verba latum, Lenocinium ad effectum stupri, adulterij, aut sodomię.

25 Nonò excusari ab hac reseruatione Patrem habentem copulam cũ filia, licèt incideret in aliam contra incestuosos in primo, vel secundo gradu latam. Et ratio est, quia vt patet ex dictis, per copulam hanc non diceretur puella prostituta: & si diceretur prostituta, reseruatio hæc non est lata contra prostituentes, sed contra consentientes prostitutioni. Quidquid in contrarium sentiat Graf. in sua praxi loco iam cit. nu. 34.

26 Decimò excusari Matrem, quę ad amorem conciliandum consentiat vt filia sua iam desponsata copulam habeat cum sponso de futuro. Et ratio est allata quia non dicitur puella se prostituere suo sponso de futuro copiam corporis faciendo, cùm verbum ipsum, prostituere, importet euulgationem corporis factam animo meretricandi. Et sic Mater non diceretur consentire prostitutioni. Peccaret quidem mortaliter Mater, quia cùm posset filiæ fornicationem impedire, non impediret, non tamen incideret in casum. Puella verò incideret in eam reseruationem, de qua locuti sumus superiùs in cap. 12.

DIFFICVLTAS VNICA

Pater, Mater, vel Maritus consenserunt in prostitutionem filiæ, vel vxoris, sed effectus non est secutus, quia filia, vel vxor noluit permittere se violari. Quæritur vtrùm Pater, Mater, vel Maritus inciderint in Casũ.

27 *Refertur sententia affirmans.*
28 *Refertur sententia negans.*
29 *Negantem sententiam pro praxi tutam existimat Author.*
30 *Censura lata contra Scribentes literas ad Moniales non incurritur, si literæ ad Moniales non perueniant.*
31 *Pariter non incurritur censura lata contra scribentes literas, aut nuntiũ mittentes ad Cardinales in Conclaui existentes, nisi literæ, & nuntius perueniant.*

27 Dvplex in huius casus solutione adest sententia. Altera affirmatiua, asserens, videlicet, etiamsi consensus non fuerit ad effectum perductus, adhuc tamen Patrem, Matrem, vel Maritum consentientes prostitutioni filiæ, vel vxoris comprehendi sub casu. Suaderi autem hæc opinio potest primò ex verbis reseruationis: nam litera reseruationis simpliciter loquitur de consentientibus in prostitutionem; ergo vbi adsit consensus, intelligetur reseruatio, licèt ille non sit consummatus, & cum effectu. Patet hoc à simili ex ijs, quæ Doctores plures docent de procurantibus abortũ, quos asserunt incidere in casum, etiamsi effectus non sequatur. Idemquè nos ipsi docuimus superiùs in cap. 3. de procurantibus abortum, quæst. 2. num. 27. Ergo à pari cùm reseruatio lata sit in consentientes, nequè vlla fiat mentio effectus, dicendum erit reseruationem incurri, etiamsi effectus non sequatur, dummodo tamen consensus sit exhibitus. Tum quia si reseruatio lata esset in hæc verba, facientes tractatum de homicidio; porrò hæc incurreretur etiãsi consummatio homicidij non succederet; Ergo à pari cùm sit lata reseruatio contra Patrem, Matrem, aut Maritum consentientes in prostitutionem filiæ,

vel

vel vxoris, ſolus conſenſus ſufficiet ad eam incurrendam.

28 Altera ſententia eſt,quæ negat præſtito ſolo conſenſu reſeruationem incurri. Ratio eſt,quia conſenſus ſola etiam voluntate perficitur; reſeruatio autem non afficit actum merè internum, vt diximus in 1.diſp. quæſt. 1. difficult. 7. Ergo conſenſus debebit coniungi cum actu externo, puta cum ipſa proſtitutione. Tum quia reſeruatio ſemper intelligitur de actu exteriore perfecto, & conſummato.

29 Reſpondeo primā ſententiam ſatis probabilem videri; ſecundam tamen in praxi eſſe tutam, & tenendam, cohærenter loquendo ad ea, quæ alibi diximus. Et ratio eſt generalis pro omnibus caſibus ſimilibus, quia cùm reſeruatio ſit odioſa, inclinandum eſt in partem fauorabiliorem, & conſequenter intelligenda ea eſt de actibus exterioribus perfectis, & conſummatis. Ita Belloch. de caſ. reſer. par. 2. quæſt. 18. num. 27. quo loco explicans reſeruationem latam contra eos, qui lenonis, & lenæ officio funguntur ad finem ſtupri, adulterij, aut ſodomiæ, eximit ab hac reſeruatione lenonem, & lenam ſi effectus non ſit ſecutus. Vide quæ diximus in cap. 1. de raptu Virginum, quæſt. 3. num. 71. Idemquè diximus in cap. 3. quæſt 2. num 27. futurum vt doceremus de abortu, niſi in ipſa reſeruatione addita fuiſſent verba ea, etiam non ſecuto effectu.

30 Sic ſi lata ſit excommunicatio contra ſcribentes literas Monialibus, & literæ ipſæ, aut intercipiantur, aut poſtmodum lacerentur, itaut ad Moniales non perueniant, cenſuram hanc non incurri per ſolam literarum exarationem, ſed vlterius requiri, vt ad manus Monialium perueniant, docent Nauar. lib 5. de ſentent. excomm. conſil. 19. Sanch. in ſum. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 117. Miranda in tract. de Monialibus quæſt. 4. art. 5. Rodriq. tom. 1. quæſt. 45. art. 3. Bonacina de clauſura q. 3. pun. 2. nu. 6.

31 Idemquè docent Doctores in explicatione cenſuræ latæ contra eos qui Cardinalibus in Conclaui exiſtentibus literas, vel Nuntium mittunt, videlicet non ſatis eſſe mittere Scripturam, vel Nuntium, niſi ad eum perueniat ad quem mittebatur; verba enim intelligenda ſunt cum effectu. lib. 1. §. hæc verba. ff. quod quiſquè iuris. l. quoties. ff. qui ſatiſd. cog. & cap. ſi à Iudice, de appellat. lib. 6. Ergo etiam reſeruatio lata contra Patrem, Matrē, vel Maritum conſentientem in proſtitutionem filiæ, vel vxoris non afficiet exhibentem conſenſum, niſi proſtitutio erit ſecuta.

De Grauitate huius peccati.

Grauiſſimum hoc peccatum eſt, tantòquè grauius, quātò ſtrictior Parentum, ac Mariti obligatio eſt conſeruandi caſtitatem filiarum, aut vxoris. Hinc eſt vt per authen. de Lenon. §. 1. huius generis homines vocentur peſtiferi caſtitatis vaſtatores. Adde etiā delictum hoc à Parente, Marito vel fratre commiſſum pœna mortis vindicari. Iure etiam Cæſareo lenones omnes varijs pœnis plecti; nam infamia notantur, & ita viliſſimæ perſonæ reputantur; itaut nec teſtimonium ferre poſſint, & factionē teſtamēti tam actiua, quàm paſſiua priuentur. Iure pariter Pontificio tanquam infames, & irregularitatis labe infectos ab Ordinibus arceri, C. ſi cuius vxorem. Vnde huius generis homines è Ciuitatibus eſſent expellendi ob infinita peccata, & mala, quorum ſunt cauſa. Confeſ-

ſarios

sarios autem non leues esse deberent in peccato tam enormi, sed grauissimam pro modo culpæ pœnitentiam iniungere, ac præsertim præseruatiuã, si opus esset: puta, quòd Pœnitens si in huiusmodi peccatum amplius labatur, per triduum ieiunet in pane, & aqua; certam pecuniæ summam loco pio, vel pauperibus persoluat, vel aliud simile pro vtilitate Animæ. Et si Pœnitens sit huic peccato assuetus, neganda illi est absolutio, & ab Eucharistia est arcendus, donec signa resipiscentiæ, & emendationis ostendat. Adde si peccatum sit publicum, publicam etiam pœnitentiam esse iniungendam ad tollendum scandalum, id enim pro aliorum ædificatione, ac bono communi expedit.

INGEMISCE LECTOR.

Vt suum virginitati, coniugaliq; thoro adsit lenociniũ Parentes, Coniugesq; ipsos aliquando non deesse.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Qui falsa instrumenta, aut falsas singraphas, apochasuè in damnum alterius confecerit, vel conficienda mandauerit, consiliumuè dederit.

CAsum hunc varijs modis sibi reseruarunt locorum Ordinarij. Alibi enim, vt Salerni, Regij in hæc verba lata est hæc reseruatio, falsificantes scripturas publicas. Alibi vt Tarenti extenditur reseruatio hæc etiam ad priuatas scripturas. Demum hic in nostra Diœcesi, & Ferrariæ amplior est, cùm comprehendat mandantes omnes, & consulentes.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam incidant in hanc reseruationem.

1 *Quid veniat nomine instrumenti.*
2 *Quid nomine singraphæ.*
3 *Quid item nomine apochæ.*
4 *Affertur regula generalis pro hac reseruatione.*
5 *Incidit in casum Notarius, Aduocatus conficiens falsum instrumentum, singrapham, aut apocham.*
6 *Incidunt mandantes, & consulentes.*
7 *Item Notarius describens nomina absentium pro testibus.*
8 *Pariter Notarius describens adfuisse tot testes, cùm tamen non adfuerint: vel describens aliquem hæredem, aut legatarium, quem testator non reliquit.*
9 *Aliqui existimant falsificantem instrumenta singraphas, aut apochas incidere in casum.*
10 *Sententiam negantem non esse improbabilem putat Author.*
11 *Conciliantur Authores pro contraria sententia relati.*
12 *Retenta sententia asserente quod includantur sub hac reseruatione non solùm conficientes falsa instrumenta &c. sed etiam falsificantes, incidunt ij qui instrumento, singraphæ, aut apochæ aliquid addunt, aut minuunt, cuius additione, aut dimminutione inferatur notabile damnum tertio.*

1 PRO clariore huius casus intelligentia aduertenda sunt tria. Primò, instrumentum esse scripturam publicam, in qua continentur, & referuntur voluntates testantium, pacta contrahentium, emptiones, venditiones, alijq; contractus, per Notariũ publicum factam.

2 Secundò, singrapham dici scripturam quandam, seu schedulam, quæ fit manu contrahentium, vel etiam de manu aliorum, quos contrahentes ipsi eligunt, idq; ad seruandam fidem, & obligationem pactorum in ea contentorum, & vulgato nomine dicitur, Polliza.

3 Tertiò, apocham dici scripturam quandam, seu schedulam, in qua creditor profitetur sibi à debitore esse satisfactum, ita vt idem sit apocha, ac relatio accepti, vulgatoq; vocabulo dicitur, Riceuuta, Confessio. His positis.

4 Regulam generalem statuo, ad hanc reseruationem duas conditiones requiri; falsitatem circa instrumenta, singraphas, aut apochas; & tertij præiudicium.

5 Respondeo ergo primò incidere in hunc casum Notarium, Aduocatum conficientem falsa instrumenta, singraphas, vel apochas. Patet hoc ex verbis reseruationis.

6 Secundò ligari hac reseruatione mandantes omnes, ac consulentes. Hoc item patet ex verbis ipsis reseruationis.

7 Tertiò affici hac reseruatione Notarium describentem in instrumento nomina absentium pro testibus: vt si in Monasterio aliquo, aut Collegio tale conficiens instrumentum scribat maiorem partem Monachorum adstitisse, cùm tamen non adstiterit; vel tot adfuisse testes, cùm tamen non adfuerint. Et ratio est, quia tale instrumentum verè falsum est: & sic locum habet reseruatio.

8 Quartò incidere in casum Notarium eum, qui testamentum conficiens scribat adfuisse septem testes, cùm tamen non adfuerint; vel omnes esse masculos, puberes, & rogatos, cùm tamen id verum non sit. Vel si aliquem describat hæredem, aut legatarium, quem testator ipse non instituerit. Vel si in codicillo à testatore confecto ad aliquid in testamento explicandum, mutandum, addendum, vel detrahendum, Notarius ipse falsitatem & dolum ahibeat. Quocunquè demum modo instrumentum falsum reddatur, ita vt vergat in præiudicium tertij, illud conficiens incidit in casum.

9 Quintò existimant aliqui falsantem instrumenta, singraphas, aut apochas incidere in casum: vt si aliquid in instrumento, singrapha, aut apocha in alterius præiudicium per rasuram immutaretur. Quorum ratio est, quia falsum instrumentum conficere, ac falsare idem est, vt habet Graff. in praxi lib. 2. cap. 19. num. 2. agens de falsificantibus scripturas publicas; licèt nu. 22. sibi contrarius videatur, quo loco dicit Notarium conficientem falsum instrumentum non incidere in reseruationem latam contra falsificantem scripturam publicam, quia licèt instrumentum sit scriptura publica, tamen conficere non est idem ac falsare. Verùm quidquid sit de Graffij mente; certè huius sententiæ sunt complures viri docti à me de hoc casu consulti, existimantes eum, qui in instrumento, singrapha, vel apocha adderet, vel minueret aliquam substantiam veritatis in præiudicium tertij, incidere in casum: vt hoc idem docet Graff cit. in suis decisionibus aur. par. 1. lib 4. ca. 18. nu. 92 explicans censuram in Bulla

Cœnæ

Cœnę contentam contra falsificantes literas Apostolicas. Bonacina de censur. in Bulla Cœnę contentis disp. 1. quęst. 7. pun. 1. num. 4. vbi habet falsificationem multis modis contingere posse. Primò aliquid addendo. Secundò radendo. Tertiò sigillum verum falsis literis apponendo. Quartò fabricando falsas literas. Vnde in illius sententia, falsas literas fabricare, & falsificare pro eodem reputatur, & censura lata contra falsificantes literas comprehendit etiam falsas fabricantes. Et hanc sententiam pro praxi suaderem.

10 Ego tamen non existimarim improbabiliter dici, eum qui instrumenta, singraphas, aut apochas falsificaret aliquid addendo, aut detrahendo, quod vergeret in tertij præiudicium, non incidere in hanc reseruationem. Et ratio est, quia reseruatio loquitur tantùm de conficientibus falsum instrumentum, singrapham, aut apocham; non verò de falsificantibus: in rigore autem falsificatio scripturæ, videtur distingui à fabricatione falsæ scripturæ. Patet hoc à simili. Nam in Bulla Cœnæ lata est excommunicatio contra falsificantes literas Apostolicas, his verbis. [Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac supplicationum, gratiam, vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, seu gerentes vicem eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falsò fabricantes literas Apostolicas etiam in forma Breuis &c. [Ex quibus verbis patet duas actiones eo Bullæ capite prohiberi: primam, quæ est falsare literas Apostolicas, quæ prohibita etiã sub anthemate fuerat in Cap. Ad falsariorum, de Crimine falsi; licèt ibi non fuerit addita reseruatio. Alteram, quæ est fabricatio falsarum literarum. Ergo signum est fabricationem falsarum literarum ab earundem falsificatione distingui. Vnde est vt de priore illa actione loquens Suarez disput. 21. de censuris sect. 2. nu. 45 sic dicat, [falsare autem literas Apostolicas non est omnino falsas confingere, aut fabricare: hoc enim spectat ad aliam actionem ibi prohibitam; sed est aut veras literas Apostolicas ab earum syncera veritate immutare, aut verò sigillo seu signo literarum Apostolicarum ad falsas literas consignandas vti.] Ergo idem dicere possumus in nostro casu, videlicet confectionem falsi instrumẽti, singraphæ, aut Apochæ ab eorundem falsificatione distingui: & sic cùm reseruatio meminerit tantùm de conficientibus, non verò de falsificantibus; eos quidem incidere in casum, non item hos: ex regula nostra generali, & in materia pœnali ab omnibus recepta, quòd odia sint restringenda.

11 Vnde patet auctoritatẽ Graffij in suis decisionibus, & Bonacinę, huic sententiæ non obstare; si enim asserunt falsificantem literas Apostolicas incidere in censuram, hoc ideo est, quia in Bulla Cœnæ expresè prohibentur hæ duæ actiones, falsatio literarum, & fabricatio falsarum literarum: præsens verò casus loquitur tantùm de conficientibus, seu fabricantibus, non verò de falsificantibus.

12 Sextò, retenta sententia asserente, quòd in hanc reseruationem incidant conficientes falsa instrumenta, & ea falsificantes, eos omnes incidere in casum, qui instrumento, singraphæ, aut apochæ aliquid addant, vel minuant, cuius additione, vel detractione

ne inferatur notabile damnum tertio. Et ratio est, quia hæc est vera falsificatio; & de hac sola loquitur Superior, vt patet ex verbis reseruationis. Modi autem falsificandi hisce duobus carminibus comprehenduntur.

Forma, stilus, filum, membrana, litura, sigillum.
Hæc sex falsata, dant scripta valere pusillum.

Hinc est, vt de falsitate literarum Apostolicarum loquentes Doctores dicant incurri censuram quoties aliquid addatur, vel detrahatur, cuius additione, vel detractione sensus verborum à Summo Pontifice intentus varietur. Vt bene Suarez cit. Graff. par. 1. decis. aur. lib 4. cap. 18. num. 92. Reginal. lib. 9. cap. 17. num. 288. Bonac. cit. num. 5. Gambar. de cas. reser cap 6. Bullæ, num. 9. pag. 86.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

13 *Excusatur ab hac reseruatione qui conficit instrumentum, quod ex alio capite sit nullum, quàm falsitatis.*

14 *Sic contrahens matrimonium in gradibus affinitatis, aut consanguinitatis prohibitis, aut cum Moniali, non incidit in censuram si illud contrahat absque Parocho, & testibus.*

15 *Idem dicendum si consensus esset fictus ex parte vtriusque: vel si tantùm ex parte alterius.*

16 *Idem dicendum si impubes contrahat: vel si pubes cum impubere.*

17 *Pariter si matrimonium hoc contrahatur per metum cadentem in virum constantem.*

18 *Non incideret in casum Notarius conficiens instrumentum, quod tamen non esset à tabellione subscriptum.*

19 *Pariter non incideret qui incœpisset quidem conficere instrumentum falsum, sed tamen illud non perfecisset.*

20 *Dato etiam quod falsificantes incidant in casum, non tamen incideret is qui à legitimo instrumento, singrapha, aut apocha aliquid abraderet animo addendi aliud sed pœnitentia ductus priora verba iterum apponeret.*

21 *Non incidit qui conficit falsum instrumentum animo non vtendi.*

22 *Nec item qui confectis ab alio vtitur.*

23 *Nec item qui aliquid addit vel minuit, quibus additis, vel detractis nullum præiudicium sequatur alteri.*

24 *Qui litteras Apostolicas corrigeret iuxta mentem Pontificis non incideret in censuram.*

25 *Proponitur casus de eo, qui vt se redimat à periculo iniusta vexationis apochæ aliquid radit quod sensum mutet, & quæritur vtrum incurratur hæc reseruatio.*

26 *Casus similis proponitur de Confessario eo, cui cùm Episcopus concesserit facultatem audiendi confessiones & à reseruatis absoluendi: & Cancellarius in rescripto expresserit solam facultatem audiendi confessiones: ipse addit particulam; & à reseruatis absoluendi; quæritur autem, vtrùm iste incideret in reseruationem, si ea esset lata contra falsarios literarum Prælati.*

27 *Respondet Author casui proposito de apocha cui aliquid radatur ad euitandam periculum iniusta vexationis.*

28 *Non incideret in casum is, qui vt liberaret se ab iniusta vexatione conficeret falsam scripturam, puta falsum instrumentum &c.*

29 *Vtrùm conficiens falsam scripturam peccet mortaliter.*

30 *Ad quid teneatur Notarius ex debito officij,*

officij, & ratione iuramenti. An peccet mortaliter si originale instrumentorum Partibus tradat. An item peccet si instrumenta in breuibus desumpta non extendat.

31 *Quæcunquè falsificatio scripturæ publicæ est peccatum mortale.*

32 *Quinimo nec licet producere instrumentum falsum ab alio confectum.*

33 *Quid si scriptura non sit publica, sed priuata, vtrùm illius falsificatio sit peccatum mortale.*

34 *Non incidunt in casum testes præsentes testamento falso.*

35 *Mandans vel consulens alteri vt falsum instrumentum conficiat, ad quod conficiendum iam erat paratus, non incidit in casum.*

36 *Sic mandans, vel consulens percussionem Clerici non incidit in censuram nisi influxerit in effectum.*

37 *Consulens falsificationem si consilio suo fuerit tantùm causa vt citius aut liberius falsificaretur scriptura, potest excusari ab hac reseruatione.*

38 *Mandans, vel consulens falsum instrumentum confici, eo non confecto non incidit in casum.*

39 *Sic cogentes fœminam ad ingressum Monasterij non incidunt in censuram effectu non secuto.*

40 *Sic receptantes hæreticos non incidunt in censuram non secuto effectu dißeminationis hæresis.*

41 *Qui alteri consuluit vt falsum instrumentum conficeret, si postmodum dubitet vtrùm suo consilio ille fuerit motus potest à quocunque Confessario absolui.*

42 *Mandans alicui vt falsum instrumentum conficiat, si ante confectionem mandatum reuocet, & reuocatio innotescat mandatario, non incidit in casum. Quod idem dicitur de consulente.*

43 *Etiamsi aliquis efficaciter alicui consulat vt falsum instrumentum conficiat si tamen consultus aliunde moneatur quàm à tali consulente, non incidit in casum.*

44 *Sic immunis est ab onere restitutionis qui suffragatur sententiæ iniustæ postquam sufficiens numerus fuit suffragatus.*

45 *Non incidunt in casum qui falsas attestationes faciunt pro Clericis ad Ordines promouendis.*

13 RESpondeo primò excusari, eũ, qui conficiat instrumentum falsum, quod de se sit nullum ex alio capite quàm falsitatis. Et ratio est, quia statutum faciens mentionem de scriptura, intelligitur de valida, & non de inualida. Bald. in l. D. Adrianus ff. de testam. milita.

14 Sic in Clementina vnica de Consang. prohibitum est sub censura scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus matrimonium contrahere: Si quis tamen illud clandestinè contraheret, absquè Parocho videlicet, & duplici teste, immunem futurum ab hac censura, docent Petrus de Ledesma de matrim. quæst 65. art. 9. dubio 1. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 48. num. 8. Bonacina disp. 2. de censuris extra Bullam Cœnæ quæst. 2. puncto 7. num. 16. Et ratio est, quia contractus ille non habet formam veri matrimonij, neq; contrahentes faciunt quidquid in se est vt illud ineant.

15 Et ob eandem rationem non esse locum huic censuræ, quando quis fictè consensit, docent Adrianus 4 quodlib. 3. de matrim dub. 10. ad finem. Couar. 4 decret. 2. par. cap. 3. §. 2. num. 8. & §. 7. num. 2. ad finem. Petrus de Ledesma

desma de Matrim. quæst. 55. art. 9. dubio 1. Suarez de censuris disput. 23. sect. 5. num. 18. & 19. Filliucius tract. 16. cap. 5. quæsito 6. num. 27. Sanchez cit. num. 9. Bonac. nu. 9. & alij apud ipsos. Quinimò addunt Sanchez, & Bonac citati censuram hanc non incurri ab eo, qui verè & legitimè consentiat, quoties alterum constet fictè consensisse. Et ratio est, quia citata Clementina punit matrimonium initum contra illam prohibitionem; non dicitur autem matrimonium quando deest consensus ex parte alterius.

16 Pariter impuberem contrahentem hoc matrimonium interdictum non ligari hac censura: nec puberem contrahentem cum impubere, quia consensus ille de se non fit efficax ad matrimonium, sed sola sponsalia constituat interpretatione iuris, Cap. vnico de sponsalibus impub. in 6. docent Angelus v. excommunicatio 9. casu 41. nu. 2. Sylu. v. excommunicatio casu 41. num. 78. dub. 7. Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 15. art. 9. dub. 1. Sanchez cit. num. 11 Bonacina num. 11.

17 Demum verò ob eandem rationem non incurri excommunicationem si matrimonium hoc contrahatur per metum cadentem in virum constantem, quia videlicet consensus exhibitus sit inefficax defectu libertatis; docet Glos. d. Clem. vnica, verbo matrimonialiter Cardin. ibi num. 14. q. 27. Syluester cit. casu 42. nu. 78. dub. 5. Nauar. in summa cap. 27. num. 141. Petrus de Ledes. de matrim. quæst. 55. art. 9. dubio 1. Bonacina num. 12. Sanch. cit. nu. 12. quo loco addit, ab hac censura futurum immunem alterum contrahentem, etiamsi liberè contraheret, ex eo quòd matrimoniũ hoc claudicet ex parte alterius, cuius consensus ob defectum libertatis est inefficax.

18 A pari ergo idem dicere possumus de conficiente instrumentum falsum, eum videlicet immunem esse a reseruatione imposita, quoties aliunde instrumentum nullum sit, quàm ex capite falsitatis. Quare non incideret in casum Notarius, qui conficeret tale instrumentum, non tamen esset à tabellione subscriptum, quia non esset completum; complementum enim fit per subscriptionem, in auth. de tabell. in princ. l. hac consultissima §. fin. Ita Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 9. nu. 109. Graff. in praxi lib. 2. cap. 19. nu. 29.

19 Secundò non ligari hac reseruatione eum, qui inceperit quidem conficere instrumentum falsum, singrapham item falsam, aut apocham, sed tamen non perfecerit. Et ratio est, quia reseruatio intelligitur de actu perfecto, non autem inchoato tantùm. Ita Graff. cit. num. 38. Belloch. num. 115. Chapeauilla casu 17. quæst. 2. illatione 5. vbi loquens de falsitate circa literas alicuius Prælati inferioris Papa, ait immunem esse ab ea reseruatione eum, qui ex literis Episcopi raderet aliquam dictionem, aut sententiam cum animo apponendi diuersam, sed pœnitentia ductus eandem restitueret. Ad idemquè facit quod superiùs docuimus in cap. 11. quæst. 4. nu. 27. eum, qui literas Apostolicas falsificare inceperit, sed pœnitentia ductus non perfecerit, non affici excommunicatione lata contra illas falsificantes.

20 Addo retenta sententia asserente ad hanc reseruationem non requiri solam fabricationem instrumenti falsi, sed sufficere quamcumquè falsificationem (quam sententiam pro praxi esse consulendam monuimus superiùs nu. 9.) immunem futurum ab huiusmodi reseruatione illum, qui à legitimo instrumento, singrapha, aut apocha

cha

cha aliquid abraderet animo addendi aliud, quod vergeret in graue damnum tertij, sed pœnitentia ductus priora verba iterum apponeret. Et ratio est, quia iste non diceretur falsificator. Ita Chapeau. cit. & de falsificante literas Apostolicas Reginal. lib.9. cap.17.nu. 288. Graff. par. 1. decis. lib. 4. cap. 18. num 94. Bonac. cit. num. 12. qui citat Duardum, & Vgolinum.

Dices, statimac aliquid fuit abrasum à legitimo instrumento, mutata est significatio, & sensus scripturæ; Ergo is qui abrasit illico incidit in reseruationem. Respondeo non censeri mutatam significationem, & sensum priorum verborum, quamdiu non fuerunt addita alia habentia distinctam significationem.

21 Tertiò in casum hunc non incidere eum, qui falsum instrumentum, singrapham, aut apocham conficit, seù falsificat animo non vtendi, sed statim lacerandi. Et ratio est, quia verè noluit falsare, qui habuit animum statim lacerandi. Et de falsificante literas Apostolicas ita sentiunt Alterius, & Duardus à Bonacina citati num. 13. licèt ipse contrarium sentiat. Vide quę in simili probabiliter docuimus in cap. 11. num. 10. & 24. Adde quòd præsens reseruatio non comprehendit quamcumquè falsificationem, sed eam tantùm quæ fiat in alterius præiudicium, & damnum; non dicitur autem facta in alterius præiudicium, quoties scriptura confecta sit animo non vtendi, sed statim lacerandi, & destruendi.

22 Quartò non ligari hac reseruatione eum, qui falsa instrumenta, singraphas, apochas nec conficiat, nec conficienda mandet, vel consulat, sed tantùm ab alio confectis vtatur. Et ratio est, quia diuersa inter se sunt falsa instrumenta conficere, & ijs confectis vti, & primum quidem delictum comprehendit reseruatio, nō autem secundum. Ita Graffius in praxi l. cit. nu. 16. Belloch. cit. num. 116. Chapeauil. cit. quæst. 2. versic. Tertiò nequè illum. Vide quæ in simili docui de adulterantibus stateras cap 11. num 3. Verum tamen est, quòd mortaliter peccaret, & ad restitutionem teneretur; nisi fortè excusaret ignorantia.

23 Quintò in hanc reseruationem non incidere eum, qui in instrumento singrapha, aut apocha aliquid addat, vel minuat, quibus additis, vel detractis nullum præiudicium, & damnum alteri sequatur, puta debitori. Et ratio est, quia hæc non est formalis falsificatio; crimen enim falsitatis circa scripturam tunc committitur quando dolosè illarum veritas immutatur cum alterius iniuria. Vt bene Chapeauil. casu 17. cit. in principio. Tum quia, reseruatio loquitur tantùm de falsificatione quæ cedat in alterius præiudicium. Quare si Notarius errasset in scribenda summa pecuniæ: vel in apponendo termino, de quo Partes inter se cōuenissent: vel alio modo simili; corrigens non incideret in casum; nihil enim fit, quod sit contrarium intentioni alterius contrahentis.

24 Sic de falsificantibus literas Apostolicas loquentes Doctores, à censura in eos lata immunem faciunt eum, qui literas corrigit iuxta mentem Pontificis, vt si scriptor aliquid aliter expressisset, quam in supplicatione fuisset à Papa concessum; puta si in supplicatione dicebatur, Caio Mediolanensi, & per errorem Scriba apposuerit, Caio Bergomensi. Vel si in supplicatione exprimebatur quartus gradus consanguinitatis, & Scriba expresserit quartus affinitatis: quorum Doctorum ea ratio est, quia iste non dici-

tur

tur falsificare, sed potius tollere falsitatem, & veritatem apponere. Ita Sayrus, Duardus, Reginaldus, Vgolinus, quos citat, & sequitur Bonacina cit. num. 7. quibus accedit Graff. in decisionibus l. cit. num. 97. Quidquid in contrarium sentiat Suarez de censuris disp. 21. sect. 2. num 47. quo loco putat id non licere, sicuti non liceret nouas literas fabricare, & eas loco aliarum supponere. Et Gambarupta cap. 6. Bullæ pag. 86. non audet id admittere, sed consulit vt ad Scribas recurratur, qui errorem eum corrigant, quem cõmiserunt. Et hæc monui, retenta sententia, quòd falsificans instrumentum, singrapham, aut apocham incidat in casum.

25 Ex quibus patet quid dicendum esset ad casum hunc. Caius, verbi gratia, Sempronio centum persoluit, quæ eidem debebat, à quo etiam apocham recepit, sed cum hac expressione quòd quinquaginta tantùm persoluerit. Caius aduertens errorem, ac videns facillimum esse Sempronio quinquaginta denuo repetere, quæ tamen illi non debentur, apocham radit, & scribit soluta esse centum, cum videat non alio modo posse se redimere a periculo iniustæ vexationis, quam illi inferre potest idem Sempronius. Quæritur an Caius inciderit in reseruationem latã contra falsificantes apochas.

26 Certè Chapeauilla loco superiùs cit. quæst. 2. versic. Quartò neque illum, casum huic similem proponit de Confessario eo, qui Episcopo libellum aliquem supplicem porrexerit, in quo peteret sibi dari licentiam excipiendi confessiones, & simul absoluendi à casibus reseruatis in foro conscientiæ, & vtrumquè Episcopus concedat: Sed Cancellarius, ad quem spectat rescripta huiusmodi conficere, exprimit illi fuisse concessam solam facultatem audiendi confessiones. Cui difficultati respondet, Confessarium hunc non incidere in reseruationem latam contra falsarios literarum Prælati, etiamsi rescripto ipse addat particulam eam, & à reseruatis absoluendi, prout continebatur in supplicatione signata. Cuius ratio est, quia falsitas dicit immutationem veritatis, qualis hic non contingit. Monet tamen id non ita facilè esse faciendum propter scandalum, & præsumptionem fori externi.

27 Respondeo ergo ad casum propositum, dicendo Caium nullo modo peccare, & consequenter nequè incidere in reseruationem Et ratio est, quia hoc licitè facit, vt redimat se ab iniusta vexatione imminente. Tum quia ad falsitatem hæc tria requiruntur, immutatio veritatis, dolus, & tertij præiudicium, quorum nullum hic adest. Demum quia reseruatio de ijs tantùm loquitur, qui falsa instrumenta, singraphas, vel apochas in damnum alterius confecerint, quale hic non intercedit.

28 Sextò in hunc casum non incidere eum, qui vt liberet se ab iniusta vexatione, quam illi alter infert exigendo quod nullo modo debetur, falsam apocham, aut instrumentum fabricat, quo in iudicio probet se nihil debere. Et ratio est allata, quia hic nõ adest dolus, neq; alterius damnum, quæ duo tamen necessariò requiruntur ad hanc reseruationem.

29 Grauior fortè difficultas est, vtrùm iste peccaret mortaliter conficiendo falsam scripturam; licet enim non incidat in reseruationem, quia nullum adest damnum; aliunde tamen contingere potest vt mortaliter peccet. Ratio dubitandi est, quia nulli infertur iniuria: & ex alia parte videtur medium hoc esse necessarium ad

grauissimum damnum auertendum; vt si amissa esset scriptura de nobilitate, aut hæreditate, neque hæc alio modo probari posset.

30 Respondeo primò certum hoc esse, quòd Notarius falsam scripturam conficiendo peccet mortaliter; tenetur enim munus suum iuste, & fideliter exequi, non solùm ex debito officij, sed etiam ratione iuramenti, per quod ad plura in particulari se obligat: puta, quod secretum sibi commissum seruabit: instrumenta, de quibus rogabitur rite, & legitimè conficiet: non occultabit instrumenta, quę exigentur: sciẽter non conficiet instrumentum de rę illicita, & prohibita, puta vsurarij: apud se retinebit originale instrumentorum, nec illud Partibus, aut earum Procuratoribus tradet, nisi transumptum aliquod velint (in quo monitos Notarios velim, eos mortaliter peccare non tantùm contra iuramentum, sed etiam contra iustitiam, quando imminet periculũ ne processus originales falsificentur, mutentur, aut pereant; cęterùm præciso hoc periculo excusari posse à mortali, quoties pro breui aliquo tempore illos alijs tradant, quia traditio hæc moraliter non contrariatur iuramento de illis retinendis apud se; parum enim pro nihilo reputatur, & idem est in morali existimatione, ac si illos apud se retinerent.) Instrumenta in protocollo, seu in breuibus ob tẽporis angustias desumpta quamprimũ extendere. In quo bene notat Toletus lib. 5. instruction. Sacerdotum cap. 61. num. 4. mortaliter peccare Notarios, qui ob temporis breuitatem cõficiunt solùm quandam summam, seù breuiarium instrumenti, cuius extensionem per longum tempus differant. Et ratio est, quia protocollum illud, seu breuiarium nullam vim habet nisi in registro sit extensum; & sic si fortè Notarius moreretur scripturæ eæ remanerent imperfectæ, atq; inutiles. Hæc tamen doctrina cum duplici limitatione est intelligenda. Prima est, si dilatio extensionis instrumenti fieret per lõgum tempus, nam si ad paucos dies, non censeretur adesse morale periculum. Altera est, si protocollum illud, seu breuiarium tale sit, vt non possit facere fidem in iudicio; puta si non contineret totam rei substantiam; vel si non esset legitimè subscriptum. Cœterùm quoties scriptura cõtineret totam rei substantiam, & legitimè esset subscripta; deessent verò tantùm solemnitates aliquæ accidentales, quarum carentia non tolleret illi robur in iudicio, excusandus esset Notarius à peccato mortali, etiamsi per longum aliquod tempus differret illius scripturæ extensionem. A Confessario tamen adhuc esset obligandus, vt quamprimum illam extenderet. Demùm verò cum iuramento promittit Notarius se neque odio, neq; alio affectu dimotum iri à suo debito.

31 Respondeo secundò quamcunque falsificationem scripturæ, saltem publicę esse peccatum mortale, etiamsi ea in nullius personæ præiudicium cedat. Et ratio est, quia talis falsificatio licèt non sit contra iustitiam commutatiuam, est tamen contra iustitiam legalem, & bonum reipublicæ, quod maximè periclitaretur, quoties aliquando liceret falsa instrumenta aliquando conficere. Vnde videmus falsificationes omnes vtpotè reipublicæ maximè perniciosas seueris legibus prohiberi: quæ prohibitio cùm iusta sit, in conscientia obligat. Vnde patet ad rationem dubitandi initio difficultatis propositam.

32 Addo, etiamsi tale instrumentum

tum falſum eſſet confectum, adhuc tamen non licere illud producere, quoties adſit notitia falſitatis. Caſus eſſe poſſet, ſi de prædio aliquo litigaretur, quod Caius certò ſciret eſſe ſuum; alter verò iniuſtè illud peteret: licèt Caius non alio modo poſſet probare tale prædium eſſe ſuum, quàm producendo falſum inſtrumentum pridem ab alio confectum, adhuc tamen non poſſet illud producere. Et ratio eſt, quia malum quod ſequitur Reipublicæ ex falſificatione ſcripturarum præponderat illi malo, quod patitur iniuſtè priuatus ſuo prædio: quod verum eſt, licèt fortaſſe antea extitiſſet legitima ſcriptura, quæ id probaret, eaquè caſu aliquo fuiſſet deperdita. Ita Couar. lib. 1. var. reſolut. cap. 2. nu. 3 Emmanuel Sa expurgatus v. falſarius nu. 2. contrariam enim ſententiam olim docuerat. Layman. lib. 4. ſect. 5. tract. 5. par. 1. cap. 4. num. 3. Tannerus in 2. 2. diſp. 4. quæſt. 6. dub. 12. num. 332. Diana par. 3. tract. 6. in Miſcellaneo, reſolut. 56.

33 Dixi quamcunquè falſificationem ſcripturæ ſaltem publicæ, puta inſtrumenti. Si enim quis priuatam aliquam ſcripturam, vt ſingrapham, aut apocham, qua conſtaret ſe certæ quantitati pecuniæ mutuò acceptæ ſatisfeciſſe, falſificaret, quia aliam legitimam à creditore confectam amiſiſſet, nec alio modo probare poſſet ſolutionem, non damnarem peccati mortalis. Et ratio, quia falſificationes hę, priuatarum videlicet ſcripturarum, nō ſunt ita Reipublicę pernicioſæ: & Authores citati loquuntur tantùm de falſificatione inſtrumenti, quod eſt ſcriptura publica.

34 Septimò in hanc reſeruationē non incidere teſtes, qui præſentes adſint, & teſtificentur in teſtamēto falſo, de cuius falſitate illis conſtet. Et ratio eſt, quia litera reſeruationis loquitur tantùm de conficientibus falſa inſtrumenta, ſingraphas, & apochas, vel de ijs, qui hæc conficienda mandauerint, conſiliumue dederint; teſtes autem nequè conficiunt; nequè mandant, nequè conſulunt.

35 Octauò mandantem, vel conſulentem alteri, vt falſum inſtrumentum conficiat, ad quod conficiendum iam erat paratus, non incidere in caſum. Et ratio eſt, quia reſeruatio intelligenda eſt de mandato vel conſilio, quod verè influat in effectum. Sic mandantem, vel conſulentem damnum ad nullam reſtitutionem teneri quotieſcunq; executor abſquè illo conſilio, aut mandato erat damnum illaturus, docent Petrus Nauarra lib. 3. cap. 4. num. 7. & nu. 26. vbi ſic habet, ſecundò nota quòd ſi iuſſio, & conſilium tantùm ſint iuſſiones, & conſilia, & non cauſæ efficaces dāni, non incurritur reſtitutionis obligatio. Leſſius lib. 2. cap. 13. num. 4. & eſt communis Doctorum.

36 Sic mandantem vel conſulentem effectum aliquem ſub cenſura prohibitum, vt Clerici percuſſionem, non incidere in cenſuram niſi influxerit in effectum, docet Nauar. cap. 27. num. 51. Auila 2. par. c. 5. diſput. 3. dub 3. Bonac. diſp. 1. de cenſur. quæſt. 1. pun. 6. num. 2. Et alij. Idemquè in materia irregularitatis docent communiter Doctores: eum videlicet non eſſe irregularem, qui parato ad occidendum conſulat homicidium; ex eo quòd licèt ille peccet affectiuè, ratione videlicet affectus, & intentionis homicidij; non tamen peccat effectiuè, cùm non ſit cauſa efficax illius.

37 Addo, ſi quiſpiam ſequi velit ſententiam aſſerentem, quòd qui conſilio ſuo fuit cauſa, vt damnum alioqui ſecuturum, libentiùs, citiùs, aut expe-

ditiùs inferretur, ad nullam restitutionem teneatur: ex eo quòd moraliter rem æstimando, parum, aut nihil interfit ad damni illationem, prima ne, an secunda hora homicidium patretur, aut damnum inferatur, si absquè dubio illud erat secuturum: ac demum quia iste non dicitur causa substantiæ damni (cùm supponamus illud aliàs fuisse inferendum) sed potius modi & circumstantiæ, cum qua mandatur executioni, puta quòd illud fiat hoc instrumento, hoc modo; vt proinde non videatur obligatus ab substantiā damni reparandam: quam opinionem tenent Nauar. cap. 17. num.20. Gabr. in 4.d. 15. q 2. art. 3. dub. 2. D. Anton. par.2. cap. 1. tit. 12. §. 12. ex Paludano & Richardo. Layman lib. 3. tract. 2. ca.5.nu 5. Diana par.3. tract.5. in miscellaneo resolut.84.versic. Notandum est etiam hic. Eandemque probabilem ob Doctorum auctoritatem putat Lessius lib.2. cap. 13. dubit. 2. nu. 8. Hanc inquam sententiam si quis velit sequi, posse sustineri, quòd dans consilium ad instrumentum, singrapham, aut apocham falsificandam, non incidat in reseruationem, etiamsi falsificans, qui alioqui paratus erat ad talem scripturam falsificandam, libentiùs, ac liberiùs ratione talis consilij illam falsificauerit. Ita in simili Lupus de casibus reser. par. 2. casu 8. in tertiam partem textus, num. 12. vbi loquens de consulentibus homicidium sic habet, Addo in sententia quorundam Doctorum dantem consilium alicui ad homicidium, non incidere, etiamsi causa exequens, quæ alioquin parata erat ad exequendum homicidium, libentiùs ac liberiùs ratione illius consilij illud commiserit. Ratio autem esse potest ea, quæ num. superiore fuit allata, quia tale consilium, seu cooperatio ad falsificationem fuit tantùm materialis, vt pote in effectum formaliter non influens, quem alioqui supponimus secuturum, licèt non tam cito, nequè tam liberè.

38 Nonò consulentem, aut mandantem alicui vt falsum instrumentum conficiat, non incidere in casum, quoties tale instrumentum non conficiatur. Et ratio est, quia reseruatio intelligi debet de actibus exterioribus, & cum effectu. Vide quæ dixi in casu superiore nu.29. quo loco quæsiui an Pater, Mater, aut Maritus consentiens prostitutioni filiæ, aut vxoris incidat in casum, etiamsi prostitutio non sequatur. Adde communem esse Doctorum sententiam in materia excommunicationis, vt quando Canon principaliter excommunicat facientes, & accessoriè mandantes vel consulentes, hi non incurrant nisi secuto principali effectu, cui adnexa est excommunicatio. Atqui præsens reseruatio principaliter afficit conficientes, & accessoriè mandantes, & consulentes.

39 Sic Tridentinum sess 25. tit. de Regularibus, & Monialibus cap. 18. excommunicat eos, qui fœminam in quācunquè quomodocunque coegerint ad Monasterij ingressum, habitus susceptionem, vel ad professionem, præterquam in casibus in iure expressis: ac præterea qui consilium, auxilium, fauorem ad id præbuerint &c. Si tamen effectus non sit secutus, ita consulentem immunem esse a censura, docent Nauar. lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 3. num. 1. Manuel 2. tom. sum. cap. 8. num. 9. Sanchez in sum. lib. 4. cap. 4. num. 8.

40 Sic in Bulla Cœnæ lata est excommunicatio contra hæreticos, eorum què receptatores, fautores &c. Et tamen immunem ab hac censura esse

se receptantem, & fauentem non secuto effectu hæresis, docent Suar tom. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. num. 8. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 9. Filliucius tractat. 16. cap. 2. quæsito 5. num. 30. licèt contrarium existimet valdè probabile Sayrus in thesauro casuum to. 1. lib. 3. cap. 5. num. 4.

41 Addo eum, qui alteri mandauit, & consuluit, vt falsum instrumentum, singrapham, aut apocham conficeret; & postmodùm dubitat, vtrùm is, qui falsum instrumentum confecit, hoc consilio fuerit motus ad illud conficiendum; quamdiu non constet de influxu cõsilij & mandati, posse à quocunq; Confessario absolui, vt pote immunem ab hac reseruatione. Idq; in simili docent Doctores plures in materia iustitiæ, dubium videlicet, an positiuè, & efficaciter concurrerit ad dãnum, non teneri ad restitutionem: quia in dubijs maximè in materia iustitiæ melior esse debet conditio possidentis: & tunc solùm aliquis est obligandus ad restitutionem quando adest moralis certitudo, quòd ab eo efficaciter processerit iniusta actio. Vt benè D. Th. in 2. 2. quæst. 62. art. 7. vbi sic habet, Tum solùm tenetur, cùm probabiliter æstimari potest, quòd ab eo actio iniusta sit subsecuta. Idemquè sentit Petrus Nauarra lib. 3. de restit. cap. 4 num 58. Tannerus in 2. 2. disput. 4. q 6 dub. 14 num. 395. Emmanuel Sà, v. restitutio num. 5. Henriquez lib. 14. cap. 3. nu. 4. in fine, & in Glossa litera B. Antoninus Diana 3. par. tract. 5. in miscellaneo resolut. 84.

42 Decimò mandantem, vel consulentem alicui, vt falsum instrumentum conficiat, si antequam illud conficiat, mandatum, vel consilium reuocet, penitus eximi a reseruatione, dato quòd mandati, vel consilij reuocatio innotuerit mandatario, seu consulto. Ita in simili loquentes de mandante Doctores communiter, qui si mandauerit aliquod damnum tertiæ personæ inferendum, & mandatum reuocauerit, illum eximunt ab obligatione restitutionis: & si mandauerit homicidium Clerici, & mandatum suum reuocauerit, illum eximunt ab excommunicatione, & irregularitate. Et ratio est, quia cùm mandatarius agat nomine mandantis, vt ipsius voluntati morem gerat, hoc ipso quòd mandans reuocat suum mandatum, & ante operis executionem reuocatio innotescit mandatario, cessat illicò omnis ratio agendi à mandante proposita; ac proinde omnis motio ab ipso proueniens: non secus ac telum, quod moueatur per virtutem impressam, illico cessat moueri destructa, & extincta tali virtute motiua.

De consulente verò hoc idem docent quoad excõmunicationem Auila de censuris par. 2 cap. 5 disput. 3. dub. 7. num. 3. Layman in theol. moral. lib. 2. tract. 5. par. 2. cap. 5. conclus. 7. & alij. Pariter quoad irregularitatem idem sentiunt D. Antonin. in 3. par. tit. 28. cap. 2. § 2. Syluester v. homicidium 1. nu. 11. § 3. & num. 12. in fine. Petrus Nauarra de restit. lib. 3. cap. 1. num. 27. Demum verò quoad obligationem restituendi illum liberant Authores optimi, asserentes consulentem, qui seriò, & quantum in se est reuocauerit suum consilium, & contrarium persuadere conatus sit, ostendendo tale consilium esse iniquum, & non sequendum, ad nihil teneri. Ita expresse Petrus Nauarra lib. 3. cap. 4. nu. 27. qui citat pro se Ioannem Medinam, Salonius quęst. 62. articulo 7. controuers. 6. Tannerus in 2. 2. disput. 4. q. 6. dub. 4 nu. 394 Antoninus Diana tract. 5. in miscellaneo

resolut.83. Eandemq; sententiam probabilem existimant Layman cit. Lessius l.2.c.13.dubit.3.nu.17.

43 Vndecimò non ligari hac reseruatione eum, qui efficaciter alicui consulat, vt falsum instrumentum conficiat, sed tamen consultus aliunde moueatur, quàm à tali consulente ad instrumentum conficiendum. Casus esse potest sic, Titius consulit Caio vt falsum instrumentum conficiat, & vi talis consilij Caius est paratus illud conficere. Accedit Sempronius, & illud idem consilium, quod Titius præbuit, dat ipse Sempronius; licèt Caius instrumentum conficiat, Sempronius tamen non incidit in casum. Et ratio est, quia Caius iam erat paratus illud conficere: & licèt instrumentum confecerit dependenter à tali consilio; non tamen illud confecit dependenter à Sempronio consulente, sed Titio, qui primus consilium dedit. Ita in simili Graff. in praxi lib. 1. cap. 15. num. 48. explicans casum de eo, qui ad falsum testimonium aliquem seduxerit; in præiudicium tertij, vbi sic habet, [Quinq; testes falsò deposuerunt Petrum debere Paulo centum ratione mutui. Testis, qui fuit à me seductus, vltimò deposuit, si ob depositiones quatuor ille veniebat condemnandus, quamuis iste vltimus peccet mortaliter, & sit falsarius, non tamen incurrit in casum, quia ex hac depositione non fit efficaciter præiudcium tertio.]

44 Sic si plures in Capitulis, Collegijs, aut Senatu ferant suffragia, & subscribant sententiæ iniustæ, & alter suffragetur postquam sufficiens numerus fuit suffragatus: eum non teneri ad restitutionem damni secuturi, nisi fortè tantæ esset authoritatis, vt voto suo posset mutare suffragia præcedentium, docent Nauar. cap. 17. num. 21. Caietanus v. restitutio, cap. 1. §. Consensus. Less. lib. 2. cap. 13. dubit. 3. num. 22. Azor. par. 3. lib. 4. cap. 12. quæst. 2. Clauis Reg. lib. 10. tractat. 2. cap. 10. num. 7. & alij. Et ratio est, quia causa damni iam erat disposita, & damnum iam erat secuturum per vota priorum; licèt ergo posterior mortaliter peccauerit suffragando, non tamen ad restitutionem est obligandus, quia ad damnum concurrit tantùm affectiuè, non effectiuè. Idem ergo dicendum in nostro casu, Sempronium videlicet non incidere in casum, quia licèt consilium dederit de falso instrumento conficiendo, illius tamen consilium nullo modo fuit causa, cùm Titij consilio Caius iam esset paratus ad illud conficiendum. Vide quæ diximus superiùs num. 35.

45 Duodecimò non ligari hac reseruatione eum, qui falsas attestationes pro Clericis ad Ordines promouendis: aut pro Laicis ad lauream Doctoratus euchendis conficiat, vel confici mandet, aut consulat. Et ratio est, quia attestationes hæ, quæ in casibus allatis, alijsuè similibus fiunt non veniunt nomine instrumenti, singraphæ, aut apochæ, de quibus solis fit mentio in litera reseruationis.

De Grauitate huius peccati.

Grauissimum hoc peccatum esse planè constat, vt meritò casum hunc Ordinarij ferè omnes sibi reseruent. Pro praxi Confessarios ipsos monitos maximè volo, non satis esse Pœnitenti si in confessione dicat se scripturam falsificasse; sed vlterius esse interrogandum, num fortè Apostolicas literas falsificauerit; huic enim casui adnexa est excommunicatio Papæ reseruata. Quòd si priuatas scripturas

ille

ille falsificauerit: videndum primò est qualis sit hęc scriptura, an videlicet sit ex ijs, quæ litera reseruationis comprehenduntur: secundò, an talis falsificatio sit coniuncta cum damno tertij: tertiò vtrùm res sit integra, idest vtrú scriptura falsificata vsus sit, nec ne; in primo enim casu facienda est restitutio damnorum; in secundò verò absolui non debet Pœnitens nisi scriptura sit lacerata, aut in integrum restituta. Vide Chapeauil. casu 17. de falsitate circa literas alicuius Prælati inferioris Papa, quæst. 3. Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst 9. num. 122.

DISCE LECTOR.

Debuit publicis scripturis abrogari fides,
Vt ab Orbe toto recessisse diceretur.

CAPVT DECIMVMNONVM

Qui in iudicio falsum deposuerit.

VT clarior sit huiusce casus intelligentia repetemus hoc loco pauca quædam, quæ in octauo Decalogi præcepto disputantur. Quare Caput hoc tribus quæstionibus constabit. In prima disputabimus de obligatione, quam habet Reus fatendi veritatem quando à Iudice interrogatur. In secunda quæremus, quinam ij sint, qui in hunc casum incidant: quæsituri in tertia, quinam excusentur ab hac reseruatione.

QVÆSTIO PRIMA.

An Iudici interroganti teneatur Reus veritatem fateri.

1 *Reus non tenetur confiteri veritatem, quando illi constat, se non interrogari legitimè.*

1 IN confesso id est apud Doctores omnes, Reum nō teneri ad confessionem veritatis, quando illi constat se legitimè non interrogari. Potior ergo quæstio est in casu quo, vel dubitet vtrum Iudex legitimè interroget; vel sciat quidem se legitimè interrogari, sed tamen grauissimum damnum fortunarum, aut etiam vitæ illi immineat, si veritatem fateatur.

DIFFICVLTAS I.

An Reus teneatur respondere Iudici, quoties adsit dubium, vtrùm ille iuridicè interroget.

2 *Quandonam dicatur Iudex legitimè interrogare.*

3 *Si interrogatio Superioris fiat ad impediendum peccatum, respondendum est etiam de occultis.*

4 *Refertur sententia affirmans Reum teneri veritatem fateri Iudici interroganti, etiamsi dubitet, an legitimè interrogetur.*

5 *Refertur sententia negans.*

6 *Examinatur ratio huius sententiæ defendendæ.*

7 *Meliorem, & clariorem putat esse eam, quam affert Author.*

8 *Si opinans rem aliquam esse suam, non potest illam à bonæ fidei possessore aufferre: quare Reus opinans se non teneri ad respondendum Iudici, potest non respondere?*

9 *Reus non tenetur Iudici respondere, nisi testium depositio illi notificetur.*

2 PRO huius difficultatis clariore solutione aduertendum est, Iudicem tunc dici legitimè interrogare, quando habet semiplenam probatione: vel inditia ita clara, & expressa, vt æquiualeant semiplenæ probationi: vel certe quando præcessit infamia. Ita D.Th.quæst.99. art.2. quem passim sequuntur Theologi. Semiplenam probationem facit vnus testis omni exceptione maior, oculatus, iuratus, neq; criminis particeps, & ab accusatore omnino distinctus. Ad hoc autem, vt hæc semiplena probatio sufficiat Iudici ad iuridicè interrogandum debet esse coniuncta vel cum formali accusatione, vel cum eo, quod vicem accusatoris supplet, vt sunt fama de auctore delicti, aut denũtiatio iuridica.

Vnde patet Iudicem non iuridicè interrogare, & sic peccare grauiter, quando Reum, aut Testem interrogat de crimine occulto, de quo neq; est fama contra Reum, aut Testem; nequè inditia competentia; nequè probatio semiplena: vt enim Iudex possit alteri imponere obligationem fatendi veritatem, debet ea aliquo ex modis recensitis ad notitiam publicã peruenisse. Cęterùm si delictum sit ita occultum, vt probabiliter possit Reus se defendere, contra ius naturæ facit is, qui illi in foro conscientiæ nititur imponere obligationem ad aliquid in suam perniciem manifestandam. Ita Doctores communiter.

3 Intellige tamen id procedere tantùm in casu, quo interrogatio fit ad punitionem; si enim fit ad impediendum peccatum, tenetur Subditus veritatem fateri, etiam de occultis, licèt nulla præcesserit infamia: vt si cõtracturus matrimonium rogetur de impedimento: si promouendus ad Ordines rogetur de natalibus, censuris, irregularitate. Vt bene Less. citandus num. 9.

Præsens difficultas illud petit, an quando Reus dubitat vtrùm Iudex iuridicè interroget, teneatur veritatem fateri, & illi interroganti respondere. Quod autem de Reo quæritur, idem omnino quæritur de Teste: & quod pro vno, pro altero etiam definitur.

4 Duplex est sententia, altera affirmatiua, quam contra Doctores inferiùs citandos sustinet Ioannes Sanchez in selectis disp. 43. nu. 28. Ratio ea est, quia Iudex est in possessione præcipiendi; Ergo non est illã priuandus ob dubium ius subditi. Sic subditum dubitantem an res præcepta sit licita; vel an excedat regulam, & limites potestatis Superioris, teneri Superiori suo obedire, docent Doctores plures apud Sanch. in sum. lib. 6. cap. 3. nu. 3. Clau Reg. lib. 1. cap. 13. num. 4. quorum ratio est, quia in tali dubio pręponderare debet Superioris possessio, cùm illius tanquam possidentis sit melior conditio.

5 Quòd si dicas etiam Reum esse in possessione non obediendi, quando dubitat vtrùm Iudex legitimè interroget. Contra est, quia Subditus nunquam est in possessione non parendi nisi constet præceptum esse iniustum; vel saltem probabiliter putet illud excedere limites potestatis; ergo si tantùm dubitat, præsumptio stabit pro præcepto, & sic fauen-

fauendam erit Superiori. Ac sanè hæc ratio euincit, nisi aliud excogitetur.

5 Altera est negatiua, quam sustinent Caiet. quæst. 69. art. 1. Sotus de secr. membr. 3. quæst. 2. concl. 2. Adrian. quodlib. 2. Henriq. lib. 14. cap. 3. num. 3. in Glossa, litera X. Salas in 1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. vnica, sect. 17. nu. 155. Sanch. in sum tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 24. Less. lib. 2. cap. 31. dubit. 3. num. 10. Antonin. Diana 3. par. tract. 5. in miscellaneo resol. 106. & alij plures. Et hæc est à nobis sustinenda.

6 Aliqui ex Doctoribus citatis, vt Lessius, Sanchez quibus accedit Sayrus in Claui Reg. lib. 11. cap. 16. nu. 18. & 21. hanc sententiam ea ratione probant, quia nemo tenetur parere Superiori cum graui suo, vel alterius incómodo, nisi constet eum legitimè præcipere, & habere auctoritatem obligandi. Verùm hæc ratio nullius videtur roboris, vt bene probat Io: Sanchez pro contraria sententia relatus; cùm in dubio parendum sit Superiori, vbi non est manifestum peccatum.

Quòd si dicas axioma hoc valere quidem quando dubium est circa rem præceptam, cùm videlicet Subditus dubitat, an res præcepta sit licita, nec ne. Secus verò si dubium sit de potestate Superioris.

Contra est, quia quoties constat de electione Superioris, semper constat de iure præcipiendi: & quamdiu constat de iure præcipiendi, in cuius possessione sit Superior; tádiu etiam Subditus credere debet se teneri illi parere. Sic enim communiter Doctores docent dubitantem; an rés sit sua non posse illam aufferre à bonæ fidei possessore: & si aufferat, teneri ad integram restitutionem; quia cùm in illo dubio sit melior conditio possidentis nullum est ius spoliandi dominum re sua, nec in totum, nec in partem. Ita Nauar. in sum. cap. 17. num. 117. Petrus Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 1. dub. 8. num. 350. Molina tom. 1. de iustitia, tract. 2. disput. 35. §. verum enim verò, Sanchez lib 2. de matrim. disp. 41. num. 26. Ioannes Sanchez in selectis disput. 43. num. 16. Ergo ob dubium negatiuum, quod habeat Subditus de Superioris potestate non potest ille moueri ad non parendum Superiori præcipienti.

Quòd si addas, dubium hoc de potestate Superioris se solo non quidem excusare Subditum si non obediat; si tamen ex alia parte præceptum Superioris non possit impleri sine graui dãno in vita, honore, vel diuitijs, tunc excusare, quia tantum damnum imminens vna cum dubio potestatis imperandi præponderet possessioni Superioris, vt docet Sanchez cit. num 23.

Contra est, quia, vt bene Ioannes Sanchez, damnum hoc secuturum Reo non liberat ipsum à dicenda veritate, si illi constet quòd legitimè interrogetur à Iudice, retenta sententia, quam probabiliorem putant Sayrus, & Lessius citati; Ergo nequè liberabit si dubitet de legitima interrogatione; tam enim Iudex est in possessione præcipiendi quando Reus dubitat, an legitimè interrogetur; ac est quando Reus est certus de legitima interrogatione.

7 Facilior ergo, & clarior responsio est, si dicamus non teneri Reum, aut Testem respondere Iudici interroganti, nisi illis constet de sufficienti probatione, quia non videtur quòd Respub. dederit auctoritatem Iudici ad interrogãdum nisi priùs aliquo modo ostensa criminis probatione. Quare in rigore Reus, qui dubitat vtrùm iuridicè interrogetur, non dubitat de Iudicis potestate, sed probabiliter cre-

dit

dit illum non habere auctoritatem ad interrogandum; & sic existimat se non teneri respondere. Vnde id quod proximè excusat Reum, aut Testem à responsione non est periculum damni incurrendi, aut dubium de potestate Superioris; sed quia probabili ratione ducitur ad existimandum in tali casu Iudicem carere auctoritate; integrum autem cuilibet est opinionem probabilem sequi relicta etiam probabiliore, vt latè, & de more suo docet Sanch. in sum. lib. 1. cap. 9. num. 14.

7 Sic in materia matrimonij aliàs docui coniugem dubitantem de seruitute alterius coniugis, & sic dubitantem de valore, teneri in eo dubio reddere debitum alteri petenti, vt illum conseruet in sua possessione. Vt bene Syluest. D. Antonin. Petrus de Ledesma, & alij apud Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 43. num. 5. Ergo a pari Subditus dubitans de re præcepta, vtrùm videlicet ea licita sit, vel supra iubentis potestatem, dicendus est teneri quamdiu concurrit solum dubium negatiuū.

E contra verò Pœnitentem non teneri conformare se opinioni Confessarij ductum opinione probabili de honestate contractus, quem Confessarius existimabat esse vsurarium, docuimus superiùs in disp. 1. quæst. 3. difficult. 48. Ergo pari modo Reus; aut Testis probabiliter opinans se non teneri respondere quando illi non constat vtrū iuridicè interrogetur, non peccabit non conformando se Iudicis opinioni.

8 Obijcies, opinans rem aliquam esse suam non potest illam aufferre à possessore bonæ fidei; quinimo neq; a latrone postquam cessauit aggressio, & illam in tuto reposuit, vt docet communis Doctorum consensus: ne videlicet seditio inter furem, & dominum, & Reipub. turbatio causetur, & tumultus in populo fiat; Ergo nec licebit Reo opinanti se non teneri ad respondendum spoliare Superiorem ea possessione, quam habet ad interrogandum; Ergo tenebitur Respondere etiamsi dubitet vtrùm iuridicè interrogetur, quia cum tali dubio stat ius interrogandi ex parte Iudicis.

Respondeo negando secūdam consequentiam; Reus enim, & quicunquè alius Subditus, qui ex opinione probabili ductus parere nolit Superiori non auffert ab illo aliquid, quod possideat, sed suum ius ortum ex opinione probabili defendit, & tuetur. Sic Reus fugiendo è carcere non auffert à Repub. ius, quod habet illum custodiendi in carcere, vinciendi catenis &c. sed tuetur ius illud, quod habet suam vitam conseruandi. Sic seruis bello captis licitam esse fugam ad suos, docent Sotus lib. 4. de iust. q. 2. art. 2. Bannes 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 13. Couar. ad regulam peccatum 2. par §. 11. num. 6. & lib. 1. variar. cap. 2. num. 10. Nequè tamen ij fugiendo spoliant dominum iure, quod habet; sed potius iure suo vtuntur. A pari ergo Reus, cui non constat de iuridica interrogatione, si Iudici parere nolit, non auffert ab illo ius interrogandi, sed suam libertatem ad non parendum ortam ex opinione probabili defendit, & tuetur. Quomodo autem Iudex habere possit potestatem interrogandi, & Reus habere possit ius non fatendi veritatem, & non parendi, patebit in difficult. sequente num. 13.

9 Ex quibus inferas non teneri Reum respondere, nisi testium depositio notificetur: non ita quidem vt iudiciorum copia sit delinquenti ostendenda antequam illius confessio recipiatur, vt docet Segura de Auolos in direct. iudic. par. 2. cap. 24. num. 31. Sed

saltem

saltem vt testium depositiones absquè eorum nominibus à tabellione, vel Notario legantur, vt inde Reus compertum habeat quid cōtra ipsum probatum sit, & veritatem fateatur, vt bene docet Salzedo in pract. crimin. cap. 126. litera C.

DIFFICVLTAS II.

An Iudici legitimè, & iuridicè interroganti propter semiplenam probationem, vel indicia æquipollentia teneatur semper Reus veritatem fateri.

10 *Iudici legitimè interroganti propter semiplenam probationem probabilissimum est, quod Reus teneatur respondere.*

11 *In causa sanguinis, triremium, exilij, & amissionis omnium bonorum probabilis est sententia negans.*

12 *Intellige, dūmodo adsit spes euadendi.*

13 *Quomodo posita semiplena probatione Iudex potest interrogare, & Reus potest non respondere.*

14 *Si delictum sit semiprobatum semper Iudex habet auctoritatem interrogandi Reum, & torquendi.*

15 *Auctoritatem verò obligandi Reum ad veritatem non habet, quando imminet periculum maximi damni.*

16 *Si tamen delictum esset plenè probatum, vel Reus crederet esse plene probandum hæc vtraq; auctoritas, videlicet interrogandi, & cogendi Reum ad veritatem competeret Iudici.*

17 *Si tempore pestis potest Respub. imperare Ciui, vt inseruiat peste infectis: quare etiam non possit Iudex imperare Reo, vt fateatur veritatem, licèt ex confessione illi imminerei periculum graue.*

10 RESpondeo primò probabilissimum esse, quòd Iudici iuridicè interroganti propter semiplenam probationem, vel indicia æquipollētia teneatur Reus semper fateri veritatem etiam in causa capitali. Ita D. Tho. 2. 2. quæst. 69. art. 1. Caietan. ibidem, Henricus quodlib. 1. q. 33. Nauar. cap. 25. num. 53. Lessius lib. 2. cap. 31. dubit. 3. num. 12. qui citat. Palud. Gabr. Couar. Anton. Gómez. Alphonsus de Vega in sum. tom. 2. cap. 89. cas. 1. Turian. in 2. 2. tom. 2. disp. 50. dub. 2. num. 2. Sotus de iustit. lib. 5. quæst. 6. art. 2. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 25. quæst. 3. Sayr. in Claui Reg. lib. 12. cap. 16 nu. 1. & alij plures. Probatur, quia quilibet tenetur obedire Superiori legitimè præcipienti. Atqui Iudex legitimè præcipit quando secundùm ordinem iuris interrogat Reum, aut iuramentum ei defert. Ergo Reus tenetur obedire dicendo veritatem. Tum quia Iudex cum semiplena probatione licitè, & iustè interrogat; Ergo Reus illicitè, & iniustè occultat veritatem: alioqui daretur bellum ex vtraq; parte iustum seposita ignorantia, quod est absurdum.

Vnde inferunt Sotus, & alij, Reum non solum teneri veritatem fateri, quando iurauit, sed etiam absq; iuramento ex vi solius præcepti Superioris, seu ex virtute obedientiæ.

11 Respondeo secundò probabile esse, quòd in causa sanguinis, triremiū, exilij, & amissionis omnium bonorum, & similibus, Reus non teneatur fateri suum crimen Iudici interroganti, licèt illud sit semiplenè probatum, quoties adsit spes euadendi. Ita Scotus in 4. dist. n. 15. quæst. 4. in 3. membro, Reginald. 2. tom. lib. 24. num. 37. Filliuc. to 2. tract. 40. num. 266. Malderus de virtutibus, tractatu 6. cap. 3. assertione 2. fol. 526. Layman, Laurentius de Peiniris,

ris, alijq; plures apud Ioannem Sanchez disput. 43. nu. 29. qui sententiam hanc non solùm probabilem, sed omnino certam esse putat. Eandemquè non improbabilem existimat Lessius lib. 2. cap. 31. num. 19. vt immeritò nonnulli opinionem hanc damnent.

Probatur autem primò, quia præceptum humanum, quale sine dubio est præceptum Iudicis debet esse conforme humanæ imbecillitati, & de re humano modo factibili: non est autem humano modo factibile, vt quis fateatur crimen, ob cuius confessionem sit moraliter certus se damnandum ad mortem, aut triremes. Secundò, quia licèt Reus habeat contra se semiplenam probationem, & illi præcipiat Iudex vt compareat, non peccat non comparendo; & dato quòd compareuerit, si illi præcipiat Iudex ne fugiat, non peccat fugiendo; Ergo pariter non obstante hac semiplena probatione, si illi præcipiat Iudex vt suum crimen fateatur, non peccabit non confitendo. Si enim ius naturale, quod habet ad suam vitam facit illi licitum, vt non compareat, vt fugiat; idem ius faciet licitum, vt crimen neget. Tertiò, Nullus tenetur contra alium testificari, quando ex tali testificatione timet sibi maximum damnum in vita, aut fortunis, nisi bonum publicum aliud exigeret, vt bene Nauar. cap. 25. nu. 50. Couar qq. pract. c. 18. Lessius lib. 2. cap. 30. nu 50. Ergo multo minus tenebitur testificari contra se. Sit exemplum. Titius, & Caius præsentes fuerunt homicidio a Sempronio commisso. Titius de hoc homicidio testificatur in iudicio, & cùm sit fide dignus, ac testis oculatus facit semiplenam probationem. Si à Iudice interrogetur Caius de hoc homicidio, & ex tali testificatione probabiliter sibi timeat graue damnum in bonis, aut etiam in vita, illum non teneri ad testificandum non obstante hac semiplena probatione, docent communiter Doctores; Ergo pari modo non obstante hac semiplena probatione si Reus ipse, puta Sempronius interrogetur, poterit illud negare, cùm sit moraliter certus amissionis vitæ, si veritatem fateatur. Tum quia nullus potest cogi ad testificandum contra sanguine iunctū, vt patet ex l. 4. §. de testibus. Atqui nullus cuiquam est magis sanguine iunctus, quam sibi; Ergo &c. Tum quia l. Nimis graue 7. C. de testibus habetur, neminem teneri contra se exhibere id, per quod sibi negotium fiat; Ergo &c. Demum quia Lex humana nonnisi rarissimè, & propter maximum bonum Reipub. potest obligare cum periculo vitæ, aut amissionis bonorum; Ergo nec præceptum humanum.

12 Dixi, quoties adsit spes euadendi; si enim Reus credat delictum esse plenè probandum, & consequenter suam negationem futuram inutilem, in tali casu tenetur veritatem fateri, quia cessat ratio celandi, & alias tenetur Superiori legitimè præcipienti obedire, vt bene notat Emmanuel Sà v. Reus, Lessius cit. num. 19. Vnde est, vt quando delictum est plenè probatum, teneri Reum ad fatendam veritatem, communiter doceant Doctores, quia videlicet nulla adest causa, quæ illum excuset ab obligatione parendi Superiori.

13 Obijcies primò posita semiplena probatione delicti Iudex habet ius eliciendi veritatem ob bonum publicum; Ergo si Reus illam occultet, facit contra ius, & auctoritatem Superioris. Si enim Iudex habet ius præcipiendi Reo vt veritatem fateatur, tenebitur Reus fateri; alias ridicula esset hæc

Iudi-

Iudicis auctoritas, quæ Reo vim respondendi non posset inducere. Hinc est vt Ioannes Sanchez disp. 43. cit. num. 31. hac ratione confutet modum tuendi hanc sententiam, quo vtuntur Lessius, Filliucius, & alij asserentes Iudicem habere quidem ius interrogandi Reum causa boni publici, vt officio suo fungatur: Sed tamen Reum non teneri ad illius mentem respondere ob summum ius vitæ suæ conseruandæ, vi cuius licitum illi est ea abscondere, per quæ vita illi eriperetur. Sicuti qui est in periculo vitæ potest è carcere fugere, licèt Iudex possit illi præcipere ne fugiat. Et pariter Dominus potest seruo suo in bello capto præcipere ne fugiat; ipse tamen fugere potest. Et Iudex potest alicui præcipere vt compareat; ipse tamen potest non comparere quoties videat sibi graue damnum imminere. Vel Reo præcipere potest vt fame pereat; ipse tamen non solùm potest cibum oblatum sumere, sed vlteriùs non desunt Doctores, qui dicant teneri ad illum comedendum. Hinc inquam est vt Ioanni Sanchez non placeat modus iste hanc sententiam defendendi, quia intelligibile putet, quòd Iudex, seù Superior possit præcipere, & Subditus non teneatur obedire, cùm præceptum, & obedientia correlatiua sint. Vnde est vt Sanchez ipse existimet Iudicem non habere auctoritatem interrogandi, & multò minus torquendi Reum de crimine semiprobato, ob quod grauibus pœnis corporalibus ille esset puniendus, quia ad hoc vt lex, & præceptũ possit obligare debet esse tolerabile, & humanę conditioni cõforme; intolerabile autem est, vt quis proprio ore se ipsum ad mortem damnet, seu crimen fateatur, ob cuius cõfessionem sit moraliter certus amissionis vitæ, aut omnium bonorum.

Ego verò omissa responsione Lessij, & Ioannis Sanchez respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam; distinguendum enim est ius interrogandi Reum, quod habet Iudex à iure, quod idem Iudex habeat obligandi Reum ad dicendam veritatem. Verum ergo est, quòd quoties in Iudice intelligitur ius, & auctoritas obligandi Reum ad respondendum, intelligi etiam debet in Reo obligatio ad fatendam veritatem; hæc enim duo correlatiua sunt; vt proinde Iudex obligando Reum ad respondendum reddat Reo illicitam transgressionem talis præcepti, & sic peccet Reus si veritatem neget. At verò si in Iudice intelligatur tantùm ius, & auctoritas interrogandi Reum, non illico intelligitur in Reo obligatio fatendi verum. Sic Iudex potest aliquando interrogare Reum de socijs criminum absq; eo quòd intelligatur in Reo obligatio illos prodendi. Pariter Iudex habet auctoritatem arctiùs custodiendi Reum ne fugiat, quia tamen non habet auctoritatem obligandi illum, vt ibi maneat si de vita agatur, inde est, vt fuga non sit illicita. Sic etiam potest quis me interrogare, an habeam centum numos, quos illi dem mutuos absquè eo quòd lædat ius meum, nec tamen vi huius iuris ego teneor veritatem fateri.

14 Dicendum ergo primò, si delictum sit semiprobatum, Iudicem semper habere auctoritatem interrogandi Reum, & illum torquendi.

15 Secundò habere etiam auctoritatem obligandi illum ad veritatem, si causa talis sit, ex qua non immineat periculum maximi damni: at verò si tale periculum immineat, auctoritatem hanc obligandi Reum ad dicendam veritatem ipsi Iudici auferri a iure na-

re naturali, quod quilibet habet se ipsum defendendi.

16 Tertiò hanc vtramquè auctoritatem competere Iudici, quando delictum est plenè probatum, vel Reus credit esse plenè probandum, & sic suam negationem futuram inutilem.

17 Obijcies secundò, si non tenetur Reus in causis capitalibus, triremium, amissionis omnium bonorum, aut alijs similibus fateri veritatem Iudici interroganti, maximè quia præceptum Iudicis videtur intolerabile. Sed hæc ratio non valet. Ergo &c. Minor probatur, quia potest Respub. tempore pestis imperare aliquibus, vt inseruiant peste infectis. Pariter potest imperare ciuibus, vt assistant defensioni muri, quem hostis ictibus tormentorum petat; nec præceptum hoc intolerabile est, licèt immineat certa mors; Ergo pari modo potest Iudex imperare Reo, vt veritatem fateatur, & illum obligare ad veri confessionẽ, etiamsi ob talem confessionem sit moraliter certus se damnandum ad mortem, ad triremes &c.

Respondeo cõcessa maiore, negando minorem. Ad probationem negando consequentiam. Disparitas in eo est, quia si Tyrannus aliquis minetur excidium toti Reipub. nisi illi tradat innocentem, Respublica est in extrema necessitate constituta, ac propterea agitur de illius salute; vnde est, vt ad sui conseruationem possit innocentem tradere. Atq; ob eandem rationẽ potest Respublica imperare militi, vt assistat ad defensionẽ muri: vel ciui, vt inseruiat peste infectis. At verò si Reus non fateatur crimen; de quo à Iudice posita etiam semiplena probatione interrogetur, Respublica nullum damni periculum subit, neq; in graui, nedum in extrema necessitate est constituta.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam incidant in hanc reseruationem.

18 *Vtrùm ad reseruationem hanc requiratur præiudicium tertij.*

19 *Sententia Authoris.*

20 *Incidit in casum is, qui in iudicio falsum deponit in tertij præiudicium.*

21 *Incidit item, etiamsi depositio non cedat in damnum tertij.*

22 *Pariter, qui in iudicio aliquid deponit affirmando illud esse verum, quod scit, aut dubitat esse falsum.*

23 *Item qui deponit se aliquid scire de visu, quod sciat tantum de auditu.*

24 *Item testis ille, qui falsum testatur in iudicio, licèt à iure repellatur à testimonio ferendo.*

25 *Contrarium tamen esset dicendum in sententia asserente ad hanc reseruationem requiri præiudicium tertij.*

26 *An incideret in hunc casum is, qui absq; iuramento falsum deponeret in iudicio. Aliqui affirmant.*

27 *Contrarium tamen Author putat esse probabilius.*

28 *Incidit in casum is, qui alterum falsò accusat de crimine.*

Casus hic quam variè sit reseruatus ab Ordinarijs videre est apud Graffium lib. 1. de falsis testibus cap. 17. nu. 12 & sequentibus. A quibusdam enim, vt Surrenti, Nolæ, Caietæ, Rosani, Mutinæ cum hac clausula reseruatur, cum præiudicio tertij: quæ particula vtrùm reseruationi aliquid addat; an verò subintelligatur semper, etiamsi non exprimatur, mox videbimus. In Diœcesi verò Messanensi, & Rubensi lata huius casus est reseruatio in hęc verba, qui in iudicio, vel extra,

falsum

falsum testimonium quodcunq; dixerint in Proximi damnum: qui casus ex vna parte laxior est, quatenus comprehendit quodlibet falsum testimonium, etiam extra iudicium; ex altera verò strictior, quatenus comprehendit solùm falsos testes. Capuæ, & Bergomi, vt videre est apud Ignatium Lupum de casibus reser. par. 2. casu 7. præsens reseruatio lata est in hæc verba, qui in iudicio falsum testimonium perhibuerint. At verò in nostra Diœcesi non solùm ligat eos, qui falsum testimoniū perhibuerint, sed etiam alios omnes in iudicio falsum deponentes. Alibi demum, vt videre est apud Chapeauil. de cas. reser. cap. 18. ita reseruatur, solemne periurium, qui casus strictior est quã noster, vt patebit ex decisionibus sequentibus. Sed iam veniamus ad verba reseruationis.

18 Qui in iudicio falsum deposuerint. Graffius ad falsitatem hæc tria requirens, immutationem videlicet veritatis, dolum, & tertij damnum; habet, si quis falsum in iudicio deponeret, vel falsum testimonium perhiberet, quod tamen in nullius præiudiciū cederet, propriè non dici falsum deponere, ex eo quòd falsitas necessariò includat tertij præiudicium. Idemquè esset, si immutatio quidem veritatis adesset, sed non dolus, dato etiam, quòd iuramento firmata fuisset depositio. Additquè hoc non solùm esse intelligendum ijs in locis, in quibus in forma reseruationis additur particula, in tertij præiudicium, sed etiam in ijs, in quibus eadem nō addatur, ex eo quòd, licèt expressè non sit addita, implicitè tamen intelligatur. Sic enim habet [Hinc multi locorum Ordinarij, vt Surrenti, Nolæ &c. reseruant eum hac clausula cum præiudicio tertij. Et hoc vt facerent casum magis clarum; nam etiamsi simpliciter reseruassent absquè tali clausula, vti fecit Ordinarius Capuæ, & Mediolani, vtiquè subintelligeretur cum illa clausula, ex regula illa, secundùm quam Casus omissus iuris communis dispositioni relinquitur &c.] Et hæc sententia videtur cohærere ijs, quæ diximus in cap. 11. q. 2. nu. 10. quo loco quærentes an is, qui adulterat stateras, & mensuras animo fraudandi Proximum, sed postea pœnitentia ductus nolit fraudare, incidat in casum; respondimus sententiam negantem nō esse improbabilem, ex eo quòd ad crimen falsitatis Doctores communiter requirant damnum tertij. Vnde spectata hac ratione, & Graffij auctoritate, sententia hæc videri potest non improbabilis.

Adde viros doctos testatos fuisse mihi, in Congregatione Pœnitentiariæ Mediolani, cui ipsi interfuerunt, propositum fuisse casum hunc, ac definitum, vt ad illum incurrendum necessarium esset præiudicium tertij. Demum quia finis Superioris non videtur alius fuisse, quàm ire obuiam eorum improbitati, qui pretio, aut odio moti falsum in iudicio contra alterum deponunt.

19 Ego tamen existimo illum dici falsum deponere in iudicio, qui coram Iudice, vel Notario de Iudicis mandato, scienter, & dolosè falsum deponat, siue illud sit in præiudicium, siue in gratiam alterius: hanc enim esse communem huius casus intelligentiam testati mihi sunt viri grauissimi hac de re à me consulti, & in casibus conscientiæ versatissimi.

Hinc est, vt Pœnitentiarijs minoribus in Ecclesia Metropolitana concessa sit facultas ab hoc casu absoluendi, dummodo is, qui falsum in iudicio deposuit, non fuerit mercede conductus, neq; in tertij offensam deposuerit; frustra

stra autem in hac concessione fuisset apposita illa postrema particula, quoties reseruatio hæc eos solos comprehenderet, qui in tertij præiudicium falsum deponunt.

20 Respondeo igitur primò in hanc reseruationem incidere eum, qui in Iudicio falsum deponat cum tertij præiudicio: & de casu hoc nulla est difficultas; cùm enim reseruata sit falsi depositio in iudicio, hæc ad minimum intelligenda de ea est, quæ cum Proximi damno, & tertij præiudicio sit coniuncta. Ita Graffius cit. Bellochius de cas. reser. par. 2. quæst. 9. num 98. Lupus de cas. reser. par. 2. casu 7. num. 27. illatione 6.

21 Secundò incidere eum, qui falsum in iudicio deponat, etiamsi nullum Proximo damnum immineat. Exemplum esse potest de eo, qui corruptus ab aliquo diuite, vt falsum testetur pro causa liberationis à morte, quæ diuiti illi immineat propter homicidium patratũ, in iudicio falsum testatur; hic .n. incidit in casum, cùm verè dicatur falsum deponere in iudicio, vt patet ex explicatione huius casus. Ita Graff. num. 22. Belloch. num. 98. Lupus mox citandus versic. Sextò sequitur.

Vtrùm verò cohærenter loquantur Doctores hi, id alijs relinquo definiendum. Graffius enim vt patet ex verbis cit. ad huius casus reseruationem apertè exigit damnum, & præiudicium tertij. Idemq; docet nu 29. vbi sic habet, [qui dolosè in iudicio deposuit falsum contra aliquem, si sua depositio nullũ Parti afferat nocumentum, quia Pars ob illam nõ amisit causam, non incurrit in casũ reseruatum] quam doctrinã exemplificat sic [Deposuit aliquis falsum testimonium contra A, quia debet B. centum. Si, A. absolutus est, non est casus reseruatus.] Cui consentit Bellochius cit. qui num. 93. definiens depositionem falsi in iuditio, ait esse falsam, dolosam, ac præiudicialem in iudicio contra aliquem testificationem: & num. 103. sic habet, [Non incidit autem qui dolosè deposuit falsum contra aliquem apud Iudicem, si sua depositio nullum Parti afferat nocumentũ, vt pote quia Pars ob illam non amisit causam, nec vllum aliud damnum incurrit: peccabit tamen mortaliter, & tenebitur ad omne interesse Partis:] & rationem hanc subdit, quia falsitas est dolosa mutatio veritatis cum præiudicio alterius; vnde vno ex his deficiente non dicitur propriè falsus, vt ait Syluest. v. falsarius num. 1. Ex quibus patet Doctores hosce eius esse sententiæ, vt putent falsam depositionem in iudicio non sufficere ad hanc reseruationem, nisi sit coniuncta cum damno tertij. Et tamen vterq; concedit eum, qui in iudicio falsum testimonium dicat, etiam sine quocunquè apud se non malo, sed motum, ne Reus amicus condemnetur, incidere in casum. Qui casus videtur priori contrarius; cùm hic nullum adsit damnum tertij, sed potius gratia, & fauor. Quòd si dicant adesse præiudicium ipsius iustitiæ, vt expresè habet Bellochius. Contra est, quia vel est sermo de præiudicio iustitiæ particularis, & hoc non, quia potius cedit in vtilitatem: vel de præiudicio iustitiæ legalis; & hoc præiudicium reperitur in quacunquè depositione falsa in iudicio facta, etiamsi ea nullum Parti afferat nocumentum.

22 Tertiò incidere in hanc reseruationem eum, qui in iudicio aliquid deponit affirmando illud esse verum, quod scit, vel dubitat esse falsum, etiamsi ad illud deponendum moueretur ex probabili timore alicuius grauis

tis damni, vel spiritualis vel temporalis. Et ratio est, quia adsunt omnia requisita ad pręsentem reseruationem, puta dolositas, depositio falsa, & circumstantia iudicij. Ita Graffius cit. nu. 35. Bellochius nu. 97. Chapeau. explicans casum de solemni periurio cap. 18. quæst. 2. illatione 5. Lupus de cas. reser. par. 2. casu 7. num. 27. versic. Secundò sequitur.

23 Quartò ligari hac reseruatione eum, qui cùm audierit Titium commisisse homicidium, in iudicio deponit se hoc scire de visu; iste enim deponit falsum, etiam materialiter, quia licèt homicidium verè fuerit à Titio commissum, vt suppono, ille tamen non fuit testis de visu, vt deponit. Adde huiusmodi depositionem esse maximè perniciosam Titio; testando enim de visu facit semiplenam probationem, quoties sit fide dignus, & omni exceptione maior; e contra verò si testaretur de auditu, nullam faceret probationem, sed tantùm faceret indicium ad inquirendum ab ijs, à quibus diceret se audiuisse, vt docet cõmunis sententia DD. vtriusquè iuris, & Theologorum.

24 Quintò incidere in hanc reseruationem testem eum, qui à iure repellatur a testimonio ferendo, quoties in iudicio falsum deponat testando: cùm enim textus non distinguat de falsum deponentibus, nequè nos distinguere debemus, iuxta regulam, Lex generaliter loquens generaliter est intelligenda. Quare si à testimonio ferendo repellitur periurus, infamis, inimicus eius contra quem testimonium dicitur, minor viginti annis, socius criminis; si iure item Canonico repellitur mulier: hi omnes falsum in iudicio testantes incidunt in casum. Ita Lupus num. 27. versic. Idem asseritur etiam.

25 Contrarium tamen docerent Graff. & Belloch. cit. hac ratione nixi, quia depositio hęc non valeret, & ideo non esset nociua. Vnde retenta sententia asserente casum hunc esse intelligendum de depositione, quæ vergat in præiudicium, hi omnes immunes essent a reseruatione.

26 Quintò existimant aliqui ligari hac reseruatione eum, qui falsum deponat in iudicio, quamuis illi non sit delatum iuramentum de veritate dicenda: quorum ratio est, quia licèt iuramentum sit de essentia testimonij, vt patet Cap. Nuper 51. de testibus, vbi Honorius III. ait, Nullius testimonio, quantumuis Religiosus existat, nisi iuratus deposuerit, in alterius præiudicium debet credi: non est tamen de essentia depositionis falsę, aut verę. Ita Barthol. Gyptius de cas. reser. casu 7. Lupus cit. versic. Tertiò idem sequitur.

27 Contrarium tamen sentit Graf. cit. num. 27. ea ratione nixus, quia testimonium hoc nullum est, & inualidum; & casus reseruatio intelligi debet de actibus exterioribus cum effectu. Quæ sententia est probabilior; præsens enim casus intelligendus est de depositione, quæ de se sit apta facere fidem in iudicio.

28 Vnde inferas in hunc casum incidere eum, qui alterum falsò accuset de crimine. Et ratio est, quia verè accusator iste dicitur deponere falsum in iudicio: & cum litera simpliciter loquatur, simpliciter etiam est intelligenda, videlicet de quacunq; falsa depositione, siue cum periurio sit coniuncta, siue non.

QVÆSTIO TERTIA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

29 *Non incidunt in hanc reseruationem mandantes, aut consulentes.*

30 *An incidat Reus, qui neget se commisisse delictum de quo interrogetur à Iudice.*

31 *Non incidit testis, qui Iudici interroganti respondeat se nescire.*

32 *Secus verò si falsum positiuè assereret.*

33 *Si tamen videret delictum non posse probari in iudicio non incideret in casum testis illud negando.*

34 *Multò minus incidunt Reus, & testis, qui delictum negent, quia illis non constet de sufficienti probatione.*

35 *Non incidit testis non comparens ad testandum, licèt à Iudice vocatus.*

36 *Vtrùm testis teneatur ad restitutionem damni secuti, si non testetur.*

37 *Aliquando testis tenetur offerre se ad testandum.*

38 *Si notabile damnum illi immineat, non tenetur testari.*

39 *Si nullum damnum illi immineat, adhuc non peccat contra iustitiam non testando.*

40 *Quare testis, qui ex iustitia non tenetur testari non potest accipere pretium pro testimonio ferendo.*

41 *Vtrùm saltem teneatur testari ratione officij testis.*

42 *Si Iudex potest aliquem cogere ad exhibendam scripturam, quare non potest eundem cogere ad testandum.*

43 *Non incidit in casum, qui subticet veritatem æquiuocando ob graue damnum imminens.*

44 *Qui sciret aliquem surripuisse equum incompensationem, non incideret in casum testando equum illum nō fuisse ab eo ablatum.*

45 *Vide casum similem de eo, qui venit è loco, qui falsò creditur peste infectus.*

46 *Qui absque causa vteretur æquiuocatione in iudicio, incideret in casum falsum deponendo.*

47 *Non incidit is, qui falsum deponit, sed non in iudicio.*

48 *Pariter non incidit is, qui falsum deponit coram Iudice non competenti.*

49 *An incidat is, qui verum deponat materialiter, sed falsum formaliter. Refertur fundamentum sententiæ affirmantis.*

50 *Author negat.*

51 *Si quis putaret se coire cum consanguinea in primo gradu, & ea esset in tertio, non incideret in reseruationem latam contra incestuosos in primo gradu.*

52 *Si quis putaret se coire cum virgine, & ea esset corrupta, non incideret in reseruationem latam contra deflorantes virginem.*

53 *Si quis putaret se contrahere matrimonium cum consanguinea, aut affine non incideret in censuram contentam in Clementina vnica de consanguinitate.*

54 *Non incidit in casum Reus, qui de socijs occultis interrogatus veritatem neget.*

55 *Pariter neq; Reus ille qui veritatem neget interrogatus de crimine, de quo non est deffamatus.*

56 *Quandonam Iudex possit interrogare Reum de socijs occultis.*

CVM ad præsentem reseruationem dixerimus hæc tria requiri, dolositatem, depositionem falsam, & circumstantiam iudicij; inde est, vt ex defectu harum conditionum; vel alterius, reseruatio hæc non incurratur.

29 Quare non incidunt primò, mandantes, & consulentes. Et ratio est, quia in litera reseruationis nulla horum fit mentio. Ex regula autem generali, ij tantùm comprehenduntur, quorum in reseruatione fit mentio. Ita Graf. in praxi lib. 1. cap. 17. de falsis.

sis testibus nu. 17. Zeccus de cas. reser. casu 11. Versic. Secundò casus hic non procedit.

30 Secundò non incidit Reus, qui iuridicè interrogatus de crimine negat se illud commisisse, cùm tamen commiserit. Et ratio est, quia differunt hæc duo; verum non dicere, & falsum deponere; Reus autem respondendo se non commisisse tale delictum, non diceretur falsum deponere, sed potius veritatem non dicere, de qua interrogaretur. Tum quia grauioribus etiã, & seuerioribus tormentis Rei coguntur ad confessionem veritatis, quàm vt nouis pœnis Ecclesiasticis, puta metu reseruationis, ad illam essent cogendi. Tum quia non improbabilis est ea sententia, quæ docet ad hanc reseruationem requiri damnum tertij. Tum quia verba ipsa reseruationis, qui falsum deposuerint, videntur exigere positiuam actionem, seu positiuam assertionem falsi; qualis non videtur ea esse, quam præstat Reus non respondendo ad mentem Iudicis. Præsentem ergo reseruationem existimo non afficere Reos, sed solos testes, aut accusatores in iudicio falsum deponentes: & ita senserunt viri in casibus conscientiæ versatissimi à me super hac re consulti.

Confirmari potest hæc doctrina ex ijs, quæ habet Graff. cit. num. 10. vbi explicans casum hunc, qui falsum testimonium in iudicio perhibuerint, & agens de teste eo, qui interrogatus de aliquo articulo veritatem celet; ait eum non incidere in casum, quia tacendo veritatem non dicitur falsum testimonium perhibere.

31 Addo testem ipsum legitimè interrogatum à Iudice, an Titius, verbi gratia, commiserit homicidium; si illi respondeat se nescire, cùm tamen sciat, non incidere in casum. Et ratio est, quia sic respondendo propriè non dicitur falsum deponere, sed veritatem non fateri; distinguuntur autem hæc duo, vt iam dixi, deponere falsum, & non fateri veritatem: illud dicit positiuam assertionem falsi: hoc verò meram non manifestationẽ veritatis. Et de hoc est intelligendus Graffius.

32 Secus verò esset, si testis à Iudice legitimè interrogatus vt testaretur de homicidio, quod sciret à Titio fuisse commissum; non iam responderet se nescire, sed vlterius adderet, à Titio tale delictum non fuisse commissum; sic enim testandò incideret in casum, quia verè diceretur falsum materialiter deponere, & falsum positiuè testari.

Dices, si respondeat se nescire, est testis falsus, cùm verè sciat; Ergo incidit in casum. Respondeo concesso antecedente, negandam esse consequentiam. Ratio autem in eo est, quia falsus testis tam dicitur is, qui falsum deponit, quàm qui veritatem celat, ex tex. in cap. 1. de crim. falsi. Et sic etiam æqualiter punitur dicens falsum, & tacens veritatem, gl. in C. ne quis arbitretur 22. q. 2. Præsens autem reseruatio non comprehendit quoslibet falsos testes, sed eos tantùm qui falsum deponunt, vt patet ex verbis ipsis reseruationis.

33 Si tamen via accusationis procederetur, & testis videret non posse probari delictum, eo quòd solus testis, & accusator illud sciret, excusaretur à reseruatione, licet deponeret tale delictum non fuisse à Titio cõmissum: retenta sententia, quæ docet testem in tali casu non teneri ad dicendam veritatem, quam sustinet Less. lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 49. Villalobos in sum. to. 2. tract. 17. diffic. 1. num. 11. Octauia-

nus Spatarius in praxi de modo corrigendi Regulares tract.7.c.8. nu.7.vbi sic habet: [Ex quo patet, quòd non tenetur quis testificari, si sciat nullum alium esse contestem, vel aliud æquiualens indicium, siue procedatur ex munere, siue ad instantiamPartis. Et ego, inquit ille, aliquando interrogatus sub præcepto, & iuramento super delicto, quod sciebam nullum alium nosse nisi denuntiantem, nunquam testificari volui, etsi de visu, & certa sciétia potuissem, quod tuta conscientia fecisse reputaui, & reputo.] Nequè verò negando tale delictum fuisse à Titio commissum esset mendax, quia non commisisset publicè, itaut teneretur fateri: quomodo qui alterius crimen occultum manifestauerit, si illi velit famam restituere, potest dicere se falsum dixisse, quia licèt illud verum esset veritate occulta, non tamen publica.

34 Tertiò, multò minus incidit Reus, aut Testis veritatem celans Iudici interroganti, quoties illis non cóstet de sufficienti probatione. Et ratio est, quia in tali casu cùm probabiliter existimet se non teneri ad respondendum, non peccat veritatem tacendo, & sic non incidit in casum. Pari modo non incidit in casum Reus, qui in causa sanguinis, triremium, exilij, amissionis omnium bonorum, aut alia simili, Iudici interroganti etiam cum semiplena probatione veritatem non fateatur. Et ratio præter allatam, quòd, videlicet, Reus non comprehendatur sub hac reseruatione, ea etiã est, quia in tali casu Reus non peccat non confitendo veritatem; ergo non incidit in casum. Vide quæ diximus supra in quæst. 1. difficult. 1. & 2.

35 Quartò, excusatur ab hac reseruatione testis, cui cùm præceperit Iudex, vt compareret ad testandum, noluit comparere, aut se ipsum abscondit, vt veritas occultetur. Et ratio est, quia nec deponit falsum, nec verum, cùm renuat testari. Ita Graff.cit. in principio quæstionis num. 20.

36 Vtrùm verò videns suum testimonium esse maximè necessarium ad liberandum innocentem peccet, & teneatur ad restitutionem damni secuti, si non testetur.

37 Respondeo primò iuxta ea, quę alias docui in explicatione octaui pręcepti Decalogi, si Proximus sit iniustè passurus graue damnum, & qui suo testimonio absquè suo graui damno possit illum tueri, & defendere ab eo damno imminente, teneri in tali casu offerre se ad testandum. Ita S.Tho. q.70. art. 1., & est communis DD. Et ratio est, quia in tali casu præceptum charitatis obligat ad succurrendum innocenti. Non tamen teneretur ad restitutionem quoties non se offerret, quia peccaret tantùm contra charitatem; præcepti autem charitatis transgressio non inducit obligationem restitutionis. Quòd si testimonium alicuius esset necessarium ad condemnandum Reum, tunc non teneretur se offerre, nisi fortè delictum esset contra bonum commune, vt in crimine læsæ Maiestatis Diuinæ, vel humanæ; tunc enim sicuti quisquè tenetur denuntiare, ita multo magis tenetur testificari.

38 Respondeo secundò, non peccare, nequè ad restitutionem teneri, si nolit testari, quãdo notabile damnum illi immineat testando. Et ratio est, quia in tali casu non tenetur testari, nec Superior potest illum ad hoc obligare, nisi fortè bonum commune id exigat. Vnde citatus à Iudice potest non comparere, vel si compareat non tenetur veritatem fateri, & vtendo aliqua

aliqua restrictione potest eam occultare. Vt bene Sotus de secr. membr. 2. q. 7. dub. 3 Nauar. cap. 25. num. 50. Lessius lib. 2. cap. 30. dubit. 8. num. 56.

39 Respondeo tertiò, si nullum damnum immineat, adhuc probabilius esse, quòd citatus à Iudice ad testificandum non peccet contra iustitiam commutatiuam, si occultet veritatem, ac propterea nō teneatur ad restitutionē.

Probatur, nam si huiusmodi testis occultet se, & fugiat, ne sibi intimetur præceptum Iudicis non peccat contra iustitiam, quia nullo adhuc præcepto Iudicis obligatur, præceptum enim est veluti lex, quæ non obligat nisi sit intimata, & quidem iuridicè. Sic qui se occultat, ne à Magistratu instituatur Tutor, aut Curator pupilli, non peccat contra iustitiam, licèt sciat se ad hunc finem quæri.

Adde, etiamsi præceptum sit intimatum, si falsò opponat aliquod impedimentum, porrò non tenetur ad restitutionem damni defectu testificationis secuti, quia per solam intimationem non habetur integrum, & completum præceptum ad testificandum, sed solùm ad comparendum in iudicio, ad sistendum se Iudici &c. adhuc enim datur facultas opponendi; Ergo tunc solùm censetur integrum, & cōpletum præceptum testificandi, quando post intimationem nulla sit oppositio, vel si fiat, à Iudice repellitur.

Demum verò, quando est integrum, & completum pręceptum testificandi, non peccare contra iustitiam, si veritatem occultet, probatur; quia cùm aliunde, vt suppono, non teneatur ex iustitia testificari, nulla est ratio dicendi, quòd ex præcepto Superioris oriatur obligatio iustitiæ, cùm sufficienter tale præceptum sortiatur suam vim, si pariat obligationem solùm ex obedientia, fidelitate, religione iuramenti &c. Ita Ioann. de la Cruz in direct. par. 1. p. 8. art. 4. dub. 13. concl. 5. Syluius in 2. 2. D. Thomæ quæst. 71. art. 1. conclus. 6. Pitigianus in pract. crim. par. 2. cap. 6. fol. 191. Eandemquè sententiam docet ex Molina, & Syluestro Lessius lib. 2. cap. 30. dubit. 8. num. 59. quando post legitimam citationem fuga, aut fraude aliqua declinat actum testificandi.

40 Dices primò, si testis non teneretur ex iustitia testari, posset accipere pretium pro testimonio ferendo. Consequens communiter reijcitur; ergo, & antecedens. Sequela probatur ex dictis à nobis cùm de restitutione in genere, quo loco cum Soto, Vasquez, Emman. Sà, Bannes, Turriano, Filliucio, & alijs docuimus, accepta pro faciendo opere licito debito ex alio pręcepto quàm iustitiæ non esse obnoxia restitutioni.

Respondeo in primis posse accipi pretium pro labore itineris, pro expēsis, pro lucro cessante, vel damno emergente, vt cum communi docet Molina. Secundò, pro falso testimonio ante factum nihil posse accipi: post factum, pretium acceptum posse retineri, iuxta ea, quæ suo loco vniuersaliter diximus de pretio accepto ob turpem causam. Demum pro vero testimonio dicendo nihil posse accipi, cōueniunt omnes, licèt varient in assignanda ratione: qui sentiunt testem iuridicè interrogatum teneri ex iustitia commutatiua dicere veritatē, facilè assignant rationem superiùs indicatam, quòd videlicet non possit accipi pretium pro eo, ad quod obligamur ex iustitia: qui verò contrariam sententiam tuentur, ea ratione nixi, quòd ante mandatum Iudicis nulla adsit obligatio iustitiæ: & per mandatum accedat sola obligatio iustitiæ legalis, & obedientiæ: as-

ferunt ideo non posse aliquid accipi pro vero testimonio dicendo, quia sola manifestatio veritatis, præscindendo ab expensis, periculis &c. non est pretio æstimabilis, licèt possit esse alteri valde vtilis.

41 Dices secundò, esto quòd testis non obligetur ex iustitia ad dicendam veritatem præcisè ratione præcepti; saltem obligabitur ratione officij testis, quod illi imponitur à Iudice; eo modo, quo Tutor, aut Curator ratione officij, quod illi imponitur à Magistratu, tenetur ex iustitia curam gerere bonorum Pupilli, aut Minoris: & Iudex tenetur ex iustitia proferre sententiam iustam ratione officij.

Respondeo Iudicem assumendo officium Iudicis, ex contractu saltem implicito suscipere obligationem ex iustitia ferendi sententiam iustam: idemquè dicendum de Tutore, & Curatore post assumptionem officij. At verò testem, qui non vult testificari verum, nequè velle acceptare officium testis sibi impositum à Iudice, proindeq; peccare tantùm contra obedientiam non assumendo officium; quo modo peccaret is, qui iussus à Magistratu capessere tutelam, nollet acceptare officium, vel falsis prætextibus se excusaret; hic n. non esset iniurius in Magistratum, aut in Pupillum: sed esset tantùm inobediens Magistratui, & in Pupillum parum pius; licèt post assumptionem officij peccaret contra iustitiam bona Pupilli non custodiendo.

42 Dices 3. si Iudex præcipiat Titio, vt exhibeat scripturam pertinentem ad litem, Titius verò illam occultet, aut laceret, tenetur compensare Parti damnum, quod inde passa est; Ergo pari modo, si Iudex præcipiat Titio, vt testificetur veritatem, & ille eam occultet, peccabit contra iustitiã; si enim potest imponere obligationem iustitię ad scriptum in lucem proferendum: quare non ad veritatem?

Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam. Et ratio est, quia scriptura non est actio personalis sicut testificatio; sed res externa, de qua Respub., & Superior potest disponere, sicut de alijs bonis quando subest causa, & quam Iudex potest saltem quoad vsum applicare vni Parti; quoties autem Iudex decernit aliquid circa bona externa dat ius litiganti saltem ad vsum illorũ bonorum; quare si impediatur patitur iniuriam. At verò testificatio est actio personalis, & libera, ad quam Iudex non potest alteri dare ius, cùm illius non sit Dominus.

43 Quintò, excusatur ab hac reseruatione, qui subticet veritatem æquiuocando, ob graue damnum, quod sibi euenturum valde probabiliter existimabat, aut ob aliam iustam causam. Quare Sacerdos, qui alicuius delicti notitiam haberet ex sola Confessione, interrogatus à Iudice posset veritatem negare, nec incideret in casum.

44 Pariter si Iudex quempiam interrogaret, an sciret quinam furatus fuisset equum Petro; ille verò negaret eo quòd sciret fuisse acceptum in iustam compensationem; non peccaret negando, seu non manifestando, cùm sciat Iudicem procedere ex præsumptione, quòd equus fuerit iniustè ablatus; & sic non incideret in casum.

45 Simili modo veniens è loco, qui non sit peste infectus, & falsò creditur infectus, si a Iudice interrogetur, an veniat è tali loco, ipsequè respondeat se non venire, intelligendo ex eo tanquã peste infecto, cùm hæc sit Iudicis intentio, non peccat, & sic non incidit in casum. Idemq; dicendum de alijs casibus similibus. Ita Lupus de cas. reser. l. cit.

l. cit. §. 4. verf. Idem dicitur de illo &c.

46 Secus verò effet, fi æquiuocationis nulla adeffet caufa, & iuris ordine feruato interrogaretur à Iudice; tunc enim incideret in cafum: vt fi teftis aliquis interrogaretur de homicidio, quod fciret à Titio fuiffe commiffum; & ipfe refponderet non fuifse cõmiffum, tacitè intelligendo, in foro, aut in Ecclefia; adhuc incideret in cafum. Et ratio eft, quia quando legitimè, & iuris ordine feruato à Iudice teftis interrogatur, non poteft vti æquiuocatione, fed tenetur refpondere fecundùm petitionem interrogantis, vt docent DD. communiter, & fic falfum deponit. Ita Graff. in praxi lib. 1. cap. 17. num. 33. Lupus de caf. refer. par. 2. cafu feptimo §. 6. in fine.

47 Sextò, non incidit in cafum is, qui falfum deponit, fed non in iudicio, puta coram gabellario, aut vectigalium exactore. Et ratio eft, quia requiritur vt falfum deponatur coram Iudice, feu in iudicio, vt patet ex verbis referuationis. Quare teftis ille, qui falfum deponeret coram fimplici Caufidico, aut Notario non habente mandatum Iudicis fufcipiendi teftimonia, non incideret in cafum. Zeccus de caf. refer. cafu 12. verfic. His ita prænotatis. Lupus l. cit. verfic. Tertiò fequitur Graff. l. cit. num. 30.

48 Septimò, non incidit in cafum Reus ille; qui veritatem negat coram Iudice non competenti: vt fi Clericus à Iudice laico abfquè licentia Ordinarij interrogatus an detuliffet arma, refponderet fe non detuliffe: Et ratio primò ea eft, quam in principio quæftionis attulimus; quòd videlicet fub hac referuatione non exiftimem comprehendi Reos, qui interrogati de delicto veritatem non dicant; cùm aliud fit veritatem non confiteri, & falfum deponere: & accufatorum quidem, ac teftium auaritia, aut maleuolentia fuerit coercenda, qui pretio, aut odio moti falfum deponunt; Reis verò potius indulgendum, & ignofcendum, qui ad confeffionem veritatis tot pœnis, ac tormentis, fæpius etiam non feruato iuris ordine cogantur, vt conftare poteft illi, qui praxim præfentium iudiciorum obferuet, quàm metu referuationis cogendi ad veritatem dicendam; cùm fæpe hæc vna falutis fpes illis fuperfit, fi eam negent. Viderint ergo ij, qui contrariam fententiam fequuntur, ne nimis emungant, quia fanguinem elicient.

Tum quia, fi interrogatus à Iudice non competenti veritatem neget, non dicitur falsũ deponere in iudicio, quia tunc perinde eft, ac fi extra iudicium deponeret, vt bene Graff. cit. num. 31. Quæ ratio hoc idem probat de accufatore, & tefte.

49 Septimò exiftimarit fortè aliquis, in hanc referuationem incidere eum, qui verum quidem deponat materialiter, fed falfum formaliter: puta, quis exiftimat Titium, qui homicidium verè commifit non effe reum huius criminis, & interrogatus à Iudice, an Titius patrauerit hoc homicidium, refpondet affirmando. Ratio autem effe poteft, quia verè ifte mentitur in iudicio, & eft periurus, deponendo cum iuramento à Titio fuiffe commiffum homicidium, quod tamen exiftimat non fuifse commiffum; ac licèt non deponat falfum materialiter, deponit tamen falfum formaliter.

50 Contrarium tamen exiftimo efse verius. Pro quo aduerte, falfum dupliciter pofse fumi, materialiter, & formaliter. Materialiter quando aliter enunciatur res quàm fit in fe, fed tamen id putatur efse verum: vt fi quis depo-

deponat Christum non fuisse à Petro negatum, existimans se deponere verum. Formaliter, quando res aliter enunciatur, quàm deponens existimet: vt si existimet à Iuda fuisse proditum Christum, & deponat non fuisse proditum. Ad præsentem ergo reseruationem existimo necessarium esse, vt deponatur falsum, & materialiter, & formaliter simul. Et ratio est, quia si deponatur falsum materialiter tãtùm, nulla adest culpa; ergo non sufficit ad reseruationem. Si verò deponatur falsum solummodo formaliter, non incurritur præsens reseruatio, quia de positio hæc innititur veritati. Tum quia iste non dicitur deponere falsum, sed potius habere propositum deponendi falsum.

51 Sic si quis putaret se coire cum consanguinea in primo, aut secundo gradu, & ea esset in tertio, non incideret in reseruationem latam contra cõmittentes incestum in primo, & secundo gradu. Et ratio est, quia ad hanc reseruationem requiritur incestus, qui, & materialiter, & formaliter sit in primo, aut secundo gradu, vt patet ex dictis suo loco; hic autem formaliter tãtùm esset in primo, aut secundo; materialiter enim esset in tertiò: quare affectiuè tantùm, idest ratione affectus esset in primo, aut secundo: cœterùm effectiuè esset in tertio.

52 Sic si quis haberet copulam cũ corrupta, & putaret se coire cum virgine, non incideret in reseruationem latam contra deflorantes virginem, neque cognita veritate teneretur adire Confessarium habentem iurisdictionem pro hoc casu, vt patebit ex dicendis suo loco.

53 Sic contrahens cum aliqua, quam putaret consanguineam, aut affinem, aut Monialem, cùm reipsa non esset, non incideret in censuram latam in Clement: vnica de consang. Et ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur effectus consummatus sub censura prohibitus, qui non adesset, quoties matrimonium non fuisset contractum cum consanguinea, affine, aut Moniali. Vnde ad hoc facit tritum illud sermone prouerbium, opinio non facit casum. Ita D. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 34. Syluest. v. excommunicatio q. casu 41. num. 77. dub. 3. Graff. 1. par. decis. lib. 4. cap. 24. num. 14. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 48. num. 18. Sayrus lib. 3. cap. 35. num. 16. Bonac. disp. 2. de cens. extra Bullam Cœnæ q. 3. pun. 7. num. 4. Sic etiam non ligaretur excommunicatione putans falsò Petrum, quẽ percutit esse Clericum, quia Canon non punit prauam voluntatem opere non subsecuto.

A pari ergo, deponens verum in iudicio existimans se deponere falsum non incideret in casum, quia affectiuè quidẽ diceretur deposuisse falsum, non tamen effectiuè. Ita Lupus de cas. reser. p. 2. casu 7. §. 4. in princ. Verum tamen est, quòd pro absolutione teneretur adire Superiorem ratione conscientiæ erroneæ. Sicuti contrahens cum ea, quam falsò putabat consanguineam, affinem, aut Monialem; aut percutiens aliquem, quem falsò putabat esse Clericum, teneretur gerere se tanquam excommunicatum, quia conscientia erronea obligat quamdiu ipsa durat. Cęterùm cognita veritate, quia casus non esset reseruatus, pro illius absolutione sufficeret inferior Confessarius.

54 Octauò ab hac reseruatione excusari Reum, qui aliquando interrogatus de socijs veritatem neget: puta si interrogatus de socijs occultis, nec laborantibus infamia neget veritatem,

tem, dato quòd crimen non sit in damnum Reipub. neq; pendeat in futurum. Et ratio non ea est, quam superiùs attulimus, quòd videlicet Rei non fatentes veritatem non includantur in casu; Reus enim interrogatus de socijs non ageret personam Rei, sed testis: quando autem diximus eos non includi, intelligimus de Reis agentibus tantùm personam Rei, non accusatoris, aut testis; sic enim incideret in casum Reus ille, qui interrogatus de homicidio, quod commisisset, negaret se illud commisisse, & subderet fuisse commissum à Caio. Ratio ergo est, quia quando complex non laborat infamia, & est occultus, & præterea crimen non vergit in damnum Reipub. aut alicuius tertij, tantù abest, vt Reus teneatur prodere socium, vt potius peccet illum prodendo. Ergo non incidit in casum negando veritatem. Ac licèt Iudex de socijs occultis, neq; diffamatis interrogãs excusari pluries possit a peccato, si videlidet ideo interroget, quia dubitet an Reipub. aut alteri damnum aliquod impendeat, in quo casu habet ius interrogandi: si tamen Reus omnino sciat nulli damnum imminere, eo quòd complex sit omnino emendatus, nullo modo potest illum prodere, & prodendo peccat, vt benè de hoc Villalobos in sum tom. 1. tract. 14. difficult. 10. num. 2. Miranda in ordine iudiciario tom 2. quæst. 19. art. 11. Malderus in 2. 2. tract. 6. c. 1. dub. 23. Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 4. dub. 4. num. 86. Ledesma in sum. tom. 2. tract. 8. cap. 24. conclus. 5. & alij.

55 Quæ eadem ratio probat non incidere in casum Reum illum, qui de vno crimine conuictus, & diffamatus, à Iudice interrogetur de alijs, de quibus non est diffamatus; licèt enim concederemus Reum legitimè interrogatum, & negantem veritatem ligari hac reseruatione, non ligaretur tamen in hoc casu. Et ratio est, quia Iudex non legitimè interrogaret: & sic non teneretur Reus fateri veritatem. Intellige tamen nisi fortè crimen illud, de quo interrogaretur esset ita connexum cum eo, de quo esset diffamatus, & conuictus, vt videretur vnũ, & idem: puta, si Titius fuisset conuictus de adulterio, & inuentus fuisset Maritus adulteræ in eius cubiculo occisus; tunc enim optimè posset interrogari de homicidio. Pariter Religiosus conuictus quòd alat concubinam; optimè posset interrogari de furto, cùm enim ipse nihil possideat, iure præsumitur quod furetur, quæ necessaria sunt ad concubinæ sustentationem.

56 Quandonam autem possit Iudex interrogare Reum de socijs non diffamatis, & Reus possit, aut teneatur illos prodere, docet Villalobos cit. vbi sic habet, *Hase de aduertir, que si consta claro, que el delicto no lo hizo vn solo, sino que huuo complices, podra se preguntar por ellos con inquisiçion general, & como quando se ha llado vn cuerpo muerto, y no consta quien lo hizo. Mas en este caso no tendra obligaçion el reo à declarar los complices sino es que estan infamados. Y quando de ordinario los Iuezes preguntan por los complices, hase de entender desta munera, por que si no es assi, van engañados. Y tan bien se hà de aduertir que tiene obligaçion à reuelar los complices, quando entiende que no estan arrepentidos, antes apparejados para cometer otros delictos en daño publico, ò particular, y que no se corrigeran por correçion fraterna; quales suelen ser de ordinario ladrones, falsarios de moneda; bruxas, hechizeros, y hereges, ò otros semejantes,*

iantes, como dice Nauarro. Y dice Rodriquez, que deue el Iuez declararlos, quãdo tienen obligaçion, y tiempo para consultarlo con hombres doctos, ne incidant in laqueum Diaboli, y si la niegan, dize con Nauarro que no se atreuera à librarlos de peçcado mortal. Ita ille.

Primò igitur potest Confessarius interrogare Reum de complice, illeq; interrogatus tenetur respõdere quando crimina sunt in damnum Reipub. eaq; adhuc pendent in futurum, quia videlicet complex nec sit emendatus, nec speretur fraterna correctione emendandus: qualia sunt monetę adulteratio, rebellio, & huiusmodi. Idemq; dicendum de crimine, quod vergat in graue damnum tertij. Addo in his casibus manifestandum esse complicem, etiam Iudice non interrogante, & si nolit manifestare, non posse à Confessario absolui.

Secundò, potest Iudex interrogare de cõplice si dubitet, an damnum aliquod Reipub. vel alteri immineat; Reus tamen non potest illum manifestare, quoties sit occultus nec diffamatus, & omnino emendatus.

Tertiò si delictũ naturâ suâ habeat socium, quale est adulterium, sodomia, potest Iudex inquisitione generali interrogare de socio etiam non diffamato, si præsertim admoneat Reum vt non prodat aliquem nisi iuxta iuris dispositionem; Reus tamen interrogatus non teneretur illum prodere. Addunt Doctores plures, si circumstantia socij occulti sit talis vt sine ipsa crimen Rei non possit perfectè cognosci, Iudicem habere ius interrogandi, & Reum teneri ad respondendum: vt hoc idem communior sententia docet de confessione Sacramentali. Verùm, vt bene notat Caietanus, casus iste vix potest accidere in foro externo.

Quartò, extra hosce casus non potest Iudex interrogare de socijs occultis nec diffamatis: & multo minus potest Reus illos prodere. Et si Iudex interroget, & hoc modo manifestentur, non solùm peccat in hoc; sed iterum peccat socios interrogando; & multo magis si illos puniat, vnde tenetur ad restitutionem. Socij verò ipsi interrogati non tenentur respondere, quia tota illa notitia originem habuit ab iniuria Iudicis.

Quàm graue sit hoc peccatum.

GRauissimum hoc peccatum esse testantur pœnæ omni iure in falsos testes statutæ. Vide Graffium superiùs citatum à num. 4 vsquè ad 11. Munus ergo Confessarij erit tanti sceleris grauitatem Pœnitentibus ostendere, Prouerb. enim 19. dicitur Testis falsus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur non effugiet, sed peribit. Et contra huius generis homines ita scribit Beda, vt habetur in c. abijt 11. quæst. 3. Multi hodie Iudæ scelus, qui Deum, ac Dominum suum magnũ vendidit pecunia, execrantur velut nefarium, nec tamen ipsi cauent; nam cùm muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt; profectò, & veritatem pro pecunia negant, & Deũ pro pecunia vendunt, qui dixit, ego sum veritas. Præterea ad Confessarium spectabit videre vtrùm ratione falsi testimonij alter passus sit damnum; sic enim testis, qui sciens, aut ex crassa ignorantia falsum deposuit tenetur ad restitutionem damnorum in solidũ. Et ratio est, quia per iniuriam est causa efficax totius damni. Et ab hac obligatione excusari tantùm posset, vel ratio-

ratione ignorantiæ, inaduertentiæ, aut obliuionis inculpabilis; quia tunc nulla radix assignari posset: non res accepta, quia nihil extaret: neq; iniusta damnificatio, quæ ad inducendam obligationem latam culpam supponit, iuxta ea quæ suo loco docuimus cum Lessio lib. 2. cap. 7. dub. 6. Vel certè excusari posset si fortè Reus per alios testes iam fuisset conuictus, & testimonium accedēs nihil effecisset, eo quòd pœna propter illud non fuisset addita, vt pote addenda etiamsi illud testimonium nō accessisset: quomodo testem falsum ab onere restitutionis excusant: Lessius lib 2. cap. 30. dub. 7. num. 52. Pitigianus in pract. crim. Canon. de testibus, cap. 6. fol. 193. Anton. Diana 3. par. tract. 5. in miscellaneo, resol. 105.

Quòd si damnum nullum ex falso testimonio sit secutum, sed tamen immineat: puta, quia ratione illius mors vel mutilatio sit inferenda; Confessarij partes erunt monere Pœnitentem de obligatione, quam habet retractandi sua dicta, quoties id profuturum speret, licèt testi ipsi similis pœnæ periculum immineret, vt communiter docēt DD. Et ratio est, quia quilibet tenētur auertere damnum, quod alteri iniustè parauit, etiam cum pari suo damno; in pari enim damno melior est conditio innocentis. Neq; valet dicere, quòd quilibet teneatur sibi potius consulere quàm alteri, vt proinde non adsit obligatio succurrendi vitæ alienæ cum periculo propriæ: dictum enim illud verum tantùm est in pari causa innocentiæ; verbi gratia si absquè mea culpa alter sit in periculo, non teneor illi consulere cum periculo vitæ meæ; Secus verò si mea culpa, & iniuria ille periclitaretur: vt patet ex ijs, quæ suo loco diximus cum de restitutione famæ, pecuniæ, & honoris, quo loco attulimus discrimen inter eum, qui infamet, aut damnificet Proximum culpa iniustitiæ, & eum, qui sine culpa; quod ille tenetur famam restituere etiam cū detrimento suæ famæ; & qui iniustè formali iniustitia damnum intulit, tenetur etiam cum æquali suo damno farcire: is verò, qui sine culpa, non tenetur cum notabili damno, sed solùm cum modico, vti prudentia, & charitas dictabit. Vnde fit, vt si alios quis induxerit ad dicendum falsum testimonium, teneatur ex iustitia illos monere vt retractent: quòd si nolint, totam hanc machinationem teneatur aperire Iudici, vt innocens liberetur, licèt inde videret certam mortem sibi imminere; vt bene Petrus Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 253. quem citat, & sequitur Less. cit. num. 54.

DISCE LECTOR.

Corruptis Iudicijs incorrupti nihil in Orbe remanere.

CAPVT VIGESIMVM

Qui solutionem ex legato pio debitam diutiùs biennio distulerit.

1 *Quotuplex sit legatum, & quænam cōditiones requirantur ad hoc, vt causa sit pia.*

2 *An sit legatum pium factum consanguineo pauperi.*

3 *In*

3 *In Matrimonio potest fieri promissio diuiti, & causa esse pia.*
4 *Pia causa quænam dicatur.*
5 *Definitio legati pij.*

CAsus hic eos omnes comprehendit, qui solutionem à testatore relictam pro legato pio diutiùs biennio differant. Vt autem res sit clarior, pauca quædam de nomine legati, & causæ piæ sunt præmittenda.

1 Legatum igitur, quod nihil aliud est, quam donatio quædam à Testatore relicta, & ab hæredibus post mortem ipsius Testatoris, & aditam hæreditatem præstanda, vt colligitur, Instit. de legatar. §. legatum, & ff. de donat. l. 1. & ff. de legatis 2. l. legatum, duplex est, sicuti etiam testamentum: alterum ad causas pias: alterum verò ad causas prophanas. Ad hoc autem vt causa sit pia, duæ conditiones requiruntur, pietas videlicet personæ, & causæ. Quarè si quis legaret quinquaginta diuiti, quã tumuis diceret se legare amore Dei, non esset tamen causa pia, quia deesset pietas in persona. Et è conuerso si quis legaret 50. pauperi, sed non intuitu pietatis, non diceretur legatum pium, quia deesset pietas in causa. Vide Sanchez lib. 1. de Sponsalibus disp. 4. nu. 9. ex plurium Iuristarũ sensu id probantẽ.

2 Vnde est, vt cum Tiraquel., & alijs multis, quos tacitò nomine citat, inferat idem Sanchez, si aliquid legetur consanguineo pauperi, non censeri legatum pium, cùm pietati causæ præsumatur præualere sanguinis affectio, quæ est naturalis: licèt contrariũ cum alijs multis doceat Gutierez consil. 26. num. 8. saltem vbi primùm in legato fieret mentio paupertatis.

3 Bene tamen monet idem Sanch. l. cit. posse in matrimonio contingere, vt promissio fiat diuiti, & tamen causa sit pia: puta si puella diues pudicitiam prostituisset, & pro illa ad bonam frugem reuocanda quis promitteret illi matrimonium; concurreret enim, & personæ pietas, quæ in euidenti salutis periculo esset constituta, & causæ.

4 Pia autem causa dicitur Ecclesia, vel Monasterium, & hoc in confesso est apud omnes: alia etiam pia loca, vt hospitalia, siue ea auctoritate Episcopi sint constructa, siue non. Ita Tiraquel. de priuileg. piæ causę in præfatione: alia item loca, in quibus pauperes senes, & languidę personæ aluntur, & alia opera pietatis exercentur, l. si quis ad declinandum, C. de Episc. & Cleric. l. C. de Xenodochijs, de relig. domib. Angel. Syluest. Armilla, Tabiena, & alij in verbo, legatum. Confraternitates item, Montes pietatis &c. vt per Concil. Trident. sess. 22. cap. 9. de reformat. Graff. in praxi lib. 2. cap. 26. num. 10. & cap. 22. nu. 3. Floron. par. 2. casu 9. num. 1. Quare legatum relictum pro construendo Monasterio, Hospitali, Ecclesia, Cappella, pium est: pro sustentandis item personis Ecclesiasticis Secularibus, aut Regularibus: pro maritandis etiam puellis pauperibus, redimendis captiuis; pro restitutione incertorum, & malè ablatorum: pro miserabilibus personis, Pupillis, Viduis, Peregrinis, & alijs pauperibus auxilio proprio destitutis: pro redemptione captiuorum; pro alimentis egẽtium: pro Animabus Purgatorij, quæ verè pauperes sunt, & semper ad nos clamant, Miseremini mei. Demum verò illud dicitur legatum pium, & ad causam piam relictum, quód pro honore Dei, vel Sanctorum, vel pro salute Animæ quomodocunq; relinquitur. Vide Graff. Fiororum loco cit. quibus adde Gambar. de casibus reser. casu 4. fol. 226. Bellochium de casib. reser. p ar. 2. quæst.

2.quæst.1. à num.289. vsq; ad 306.

5 Vnde patet definitio legati pij: illud enim potest sic definiri, quòd sit donatio quædam à Testatore pro Anima sua Ecclesijs, vel alijs pijs locis, seu quibusuis ex supradictis relicta, ab hæredibus post mortem Testatoris, & aditam hæreditatem præstanda.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam incidant in hanc reseruationem.

6 *Quæ conditiones requirantur ad hanc reseruationem.*

7 *Incidit in casum is, qui legati pij solutionem differt vltra bienniū absquè legitima causa.*

8 *Incidunt hæredes, qui biennio transacto ea non distribuunt, quæ à testatore fuerunt relicta distribuenda.*

9 *Incidit in casum, qui transacto biennio non curauerit pro Anima testatoris eas Missas celebrari, quas celebrandas reliquit.*

10 *Incidit item, qui solutionem legati pij vltra biennium protrahit, licèt id faciat ex bono fine; nedum vt suæ vtilitati consulat.*

11 *Item qui solutionem ita differt, licèt legatum sit factum in testamento minus solemni.*

12 *Ad hoc vt testamentum factum ad pias causas sit validum non requiruntur solemnitates iuris ciuilis, aut gentium.*

13 *In hunc casum incidunt omnes ita differentes solutionem, siue Clerici sint siue Laici, siue Mares, siue fœminæ.*

14 *Vtrùm etiam Religiosi Aliqui affirmant. ibidem. Contrarium Author existimat esse verius.*

15 *Incidit item, qui vltra bienniū differt solutionē siue in totū, siue in partem.*

6 AD incurrendam hanc reseruationem tres conditiones requiruntur. Primò quòd solutio protrahatur vltra biennium. Secundò quòd legatum sit pium. Tertiò quòd dilatio sit culpabilis, & mortalis. Primæ duæ conditiones patent ex verbis reseruationis. Tertia colligitur ex communi Doctorum sensu, quia reseruatio de peccatis tantùm mortalibus est, & quidem grauioribus, vt patet ex Trident. sess.14.cap.7.

7 Primò igitur in casum incidit is, qui solutionem cuiuscunquè legati pij differat vltra completum biennium absq; legitima causa: idquè patet legenti verba. Dixi autem, vltra completum biennium, quia vt docet Syluest.in verb.pœna §. 15 in termino dato à Iure requiritur totus terminus elapsus, vt incurratur pœna.

8 Secundò incidunt hæredes, qui intra biennium ea pauperibus non distribuunt, quæ à Testatore relicta fuerunt distribuenda; siue pane, siue pecunia, siue demum re alia legatum constet.

9 Tertio incidit is, qui transacto biennio non curauerit pro Anima Testatoris eas Missas celebrari, quas celebrandas reliquit; vel certè non curauerit puellas eas in matrimonium collocari, pro quibus collocandis certam summam pecuniæ destinauit. Et ratio est, quia hęc omnia diximus venire nomine legati pij; ita vt si eorum solutionem vltra biennium quis differat, incidat in casum.

10 Quartò incidit is, qui solutionem legati pij protrahit vltra biennium, licèt id faciat, vt rebus defuncti melius venditis copiosiorem præstet eleemosinam, quàm defunctus reliquerit. Et ratio est, quia mora hæc longior est, quàm vt à mortali possit excusari.

cusari. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap. 26. num. 23. Belloch. de casib. reser. par. 2. quæst. 1. num. 372. Lupus de casib. reser. par. 2. casu 3. § 5. num. 32. Quòd verius est, si solutionem hanc hæres differat, vt suæ vtilitati consulat; vtilitas enim spiritualis defuncti præferenda est vtilitati temporali hæredis.

Obijcies ex D. Tho. quodlib. 6. art. 14. quo loco habet, quòd si executor differat eleemosinas, vt rebus defuncti maiori pretio venditis ampliores faciat eleemosinas, laudabiliter facit; Ergo &c.

Respondeo D. Thomam eo loco loqui de eo, qui per modicum tempus eleemosinas differat; dilatio autem vltra biennium longissima est, non modica, vt proinde à mortali nullo modo possit excusari.

11 Quintò ligatur hac reseruatione is, qui diutiùs biennio differt solutionem legati pij, licèt legatum sit factum in testamento minus solemni. Et ratio est, quia legata ad pias causas soluenda sunt, siue iuris solemnitas seruetur, siue non, vt bene Graff. in decis. aur. par. 1. lib. 4. cap. 8. num. 20. & in praxi loco cit. num. 32. Belloch. cit. nu 369. Lupus, num. 36.

12 Hinc est, vt de testamento ad causas pias facto suo loco disputantes, docuerimus, ad hoc vt illud validum sit in foro conscientiæ, non requiri solemnitates iuris ciuilis, aut gentium, sed satis esse si adsit id, quod iure naturali est sufficiens: puta potestas in disponente, capacitas in eo, in cuius fauorem disponitur, & libertas in dispositione. Quod probatur, quia si loquamur de solemnitate iuris ciuilis, eam non esse necessariam, patet ex Cap. Relatum 1. de testamentis, vbi Alexander Papa III. præcipit, vt Iudices tractent causas pias non secundùm leges, sed secundùm Canones, duobus, vel tribus duntaxat legitimis testibus requisitis. Si verò loquamur de solemnitate iuris gentium, vt videlicet duo testes adsint; eam non requiri probatur, quia ius Canonicum non exigit hos duos testes pro foro conscientiæ, sed tantùm pro foro externo, vt videlicet possit probari quantum satis est, vt pro eo Iudex ferat sententiam. Ita Couar. cap. 11. de testam. num. 9. Iulius Clarus §. testamentum q. 6. Lessius lib. 2. cap. 19. dubit. 3.

13 Sextò in hunc casum incidunt omnes Diœcesani, siue ij laici sint, siue Clerici, siue mares, siue fœminæ, etiam Religiosi, vt sentiunt Graff. & Belloch. citandi, qui post perceptam hæreditatem intra biennium non satisfecerint. Et ratio est, quia relatiuum, qui, notat vniuersalitatem, vt proinde includat omnes eos, qui possunt suscipere munus executionis vltimarum voluntatũ. Ac licèt Religiosi hoc tempore sint ab Episcopo loci exempti, & immediatè Sedi Apostolicæ subiecti, Cap. frater noster, de supplen. neglig. Prælat. vnde excommunicatio lata ab Ordinarijs non comprehendit Religiosos cõtrauenientes, tanquam non subditos, Cap. 2. de constit. in 6. cap. A nobis 1. de senten. excommu. adhuc tamen incidunt in casum nõ soluentes intra biennium legata pia. Et ratio est, quia cùm Episcopus non solùm de iure Ordinario, iuxta textum in Cap. Tua nobis, de testam. sed etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus in casibus à iure cõcessis omnium piarum dispositionum, tam in vltima voluntate, quam inter viuos sit executor, vt cõstat ex Trid. sess. 22. de reformat. cap. 8. fit quòd absolutè, & sine vlla restrictione reseruando casum hunc, absolutè etiam sit intelligendus, itaut omnes cõprehendat,

dat, etiamsi Religiosi sint; non quidem vt Episcopus reseruans, cui ij non sunt subiecti, sed vt Delegatus Sedis Apostolicę, cui enim tribuitur potestas exequendi, videtur etiam concessa facultas, vt possit ea omnia media exercere, sine quibus illa potestas cōmodè exequi non potest. Sic si Episcopus ferat aliquam censuram auctoritate Apostolica, ea ligari etiam Religiosos patet ex Concil. Triden. sess. 25. Cap. 5. Vide Graff. l. cit. num. 1. 2. & 3. Bellochium num. 366.

14 Contrarium tamen quoad Religiosos verius esse arbitror cum Lupo cit. nu. 3. Tum quia nullibi constat Episcopum reseruasse sibi casum hunc auctoritate Pontificia, & tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum. Ac demum, quia non videtur vsu receptum, vt Religiosi ligentur aliquo casu Ordinariorum.

15 Septimò hac reseruatione afficitur is, qui vltra biennium differt solutionem legati pij, vel in totum, vel in partem, dummodo hæc pars sit tantæ quantitatis, vt sufficere possit ad culpam lethalem. Et ratio est, quia quælibet pars legati pij est legatum pium; Ergo differens illius solutionem incidet in casum. Quare si Titius tenebatur soluere centum libras ex legato pro totidem Missis celebrandis pro Animabus Purgatorij, & nonaginta persolutis differat solutionem reliquarum decem vltra biennium, incidit in casum, decem enim libræ insolutæ sunt tantæ quantitatis, vt sufficiant ad culpam mortalem, si alicui auferantur. Ita Lupus de cas. reser. l. cit. nu. 13.

DIFFICVLTAS VNICA

Quomodo sit computandum biennium.

16 *Biennium, intra quod sunt soluenda legata, incboatur ab eo die, quo incipit vigere obligatio legatorum persoluendorum.*

17 *Obligatio verò soluendi incipit à die scientiæ, & aditæ hæreditatis.*

18 *Si testator solutioni legati terminum præfixisset; vtrùm eo elapso incurreretur reseruatio.*

Quomodo in hoc casu sit computandum biennium. ibidem.

19 *Ignorantia obligationis legati immunem facit à reseruatione.*

16 Respondeo computari ab eo die, quo incipit vigere obligatio legatorum persoluendorum. Et ratio est, quia reseruatio eos comprehendit, qui vltra biennium differunt solutionem legati pij; Ergo supponit adesse obligationem soluendi; Ergo biennium incipiet ab eo tempore, quo incipit obligatio soluendi: Præsens enim reseruatio fuit lata propter culpam lethalem, quam committunt ij, qui longiùs differunt solutionem legatorum piorum in defunctarum Animarum præiudicium: ipsumq; fundamentum reseruationis huius casus fuit, vt Testatoris voluntas quamprimùm demandaretur ad effectum, iuxta illud axioma legis, in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur, l. in omnibus obligationibus, ff. de reg. iur. qui terminus, præsenti die, perinde valet ac, quamprimùm.

17 Ex quibus infero primò, quandoquidem obligatio soluendi incipit tantùm à die scientiæ, & aditæ hæreditatis, vt probat tex. in l. statu liberi. §. si quis hæredi ff. de statu liber. C. de iure delib. l. fin. §. si autem dubius, & §. sequen. & l. si diem, ff. de condit., & demonstrat. ita nec biennium incipere

nisi a die scientiæ, & aditæ hæreditatis. Quare si post mortem testatoris hæres non possit adire hæreditatem, tempus illud quod transfigitur, in quo non potest adire hæreditatem, non est computandum intra biennium. Et ratio est, quia pro illo tempore hæres nõ potest frui hæreditate; Ergo nec est dicendus in mora soluendi legata, ex regula generali, qui non sentit commodum, neque incommodum sentire debet. Intellige tamen, quoties per illum non staret, vt hæreditatem adire posset: Secus enim esset, si mora soluendi legata esset illi culpabilis, quia cùm posset hæreditatem adire, & legatis satisfacere, illam nollet adire: vnde tunc biennium inchoaretur ab eo tempore, quo potuisset hæreditatem adire. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap. 36. num. 39.

18 Secundò, si testator ipse solutioni legati terminum præfixerit, puta biennium, tunc eo elapso non incurri reseruationem, cùm non peccauerit hæres differendo per totum hoc tempus à testatore concessum. Biennium ergo reseruationis in hoc casu computandum esset à termino per testatorem præfixo, seu post transactum tempus à testatore concessum. Et ratio est, quia biennium reseruationis incipit ab eo tempore, quo mora soluendi potest esse culpabilis. Atqui mora soluendi non nisi post tempus concessum potest esse culpabilis; Ergo non nisi post illud tempus computandum est biennium reseruationis. Quare stando in suppositione casus, quòd videlicet testator concesserit biennium pro solutione legati, ad incurrendam præsentem reseruationem necessarium foret, vt trãsactum esset quadriennium à die aditæ hæreditatis.

19 Tertiò, si quis hæreditatem adiuisset, & per biennium illam possedisset, ita tamen vt nescius semper fuisset obligationis legati, immunem esse ab omni reseruatione, & tunc tantùm incurrere, quando verùm esset dicere, quòd post habitam illius scientiam per biennium distulisset tale legatum persoluere. Et ratio est, quia stante ignorantia obligationis, mora non est culpabilis; reseruatio autem supponit culpam, & quidem lethalem.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

20 *Non incidunt, qui legata non soluunt absque culpa.*

21 *Pariter, qui seruatis debitis conditionibus vtitur compensatione.*

22 *Censura obligans ad denuntiandum fures non afficit eum, qui non denuntiat iustum compensatorem.*

23 *Quænam conditiones requirantur ad licitam compensationem.*

24 *Vtrùm necessaria sit hæc cõditio, quòd res non possit commodè per Iudicem recuperari.*

25 *Non incidit in casum, qui per biennium concessum à testatore differt solutionem.*

26 *An incidant in casum Tutor, Curator, Pupilli, Rector Collegij, Seminarij &c. Refertur fundamentum sententiæ affirmantis.*

27 *Author negat.*

28 *An incidat in casum is, qui differt vltra biennium solutionem legati pij per Monachum facti antequam professionem emitteret. Refertur sententia affirmans.*

29 *Contrarium Author putat esse verius*

30 *Non incidit is, qui loco pio cùm teneatur aliquid soluere causa donationis inter*

inter viuos, vltra biennium protrahit solutionem.

31 *Non incidit, qui vltra biennium differt solutionem debiti realis contracti ratione hæreditatis, licèt loco pio illud sit persoluendum.*

32 *Excusatur item, qui differt vltra biennium solutionem legati diuiti facti.*

33 *Pariter, qui biennio transacto facit cautionem cum eo, cui soluendum est legatum.*

34 *Sic si in alicuius fauorem sit concessa censura, illius consensus sufficit ad censuram suspendendam.*

35 *Excusatur, qui ante biennium transactum propter absentiam legatarij apud tertiam personā deponit quidquid est persoluendum.*

36 *Excusat etiam paupertas extrema.*

37 *Etiam grauis, quoties legatarius non sit in pari necessitate.*

38 *Praxis seruanda, quando legatum est de Missis celebrandis pro Animabus Purgatorij.*

39 *Grauis tamen necessitas non excusat à partiali solutione quando illam hæres potest facere.*

CVm ad casum hunc incurrendum dixerimus in superiore quæst. tres hasce conditiones esse necessarias, vt videlicet solutio legati vltra biennium protrahatur; vt legatum sit pium; vt dilatio sit culpabilis: ex defectu alterius conditionis ex his tribus, reseruatio non incurretur.

20 Hinc est vt non incidant primò ij qui legata non soluunt absquè culpa. Exemplum de ijs est, qui propter inopiam non soluunt: vel certè ob aliam iustam causam impediuntur, vt soluant; dilatio enim concurrente iusta causa non est culpabilis.

21 Secundò non incidit is, qui seruatis debitis cōditionibus vtitur compensatione: verbi gratia testator centum reliquit Ecclesiæ distribuenda: hæres verò vt se ab ijs compenset, quæ sibi ab Ecclesia debentur retinet hæc centum; porro immunis est ab omni reseruatione. Et ratio est, quia legatum pium cōpensans cum debito reali dicitur illud persoluisse, compensatio enim stat loco solutionis. Ita Graff. in praxi lib. 2. cap. 26. num. 28. Belloch. de cas. reser. par. 2. quæst. 1. num. 375. & 376. Lupus de cas. reser. par. 2. casu 3. num. 29.

22 Sic quando in edicto sub pœna excommunicationis præcipitur, vt manifestentur fures, vel iniusti detentores, non adesse obligationem denuntiandi iustum compensatorem, aut alium iustum detentorem, docent, communiter Doctores: ex eo quòd excommunicatio feratur ob peccatum mortale; iustus autem compensator, aut detentor non peccat.

23 Dixi, seruatis debitis conditionibus; hæ autem ad numero quinquè à quibusdam recensentur: prima, vt debitum sit certum, & liquidum: altera, vt creditor non plus capiat, quàm sibi debetur: tertia, vt debitum sit actu, non potentia, idest vt pro illo tempore adsit obligatio soluendi: quarta, vt post compensationem moneatur debitor de solutione, ne bis soluat: quinta, vt per Iudicem non possit res commode recuperari; itaut si per Iudicem possit ea commodè recuperari, peccet mortaliter contra iustitiam legalem creditor vtendo compensatione, cùm Iudici iniuriam faciat officium eius vsurpando.

24 Ego tamen hanc quintam conditionem aliàs reieci cum Maldero in 2. 2. tract. 4. c. 1. dub. 6. Ioanne Velero in differentijs vtriusquè fori, ver. compen-

pensatio, ffer. 3. num. d12. Villalobos in sum. to. 2. tract. 11. dub. 23. nu. 7. & alijs: quoties non adsit periculum scandali, aut turbationis Reipub.

25 Tertiò non incidit in casum is, qui vltra biennium differt solutionem legati pij, quoties hæc mora illi concedatur à testatore: vt si in testamento adsit hæc particula, vt hæres legatum persoluat, quando illi placuerit. Et ratio est, quia reseruatio hæc militat tantùm contra eum, qui differendo solutionem occurrit voluntati testatoris, cuius piam voluntatem tenentur Ordinarij pro viribus coadiuuare. Nisi tamen conditio hæc expressè fuisset apposita in testamento, nunquam subintelligeretur, cùm vergat in damnum testatoris. Ita Lupus cit. num. 29. versic. quartò sequitur.

26 Quartò existimarit fortè quispiam in hanc reseruationem incidere Tutorem, Curatorem Pupilli, aut Minoris non soluentem legata pia, ad quæ teneatur Pupillus, aut Minor. Pariter Deputatos locorum piorum, Hospitalis Misericordiæ. Rectores item Collegij, Seminarij non soluentes intra biennium ea legata pia, ad quæ teneatur Hospitale, locus pius, Collegium, aut Seminarium. Et ratio esse potest, quia hi omnes peccant mortaliter differendo tandiu solutionem legati pij, nec implendo voluntatem testatoris, cùm ratione muneris ad id teneantur; Ergo incident in casum. Et hanc sententiam credo sustinerent Grass. & Belloch. superiùs citati num. 13. cùm enim doceant hac reseruatione ligari Religiosum eum, qui habita licentia à suo superiore officium executionis vltimarum voluntatum susceperit, vt si respectu suorum consanguineorum hoc onus susciperet: porrò idem tenerentur docere de Tutore, Curatore, & alijs personis recensitis, quibus ratione muneris assumpti incumberet onus persoluendi legata pia eorum locorum, quibus præessent.

27 Ego tamen contrarium verius esse puto, & sentio reseruationem hanc afficere solos hæredes, quibus ratione hæreditatis aditæ fuit à testatore impositum onus persoluendi legata. Et ratio est, quia hi soli sunt veri, & proprij debitores: Tutores autem, Curatores, Administratores, Deputati, Rectores, esto quòd ratione muneris suscepti peccent si non persoluant legata, non tamen sunt ipsi debitores, cùm ipsi non sint hæredes. Hinc est, vt legatum definiatur, quòd sit donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præstanda. Ita instit. de legat. §. legatum, & ff de donat. l. 1. & ff. de legat. 2. l. legatum. Et ita senserunt viri docti à me de hoc casu consulti.

28. Quintò existimat Lupus cit. §. 6. annotat. 3. in casum incidere eum, qui vltra biennium differat solutionē legati pij per Monachum facti antequam professionem emitteret. Cuius ratio est, quia professio est quædam mors ciuilis, & sicuti qui successit testatori defuncto morte naturali ligatur hac reseruatione, nisi intra biennium soluat legata pia: ita eadem reseruatione dicendus est ligari, qui defuncto morte ciuili successit, neq; intra biennium legata pia persoluit; mors enim ciuilis æquiparatur morti naturali in his, quæ concernunt effectum iuris, vt est testamentum condere, l. 1. §. fin. ff de bon. possess.

29. Contrarium tamen puto verius. Et ratio est, quia casui reseruato danda est strictior interpretatio, vt proinde non sit extendendus ad mortem ciuilem, quæ sola iuris fictione dicitur mors.

30 Sextò

30 Sextò non incidit in casum, qui Ecclesiæ, aut loco pio cùm teneatur aliquid soluere causa donationis inter viuos, vel causa mortis, vltra biennium protrahit solutionem. Et ratio est, quia legatum est quid diuersum ab istis donationibus: donatio enim causa mortis fit ob mortis imminentis, vel futurę suspicionem; vnde eo ipso quòd periculum euaditur, censetur etiam tacitè reuocata donatio, ita l. 3. & sequẽtibus, §. de donationibus causa mortis; non ita verò est legatum. Rursus à donatione inter viuos differt, quia donatio inter viuos non potest reuocari, instit. de donat § aliqui: legatum verò semper reuocab le est vsque ad mortem, sicut, & testamentum. Ita Graff. de cas. reser. lib. 2. cap. 26. num. 7. & 8. Lupus cit. num. 30.

31 Septimò non incidit in casum is, qui differt vltra biennium solutionẽ debiti realis contracti ratione hæreditatis aditæ, licèt illud pauperi sit persoluendum, Ecclesiæ, aut loco pio. Et ratio est, quia debita realia non sunt legata pia: vnde ea creditoribus debẽtur, etiamsi à testatore non fuerit id ordinatum, quod secus est de legatis, quæ non debentur nisi fuerint à testatore ordinata. Lupus de cas. reser. loco cit. num. 30. vers. Tertiò sequitur.

32 Octauò immunis est ab hac reseruatione qui longiùs biennio differt solutionem legati diuiti facti. Et ratio est, quia legatum hoc non est pium, vt patet ex ijs, quæ diximus num. 1. Idemquè dicendum, si legatum fuisset factũ pauperi quidem, sed consanguineo; quia tunc non præsumeretur factum intuitu paupertatis, sed consanguinitatis, & consequenter non præsumeretur pium, iuxta ea quæ diximus num. secundo.

33 Nonò non incidit in casum, qui biennio transacto facit cautionem cum eo, cui soluendum est legatum. Et ratio est, quia cautio hæc de consensu Partis facta ęquiparatur solutioni: vnde in l. fin. C. ad l. falc. habetur, quòd solutio, & promissio paria sunt, & promittere est dare, sicut est remittere, l. si mulier, ff. de condit. causa data l. 1. ff. de calumniat. Graff. cit. num 29. Belloch. num. 377. Quod verius est si ab eo, cui persoluendum est legatum prorogetur terminus solutionis; eo enim prorogato hæres non est in mora, & cùm non peccet non incidit in casum.

34 Sic si in alicuius fauorem fuerit concessa censura, consensum illius, in cuius fauorem ea fuit concessa, sufficere ad censuram suspendendam docent, Suarez de censuris disp. 3 sect. 6. num 8. Coninch. disp. 14. dub. 16 nu. 199. Angelus v. excommunic. num. 2. Filliucius tract. 11. cap. 3. quæsito 12. num. 80 & alij, quidquid in cõtrarium sentiant, Nauar. cap. 27. num. 25. Sayrus lib. 1. cap. 11. num. 20. Ratio autem est, quia pro eo tempore, quo suspenditur obligatio debiti per prorogationem termini à creditore concessi, debitor non est in mora; ergo non incidit in censuram, quæ supponit culpam in debitore. Tum quia si creditor condonet absolutè debitum, & habeat illud pro soluto, censura cessat ratione materiæ ablatæ, supra quam cadebat censura; ergo etiamsi suspendatur obligatio debiti per termini prorogationem, suspendetur ipsa censura.

35 Decimò non incidit in casum, qui absente legatario, cui est soluendum, ante transactum biennium deposuit apud aliquem quidquid erat legatario persoluendum; depositio enim hæc est quædam solutio. Sic ex sententia Auilæ, Sanchez, Alterij, Henriquez, quos citat, & sequitur noster

Bonac. disp. 1. de censuris, quæst. 3. pun. 9. num. 7. Confessarius, cui potestas absoluendi à censuris fuit collata cum hac conditione, satisfacta tamen Parte, Pœnitentem eum excommunicatum absoluere potest, qui Confessario ipsi, aut alteri viro probo pecuniam tradiderit, vt commodiùs satisfiat Parti læsæ, ex eo quòd traditio hæc sit satisfactio. Idemquè dicendum est de eo, per quem non stat quominus fiat solutio; vt si legatarius nolit acceptare solutionem. Pariter si ex obliuione inculpabili longiùs biennio distulerit solutionem. Et ratio horum est, quia nulla adest culpa.

36 Demum verò ab hac reseruatione excusat paupertas extrema. Et ratio est, quia in extrema necessitate adest impotentia. Tum quia in extrema necessitate omnia sunt communia, saltem quoad vsum, ita vt licitè quiuis possit occupare, sibiquè vendicare rem adeò necessariam, & eius vsu suam indigentiam subleuare. Ita communiter Doctores, vt patet ex ijs, quæ aliàs docuimus, cùm de causis excusantibus à restitutione.

37 Potior difficultas est de graui necessitate. Respondeo eam etiam excusare à solutione legati, quoties legatarius non sit in pari necessitate. Per grauem autem necessitatem non intelligo quouis modo grauem, sed valde grauem, licèt non extremam. Probatur, quia in hoc casu licitum est clàculum surripere ab opulentis, si aliter graue malum imminens, morbi videlicet, famis, aut nuditatis non possit auerti, vt docent Angelus v. furtum §. 37. Syluest. v. eodem q. 5. Nauar. cap. 17. num. 5. Ioannes Medina C. de eleemosyna q. 7. Petrus Nauar. lib. 3. cap. 1. num. 375. Rursus grauem etiam necessitatem excusare à restitutione facienda docet communis Doctorum sententia; Ergo eadem excusabit à solutione legati.

Dixi, nisi legatarius sit in pari necessitate; tunc enim huius necessitas necessitati hæredis esset præponenda: cùm in pari necessitate (præter extremam) potior sit conditio creditoris, iuxta communiorem Doctorum sententiam. Licèt contrarium probabile, & fortè verius esse existimet. Less. lib. 2. cap. 16. dubit. 1 num. 19. quo loco ait, quòd si debitor sit in graui necessitate ratione morbi, famis, vel nuditatis, non tenetur restituere, etiamsi creditor in parem necessitatem incidat; dummodo debitor illum in eam non coniecerit: idq; siue ex furto debitum sit ortum, siue ex contractu.

38 Ex quibus aduertere possunt Confessarij, si legatum sit de Missis celebrandis pro Animabus Purgatorij, earum necessitatem vt pote grauissimam, ac extremam præponderare necessitati hæredis: proindequè reijciendos esse Pœnitentes eos, qui dilationem solutionis horum legatorum reijciunt in grauem necessitatem victus, aut etiam status, qua ipsi præmantur; Animarum enim Purgatorij indigentior, & longè miserior status est, quæ igne illo cruciantur, de quo loquens D. August. serm. 41. de Sanctis, sic ait, ille Purgatorius ignis durior est, quam quicquid potest in hoc seculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri. Et Beda in Psal. 27. Pœna Purgatorij grauior est, quam quicquid vnquã passi sunt latrones, vel Sancti Martyres, vel quicquid grauius homo possit excogitare.

39 Tùm verò aduertam, quòd licèt grauis hæc necessitas aliquando excusare possit hæredem a totali solutione legati, non tamen excusat à partiali,

tiali, si illam facere potest, iuxta ea, quæ de debitore in vniuersum tradunt Doctores, quem licèt excusent à totali solutione propter impotentiam, à partiali non excusant, quando eam facere potest. Intellige, si legatum sit diuisibile.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm per ipsam solutionem legati pij tollatur reseruatio.

40 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*

41 *Refertur sententia affirmans per actualem solutionem tolli reseruationem.*

42 *Affertur fundamentum sententiæ negantis.*

43 *Author tamen affirmantem putat esse satis probabilem.*

40 Casus in hac difficultate controuersus hic esse potest. Caius vltra biennium distulit solutionem legati: accedit pro absolutione ad simplicem Confessarium carentē facultate à reseruatis absoluendi, eiq; Confessarius ipse detegit casus reseruationē. Quæritur vtrùm si Caius legato satisfaciat, per talem satisfactionem illico tollatur reseruatio, itaut possit à quocunquè simplici Confessario absolui.

41 Difficultatem hanc instituit Lupus de cas. reser. par. 2 casu 3. §. 1. nu. 16. cuius solutionem licèt dicat se ab alio optare malle, quàm eam alteri tradere, numero tamen n 21. apertè docet posse absolui, sic enim habet, [concluditur itaque, quòd Pœnitens, qui vltra biennium distulit satisfactionem, si illam præstet priùs, poterit absolui per simplicem Confessarium.] Ac licèt varias ipse conetur afferre pro hac sententia rationes, nulla tamen meo iudicio melior hac poterat afferri, quòd reseruatio, quam ipse explicat, in hęc verba est lata, [Qui pauperie non impediti solutionem, ex legato pio debitam longiùs biennio distulerint, id verò tamdiu tantùm, quandiù in mora fuerint solutionis] cùm autem solutione facta hæres non sit amplius in mora, inde est vt nulla intelligatur reseruatio, & consequenter à quocunq; Confessario valeat absolui. Addo, attenta hac vltima particula reseruationis, [id verò tandiù tantùm, quandiù in mora fuerint solutionis,] Confessarium Bergomensem (eius enim Diœcesis hic casus est) absoluere posse Pœnitentem, qui postquàm longiùs biennio distulerit solutionem legati pij, inciderit in eam egestatem, vt non sit soluendo. Et ratio est, quia tali egestate pressus non dicitur amplius in mora ad soluendum; ea autem reseruatio eos solos comprehendere videtur, qui pro tempore Confessionis sunt in mora ad soluendum. Adde id ipsum inferri ex ijs verbis, qui pauperie non impediti.

42 At verò in nostra Diœcesi reseruatio hæc absolutè est lata in hæc verba, qui legati pij solutionem diutiùs biennio distulerint: vnde si in eam inciderit Pęnitens, non videtur absolui posse a quocunquè Confessario, etiamsi postmodum soluat; vtpote quæ nullibi colligatur esse restricta ad solutionem, seu ad damnum legatarij. Tum quia, si hæres postquam longiùs biennio distulisset hanc legati pij solutionem, incideret in talem egestatem, & fieret impotens ad soluendum, impotentia ad soluendum non efficeret vt posset à simplici Confessario absolui; Ergo neque hoc præstabit solutio; in hoc enim pares videntur solutio, & impotentia, cùm vtraquè efficiat vt Pœ-

nitens non sit amplius in culpa. Vnde est vt in disput. 1. de casibus reser. in communi, quæst. 4. difficult. 10. disputantes de Confessario habente facultatem absoluendi cum limitatione satisfactionis Partis, concesserimus eum, non obstante tali limitatione, posse absoluere Pœnitentem, qui moraliter sit impotens ad satisfaciendum Parti læsæ.

43 His tamen non obstantibus respondeo satis probabile esse, quòd facta solutione Pœnitens possit absolui; reseruatio enim hæc videtur tantùm inducta ad solicitandam solutionem legatorum piorum, itaut facta solutione cesset omnis reseruatio. Vide quæ diximus in cap. 9. num. 35. Et in cap. 13. num. 56. versic. Ad confirmationem pro contraria sententia: quo loco non improbabilem existimauimus esse sententiam afferentem, per actualem restitutionem rerum incertarum tolli reseruationem.

DIFFICVLTAS II.

Afferuntur quædam notabilia de legatis ex diuersis Authoribus decerpta.

44 *Legatum relictum certæ fœminæ sub cōditione honestè viuendi non amittitur per vnicam fornicationem.*

45 *Legatum relictum genericè intelligendum est de minori summa, nisi aliud ex circumstantijs colligatur.*

46 *Legatum relictum sub conditione trāseundi ad secundas nuptias non amittitur per matrimonium, quod sit irritum.*

47 *Neque per matrimonium validum quidem, sed non consummatum.*

48 *Multò minus per fornicationem.*

49 *Quid de legato relicto vxori à Marito quamdiu cum filijs habitet, vtrùm amittatur per secundas nuptias.*

50 *Quid si tale esset, si vxor steterit in domo Mariti.*

51 *Legatum relictum pauperibus in communi soluendum est pauperibus eius loci, in quo testator habet domiciliū.*

52 *Quid si testator reliquerit hæredi facultatem eligendi.*

53 *Vtrùm legatum relictum pauperibus distribuendum sit pauperioribus.*

54 *Executor datus ad distribuendum pauperibus non potest se ipsum eligere: neque proprijs filijs egestate laborantibus aliquid distribuere.*

55 *Legatum relictum pro dotandis puellis potest dari puellæ iam nuptæ sine dote, vel cum modica dote.*

56 *Quid si legatum sit relictum certo pauperi, aut loco, & pauper sit defunctus, aut locus destructus.*

57 *Cui debeatur legatum relictum alicui Ecclesię nō expresso nomine Ecclesię.*

58 *Cui debeatur legatum relictum certo Sancto alicuius loci, in quo loco non reperiatur Altare talis Sancti.*

59 *An legatum relictum Ceiæ si non nubat possit illi solui si nubat.*

60 *Quid dicendum de hoc legato, relinquo Ceiæ ducenta si non nubat, & centum si nubat.*

61 *An teneat hoc legatum, relinquo Ceiæ centum si nupserit Titio.*

62 *An posset Ceia tale legatum acquirere nolente Titio nubere, aut eo defuncto.*

63 *Quid si Titius esset aleator, ebriosus, vtrum pro acquisitione legati teneretur Ceia illi nubere.*

64 *Quid si Titius legatarius cum conditione ducendi Ceiam velit illam ducere sed Ceia nolit, & postmodum consentiat, Titius verò renuat: vtrū acquireret legatum.*

65 *Legatum relictum certæ personæ, si nubat,*

nubat, eidem debetur etiamsi Religione ingrediatur.

66 *Quid si legatum esset ita relictum, relinquo Mariæ ducenta si nubat, & centum si Religionem ingrediatur: vtrùm eidem ingredienti Religionem deberentur ducenta. Affirmant aliqui.*

67 *Author negat.*

68 *Legatum relictum pro puellis maritandis an possit distribui ingredientibus Religionem.*

69 *Legatum certæ personæ relictum si religionem ingrediatur, an acquiratur per solum ingressum non secuta professione.*

70 *Quid dicendum si legatum sit de re cum suis accessorijs, quæ tamen res ea non habeat.*

71 *Quinam possint commutare legata pia.*

72 *An aliquando hæres ipse possit legatum pium commutare.*

CAsus hosce ad materiam legatorum pertinentes colligendos duxi, vt pote valdè vtiles. Assero igitur

44 Primò, legatum relictum alicui fœminæ sub conditione castè, & honestè viuendi non amitti per vnicam fornicationem. Vide Sanch. lib. 7. de matrim. disput. 91. num. 31. qui rationibus varijs sententiam hanc confirmat, licèt eam ipse absolutè non approbet. Ratio autem potissima hæc est, quia simplex fornicatio non est sufficiens ad denominandam fœminam impudicam: ac sicuti vnicus actus non denominat quempiam bonum, malum, prodigum, auarum; ita neq; vnica fornicatio efficit vt fœmina dicatur inhonestè viuere. Vnde est, vt in prouerbium abierit, quòd vna hirundo non facit vèr. Quæ sententia confirmat ea, quæ in cap. 17. quæst. 2. docuimus, vbi diximus, prostitutionem importare habitum, atq; ad denominationem hanc non sufficere vnicum, aut alterum actum, sed requiri frequentiam.

45 Secundò, quando legatum efficitur genericè, debet intelligi de minori re, & summa, nisi aliud ex circumstantijs colligatur. Et ratio est, quia in dubio præsumere debemus testatorem voluisse quam minimum possibile est grauare hæredem. Ita l. vnum ex familia, §. si rem, ff de legatis. Tum quia hoc idem dicitur in materia voti, videlicet, si Titius vouerit se daturum equum, vel mensuram tritici tali Ecclesiæ, non explicando cuius valoris, bonitatis, & mensurę, eum satisfacere voto si tradat equum minimi valoris, bonitatis, & mensuræ, vt bene Sanchez in sum. lib. 4. cap. 13. nu. 8. Tùm quia in dubio semper melior est conditio possidentis, siue legatum sit pium, siue non; sed quando legatum fuit relictum de re in indiuiduo incerta hæres ipse est dominus ac possessor omnium bonorum testatoris defuncti, ac etiam illius legati quod tenetur soluere; ergo melior esse debet conditio hæredis, qui iam possidet, quàm loci pij, qui non possidet. Ita Molina disp. 198. vers. Vtrùm verò, Menoch de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 206. Bonacina disp. 3. de contractibus, quæst. vlt. pun. vltimo. nu. 7. & alij contra Couar. cap. iudicante de testamentis nu. 5. Antoninum Dianam 3. part. tract. 6. in Miscellan. resol. 29.

Dixi, nisi aliud ex circumstantijs colligatur. Vnde si testator legasset calicem alicui Ecclesiæ, non satisfaceret hæres tradendo æreum, aut ligneū, quia intelligitur relictus calix diuino cultui aptus, qualis est solus argenteus, vel aureus. Vnde hic valet regula, inspicimus, de reg. iur. in 6. quod in ob-

scuris inspicitur quod verisimilius est.

Obijcies 1. l. Titia testamento 40. §. Seia, de auro, argento legato, vbi cùm esset dissensio, an soluenda esset aurea, argentea, vel ærea imago, definitum fuisse videtur, in legato sic incerto latissimam interpretationem esse faciendam, quando est ad causam piam, cùm Iurisconsultus definiuerit, vt argentea traderetur; Ergo &c.

Respondeo Iurisconsultum ita definiuisse eo loco, quia ex circumstantijs ipsis ita collegerat: nam in eo templo, in quo erat ponenda imago æreæ imagines non erant; Ergo credendum est voluntatem testatoris non fuisse vt ærea collocaretur, sed eius generis, quę in eo templo reperiebantur; cùm ergo aureæ tantùm, vel argenteæ reperirentur, aptissimè definiuit Iurisconsultus, vt argentea traderetur, quę est minima ex illis materijs, de quibus poterat dubitari.

Obijcies 2. testamenta latissimè sunt explicanda, vt patet ex reg. in testamentis ff. de reg. iur. Ergo etiam legata.

Resp. testamenta latiùs explicari, quia in ijs agi videtur de fauore publico, ad quem spectat testamenta valere; non sic autem in legatis propter rationes, quas attulimus.

46 Tertiò, legatum relictum sub conditione non transeundi ad secundas nuptias non amittitur per matrimonium, quod sit irritum. Et ratio est, quia non violatur conditio, quoties matrimonium sit nullum: Nec præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, reg. non præstat de reg. iur. in 6. & quod vitiose factum est, videtur quasi non factum, l. quoties, ff. qui satis dare cogantur, l. 4. §. condemnatum, ff. de re iudicata.

47 Addo tale legatum non amitti per matrimonium, quod sit validum, sed non consummatum, vt sentit Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 91. num. 45. eo quòd voluntas testatoris legantis sit de nuptijs perfectis, & consummatis.

48 Multò minus autem amittitur hoc legatum per fornicationem. Et ratio est, quia conditio apposita pro consecutione legati est; vt non fiat transitus ad secundas nuptias, non verò, vt non fornicetur.

49 Quartò, legatum vxori à marito relictum, quamdiu cum filijs mariti legantis habitet, non amittitur, si vxor superstes ad secundas nuptias trāseat, dummodo cum prædictis filijs habitet. Et ratio est, quia per illum transitum non violatur conditio apposita. Quòd si filij nolint cum Matre cohabitare, id totum eorum culpæ erit imputandum. Ita Doctores plures apud Sanchez cit num 47. licèt contrarium ipse putet esse probabilius. Atquè hoc verius est si filijs vita functis Mater transeat ad secundas nuptias.

50 Si tamen legatum tale esset, si steterit in domo mariti; tunc vxor per secundas nuptias amitteret tale legatum, quia legatum illud intelligitur de vita viduali, cùm post secundas nuptias non dicatur perseuerare in domo prioris mariti, vt bene Sanchez citat. num. 51.

51 Quintò, legatum relictum pauperibus in communi, soluendum est pauperibus illius loci, in quo testator habet domicilium, nisi fortè testator reliquerit hæredi facultatem eligendi pauperes. Et ratio est, quia testator pręsumitur habuisse maiorem affectionem ad talem locum, lege, si quis ad declinandum, §. vbi autem. Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 8. tit. 5. nu. 2.

52 Dixi, nisi fortè testator reliquerit

querit hæredi facultatem eligendi pauperes; tunc enim posset eligere quem vellet, & haberet locum gratificandi.

53 Addit Baldus cum Mantica, legatum relictum pauperibus, videri relictum pauperioribus, & consequenter ijs esse distribuendum, lege, si quis ad declinandum cit. Sicut etiam legatum relictum Ecclesiæ censetur relictum pauperiori, si plures sint in eadē Ciuitate, Auth. de Ecclesijs, §. si quis. Ita Naldus v. testamentum num. 10. Praxis Neapolitana cap. 57. num. 15. Intellige, nisi aliter ex coniecturis colligatur: vel nisi hæredi ipsi fuerit à testatore relicta facultas eligendi.

54 Aduertam tamen duo. Primum est, executorem datum ad distribuendum pauperibus non posse seipsum eligere, vel in proprios vsus conuertere, vt colligitur ex cap. Tua nos, de testamentis; quoties tamen valde graui necessitate præmeretur, tunc posset aliquid moderatum sibi retinere, quia hoc non esset contra rationabilem testatoris voluntatem.

Alterum est, executorem datum ad aliquid pauperibus distribuendum, non posse ex eo quidquam proprijs filijs paupertate laborantibus distribuere, nisi fortè in graui necessitate essent constituti. Ita Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 8 tit. 5. num. 9 & deinceps.

55 Sextò, legatum relictum pro dotandis puellis dari potest puellę iam nuptæ sine dote, vel cum modica dote; secus verò, si legatum esset pro Virginibus maritandis. Ita Nouarius in qq. forens. q. 125. & alij pœnes ipsum, qui etiam num. 6. notat, quòd legatum factum pro maritagio puellarum potest dari puellæ, quæ habet aliquam dotem, sed non iuxta suam conditionem, & statum.

56 Septimò, si testator reliquerit certo pauperi, aut certo, & designato loco aliquod legatum: paupere defuncto, aut loco destructo, legatum adhuc debetur alteri pauperi, aut alteri loco; quoties tale legatum reliquerit tanquam opus pium, & in bonum Animæ suæ. Et ratio est, quia adhuc subsistit causa finalis; subsistente autem causa finali subsistit dispositio: quod verum est, licèt testator pauperem illum elegisset tanquam sibi notum, vel alia de causa. Secus verò esset, si legatum fuisset relictum solùm in bonum ipsius pauperis; tunc enim non deberetur alteri, quia legatario defuncto cessat legatum. Bart. l. Pater, §. Tusculanus nu. 2. ff. de legat. 3. Abbas, cap. nos quidem, nu. 14. de testamen. Ananias ibi nu. 15. Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 3. tit. 5. Medina, C. de restit. quæst. 24. vers. inde etiam est. Molina to. 1. de iust. disp. 249 col. penultima. Idemq; plane docent Doctores in materia voti emissi de eroganda eleemosina certo pauperi, qui priùs moriatur, quàm eleemosina erogetur, vt docet, Sanchez in sum lib. 4. cap. 11. num. 35.

Dices primò, quid si dubium esset, an testator reliquisset tale legatum tanquam opus pium, an vero tantùm in bonum ipsius pauperis. Respondeo in dubio huius intentionis præsumendum esse tanquam opus pium, & sic illud deberi. Ita Medina, Sanchez cit. Ex circumstantijs tamen concurrentibus fortè aliter colligere possemus, vt si pauper designatus esset consanguineus.

Dices secundò, quid si pauper ille designatus fuisset mortuus hęrede existente in mora ad legatum implendum. Respondeo tale legatum non alteri deberi, quàm hæredibus illius pauperis. Et ratio est, quia pauper ille acqui-

acquisierat ius ad illud legatum, cui iuri succedunt illius hæredes.

57 Vnde patet primò, quid sit dicẽdum de legato relicto Ecclesiæ non expresso nomine Ecclesiæ; illud enim debetur Ecclesiæ Parochiali illius loci, in quo testator habitabat; vt diximus superiùs de legato relicto pauperibus, nõ expressis personis Quòd si locus ille duas haberet Parœcias, deberetur Ecclesiæ illi, à qua Sacramenta recepisset.

58 Secundò, quid sit dicendum de legato, quod reliquerit testator alicui Sancto alicuius loci, sed in tali loco non reperiatur Oratorium, aut Altare talis Sancti: adhuc enim cùm sit legatum pium est soluendum; proindequè soluendum erit Ecclesię Parochiali, in qua testator habitabat. Ita Vasq. cap. 8. de testam. §. 5. dub. 1. num. 98. Naldus, v. legatum, num. 9.

59 Octauò, legatum relictum Ceię, si non nubat, si maritum non duxerit, adhuc est soluendum, quoties conditio hæc arceat Ceiam à primis nuptijs: secus verò, si illam arceat tantùm à secundis. Et ratio est, quia conditio hæc, si non nupserit, si maritum nõ duxerit, in primis nuptijs habetur pro nõ adiecta: vnde si Ceia nunquam alteri nupsisset, & nunc vellet nubere, adhuc cõsequeretur tale legatum, quia conditio hæc reijcitur a iure, quando generalem viduitatem inducit: & hoc in fauorem primi matrimonij. Quòd si Ceia esset vidua, iterum nubendo amitteret legatum, proindequè teneretur restituere quidquid accepisset, & fructus omnes inde perceptos. Atq; hoc idem est intelligendum in masculis, quibus aliquid sit relictum cum hac conditione, vt nunquam matrimonium contrahant. Ita expresè in Auth. cui relictũ. C. de indicta viduitate tollenda. Et in Auth. de nuptijs, §. quæ verò. Ita demum Molina, disp. 207.

60 Vnde inferas primò, quid dicendum de hoc legato, Relinquo Ceię ducenta, si non nubat, & centum, si nubat. Vel enim Ceia aliquando fuit cõiugata, vel nunquam. Si semel fuit cõiugata, & nunc sit vidua, nubendo, & ad secundas nuptias transeundo potest tantùm accipere centum. Ita cautum expresè est, Auth. Cui relictum cit. Et ratio est, quia dispositio non subsistit non subsistente conditione, sub qua fuit facta. Si verò Ceia nunquam fuit coniugata; tunc etiamsi nubat, & ad primas nuptias transeat, adhuc tamen ducenta illi debentur, quia in primis nuptijs conditio hæc, aliæquè similes, quæ generalem viduitatem inducunt, habentur pro non adiectis.

61 Secundò, validam esse conditionem hanc ita appositam: relinquo Ceiæ centùm, si Titio nupserit: & è contra, relinquo Titio centum, si Ceiæ nupserit. Pariter validam esse conditionem hanc: relinquo Ceiæ centum, si nulli alij, quam Titio nupserit: proindequè si Ceia non nupserit Titio; aut si alteri, quàm Titio nupserit non habere ius ad illa centum; conditio enim ita apposita valet, cùm neq, proles, neq; Matrimonium impediatur: licitumq; præterea sit spe præmij aliquem ad contrahendum matrimoniũ cum certa persona inuitare. Ita l. Titio centum, §. Titio centum, ff. de cond. & demonst.

62 Dices primò, quid si Titius, cum quo videtur adstringi Ceia ad contrahendum matrimonium, moreretur, vel certè nollet tale matrimonium inire: posset ne Ceia retinere illa centum sibi relicta?

Respondeo, si per Ceiam non stet quo minus tale matrimonium contrahatur, posse illa centum sibi retinere.

Quare

Quare si quispiam dicat, instituo te hęredem: vel tibi centum lego, si Mariã in matrimonium duxeris, & per illam steterit, quominus matrimonium sit secutum: volente te illam ducere, aut illa moriente, cùm tu non tardaueris petere illam in vxorem, illico hæreditas, vel legatum tibi debetur. Secus verò, si tu moriaris antequam adueniat tempus ducendi Mariam in vxorem, quia cùm moriaris ante impletam cõditionem, amittis hæreditatem, aut legatum sub tali conditione relictum.

Idem dicendum, si tibi relicta sint ducenta, si Sempronium seruum redimas, vel de alijs casibus similibus. Si enim tu sis paratus pro illo redimendo, & ille nolit, vel moriatur antequã tu sis in mora, vel fugam arripiat, potes ducenta retinere, quia non per te, sed per Sempronium, aut alium stetit quominus illum redimeres. Ita Molina disp. 207. versic. si hæreditas. Et disp. 206. versic. quando legatum, vbi hanc regulam generalem ponit. Quando legatum, aut hæreditas relicta est sub conditione, quæ in alterius commodũ tendat, si per eum non steterit, in cuius commodum tendit conditio habetur pro impleta; & sic obtinetur hæreditas, aut legatum.

63 Dices secundò, quid si Nuptiæ, ad quas alter obligaretur ex conditione, non essent licitæ, aut honestæ: verbi gratia, Titius testator reliquit Ceiæ centum, si soli Sempronio nubat, quem postea reperit esse aleatorem, ebriosum, & alijs vitijs deditum: vtrùm consequatur legatũ, etiamsi illi non nubat.

Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia talis conditio est inualida, cùm perinde sit, ac si nuptiæ fuissent illi omnino prohibitæ. Ita Molina disp. 207. cit. versic. Si hæreditas, aut legatum relicta sint &c.

64 Dices tertiò, quid si Titius legatarius cum conditione ducendi Ceiam, velit illam ducere, Ceia autem nolit, & postmodum pœnitentia ducta consentiat, Titius autem renuat, acquiret ne legatum? Respondeo affirmatiuè, quoties dictus Titius aliam duxerit, aut legati dominium acquisierit (dominium autem acquisiuisset si legatum non esset quantitatis, sed speciei; hoc enim habet legatum quantitatis, vt non transeat statim in dominium legatarij, vt si legentur decem modij tritici, cùm possit dari quæcunq; quantitas: legatum verò speciei illico transit in dominium legatarij, vt si legetur talis fundus.) Quòd si neq; alteri nupserit, neq; legati dominus sit factus, ad illud obtinendum tenetur Ceiam consentientem ducere, cùm adhuc possit conditionem implere. Ita Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 18. à num. 38. Menoch. de præsumpt. lib. 4. pręsumpt. 184. à n. 2. quos refert Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 33. num. 18.

65 Nonò, legatum relictum Mariæ, aut alteri personæ determinatæ, si nubat, eidem debetur, etiamsi Religionem ingrediatur. Et ratio est, quia non præsumitur testator voluisse Religionem excludere: Sed potius pręsumitur fore, vt idem esset dispositurus si Religionis meminisset, cùm Religio sit status perfectior quàm matrimonium. Ita Molina disp. 207. & habetur apertè Nouella 123. de Sanct. Ep. cap. 37. & Auth. Nisi rogati, C. ad S. C. Trebell. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 33. num. 29. Less. lib. 2. cap. 18. dubit. 15. num. 123. versic. Conditio.

Vnde inferas ingredientem in Religionem non consequi tale legatum, quando cesset dicta præsumptio, & quando ex circumstantijs colligi possit, testatorem intellexisse tantùm de

nuptijs

nuptijs carnalibus. Cessaret autem hęc præsumptio, si testator reliquisset centum Mariæ cum conditione nubendi certæ personæ; tunc enim conditio hæc non posset ex præsumptione intelligi de nuptijs spiritualibus, sed de solis temporalibus.

66 Dices, quid si legatum fuisset relictum in hæc verba, relinquo Mariæ ducenta si nupserit, & centum si Religionem ingrediatur, vtrùm ingrediendo possit acquirere ducenta.

Respondēt aliqui affirmatiuè eo quòd putent conditionem eam, si nupserit, quatenus retrahere potest à Religione haberi pro non adiecta. Ita Syluest. Tabiena, Armilla, Rebellus, & alij recentiores cum Bonac. disput. 3. de contract. q. 1. punct. 4. proposit. 4. versic. Idem iudicium fertur in fauorem Religionis, referente Auth. Sanctiss. de Episc. Et hæc sententia est probabilis.

Respondeo tamen, in dato casu Mariam ingredientem in Religionem posse acquirere tantùm centum. Et ratio est, quia standum est menti testatoris, quando expresse de illa constet; Ergo si mens testatoris sit vt consequatur tantùm centum, illos tantùm consequetur. Ita Molina disp. 207. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 34. num. 13. Et alij apud ipsos.

Dices, conditionem eam esse reijciendam; æquiualet enim huic, relinquo Mariæ ducenta, si non ingrediatur Religionem, quæ videtur non valere, vt pote auertens à Religione; si enim conditio auertens à primis nuptijs temporalibus non valet, habeturq; pro non scripta: multò magis id videtur dicendum de conditione auertente à nuptijs spiritualibus, qualis est hæc, si non ingrediatur Religionem.

Respondeo, quantumuis conditio hæc aduersetur Religioni, adhuc tamen valere, vt pote quæ à iure non reijciatur, sicuti reijcitur ea conditio, quæ arcet à primis nuptijs: licèt autem status Religionis perfectior sit, quam matrimonij; non tamen ab vno valet illatio alterius; quia Ius fortè voluit fauere matrimonio, quia hoc respicit bonum commune Reipub. quod in liberis procreandis versatur; Religioni verò fauere noluit, cùm ingressus in Religionem respiciat tantùm bonum priuatum ingredientis. Tum quia non est verisimile amissionem legati posse aliquem auocare à Religione, cùm ingrediens per tria vota bonis omnibus temporalibus renunciet. Tum quia conditio hæc licèt potest apponi, non vt legatarius arceatur à Religione, quod esset sacrilegum, sed quia maior dos sit necessaria nubenti: vel quia testator vult maiorem bonorum partem posteris, & familiæ relinquere: Vnde est, vt ad familiæ conseruationem, in primogenituris conditio hæc admittatur, vt, videlicet, illis non succedant sacro Ordine initiati, aut Monachi. Vide Sanchez cit. num. 11.

Ad fundamentum Aduersariorum desumptum ex Auth. cit. de Sanctiss. Episc. §. Sed, & hoc præsenti, colla. 9. respondetur, illam inniti præsumptioni testatoris: quomodo si legatum aliquod sit relictum certæ personæ, si nupserit, conceditur eidem personæ, si Religionem ingrediatur; hæc autem præsumptio cessat quando expresse constat de mente testatoris.

68 Decimò, legatum relictum pro puellis in matrimonium collocandis non potest distribui puellis Monasterium, seu Religionem ingredientibus, sed ijs solis, qui Matrimonium temporale contraxerint. Et ratio est, quia mens testatoris est implenda, nisi aliud à iure ipso concedatur. Sed mens testa-

statoris est, vt legatum indefinitè tradatur pro puellis maritandis; Ergo nõ poterit tradi ingredienti Religionem. Ita Mant. de coniect. vltim. volunt. lib.8. tit.5. num. 22. Et alij plures apud Sanchez lib.1. de matrim. disp. 33. nu. 32. licèt alij contrarium sentiant.

Dices, legatum relictum personæ certæ, puta Mariæ, si nubat, illi debetur si Religionem ingrediatur; Ergo etiam legatum relictum personis incertis, & indefinitè, puta pro puellis maritandis, poterit distribui ingredientibus Religionem.

Respondeo negando consequentiam: disparitas in eo est, quia quando legatum fuit relictum personæ certæ, Mariæ, videlicet, si nubat, & ea Religionem ingreditur, legatum non potest in sua vera, & specifica forma impleri, si alteri puellæ nubenti tradatur, quia testator nominauit hanc, & non aliam, & habuit peculiarem affectionem ad subueniendum huic, & non alij. Vnde non est mirum, si ius præsumat testatorem adhuc voluisse illi legare, dato quòd religionem ingrederetur, quãdo de expressa testatoris voluntate non constat. At verò quando legatum fuit relictum indefinitè pro puellis matrimonio iungendis, legatum semper potest in sua vera forma impleri: vnde est, vt non possit tradi puellæ Religionem ingredienti, maximè cùm erga nullam in particulari specialem affectionem ostenderit.

Ad Auth. quam adducunt aduersarij, respondetur, eam loqui de legatõ relicto certæ, & determinatę personę.

Hoc tamen concedendum cũ Mantica, & Sanch. cit. si legatum esset relictum ad matrimonio iungendas neptes testatoris, dandum illud esse nepti ingredienti Religionem; præsumpta enim ipsius testatoris affectio erga cõsanguineos pleniorem hanc faceret interprætationem.

69 Vndecimò, legatum relictum Titio, si Religionem ingrediatur, adhuc debetur, etiamsi ante professionẽ exeat, dummodo bona fide sit ingressus. Et ratio est, quia sufficienter fuit impleta conditio, non enim testator meminit professionis. Tum quia hoc idem docuimus in materia voti, cum videlicet, qui vouerit ingressum Religionis satisfacere voto, etiamsi tempore Nouitiatus exeat. Ita Doctores plures apud Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 34. num. 17.

Dixi, dummodo bona fide sit ingressus: tali enim ingressu nec satisfit voto ingrediendi, vt docet D.Th.2.2.quæst. vltim. art. 4. ad 3. Tum quia testator non intendit actum vanum, qualis est iste: Sed intendit ingressum secundùm formam iuris, quæ est, vt quis ingrediatur animo experiendi.

70 Duodecimò, si legatum aliquod sit de re cum suis accessorijs, quæ tamen res ea non habeat: vt si fuisset relictus equus cum suis ornamentis, quæ tamen equus ille non haberet: videndum esset, vtrùm ea accessoria, seù ornamenta fuissent apposita limitatiuè, an verò demonstratiuè tantùm. Si primo modo, legatum non deberetur; Secus verò si secundò modo. Ita Vasquez, Gomez, Cechius in summa, Sanchez, quos citat, & sequitur Bonacina disp.3. de contractibus, q. vlt. pun. vlt. num. 15.

Ad dignoscendum autem, quandonam demonstratio sit apposita demõstratiuè tantùm; quando verò limitatiuè, regulam hanc tradunt Doctores citati: vt videlicet attendatur forma, sub qua fuit conceptum legatum. Si enim legatum concipiatur vna tantùm oratione: vt si testator dicat, lego

Titio

Titio centum ex fructibus talis agri, demonstratio loci videtur limitatiuè apposita: vnde si ex tali agro non percipiantur centum, non tenetur hæres compensare: idemquè esset si legasset Ecclesiæ Parochiali centum nummos soluendos ex pensione suæ domus: ea enim effecta deteriore, si non perciperetur summa relicta, non teneretur hæres aliunde supplere. Quòd si legatum non vnica, sed duplici oratione concipiatur, tunc demonstratio sæpè videtur apposita demonstratiuè tantùm: vt si testator dicat, lego Titio centum, quæ volo solui ex fructibus talis agri: aut lego Ecclesiæ decem, quæ volo solui ex pensione talis domus; tunc etiamsi totidem ex tali fundo, aut domo non perciperentur, adhuc essent soluenda. Atq; hoc idem docent Doctores in materia voti.

Hęc tamen regula fallit aliquando, vt patet ex his exemplis. Si enim testator tale legatum instituat, relinquo tibi equos eos, qui habent talia ornamenta, vel qui tali nota sunt affecti, licèt duplici oratione sit conceptum, tamen demonstratio est apposita limitatiuè: vnde si non extent equi tali nota affecti, vel habentes talia ornamenta, hæres ad nihil tenetur. E contra, si testator tale legatum instituat, relinquo tibi meum equum cum suis ornamentis, licèt vna tantùm oratione sit conceptum; adhuc tamen demonstratio non censetur apposita limitatiuè, sed potius augmentatiuè, & sic debetur equus, licèt non habeat ornamenta.

Pleraquè omitto ad materiam legatorum pertinentia, ne fusior sim. Tum quia ea facilè videri possunt apud Doctores cit.

71 Vnum hoc loco addam circa commutationem legatorum piorum, non solùm Summum Pontificem posse testamentum, aut legatum ad vsum pium institutum conuertere in alium vsum pium; sed Episcopum ipsum id posse, ob causam, quæ sibi iusta videatur, consentiente hærede, si ob id grauatur, & loco pio, cui res fuerat relicta. Et ratio est, quia nulli fit iniuria: non hæredi, aut loco pio, supposito illorum consensu: neque testatori, quia hoc est conforme ipsius voluntati; licèt enim mens testatoris sit omnino implenda, C. vltima voluntas, 13. q. 2. & ea pro lege sit habenda, Auth. de nuptijs, §. disponatur, id tamen non repugnat rationabili testatoris voluntati, qui si loqui posset, libentissimè annueret, atquè id ipsum Episcopo mandaret, qui cap. tua nos, de testamen. & in Concilio Trident. sess. 22. cap. 8. dicitur piarum dispositionum executor. Ita Couar. cap. tua, de testamen. nu 7. & 9. Molin. tom. 1. tract. 2 disp. 249. Syluest. v. legatum 4. num. 11 Angel. v. legatum 2. num. 12. & 13. Vasq de testam. cap. 8. §. 5. dub. 3. num. 104. Emman. Sà v. testam. num. 33. Naldus v. testam. nu. 12. noster Bonacina l. cit. n. 33 apud quem alij plures.

Ex quibus inferas, si testator legauerit certam pecuniam ad emendos Calices alicui Ecclesiæ, quibus non indigeat, cùm plures aliòs habeat, posse Episcopum commutare legatum hoc in aliquid aliud, quod eidem Ecclesiæ sit magis necessarium. Ita Bertachin. in tract. de Episcop. 4. par. lib. 4. num. 52. Rodriquez in sum. par. 2. cap. 72. nu. 8. Pari modo, si testator reliquerit certam pecuniæ summam pro Ecclesia, seu Capella fabricanda, si talis Ecclesia, seu Capella non possit construi ob aliquod notabile impedimentum, vel quia pecunia non sit sufficiens, legatum huiusmodi posse in alium vsum similiter

militer pium ab Episcopo commutari.

72 Addit Cardinalis Tuscus à Bonacina citatus, hæredem ipsum absq; consensu Episcopi, aut Superioris posse talem commutatione facere, quando legatum non est sufficiens pro opere, ad quod fuit à testatore institutum. Et Naldus v. testam. num. 12. cum Nauar. consil. 13. de testam. in fine, docet legatum pro certa necessitate Ecclesiæ relictum, posse à Superioribus Ecclesiæ quoad eius superfluum in aliam necessitatem conuerti, cùm hæc censeatur voluntas testatoris.

De Grauitate huius peccati.

Grauissimum hoc peccatum est: ac licèt præsens reseruatio eos tantum liget, qui diutiùs biennio solutionem legati pij differunt: tamen quantum ad culpam mortalem, illius Rei sunt, etiamsi non differant solutionem vltra biennium, quoties illam notabiliter differant, puta, si differant ad sex menses: quod inde patet, quia hæres, seu executor testamenti potest cogi ad soluendum etiam per viam excommunicationis, Cap. si hęredes, & Cap. Tua nobis, & Cap. Ioannes, de testamen. si non soluat intra annum; Ergo signum est, quòd si ad annum differat legati pij solutionem, peccat mortaliter; cùm excommunicatio supponat peccatum mortale. Adde tali dilatione defraudari Ecclesias, loca pia, & consequenter sacrilegium grande committi: defraudari miseros Defunctos suis suffragijs, licèt enim quantum ad meritum eleemosinæ nullum damnum patiatur Defunctus ex ipsa dilatione, maximè, si quãtum in ipso fuit, diligentiam adhibuit, vt ipsæ eleemosinæ cito distribuerentur; quia meritum principaliter ex ipsa intentione, & voluntate dependet: quoad effectum tamen eleemosinæ patitur detrimentum, non quidem vt pro huiusmodi dilatione puniatur, sed quia remedium illi non adhibetur dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum iuuaretur. Hinc refert B. Turpinus in sua historia expeditionis Hispaniæ, cap. 7. de quodam milite, qui morti proximus cuidam suo cõsanguineo pręcepit, vt equum, quem infirmus habebat venderet, pretiumq; Clericis egenis erogaret. Quo mortuo equum 100. solidis vendidit, pretiumquè in cibis, potibus, & vestibus velociter expendit. Transactis triginta diebus apparuit ei miles defunctus dicens, quoniam res meas distribuendas pro Animæ meæ commendatione in eleemosinas tibi commendaui, scias omnia mea crimina Deum mihi dimisisse: Sed quia iniustè eleemosinam meam retinuisti, per triginta dies in tartareis pœnis moram me intelligas fecisse. Te autem in eodem loco infernali, vnde egressus sum, die crastina scias ponendum, & me in Paradiso sessurum: & sic sequenti die à Dæmonibus raptatus fuit, vt ibi latè per eum.

DISCE LECTOR.

Male sibi velle consultum, qui Animam suam Hæredibus committunt.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM

Qui in secundo, vel propinquiore cognationis gradu, etiam in cognationis spirituali incestum commiserint.

PRæsens casus ab eo, quem in Cap. 4. satis fusè explicuimus, differt per particulam illam, etiam in cognatione spirituali; ille enim comprehendit tantùm incestum committentes in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis; hic verò eos etiam, qui incestum, committunt in cognatione spirituali. Pro huius ergo particulæ intelligentia, duo sunt necessariò præmittenda. Primò quid sit cognatio spiritualis. Secundò verò inter quas personas ea contrahatur; sic enim facillimum erit inferre, quinam incidant in hanc reseruationem.

QVÆSTIO PRIMA.

De cognatione spirituali.

DIFFICVLTAS VNICA

Quid sit cognatio spiritualis, & inter quas personas ea contrahatur.

1 *Definitio cognationis spiritualis.*
2 *Ex alijs Sacramentis præter Baptismum, & Confirmationem non oritur cognatio spiritualis.*
3 *Impedimentum hoc est perpetuum nec extinguitur per mortem.*
4 *Inter quas personas contrahatur hæc cognatio post Concilium Trid.*
5 *Ante Concilium ad quas personas extendebatur.*
6 *Inter baptizantem, & suscipientem nulla oritur cognatio.*
7 *Pariter nulla oritur inter ipsos suscipientes.*

1 QVoad primum, cognatio spiritualis sic definitur, quòd sit propinquitas, seù attinentia quarundam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, aut Confirmationis, vel susceptionem recipientis hæc Sacramenta. Ita Doctores cummuniter.

Dicitur, propinquitas, seu attinentia. Ratio est, quia cognatio hæc est veluti quoddam vinculum inter se coniungens, & ligans certas personas. Dicitur, quarundam personarum. Ratio est, quia per Concilium Tridentinum determinatæ fuerunt personæ eæ; quæ cognationem hanc contrahant, vt mox videbimus.

Dicitur demum, ex statuto Ecclesiæ. Et ratio est, quia hæc propinquitas non ex iure naturali, aut Diuino consurgit, sed per Ecclesiam fuit inducta, proindeq; ex iure solo Ecclesiastico est orta. Id autem decreuit Ecclesia ex quadam congruentia, & similitudine sumpta ex generatione naturali; Sicut enim hæc cognationem parit naturalem, ita vt ij, inter quos cognatio hæc intercedit, inhabiles sint ad matrimonium; ita etiam Ecclesia voluit, vt ex generatione spirituali, quę fit in susceptione horum Sacramētorum cognatio spiritualis oriretur, atq; eadem inhabiles redderet personas eas ad contrahendum inter se, quæ hoc genere cognationis essent coniunctæ.

2 Ex quibus inferas primò, ex alijs Sacramentis, præter Baptismum, & Confirmationem, non oriri cognationem spiritualem. Ita expresse C. fin. in fine,

fine, de cognatione spirituali in 6. Ratio autem ea est, quam tradit D. Th. 4.dist.42. quodlib.1.art.2.ad 8. quia licèt reliqua Sacramenta conferant esse spirituale gratiæ, illud tamen non tribuunt per modum spiritualis regenerationis; sed per modum alimentationis, vt Eucharistia; aut sanationis, seu reconciliationis, vt Pœnitentia.

3 Secundò, impedimentum hoc cognationis spiritualis esse perpetuũ, nec extingui morte personæ, qua mediante fuit contractum, sicuti in reliquis impedimentis hoc contingit. Iura enim absolutè impedimentum hoc statuunt, nec adest textus vllus id limitans ad tempus. Tum quia peculiare id est in cognatione legali lineę transuersæ, vt præstet impedimentum temporale tantùm, quia Iura hoc statuentia expresse ita loquuntur, C. vnico, de cognatione legali, & C. per adoptionem, quod est ex Paschali Pontifice, 30. quæst. 3. & l. per adoptionem, 17. ff. de ritu nuptiar.

4 Quoad secundum, videlicet, inter quas personas contrahatur hęc cognatio spiritualis. Respondeo in Sacramento Baptismi eam primò contrahi inter baptizantem, & baptizatum. Secundò inter eundem baptizantem, & parentes carnales baptizati. Tertiò inter susceptorem, & susceptũ. Demum verò inter eundem susceptorem, & parentes carnales suscepti. Pari modo nobis loquendum est in Sacramento Confirmationis; ita vt cognatio hæc contrahatur inter confirmantem, & confirmatum: inter eundem confirmantem, & parentes carnales confirmati. Pariter inter susceptorem, & susceptum, idest confirmatum: & inter eundem susceptorem, & parentes carnales suscepti, seu confirmati. Quòd si breuiore compendio vti velimus, dicere possumus cognationẽ hanc in Sacramento Baptismi oriri inter baptizantem, baptizatum, Patrem, & matrem baptizati: inter susceptorem, susceptum, patrem, & matrem suscepti. Idemq; pari modo dicendum in Sacramento Confirmationis. Constat hoc ex Trident. sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim.

5 Olim quidem ante Concilium Trident. cognatio hæc contrahebatur etiam inter filios baptizantis, & baptizatum: itemq; inter filios confirmantis, & confirmatum, quæ cognatio dicebatur Confraternitas. Quare triplex ante Concilium erat cognatio Spiritualis, Paternitas, Compaternitas, Cõfraternitas; Verùm Concilium relicta Paternitate, & Compaternitate sustulit Confraternitatem: Paternitatem verò, & Compaternitatem, quæ ad plures alias personas extendebatur restrinxit ad enumeratas; ita vt hodie duplex tãtùm sit species huius cognationis spiritualis, Paternitas videlicet, quæ intercedit inter baptizantem, & baptizatum: inter Patrinos cum baptizato: inter confirmantem, & confirmatum: ac demum inter Patrinos cum confirmato. Compaternitas, quæ contrahitur inter baptizantem, & parentes carnales baptizati: & inter hos eosdem parentes cum Patrinis in baptismo. Pariter inter confirmantem, & parentes carnales confirmati: & inter hos eosdem parentes cum Patrinis in Confirmatione.

6 Ex quibus patet primò, nullam cognationem oriri inter baptizãtem, & ipsum suscipientem. Et ratio est, quia hoc nullo iure habetur.

7 Secundò, cognationem hanc non oriri inter ipsos suscipientes: ita vt si vir, & fœmina sint simul Patrini, possint inter se matrimonio iungi: pa-

riter si vir, & vxor eundem puerum suscipiant de Sacro fonte, non priuentur iure petendi. Et ratio est, allata, quia nullo iure constat cognationem hanc contrahi inter ipsos suscipientes. Quare dum Tridentinum loco superiùs cit. ait, Ad summum vnus, & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum cognatio contrahatur: non est sensus illius particulæ, inter quos, vt inter ipsos susceptores oriatur cognatio. Sed inter illos, & alias personas ibi enumeratas, idest, baptizatum, & ipsius parentes.

DIFFICVLTAS II.

Quænam conditiones requirantur ad hanc cognationem contrahendam.

8 *Conditiones requisitæ pro contrahenda cognatione spirituali.*

9 *Prima, vt infans suscipiatur dum Sacramenta Baptismi, & Confirmationis conferuntur.*

10 *Ad hanc cognationem contrahendam non sufficit tenere Cathecumenum.*

11 *Cõmater filium suscipiens de manibus Cõpatris non contrahit cognationem.*

12 *Sola assistentia Patrinorum non sufficit pro hac cognatione contrahenda.*

13 *Sufficit autem sola susceptio, nec requiritur Patrinorum responsio in Catechismo.*

14 *Neq; requiritur in Patrinis intentio contrahendi hanc cognationem.*

15 *Secunda conditio est vt susceptor sit baptizatus.*

16 *Inter fidelem baptizantem, & matrem baptizati, quæ sit infidelis, subsistere potest matrimonium.*

17 *Pariter inter fidelem baptizantem, & parentes infideles baptizati non oritur cognatio, etiamsi ij baptizentur.*

18 *Quinam veniat nomine infidelis.*

19 *Tertia cõditio est vt susceptor in Sacramento Cõfirmationis sit confirmatus.*

20 *Quarta conditio est vt suscipiens saltem polleat vsu rationis.*

21 *Quinta vt non adsit error personæ.*

22 *Sexta, vt infans teneatur in Baptismo solemni.*

23 *Baptizans in necessitate contrahit cognationem.*

24 *Septima conditio, vt teneatur infans in Baptismo quando baptizatur.*

25 *Octaua, vt puer suscipiatur in Baptismo valido.*

26 *Ex solemni iteratione Baptismi nulla contrahitur cognatio.*

8 RESpondeo plures à Doctoribus recenseri, easquè ad num. octo posse commodè reuocari.

Prima Conditio.

9 PRima est, quæ in susceptoribus requiritur, vt, videlicet, baptizatum, aut confirmatum teneant dum hæc Sacramenta conferunt: seu dum aqua infunditur puero in Baptismo: vel in Confirmatione, dum ab Episcopo vngitur: vel saltem, vt statim ac puer est baptizatus, ipsum leuent de sacro fonte. Locutus autem sum in Sacramento Baptismi cum diuisione, quòd, videlicet, vel tenendus sit puer dum baptizatur: vel saltem suscipiendus sit de Sacro fonte. Et ratio est, quia in aliquibus Regionibus receptum est, vt puer baptizetur per aquæ infusionem, sustentantibus Patrinis puerum: in alijs verò receptum est, vt baptizãs teneat puerum, & statim illum tradat Patrinis. Quare ad cognationem hãc contrahendam non sufficit, quòd Patrini in Catechismo respondeant pro bapti-

baptizando; sed requiritur detentio, vel saltem susceptio. Vt patet ex primis quinquè Capitibus, Cap. Omnes, 30. quæst. 1. ex Cap. si quis vnus, 30. q. 4. Ex Cap. 2. ibi, de Sacro fonte susceperit. Ex Cap. 1. ibi, Qui eum susceperit. Ex Cap. fin. ibi, Ad suscipiendum de Baptismo, de cognatione spirituali. Et ex Triden. sess. 24. cit. cap. 2. ibi, baptizatum de Baptismo suscipiant. Et paulò inferiùs, quòd si alij vltra designatos baptizatum tetigerint.

10 Vnde inferas primò, pro cognatione hac contrahenda non sufficere tenere Catechumenum super fontem ante Baptismum. Et ratio est, quia cognatio hæc non nisi ex ipso Baptismi Sacramento contrahitur, quod nondum est.

11 Secundò, Commatrem non contrahere cognationem hanc si filiū suscipiat de manibus Compatris: & è contra, non contrahere hanc cognationem Compatrem, si filium suscipiat de manibus Commatris. Et ratio est, quia hoc modo non dicitur illum suscipere de Sacro fonte; idest leuare puerum de Baptismo. Ad hoc ergo, vt cognatio hæc contrahatur leuandus est puer de manibus baptizantis statim ac est baptizatus. Ita Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 11. num. 3. Bartholom. à Ledesma de matrim. dub. 46. colum. 2. Vega 1. tomo sum. cap. 33. casu 41. in fine, Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 56. num. 3. Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 56. art. 3. colum. ante penult. vbi refert decretum Congregationis Cardinalium, qui censuerunt, existente consuetudine in Episcopatu Abulensi, vt Commater non tangat infantem donec Compater leuarit de Sacro fonte, & Commatri tradiderit, Commatrem non fieri cognatam spiritualem infantis, eo quòd non leuarit ipsum immediatè.

12 Tertiò, non contrahi hanc cognationem per solam assistentiam Patrinorum quasi in suam curam suscipientiū filium, qui baptizatur, vel confirmatur. Et ratio est, quia requiritur verus contactus, vt clarè significant citati textus. Neq; sufficit quilibet contactus momentaneus, vt si extremitate digiti puer tangeretur: sed talis contactus requiritur, per quem susceptor dicatur tenere, seu suscipere baptizatum, aut confirmatum. Non tamen requiritur, vt Patrini immediatè tangant puerum, sed sufficit si illum tangant, licèt vestibus sit contectus. Et ratio est, quia hoc est verè tangere, ac tenere: vnde etiam sufficeret si puerum Patrini tenerent in quodam linteo, aut in disco argenteo, honoris gratia. Ita Bartholom. à Ledes. cit. colum. 4. §. annotare oportet. Emmanuel Sá, v. matrimonium, vbi de impedimentis dirimētibus, num. 5. versic. sufficit, Viualdus candelab. Sacram. 1. par. vbi de matrimonio, num. 159. Sanchez cit. num. 6. apud quem alij plures.

13 Quartò, ad cognationem hanc contrahendam sufficere solam susceptionem, nec requiri Patrini responsionem dum fit Catechismus. Et ratio est, quia iura faciunt mentionem solius susceptionis. Tum quia hæc Patrini responsio non requiritur in Confirmatione; Ergo nequè in Baptismo. Ita Viualdus cit. num. 162. Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 11. nu. 3. Sanch. nu. 10.

14 Quintò, non requiri in Patrinis intentionem contrahendi hanc cognationem, sed sufficere si intendant exercere actum illum suscipiendi ab Ecclesia institutum. Quinimo si casus daretur, vt aliquis vellet, & intenderet munus hoc Patrini exercere, & nollet hanc cognationem contrahere; adhuc

Rr 2 tamen

tamen eam contraheret. Et ratio est, quia qui vult antecedens vult etiam consequens illi necessariò adnexum: sed cognatio hæc ex præcepto Ecclesiæ est adnexa officio Patrini, Ergo qui tale officium exercet, illico obligationem hanc contrahit. Tum quia intendens baptizare, velit, nolit, contrahit cognationem; Ergo eandem contrahet is, qui intendit efficere quod efficiunt Patrini: cùm cognatio hæc non à propria voluntate descendat, sed sit accessoria actui susceptionis, aut detentionis. Ita Suarez 3 par. quæst. 67. art. 8. dub. vlt. Emmanuel Sà in sum. v. matrimonium, vbi de impedimentis dirimentibus nu. 5. versic. sufficit: quo loco docent quidem nō sufficere actionem externam, sed requiri intentionem aliquam faciendi quod alij Patrini faciunt, seu exercendi actum illum ab Ecclesia institutum; intentionis tamen contrahendi hanc obligationem nullam faciunt mentionem, vt pote quæ necessario non sit Coninch. disp. 32. dub. 2. num. 28. Reginal. lib. 30. nu. 155. Filliuc. tract. 10. cap. 5. quæst. 7. num. 191. Sanchez lib. 7. disp. 58. nu 4. apud quem alij plures.

Secunda Conditio.

15 Altera conditio requisita in susceptore, aut baptizante pro Cognatione hac contrahenda est, vt sit baptizatus; si enim suscipiens, aut baptizans sit infidelis, cognationem hanc non contrahit. Et ratio est, quia cognatio hæc est inducta iure Ecclesiastico; Ergo ea non contrahitur ab infideli, qui non est subditus legibus Ecclesiasticis. Quæ ratio probat, quod actiuè nullam huiusmodi cognationē cōtrahere possit, idest, dum ipse filium aliquem baptizat, vel suscipit de sacro fonte. Ita Syluest. v. matrim. 8. quæst. 7. dicto 12. Nauar. cap. 22. num. 36. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 60. Vega 1. tom. sum. cap. 33. casu 45. Emman. Sà in sum. v. matrim. vbi de impedimentis dirimentibus, num. 5. versic. cum non baptizato.

Quòd verò cognationem hanc nequè passiuè contrahat: ita vt si fidelis baptizet, vel de Sacro fonte suscipiat filium infidelis, non contrahat fidelis ex parte sua cognationem cum parentibus infidelibus illius pueri; cùm tamen contrarium sentiant aliqui (quasi verò licèt infidelis contrahere non possit hanc cognationem, eam tamen terminare valeat à fidelibus contractam) probatur, quia cognatio hęc est mutua quædam relatio, quæ necessariò petit duo extrema: cùm ergo infidelis, qui est vnum extremum, non contrahat hanc cognationem, dum eius filius baptizatur à fideli; porro nequè cognationem hanc contrahit fidelis baptizando, aut de Sacro fonte suscipiendo filium infidelis. Ita Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 56. art. 3. in fine, Vega 1. tom. sum cap. 33. casu vlt. in fine Sanchez cit. nu. 14 Licèt autem fidelis cum parente infideli cognationem hanc non cōtraheret, eam tamen cōtraheret cum filio infidelis baptizato, aut suscepto; ille enim esset capax.

16 Ex quibus inferas primò, inter fidelem baptizantem, aut suscipiētem, & parentes illos infideles, si baptizentur, posse subsistere matrimonium. Et ratio est, quia nulla fuit contracta cognatio: Non posse verò fidelem inire matrimonium cum puella à se baptizata, aut suscepta, quia cum ea fuit cōtracta cognatio spiritualis.

17 Secundò, cognationem hanc non oriri cum parentibus illis infidelibus, licèt postmodum ij baptizentur: quod

quod enim à principio non subsistit, tractu temporis non conualescit, reg. non firmatur, de reg. iur. in 6. & reg. quod ab initio, ff. de reg. iur.

18 Nomine autem infidelis venit is, qui Baptismum non suscepit, qualis est gentilis, Iudæus, Turca &c. De reliquo hæreticus, qui est baptizatus cognationem hanc contraheret: non tamen esset ad hoc ministerium assumẽdus, ex eo quòd non sit aptus ad instruendum in fide. Religiosus item si puerum in baptismo suscipiat, cognationem hanc contrahit: tametsi, cap. non licèt, de consecratione, dist. 4. susceptio hæc est illi prohibita.

Tertia conditio.

19 TErtia conditio requisita in susceptore in Sacramento Cõfirmationis est, vt sit confirmatus: licèt enim non confirmatus baptizans, vel suscipiens aliquem de Sacro fonte in Sacramento Baptismi contrahat cognationem spiritualem cum baptizato, & parentibus carnalibus baptizati; hoc tamen non accidit in suscipiente puerum in Sacramento Confirmationis, quia si susceptor non sit confirmatus, non habet conditiones requisitas ab Ecclesia, vt verus susceptor sit, vt apertè constat ex cap. in Baptismate, de consecrat. d. 4. ijs verbis, [In Baptismate, vel in Chrysmate non potest alium suscipere in filium ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus.] Attendendum autem est verbum illud, potest, cui cùm præponatur negatio, tollit potentiam, & declarat actum nullum. Ita Suar. 3. par. quæst. 72. art. 10. in fine, Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 11. num. 2. & lib. 3. de Sacramento Confirmationis, cap. 3. num. 3. Toletus lib. 2. summæ, cap. 24. num. 11. & sententiam hanc probabiliorem esse putat Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 60. num. 20. apud quem alij plures.

Dices, Episcopus non confirmatus cognationem hanc contrahit, si aliquem confirmet; Ergo similiter eandem contrahet si illum suscipiat altero Episcopo confirmante. Respondeo, concesso antecedente negandam esse consequentiam. Et ratio est, quia confirmans verum Sacramentum conficit; vnde est, vt cognationem eam contrahat: suscipiendo autem eam non contrahit, quia non est verus susceptor.

Quarta conditio.

20 QVarta conditio in susceptore requisita est, vt saltem polleat vsu rationis; si enim eo careat non erit legitimus susceptor. Vsum autẽ rationis sufficere, probatur, quia cum eo reperiri potest legitima intentio faciendi quod alij Patrini faciunt, quæ vna cum actione tenendi in Baptismo, aut Confirmatione sufficiens est ad contrahendam hanc cognationem.

Dixi, vt saltem polleat vsu rationis: non enim desunt qui asserant requiri in susceptore legitimam ætatem. Vnde alij dicunt ad hoc, vt quis possit esse Patrinus requiri, vt saltem decem, & octo annis excedat puerum susceptum: alij verò, vt saltem annis quatuordecim excedat. Mihi autem placet sententia D. Thomæ 4. d. 42. quæst. 2. art. 1. ad 5. quo loco habet, posse quemlibet effici Patrem spiritualem alterius, nulla maioris, aut minoris ætatis habita ratione. Et in proprijs terminis sententiam hanc sustinent Henriq lib. 11. de matrim. cap. 12. num. 2. in comment. littera Y, Vega 1. tom. summæ cap. 33. casu 39. Sanchez cit. disput. 61. Filliucius cit. num 196.

Dices, ad cognationem legalem contrahendam non sufficit vsus rationis; Ergo neq; sufficiet ad contrahendam cognationem spiritualem. Respondeo negando consequentiam. Et ratio est, quia in cognatione legali requiritur quædam subiectio adoptati ad adoptantem: debet enim adoptatus esse subiectus adoptanti, cùm agatur de successione hæreditatis, in qua hæres solet esse natu minor, quàm sit testator relinquẽs hæreditatem: quod non euenit in cognatione spirituali; in hac enim non differt masculus à fęmina, neq; senex à iuuene: vnde est, vt iuuenis possit esse pater spiritualis senis.

Quinta conditio.

21 QVinta conditio in susceptore necessaria pro hac cognatione contrahendâ est, vt non adsit error personæ. Quare si quis per errorem susciperet filium Sulpicij credẽs esse filium Cai, cognationem hanc non contraheret. Et hoc colligitur ex cap. 2. de cognat. spirituali, vbi deciditur, coniugem, qui per ignorantiam susceperit de sacro fonte filium mariti, posse debitum petere. Tum quia licèt verè leuet de sacro fonte filium Sulpicij, tamen habet intentionem leuandi filium Cai, & non filium Sulpicij: Ergo cùm desit intentio cognationem hanc non contrahet. Sic procurator, quia nomine alterius tenet, cognationem hanc nòn contrahit, vt dicemus inferiùs. Quare in nostro casu talis susceptor nullam cognationem contraheret: non cum filio Sulpicij, aut illius parentibus, quia non habet intentionem exercendi munus Patrini circa filium Sulpicij, sed circa filium Cai: nequè cum filio Cai, aut illius parentibus, quia filium Cai non suscipit. Ita Syluest. v. matrim. 8. quæst. 7. Sanch. cit. disp. 58. num. 7. Reginaldus lib. 30. nu. 155. noster Bonac. de impedimentis matrim. quæst. 3. pun. 5. §. 2. num. 18. contra Coninch. & alios, Contrarium tamen esset dicendum, quoties suscipiẽs haberet animum, & intentionem suscipiendi personam præsentem: tũc enim error personę nullo modo obstaret, quominus cognatio hæc contraheretur; vt benè Doctores cit.

Dices, si quis per errorem baptizaret filium Petri, quem crederet esse filium Pauli, hoc errore non obstante contraheret cognationem cum baptizato, & cum parentibus baptizati; Ergo pari modo, si quis leuaret de sacro fonte filium Sulpicij, quem crederet esse filium Cai, contraheret cognationem cum Sulpicio, & cum illius parentibus.

Respondeo, concesso antecedente negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia Minister Sacramentorum, puta, Baptismi, Eucharistiæ, & aliorum, excepto matrimonio, tenetur habere intentionem ministrãdi Sacramentum personæ præsenti, quæcunquè illa sit, nec potest absquè peccato intentionem restringere tantùm ad determinatam personam: vnde est, vt sit validus Baptismus, etiamsi adsit error personæ, quia semper Minister intendit baptizare personam præsentem. At verò Patrinus non tenetur habere intentionem suscipiendi personam præsentem, quæcunquè illa sit; sed potest illam limitare, & restringere ad personam determinatam, sicuti hoc diximus de matrimonio; vnde est, vt error personæ, sicuti annullare potest matrimonium defectu consensus: ita etiam efficere possit, vt talis susceptio facta cum tali errore nullã pariat cognationem defectu intentionis.

Sexta

Sexta conditio.

21 SExta conditio est, vt suscipiens puerum in Sacramento Baptismi, illum teneat quando Baptismus solemniter administratur. Quare suscipiens puerum in Baptismo priuatim administrato, licèt in necessitate, non contrahit cognationem spiritualem. Et ratio est, quia cęremonia susceptoris ab Ecclesia fuit tantùm instituta in Baptismo solemni, vt patet ex Triden. sess. 24. cap. 1. Ergo si Baptismus non sit solemnis, ibi non aderit verus, & proprius susceptor. Vnde est, vt susceptores in Baptismo priuato nō dicantur Compatres, neque Patrini. Ita Syluest. v. matrim. 8. quæst. 7. Suarez 3 par. quæst. 67. art. 8 dub. vltimo, Vega 1. to. summæ cap. 33. casu vlt. ad fin. Sanchez lib. 7. disp. 62. num. 14. Nugnus, Rebel. Rodriquez quos citat, & sequitur Bocina cit. num. 11.

Addit Suarez, licèt in Baptismo priuato non sit necessarius susceptor, si tamen ille adhibeatur, & velit susceptoris munus obire, probabile esse, quòd contrahat cognationem. At contrarium probabilius existimant Vega, Sanchez, & ipsemet Suarez citati. Et ratio est, quia susceptio est quædam cęremonia ab Ecclesia instituta ad Baptismum solemnem; ita vt cessante solēnitate cesset etiam ratio susceptoris.

23 Hoc tamen verum est, baptizantem in necessitate hanc cognationem contrahere. Et ratio est, quia licèt in necessitate baptizet, tamen verè, & propriè baptizat, & verum conficit Sacramentum Baptismi; ex vero autem Baptismo consurgit cognatio spiritualis, quæ impedit, & dirimit matrimonium, vt benè Sanch. cit. num. 15. in fine.

Septima conditio.

24 SEptima conditio est, vt teneatur infans in Baptismo quando baptizatur. Quare si puer domi baptizetur, & postea suppleantur solemnitates in Ecclesia, cognatio hęc non cōtrahitur ab eo, qui munere Patrini fungitur. Et ratio est, quia non dicitur susceptor in Baptismo, quandoquidem Baptismus fuit priuatim administratus. Hoc tamen verum est, quòd in dato casu si quis susceptoris munus obiret dum supplentur solemnitates, licèt non contraheret impedimentum cognationis spiritualis, contraheret tamen impedimentum Catechismi, quòd licèt matrimonium non dirimat, impedit tamen: verè enim talis susceptor fuisset Patrinus in Catechismo. Et Parochus ipse teneretur in libro eo, in quo Patrinorum nomina describuntur huius rei expressam mentionem facere, dicendo hunc adstitisse tanquam Patrinum, non quidem in Baptismo, sed in Catechismo tantùm, vt bene notat noster Bonac. num. 9.

Octaua conditio.

25 OCtaua, & vltima conditio est, vt puer suscipiatur in Baptismo, qui validus sit. Quare si puer ita baptizetur, vt Baptismus non teneat, nulla oritur cognatio. Et ratio est, quia iura decernunt ex Baptismo oriri cognationem, eo quòd sit regeneratio quædam spiritualis: atqui Baptismus, qui sit nullus non est spiritualis regeneratio. Tum quia hic valet reg. iur. non præstat, de reg. iur. in 6. non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. Atquè hoc idem dicendum de Sacramento Confirmationis,

ita vt quoties illud nullum sit, nullam etiam pariat obligationem. Ita Syluest. v. matrim. 8. quæst. 7. dicto 17. Emman. Sà in sum. v. matrim. vbi de impedim. dirimentibus num. 5. versic. etiam in Baptismo, Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 62. num. 5. Bonac. de impedimentis matrim. q. 3. pun. 5. § 2. num. 10.

26 Vnde inferas, ex solemni iteratione Baptismi nullam prorsus cognationem oriri. Et ratio est, quia Baptismus iteratus est omnino nullus.

Dices, quid si secundus Baptismus fuerit iteratus sub conditione. Respondeo, in dato casu si postea constet de validitate prioris Baptismi, nullam cognationem oriri. Quòd si de ea nihil constet, tunc præsumendum esse, adesse tale impedimentum. Quare ergo, si casus daretur, vt puer aliquis non integrè natus in pede, aut in digito baptizaretur: tum verò ad Ecclesiam delatus sub conditione rebaptizaretur propter dubium prioris baptismi: ad huius cognationis veritatem eruendam, videndum esset vter ex his duobus Baptismis foret validus; si enim essent duæ opiniones probabiles, quarum altera doceret Baptismum in pede, aut digito ministratum esse validum; altera verò constanter assereret esse nullum: posset tuta conscientia vtram vellet eligere: & dicendo primum Baptismum fuisse validum, dicet etiam ex eo fuisse contractam cognationem, nullam autem ex eius iteratione. Quòd si adhæreat sententiæ asserenti Baptismum in ea parte ministratum esse nullum; sustinebit etiam nullam inde fuisse contractam cognationem, sed ex iteratione: & ita integrum illi erit, vtram voluerit sequi, quoties vtraque sit probabilis.

DIFFICVLTAS III.

Quinam contrahant hanc cognationem quando plures duobus confirmatum, aut baptizatum tangunt: vel illum leuant de sacro fonte.

27 *Iure antiquo cautum erat vt vnus solus Patrinus adhiberetur; ita tamen vt omnes contraherent cognationē, qui puerum leuassent de sacro fonte.*

28 *Præceptum hoc quomodo fuerit correctum à Tridentino.*

29 *Patrinus non designatus vtrùm contrahat hanc cognationem. Affirmant aliqui.*

30 *Author negat.*

31 *Quid si plures duobus designentur, vtrū omnes contrahant cognationem.*

32 *Sententia Authoris.*

33 *Quid si Patrinus designatus non tangat, sed quidam alius non designatus.*

34 *Quid si Parentes neminem designassent, sed Parochus vnum, aut plures designasset.*

35 *Quid si Parochus neutrum ex designatis admisisset, & tamen ambo suscepissent.*

36 *Quid si Parochus vltra vnum, & vnam à Parentibus designatos, plures alios admiserit, & omnes tetigerint.*

37 *Quid si præter designatos vltro alij accessissent ad suscipiendum, & verè suscepissent.*

38 *Vtrùm sit peccatum mortale adhibere plures Patrinos. Affirmant aliqui.*

39 *Sententia Authoris.*

27 ADuertendum primò, iure antiquo præscriptum fuisse, ne plures Patrini in Baptismo, aut Confirma-

firmatione adhiberentur, sed vnus, solus, siue vir, siue fœmina: ita tamen, vt si plures aliquando eundem puerum in Baptismo, aut Confirmatione suscepissent, contraherent omnes cognationem spiritualem impedientem ac dirimentem matrimonium subsequẽs. Hoc expresse habetur Cap. fin. de cognatione spirituali, in 6. Præceptum tamen hoc non fuisse tanti momenti, vt obligaret ad mortale, docet pluribus Doctoribus citatis Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 57. num. 1.

28 Aduertendum secundò, præceptum hoc fuisse à Concilio Tridentino correctum sess. 24. de matrim. cap. 2. Si enim iure antiquo cautum erat, vt vnus tantùm esset susceptor: iure nouo concessum est, vt possint esse duo, dummodo sint diuersi sexus, idest, vir, & fœmina. Idquè constat ijs verbis [sancta Synodus statuit, vt vnus tantùm, siue vir, siue mulier iuxta Sacrorum Canonum statuta: vel ad summum vnus, & vna baptizatum suscipiant.] Pariter si iure antiquo præceptum erat, vt quotquot eundem puerum susciperent, spiritualem cognationem contraherent: nunc ea tantùm contrahitur ab ijs, qui fuerint ad hoc munus designati. Idquè patet ex verbis Tridentini l. cit. ibi [Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de Sacro Fonte suscipiant, & eos, vel eum tantùm ad illum suscipiendum admittat. Quòd si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.] His positis difficultas hæc multipliciter institui potest.

Primò, quid dicendum in casu, quo nulli Patrini fuerint designati, vtrùm suscipiendo, cognationem hanc contrahant.

29 Respondent affirmatiuè plures ea potissimum ratione nixi, quòd iuri antiquo standum est, quando aliter non decernitur iure nouo, l. præcipimus, C. de appellatione. Et casus omissus remanet in iuris antiqui dispositione, l. commodissimè, ff. de liber. & posthumis. Atqui Tridentinum nullam fecit mentionem de casu, in quo nullus sit designatus; sed solùm expressit casum, in quo alij præter designatos tangant, quos statuit non contrahere cognationem. Ergo si nulli sint designati, standum est dispositioni iuris antiqui, cap. fin. de cognat. spirituali in 6. vbi deciditur omnes tangentes contrahere. Et ita sententiam hanc sustinent Emmanuel Sà in sum. v. matrimonium, vbi de impedimentis dirimentibus, num. 5. Nauar. in sum cap. 22. num. 39. Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 11. num. 3. Reginaldus lib. 31. nu. 152. quos citat, & sequitur noster Bonacina de impedimentis matrim. quęst. 3. pun 5. §. 2. num 24.

30 Ego verò respondeo cum contraria sententia, neminem contrahere cognationem. Et ratio est, quia Tridentinum, ad hoc vt quis sit verus susceptor, requirit in eo conditionem hanc, quòd sit designatus. Et hoc fecit ne impedimentum huius cognationis multiplicaretur, & vt de illa certi essent, qui eam contraxissent; Ergo deficiente hac designationis conditione nullus erit verus susceptor, proindequè nullus cognationem contrahet. Adde quòd idem Concilium eo Cap. cit intendit coarctare, & restringere ius antiquum de hac cognatione contrahenda, volens vt ea tantùm extendatur ad personas eo Cap. contentas, vt patet ex ijs verbis Concilij, [Omnibus inter

alias

alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis;] Ergo cùm in eo fiat solùm mentio Patrini designati, ille solus erit capax huius cognationis. Ita Suarez 3. par. q. 67. art. 8. in fine, quo loco contrariam sententiam putat esse falsam: sic enim ait. [*Vnde etiam falsum existimo dicere*, si nullus sit specialiter designatus in susceptorem, omnes qui tangunt puerum, seu tenent baptizatum, contrahere hoc impedimentum, quotquot illi sint &c.] Ego tamen illam puto cum Sanchez cit. num. 12. valdè probabilem, Vega 1. tom. sum. cap. 33. casu 40. in fine, Manuel, quem citat, & sequitur Sanchez.

Ex quibus patet ad rationem Aduersariorum: dum enim Concilium intendit designationem Patrinorum esse conditionem omnino necessariam ad hoc vt ij cognationem hanc contrahant, vt, videlicet, vitaretur cognationis multiplicatio, & susceptorum incertitudo: patet casum hunc non fuisse relictum dispositioni iuris antiqui.

31 Secundò, difficultas hæc institui potest in casu, quo plures duobus designentur: vel certè in Patrinum designentur duo viri, vel duæ fœminæ.

Huic difficultati respondet Suarez cit. versic. Sed quæres dicendo, ab nullo horum cognationem contrahi; sic enim ait. [Quòd si fingamus plures simul designari, & suscipere vltra formam à Concilio statutam, probabile est neminem eorum contrahere impedimentum. Nam certè videtur, nullum esse ibi verum ac legitimum susceptorem, quia nullus exercet munus illud eo modo, quo ab Ecclesia statutum est &c.] subdit autem, legitimum susceptorem iuxta Tridentinum debere esse, vel totalem, vel saltem ita partialem, vt solùm admittat socium diuersi sexus. Et hæc sententia est probabilis.

32 Respondeo tamen cum communiore sententia, si plures designati sint, & omnes simul tangant, omnes etiam contrahere cognationem. Et ratio est, quia ex eo quòd fuerint designati, & admissi, adsunt omnes conditiones per Tridentinum requisitæ ad hanc cognationem contrahendam. Tum quia actus gestus contra legem firmus est, quando lex non adijcit decretum irritans, sed tantùm pœnam imponit transgressoribus. Atqui lex Tridentini est huiusmodi, quæ pœnam solùm imponit Parocho infligendam arbitrio ordinarij, qui plures vno, vel vno, & vna admiserit. Ergo verè talis susceptio erit valida, & consequenter omnes contrahent cognationem. Ita Nauar in summa cap. 22. nu 39. Vega 1. tomo summæ, cap. 33. casu 39. Emmanuel Sa in summa v. matrim. vbi de impedimentis dirimentibus num. 5. vers. cognatio spiritualis, Sanchez cit. num. 14.

Dixi ab omnibus designatis cõtrahi hanc cognationem, quoties simul tangant. Et ratio est, quia si tangant successiuè, vnus tantùm, vel ad summum vnus, & vna, qui primi sint in hac susceptione, cognationem contrahunt: alij verò non contrahunt, ex eo quòd ministerium suscipiendi iam sit absolutum iuxta formam Concilij Tridentini. Ita Suarez cit. Coninchus disp. 32. num. 35. Reginaldus lib. 31. nu. 153. Emmanuel Sà cit. Bonac. num. 25.

Ex quibus patet, si plures susceptores fuerint a parentibus designati, sed tamen non omnes à Parocho admissi, eos solos contrahere hanc cognationem, qui fuerint à Parocho admissi. Et ratio est, quia eo ipso quòd à Parocho non sunt admissi perinde censentur, ac si de-

si designati non essent. Ita Sanchez num. 15.

33 Tertiò, quæri potest quid dicendum quando Patrini legitimè designati non tetigerunt, sed quidam alius non designatus tetigit.

Respondeo in dato casu neminem contrahere cognationem: non enim eam contrahunt ij, qui sunt designati, quandoquidem non tangunt: neque ij, qui non fuerunt designati. Et ratio est, quia illis deest qualitas designationis, quàm n. 30. diximus esse necessariã.

34 Quartò, quæri potest quid dicendum, quando Parentes neminem designassent, sed Parochus vnum, aut plures in Patrinum designasset. Respondeo in tali casu eos, qui fuerunt à Parocho designati contrahere cognationem. Et ratio est, quia cùm Parocho incumbat cauere, vt Sacramentũ Baptismi legitimè iuxtà cęremonias ab Ecclesia institutas ministretur, quarum vna est, adhibere Patrinum, eo ipso quòd neminem designarunt parentes, ad Parochum spectat designatio. Ita Sanch. cit. num 19.

35 Quintò, quæri potest, quid dicendum, si Parochus neutrum ex designatis, vel vnum solum admisisset, & tamen ambo suscepissent. Respondet Sanchez num. 18. futurum vt vterquè contraxisset cognationem, quoties Parochus non habuisset legitimam causam illos expellendi. Et ratio est, quia verè, & legitimè ij fuissent designati: nec Parochi admissio necessaria est, quando ij tantùm fuerint designati, qui à Tridentino præscribuntur: puta vel vnus tantùm: vel ad summum vnus, & vna; Quoties enim diximus superiùs num. 32. non admissos à Parocho perinde censeri, ac non designatos, intelligendum id est in casu, quo plures designentur vltra præscriptum Tridentini: vt si plures eiusdem sexus: vel plures viri, & plures fœminæ designentur, sed vnum, & vnam admittat Parochus, alios verò reijciat; tunc enim benè respondimus non admissos perinde censeri, ac non designatos, quia habet iustam causam repellendi: Iusta etiam causa esset, si designati essent Hæretici, aut Religiosi, quibus munus Patrini obire est prohibitum. Ita Sanchez num. 18. Atquè in nostra hac Diœcesi arceri possent Clerici Sacris Ordinibus initiati, cùm Patrini officio fungi in Baptismo, aut Confirmatione vetitum illis sit, vt patet ex Synodo Diœces. 2. decreto 17.

36 Sextò quæri potest de casu in quo parentes designauerint duos Patrinos iuxta præceptum Tridentini: sed Parochus plures admiserit, & omnes tetigerint: vel certè ij, qui à parentibus fuerunt designati, non tetigerint, sed ij tantùm, qui a Parocho fuerunt admissi.

Respondeo eos solos contrahere cognationem, qui à parentibus fuerunt designati. Et ratio est, quia non pertinet ad Parochum aliquos designare, quando eos designarint parentes, vel ij, qui curam habent infantis. Quare cùm illis, qui fuerũt a Parocho admissi desit conditio designationis, inde est vt cognationem non contrahant, etiamsi tangant. Quòd si à parentibus designati infantem non tangerent, sed ij tantùm, qui à Parocho fuissent admissi, tunc nullus contraheret cognationem, vt patet ex dictis num. 33.

37 Septimò, quæri potest de casu, quo parentes designassent Patrinos: sed Parochus non inquisiuisset, qui nam essent designati, & præter designatos alij accessissent.

Respondeo omnes designatos contrahere cognationem, quoties simul suscipiant, vt superiùs diximus: eos verò,

rò, qui non fuerunt designati nullam cognationem contrahere, ex eo quòd in illis non adsit conditio necessaria in Patrinis, quæ est designatio. Vide Sanchez lib. 7. de impedimentis matrim. per totam disput. 57.

38 Vtrùm verò plures Patrinos adhibere sit peccatum mortale. Affirmant Rodriq. & Vega ex Bonacina cit. num. 32. quorum ratio est, quia violatur præceptum Tridentini in re magni momenti, quandoquidem multiplicantur cognationes spirituales, quæ sufficiunt ad dirimendum matrimonium Quòd si sententiam Suarez sustineremus relatam num. 31. qui asserit nullum vltra duos tangentes, qui sint diuersi sexus, cognationem contrahere: tunc probabiliter posset sustineri, Parochum admittentem plures Patrinos non peccare mortaliter, quia nõ obstaret cognationis multiplicatio.

39 His tamen non obstantibus sententiam negantem docet Sanch. cit. nu. 6. eaq; est conformis ijs quæ docuimus in aduertendo 1. hoc enim præceptum de pluribus Patrinis non adhibendis iure antiquo est latum; nequè in hoc Tridentinum nouam prohitionem addidit, sed solùm antiqua sacrorum Canonum instituta seruari præcepit, concedendo vt duo diuersi sexus Patrini possent abhiberi. Atqui transgressionem eius præcepti non esse mortalem, docent Rosella v. impedimentum, impedimento 6. nu. 4. Sotus 4. d. 42. q. 1. art. 2. col. 5. & alij; Ergo &c.

DIFFICVLTAS IV.

An is, qui mittit Procuratorem ad suscipiendum infantem, contrahat cognationem, an verò illam potius contrahat Procurator.

40 *Aliqui putant cognationem hanc contrahi à mittente.*

41 *Alij à Procuratore.*

42 *Author putat eam neq; contrahi à Procuratore, neq; à mittente.*

43 *Respondetur fundamentis aduersariorum allatis pro prima sententia.*

44 *Respondetur fundamentis allatis pro secunda sententia.*

45 *Vtrùm retenta sententia, quòd hæc cognatio contrahatur à mittente, ea contraheretur à Communitate, si Communitas designaret, & mitteret aliquem.*

40 IN huius casus solutione discrepant inter se Doctores. Alij .n. eius sententiæ sunt, vt putent, cum ipsum, qui Procuratorem constituit ad nomine suo leuandum infantem de sacro fonte, contrahere cognationem spiritualem. Probant autem primò, quia matrimonium ipsum potest per procuratorem iniri C. fin. de procurat. in 6. Ergo, & hæc cognatio. Tùm quia si quis per Procuratorem leuet infantem de sacro fonte, is qui misit contrahit eam obligationem erudiendi baptizatum, quam contrahit Patrinus per baptizati susceptionem; Ergo ille idem contrahet cognationem. Tum quia quod potest quis per se ipsum facere, potest per alium, reg potest quis, de reg. iuris in 6. Ergo &c. Ita Emmanuel Sa in summa, v. matrimonium, vbi de impedimentis dirimentibus, nu. 5. versic. cùm quis per Procuratorem, Coninchus disput. 32. num. 40. Rebellus, quem citat, & sequitur Bonac. de impedimentis matrim. quæst. 3. §. 2. nu. 34 quo loco contrariam sententiam vocat tantùm probabilem, hanc verò probabiliorem.

41 Alij censent, cognationem hanc contrahi ab ipso Procuratore susci-

suscipiente infantem nomine alieno. Probant primò, quia Procurator verè is est qui leuat infantem de sacro fonte; Ergo etiam is est, qui contrahit cognationem. Tum quia si Parochus alteri committat, vt nomine suo baptizet, is qui baptizat contrahit cognationem, non Parochus; Ergo pari modo, si quis alteri committat, vt nomine suo suscipiat Infantem in Baptismo, is qui suscipit contrahet cognationem, non qui mandat. Ita Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 56. art. 3. Toletus lib. 7. summæ, cap. 4. num. 6. addens id verum esse quoties Procurator ipse habeat animum contrahendi hanc cognationem, Viualdus in candelab. Sacrament. vbi de matrim. 1. par. nu. 160. & alij.

42 Ego verò respondeo, cognationem hanc neque contrahi à mittente, neq; à Procuratore. Prima pars probatur, quia ad hanc cognationem contrahendam requiritur actualis susceptio, seu detentio eius, qui baptizatur, vel confirmatur: iura enim inducentia hanc cognationem spiritualem, dum explicant actum Patrini, per quem ea contrahitur, vtuntur his verbis, Suscipit, Accipit, Tenet, Leuat. Mittens autem non est is, qui suscipit, qui accipit, qui tenet, qui leuat, sed solus Procurator; Ergo mittens non contrahit cognationem. Tum quia inductio impedimenti dirimentis est res valdè odiosa; Ergo non est admittenda, nisi in iure sit hoc expressum. Non est autem in iure expressum, posse cognationem hanc, quæ est impedimentum dirimens matrimonium, per Procuratorem contrahi: quinimò si textus ipsi spectentur, ex ijs potius colligitur actionem hanc, seu susceptionem infantis in Patrino esse ita personalem, vt non possit per alium exerceri. Ita Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 11. num. vlt. Viualdus, Toletus cc. Azor. lib. 2. instit. moral. cap. 12. paulò post principium, Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 59. num. 4. apud quem alij plures.

Secunda pars probatur, scilicet, à Procuratore ipso non contrahi hanc cognationem. Et ratio est, quia ipse non suscipit puerum nomine suo, sed nomine alterius, proindeque non est verus Patrinus, cùm non intendat nomine proprio tenere. Ita Henriq. cit. Ludouicus Lopez 2. par. instruct. vbi de Baptismo cap. 62. ad finem, Emmanuel Sà, Bonacina, Coninchus citati pro sententia asserente, cognationem hãc contrahi à mittente Procuratorem, Sanchez cit. num 12.

43 Ad fundamenta aduersariorum respondetur, & quidem primò ad rationes allatas pro prima sententia. Ad primam autem, dicẽdo matrimonium esse contractum, qui solo consensu perficitur: cùm autem consensus possit per alium exhiberi; inde est vt etiam matrimonium possit per Procuratorem iniri. Ad secundam: obligationem eam erudiendi filium optimè posse per alium contrahi; cognationem verò, quæ exigit actum personalem, non posse. Ad tertiam; regulam eam intelligi in ijs negotijs, quæ solo consensu perficiuntur; secus verò in ijs, in quibus necessaria est actio personalis, vt in susceptione infantis, quæ est actio personalis ipsius Patrini. Quòd si quis subdat, iuramentum esse actum personalem, & tamen per alium posse præstari, C. procurator, de elect. in 6. & c. fin. de iure calum. optimè respondet Sanch. cit. id esse specialiter cautum in iure, & quidem in certis tantùm casibus; Secùs verò in casibus non expressis: & hoc propter necessitatem iuramenti ad litium expeditionem.

44 Ad

44 Ad rationes allatas pro secunda sententia respondetur sic. Ad primam, dicendo non sufficere susceptionem, seu detentionem infantis, nisi etiam adsit designatio, vt diximus: Procurator autem non fuit designatus vt suo nomine susciperet infantem. Ad secundam, esse discrimen; is enim qui baptizat verum conficit Baptismum, per cuius collationem contrahitur cognatio spiritualis: at verò is qui suscipit infantem nomine alterius, exercet meram cęremoniam Ecclesiæ insufficientem ad pariendam cognationem, quamdiù fit nomine alterius.

Dices, quid si Procurator nomine proprio vellet tenere, contraheret ne cognationem. Affirmat Ludouic. Lopez cit. Negat verò Sanchez, & bene. Et ratio est, quia ab ijs, quibus incumbit, non fuisset designatus, vt nomine proprio teneret.

45 Dubium vnum adhuc superesset retenta sententia Bonacinæ asserentis cognationem hanc contrahi à mittente: vtrùm, videlicet, si Communitas aliqua deputaret Syndicum ad tenendum infantem in Baptismo, cognatio hęc ab ipsa Communitate contraheretur.

Respondet Abbas, Cap. veniens, nu. 5. de cognatione spirituali, nòn quidem futurum, vt Communitas, cùm sit persona ficta, incerta, non baptizata, & consequenter incapax huius cognationis: sed vt singuli Communitatis illam contraherent; dispositio enim cōcepta in Vniuersitate, quando actus Vniuersitati competere nequit, resoluitur in singulos illius Vniuersitatis, vt res non pereat, Cap. si sententia, de sent. excomm. in 6.

Contrarium tamen verius esse putarem cum Sanchez cit. num. 7. quia aliud est Communitas, aliud singuli Communitatis. Nec obstat Cap. si sententia, quia illud intelligendum est in delictis, ne delictum maneat impunitum, vt bene Alex. de Neuo Cap. veniens de cognat. spirit. num. 12.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam incidant in hanc reseruationem.

46 *Afferuntur duæ conditiones necessariæ ad incurrendam hanc reseruationem.*

47 *Incidit in casum Sacerdos habens copulam cum baptizata.*

48 *Parochus item habens copulam cum matre baptizati.*

49 *Susceptor etiam habens copulam cum suscepta, aut matre suscepti: & è contra. Item Patrina habens copulam cum suscepto, aut Patre suscepti.*

50 *Incidit is qui postquam baptizauit filium susceptum ex concubina, cum ea iterum congreditur.*

51 *Vtrùm Maritus incidat in casum si copulam habeat cum vxore postquam baptizauit filium communem, aut alterius coniugis.*

52 *Affirmat Author, quoties Maritus Patrini officio fungatur, aut certe baptizet extra necessitatem.*

53 *Contraria sententia non est improbabilis.*

FVsior fortè de hac cognatione spirituali fuit tractatio, quàm res ipsa postularet: verùm eam necessariam duximus, cùm facillimum modò sit expedire, qui nam hac reseruatione ligentur, qui verò non.

46 Regulam autem generalem statuo: ad hanc reseruationem incurrendam duo requiri. Primò, vt copula sit perfecta, & consummata. Secundò, vt ea sit habita cum persona coniun-

cta

cta cognatione spirituali.

47 Vnde inferas primò Sacerdotem habentem copulam cum puella, quam baptizauit incidere in hanc reseruationem; copula enim hæc est incestuosa. Quod verum est, siue illam solemniter baptizauerit: siue in necessitate, cum per collationem Baptismi semper contrahatur hæc cognatio, vt monuimus nu. 23. Quod autem de Sacerdote baptizante dixi, idem dico de puella baptizata.

48 Secundò, hac eadem reseruatione affici Parochum habentem copulam cum Matre baptizati: & è contra. Et ratio est, quia inter has personas intercedit cognatio spiritualis: & consequenter copula est incestuosa.

49 Tertiò, incidere in casum susceptorem habentem rem cum suscepta, aut Matre susceptæ: & è contra. Pariter incidere in casum Patrinam, seù susceptricem habentem copulam cum suscepto, aut patre suscepti. Et ratio est, allata, quia inter has personas intercedit spiritualis cognatio.

50 Quartò, incidere in hunc casum eum, qui postquam in necessitate baptizarit filium susceptum ex concubina, cum illa iterum congrediatur: copula enim hæc est incestuosa.

51 Grauior difficultas esse potest de Marito, qui filium communem, aut alterius coniugis suscipit, aut baptizat, vtrùm postmodum committat incestum, & in casum incidat cum ea congrediendo.

Respondeo primò, certum hoc esse, quòd coniux, qui baptizauit, aut suscepit filium communem, aut alterius cõiugis transacto bimestri, aut post consummatum matrimonium tenetur alteri coniugi petenti debitum reddere. Ita Cap. si Vir, de cognatione spirituali. Tum quia malitia non debet patrocinari delinquenti: neq; æquum est, vt alter coniux, qui est innocens absq; sua culpa priuetur iure suo, cap. discretionem, de eo, qui cognouit.

Dixi, transacto bimestri, aut post consummatum matrimonium: intra bimestre enim ante cõsummatum matrimonium, quia redditio debiti esset libera, copula hæc esset incestuosa, iuxta ea, quæ dicemus num. sequente cum communiore sententia, & consequenter affecta reseruatione. Et hoc conforme est ijs, quæ docuimus cùm de vsu matrimonij, quo loco satis fusè ostendimus, coniugem, qui affinitatem, aut cognationem contraxit, aut voto castitatis est adstrictus, non posse reddere debitum alteri petenti in casu, quo non teneatur reddere, vt intra bimestre ante consummatum matrimonium, quod à iure est concessum ad deliberandum de ingressu in Religionem: aut post adulterium alterius cõiugis, nec compensatum, aut condonatum. Vide de his Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 6. num. 14.

Sic si coniux, qui per copulam fornicariam habitam cum sorore vxoris, factus est vxori ipsi affinis; intra bimestre ante cõsummatum matrimonium, debitum redderet alteri coniugi petenti, mortaliter peccaret, & incideret in reseruationem, de qua locuti sumus in cap. 4. quæst. 2. per totam. Quòd enim peccaret mortaliter probatur, quia copula hæc cùm sit incestuosa, puta cum affine, est omnino illicita, solùmq; excusari potest ob fortius debitum iustitiæ; Ergo si non sit debita, est illicita. Quòd verò incideret in reseruationem latam contra committentes incestum in primo, aut secundo cognationis gradu, probatur, quia copula hæc esset verè incestus in primo gradu affinitatis.

Respon-

Respondeo secundò, certum item esse, quòd coniux in necessitate baptizans filium communem, puta suum, & alterius coniugis: aut alterius tantùm coniugis, non priuatur iure petendi debitum; licèt inter ipsos oriatur cognatio spiritualis, quę si matrimonium præcederet, illud dirimeret. Ita expresse definiuit Ioan. VIII. Cap. Ad limina, 30. q. 1. cuius decreti redditur ibi ratio, quia, videlicet, æquum non est, vt coniux, qui miseratione motus, ne proles in æternum periret, eam baptizauit, damnum hoc patiatur, vt prohibitū illi in posterum sit debitum petere: cùm absq; culpa nullus sit priuandus iure suo, cap. Discretionem cit. De eo, qui cognouit consanguineam. Et licèt textus ille loquatur tantùm de cōiuge baptizante filium communem; identitas tamen rationis facit, vt idem dicatur de baptizante filium, qui alterius tantùm sit coniugis. Et in hoc conueniunt Doctores omnes, Nauar. in sum. cap. 22 num. 40. ad finem, Henriq. lib. 2. de Baptismo, cap. 18. num. 3. Ludouic. Lopez 2. par. instruct. de matrim. cap. 51. §. dubitari hic vsu venit, Sanchez lib. 9. de matrim. disput. 26. num. 2. Bonac. quæst. 4. de ijs, quæ pertinent ad vsum matrim. pun. 3. num. 3.

Addit Henriquez cit. idem esse dicendum, si Coniux ad fidem conuersus baptizet vxorem, quam duxerat tempore infidelitatis, occurrente eadem necessitate: hæc autem necessitas intelligeretur occurrisse, quando nullus alius adesset, qui posset baptizare: atq; ita periculum esset, vt baptizandus in æternum periret, vt benè Sanchez cit.

52 Respondeo tertiò cum communi sententia, quòd si coniux scienter baptizat, aut in Sacramento Baptismi, seu Confirmationis suscipit tanquam Patrinus filium communem, aut alterius coniugis extra necessitatem; priuatur iure petendi debitum: & si petat, copulamq; cum vxore habeat, incidit in casum. Ratio cur non possit petere est, quia contraxit cognationem spiritualem, vi cuius priuatur iure petendi. Idquè docent Nauar. loco cit. & cap. 16. nu. 34. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 15. §. 3. & cap. 20. §. 10. Victoria in summa, vbi de Confirmatione num. vlt. Sanchez cit. num. 7. Suarez 3. par. quæst. 67. de Baptismo, art. 8. §. Quocirca liberè fateor, vbi licèt doceat sententiam hanc non niti legitimo iuris fundamento; ab ea tamen vt pote communi dicit non esse recedendum, Bonacina cit. num. 3. Ratio verò cur incidat in casum est, quia petendo debitum peccat mortaliter peccato incestus in cognatione spirituali. Intellige, si ad debiti petitionem copula ipsa sequatur. Ita Graff. in praxi lib. 1. cap. 13. num. 26.

Dixi in hac postrema responsione, aut tanquam Patrinus suscipit, &c. Et ratio est, quia si filium communem, aut alterius coniugis susciperet quidem in Baptismo, aut Confirmatione, sed non animo exercendi officium Patrini; sed potius ne puer præ morbo deficeret, aut alia ex causa: in tali casu non contraheret cognationem spiritualem, quia non esset verus susceptor: & consequenter non priuaretur iure petendi debitum, vt bene Henriq. lib. 3. de Confirmatione, cap. 3. in fine, Sanchez cit. num. 4.

53 Retenta tamen sententia asserente, eum qui contraxit cognationem scienter baptizando, aut tenendo cōmunem filium, aut alterius coniugis in Baptismo, vel Confirmatione, contrahere quidem cognationem spiritualem cum altero coniuge, non tamen priuari iure petendi: quam valde proba-

probabilem putant Suarez, Sanchez num. 5. Bonacina num. 4. Coninchus disp. 34. dub. 8. num. 69. non incideret in casum coniux nocens petendo debitum ab altero coniuge innocente, & multo minus reddendo.

QVÆSTIO TERTIA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

54 *Non incidit in casum Parochus habens copulam cum Patrina.*

55 *Nec item Parochus habens copulam cum sorore, vel filia eius, quem baptizauit.*

56 *Filij baptizantis, aut confirmantis habentes copulam cum baptizata, aut confirmata non incidunt in casum.*

57 *Excusatur qui nefariam copulam habet cum baptizata.*

58 *Excusatur item, qui carnaliter cognoscit puellam, quam suscepit tantùm in Catechismo: aut in Baptismo priuatim administrato. Item qui non confirmatus tenuit puellam in Sacramento Confirmationis, & postmodum cum ea copulam habuit.*

59 *Excusatur etiam, qui cum puella à se baptizata tactus habet impudicos.*

60 *Non incidit Confessarius qui copulam habeat cum ea, cuius confessiones aliquando exceperit.*

61 *Vtrùm saltem teneretur talis Confessarius hanc circumstantiam aperire in confessione suorum peccatorum.*

62 *Si Sacramento confessionis vsus fuisset ad tale peccatum perpetrandum; tunc circumstantia esset confitenda tanquam mutans speciem.*

63 *Quid si non vsus sit Sacramento confessionis tanquam medio. Affirmant adhuc aliqui circumstantiam hanc esse aperiendam.*

64 *Refertur sententia Filliucij in hac re.*

65 *Sententia Authoris.*

66 *Vtrùm Parochus habens copulam cum Parochiana teneretur circumstantiam Parochi in confessione detegere.*

CVM ad hanc reseruationem incurrendam dixerimus duas conditiones requiri, vt videlicet copula sit perfecta, & consummata: atque vt ea habita sit cum persona coniuncta cognatione spirituali: inde est, vt ex alterutrius conditionis defectu præsens reseruatio non incurratur.

54 Primò igitur non incidit Parochus copulam habens cum Patrina: & è contra. Pariter excusatur Patrinus habens copulam cum Patrina: & è contra. Et ratio est, quia inter hasce personas nulla intercedit cognatio. Hinc est, vt Patrinus possit contrahere matrimonium cum ea, cum qua simul alienum puerum suscepit, vt definiuit Pius V. in Bulla sua, quæ incipit, cùm illius vicem.

55 Secundò, nõ incidit Parochus, qui cum sorore, aut filia eius, quem baptizauit, rem habeat. Idemq; dicendum de susceptore. Et ratio est, quia copula hæc non est incestuosa, cùm spiritualis cognatio extendatur tantùm ad parentes baptizati, aut suscepti, nõ verò ad alios cõsanguineos.

56 Tertiò, non incidunt in casum filij baptizantis, suscipientis, confirmantis, qui rem habeant cum puella baptizata, suscepta, vel confirmata. Et ratio est allata, quia copula hæc non est incestuosa, cùm Tridentinum sustulerit Confraternitatem.

57 Quartò excusatur, qui nefariam copulam habet cum à se baptizata, aut suscepta. Et ratio est, quia copula hæc non est propriè incestus, vt patet

ex dictis in Cap. 4. num. 44. Incideret tamen in reseruationem eam, de qua agemus cap. sequenti.

58 Quintò non incidit is, qui carnaliter cognoscat puellam, quam susceperit tantùm in Catechismo, iuxta dicta num. 9. Pariter non incidit is, qui puellam cognoscat carnaliter, quam susceperit in Baptismo priuatim administrato, iuxta dicta num. 22. Excusatur item is, qui cùm non esset confirmatus puellam tenuit in Sacramento Confirmationis, & postmodum cum ea copulam habuit, iuxta dicta nu. 19. Demum verò regula hæc generalis est ad hanc reseruationem requiri copulam, quæ sit incestuosa ex cognatione spirituali.

59 Sextò excusatur, qui cum puella à se baptizata, aut suscepta tactus habet impudicos, ex quibus etiam sequatur seminis emissio, sed non intra vas naturale. Et ratio est, quia actus hic non est propriè incestus, iuxta dicta in cap. 4. num 42. & 43.

60 Septimò, non incidit Confessarius, qui copulam habeat cum filia spirituali, cuius confessiones aliquando exceperit. Et ratio est, quia ex Sacramento Pœnitentiæ nulla cognatio cōtrahitur, vt patet ex cap. fin. in fine, de cognatione spirituali in 6. vbi postquā decisum est cognationem hanc oriri ex Baptismo, & Confirmatione, sic dicitur [Ex datione verò aliorum Sacramētorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, aut dissoluat.] Ergo accessus ad Pœnitentem non est incestus. Ita Doctores omnes asserentes circumstantiam hanc non esse in confessione explicandam.

Neque obstat cap. Omnes. 30. q. 1. quod est ex Symmacho Papa, vbi sic habetur, [Omnes quos in pœnitentia accepimus, ita filij nostri sint, vt in Baptismate suscepti:] licèt enim Confessarius dicatur pater spiritualis, non tamen inter eum, & Pœnitentem intercedit talis cognatio, quæ faciat, vt copula inter illos sit incestuosa: vnde si quando talis dicitur, intelligendum id est impropriè, & metaphoricè.

61 Potior difficultas est, vtrùm saltem talis circumstantia sit confitenda tanquam speciem mutans, aut notabiliter aggrauans.

62 Certum hoc est, immane esse sacrilegium, ac mutans luxuriæ speciem, quando Confessionis Sacramentum accipiatur vt medium ad hoc peccatum perpetrandum. Vnde est, vt ob tanti sceleris enormitatem ex mandato Sanctis. D. N. Papæ Pauli V. impositum sit Pœnitentibus præceptum, vt prodant Confessarios, qui hoc tentarint, Inquisitoribus S. Officij.

63 Præsens ergo casus agitatur quando non accipitur confessio vt medium: sed multo tempore transacto Sacerdos habet rem cum fœmina, cuius aliquando confessiones excepit: & quæritur an teneatur circumstantiam hanc in peccatorum suorum confessione aperire.

Respondent aliqui affirmatiuè: licèt diuerso fundamento nitantur. Alij enim asserunt circumstantiam hanc esse confitendam, quia speciem mutat, & quia est speciale sacrilegium ratione vinculi similis cognationi spirituali ex eo Sacramento contracti, ita Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 55. nu. 3. & 4. Paludanus in 4. dist. 42. q. 1. art. 1. concl. 2. nu. 7. Tabiena v. circumstantia in fine, & ibi Armilla nu. 12. Viual. in Candelab. aureo 1. par. vbi de confess. nu. 50. Fagundez citandus, & alij plures dicentes circumstantiam hanc mutare speciem peccati luxuriæ in incestum,

cestum, vel sacrilegium. Alij verò existimant circumstantiam hanc non quidem mutare speciem, sed tamen notabiliter aggrauare peccatum, ideoquè esse confitendam. Probant autem primò hanc suam sententiam ex cap. omnes cit. Tum verò ratione, quia peccatum hoc est contra reuerentiam debitam Sacramento Pœnitentiæ; per illud enim tollitur reuerentia, quam filiæ spirituales tenentur præstare erga Confessarios, & est causa, vt illæ arceantur à confessione: vnde est vt magna iniuria irrogetur Sacramento Pœnitentiæ reddendo illud Pœnitentibus odiosum. Ita Vasq in 3. par. to 4. q. 91. art. 1. dub 2 nu. 20. Vega to. 1. summæ cap 55. casu 19. Emmanuel, Rodriquez, quem citat pro hac sententia Fagundez 2. præcept. Ecclesiæ lib. 4. cap. 3. num. 33.

64 Demum verò Filliucius tom. 1. tract. 10. cap. 5. num. 187. huic difficultati cum distinctione sic respōdet. Vel enim mulier, quę fuit carnaliter cognita à Confessario, est actu pœnitens illius, eiq; ordinariè confitetur: vel non est actu pœnitens, sed olim fuit. Si primum, circumstantiam hanc existimat notabiliter aggrauare, & esse confitendam, ob rationem allatam; quia, videlicet, accessus iste Confessarij ad fœminam pœnitentem tollat in fęmina pęnitente reuerentiam illam, quam erga suum Confessarium tenetur præstare.

Si secundum: tunc existimat circumstantiam hanc non esse confitendam, ex eo quòd desierit motiuum reuerentiæ.

65 Ego verò respondeo circumstantiam hanc non esse confitendam. Et ratio est, quia circumstantia hæc nō addit nouam speciem peccato carnis. Si enim addit nouam speciem: vel ideo est, quia addat malitiam incestus. Et hoc non, quia incestus committitur inter cognatos; Sacramentum autem confessionis non inducit propriè cognationem spiritualem: cùm id nullo iure expressum sit. Vel quia addat malitiam sacrilegij ob peculiarem iniuriam irrogatam illi Sacramento. Et hoc non, quia non sumitur Sacramentum vt medium ad tale peccatum perpetrandum. Tum quia si Confessarius incitet Pœnitentem ad alia peccata quàm carnis nullam irrogat iniuriam illi Sacramento; Ergo neq; si eundem incitet ad peccata carnis: cùm sit par ratio.

Nequè circumstantia hæc est confitenda, quia notabiliter aggrauet: quia esto, notabiliter aggrauet; tamen in me a sententia, quàm alibi indicaui, circumstantiæ notabiliter aggrauantes non sunt confitendæ; sed eæ solæ quæ speciem mutant. Id quod apertè colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. quo loco exactam intendens tradere doctrinam de omnibus necessarijs ad Sacramentum Confessionis, vt colligitur ex ijs verbis, [Nihil aliud ab Ecclesia à Pœnitentibus exigitur] meminit tantùm earum circumstantiarum, quæ speciem mutant; Ergo dum de aggrauantibus tacet, virtualiter negat eas esse confitendas. Sed quæstio hæc non est huius loci, vt longiùs sit immorandum. Tutè igitur in praxi sustineri potest hæc sententia asserens copulam inter Confessarium, & Pęnitentem non esse affectam peculiari circumstantia in confessione necessariò explicanda. Et ita eam docent Azor. 3. par. lib. 3. cap. 9. quæst. 5. & 6. Petrus de Ledesma de matrim. quæst 56. art. 2. dub. vltimo. Bonacina quæst. 4. de matrim. pun. 16. proposit. 5. num. 8 Antonin. Diana tract. de circumstantijs ag-

grauantibus resol. 13. Ac demum DD. omnes asserentes circumstantias, etiam notabiliter aggrauantes non esse in confessione explicandas, quos lungo numero videre est apud eundem Dianam resolut. 1.

66 Dixi inter Confessarium, & Pœnitentem: vtrùm enim Parochus habens copulam cum Parochiana teneretur in confessione circumstantiam Parochi explicare, affirmat Bonac. cit. num. 10. cùm illi ratione officij incumbat onus procurandæ salutis suorum Parochianorum, & sic peccet contra proprium officium.

Contrarium tamen videtur satis probabiliter posse sustineri cum Henriq. lib. 2. cap. 6. num. 3. in glossa, littera O, quem sequitur Diana tract. 7. de circumstantijs aggrauantibus, vbi ait Iudicem, vel aliam personam publicam, qui ex officio teneatur res alienas custodire, non teneri hanc circumstantiam officij explicare in confessione, si fortè ipse aliena furetur; Ergo idem dici potest in nostro casu.

Ex quibus patet ad rationes pro contraria sententia allatas.

De grauitate huius peccati.

Grauissimum hoc peccatum est, cùm per illud violetur reuerentia, quæ inter cognatos debetur, vi cuius statutum ab Ecclesia fuit, vt cognatio spiritualis præcedens matrimoniū, illud dirimeret: sicut illud idem dirimit cognatio naturalis propter reuerentiam debitam inter consanguineos. Meritò autem fuit reseruatum, ea potissimum ratione, quòd nonnunquam contingat, vt corruptæ vitæ homines dedita opera cognationem hanc contrahant, baptizandos, vel confirmandos suscipiendo, vt occasione cognationis contractæ liberiùs eorum Matrum domos adire, & cum ijs peccare possint. Ex quo fit, vt maximam iniuriam Sacramentis irrogent, quibus ad libidinem suam explendam vtantur: & sic turpissimi sacrilegij culpam contrahant.

DISCE LECTOR.

Vbi Religio, ac Dei timor mortaliū animis abscesserit Effręnatæ libidini coercendæ nulla repagula extare.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM

Qui sodomiam commiserint.

1 *Quid sit sodomia.*
2 *Coitus multiplex est, naturalis, innaturalis, bestialis.*

PVderet de hisce scribere, nisi improbè perditi mortalium pleriq; hanc nobis necessitatem fecissent: nimirum, eò acti improbitate sua, vt in omne scelus ruētes, in nefarium etiam hoc crimen ruere vltro, Dæmone ipso improbiores, non dubitent. Illud tamen Lectoris puritati dabo, vt caput hoc breuissimè expediam, quærendo tantùm, qui nam incidant in hanc reseruationem; & qui nā ab ea excusentur. Sed priùs definienda est sodomia.

1 Sodomia sic definitur, quòd sit coitus inter personas eiusdem sexus in

vase

vase indebito. Ita D. Tho. 2.2.quæst. 154.art.8. Caietan. ibidem, art.2. Azorius 3.par. lib.3.quæst.18. Nauar.c.16. nu.3. Chapeau. casu 15.vers. tertia species. Et alij communiter. Quç definitio clarè ostendit inter quas personas cõmittatur sodomia: debent enim esse eiusdem sexus, vt si masculus cum masculo, fœmina cum femina congrediatur. Et præterea debet committi in vase indebito, vt patebit ex dicendis.

2 Ad huius autem definitionis clariorem intelligentiam aduertendum est, coitum alium dici naturalem: aliũ innaturalem: alium bestialem. Naturalis adhuc duplex est, alter licitus: alter verò illicitus. Licitus ille est, qui fit cum vxore: illicitus, qui fit cum non sua, in vase tamen naturali, quæ si soluta sit, dicitur, fornicatio: si consanguinea, vel affinis, incestus: si coniugata, adulterium: si virgo, & per vim cognoscatur, stuprum.

Innaturalis item duplex est: alter propriè: alter impropriè acceptus. Impropriè acceptus, quando licèt non seruetur vas, seruatur tamen sexus: vt si masculus fœminam cognoscat, sed tamen in vase præpostero. Propriè verò acceptus, quando nec seruatur vas, nec sexus: vt si masculus cum masculo coeat. Ad sodomiam ergo non sufficit quicunquè coitus innaturalis, sed talis requiritur, qui propriè sit innaturalis, vt patet ex particulis illis definitionis, eiusdẽ sexus, & in vase indebito.

Bestialis ille est, qui fit cum animali non eiusdem speciei puta, cum bruto, aut Dæmone.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam incidant in hunc casum.

3 *Ad hanc reseruationem quæ nam conditiones requirantur.*

4 *Incidit in casum Masculus cum Masculo præposterè congrediens.*

5 *Vtrùm detur sodomia inter fœminas. Aliqui affirmant.*

6 *Sententia Authoris.*

7 *Vtrùm patiens sodomiam incidat in casum. Aliqui negant.*

8 *Sententia Authoris.*

9 *Incidit in casum is, qui etiam semel tantum hoc peccatum commiserit.*

10 *Secus verò si verba reseruationis huiusmodi essent, qui sodomiam exercuerit.*

11 *An impuberes ligentur hac reseruatione. Aliqui negant.*

12 *Author affirmat.*

3 AD hanc reseruationem incurrendam duæ conditiones requiruntur. Prima, vt copula sit perfecta, & intra vas præposterum consummata. Altera, vt sit inter personas eiusdem sexus.

4 Vnde inferas primò sub casu cõprehendi masculum cum masculo congredientem. Et ratio est, quia copula hæc est verè, & propriè sodomitica.

5 Secundò existimant aliqui comprehendi sub casu fœminam cum fœmina ita congredientem, vt altera earum masculi vicem gerat, & effusio seminis intra vas naturale sequatur. Ratio illorum est, quia coitus hic verè innaturalis est, & cum persona indebita, id est ad non debitum sexum. Ita Graffius in praxi lib.1.cap.11. num.26. licèt sibi contrarius videatur num. 10. vbi habet, ad propriam sodomiam requiri, vt ea committatur, & cum persona indebita, & in vase indebito. Chapeauilla casu 15. quæst. 2. versic. Quartò è contrario, Bonacina quæst. 4. de matrim. pun. 11. num.5. versic. Tertiò, ad summum hinc sequi, Lupus de casibus reseru. par.2. casu 10. num. 14. Belloch.

de casibus reseru.par.2. num.189.

6 Ego tamen contrarium existimo esse verius. Et ratio est, quia licèt actus iste ad sodomiam reducatur cùm sit inter personas eiusdem sexus: tamē non est verè, & propriè sodomia, quia licèt non seruetur sexus, seruatur tamen vas, atq; ob id in definitione sodomiæ apposui particulam illam, in vase indebito. Quòd si casus dari posset, vt fœmina alteram fœminam ita supergrederetur, vt vel medio aliquo instrumento, vel sine instrumento immitteret semen intra vas præposterum alterius, quòd fieri posse asserit ex Auicenna, Antonin. Gomez l. 80. Taur. num.34. tunc dicerem ligari hac reseruatione, quia tunc peccaretur contra vas debitum,& contra sexum,quod diximus esse de ratione sodomiæ. Et ita intelligendum est quod diximus in c.4. num.49.

Huius sententiæ videtur esse Gambarup. de cas.reser.fol.155.num.2.& 3. vbi habet, nefandum hoc vitium quatuor modis committi. Primò, si masculus cum masculo coeat. Secundò, si masculus fœminam præposterè cognoscat. Tertiò, si duæ mulieres inuicem se polluant. Quartò, si vir, vel fœmina proprijs manibus se polluat:& postmodum subdit, harum quatuor specierum primam tantùm, & secundam sub reseruatione comprehendi; Ergo in sententia Gambaruptæ, si duæ fœminæ inuicem coeant, non tamen præpostera venere, non incidunt in casum: quia, videlicet, actus iste non est verè, & propriè sodomia. Hoc idem videtur expresè docere Graff. cit. num.10. & num.9. vbi sic habet. [Differt sodomitica copula ab actu sodomitico:nam copula sodomitica fit masculino coitu in vase stercorario; sed actus sodomiticus fit polluendo se ipsum cum secunda persona, quæ non solùm inter viros, sed etiam inter fœminas esse potest. Casus verò noster intelligitur de sodomia, hoc est de copula sodomitica.] Sed clariùs nobiscum sentit. Homobonus in Comment. de cas. reseru. par.2. cap. 4. sect.5. versic.2.

7 Tertiò, existimant aliqui non ligari hac reseruatione patientes sodomiam, quorum ratio est, quia patiens non dicitur committere sodomiam,sed pati: reseruatio autem eos solos comprehendit; qui sodomiam cōmiserint, non verò qui passi fuerint. Ita Graff. in praxi loco cit.num.7. vbi sic habet,[Ex quo arguitur, quòd cùm patiens differat ab agente,& non sit idem vt agens, quòd non veniat appellatione sodomitæ: tùm ex diuersitate vocabuli,& variatione: tùm ex diuersitate pœnæ: tùm ex grauitate sceleris; nam maius est peccatum agentis, quàm patientis &c.] Ioannes Franciscus Suarez verb. interpretatio, Peregrinus Polletta, verb. sodomiticus actus,Antonius Bernarducius par. 1. de circumstantijs, nu. 12. §. Secunda species. Tum quia patientes,in rigore loquendo,non dicuntur sodomitæ, sed molles, iuxta illud D.Pauli 1. Cor.6. Neque adulteri,neq; molles,neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt. Vbi glossa sic exponit, quam sequitur D. Tho. 1.2. quæst.138. art.1. ad 1. & Caiet. in sum.verb.mollities, vbi ait mollitiem etiam dici peccatum contra naturam, quo mas patitur vt mulier. Et has rationes,inquit Antonin. Diana 2. par. tract. 17. 3. miscellaneo fortè suadere alicui posse,quòd Clericus patiens sodomiam non incidat in pœnas Bullæ Pij V. contra sodomitas; licèt ipse huius sententiæ probabilitatem ad viros doctos remittat.

8 Verùm contraria sententia verior

rior est, & omnino tenenda. Et ratio est, quia tam patiens, quàm agens, propriè dicitur committere peccatum sodomię. Tum quia, licèt verbum (committere) proprie designet actionem, non passionem: tamen quia sumus in eodem genere delicti, vnum includitur in alio. Tum quia in correlatiuis dispositum in vno, censetur etiam dispositum in alio. Demum quia consuetudo, & stylus Ecclesiæ nostræ, qui in re morali plurimi est faciendus, hucusquè semper ita sensit. Ita Bonacina superius cit. num. 2. vers. Aduertendum est secundò, Lupus de cas.reser.par.2.casu 10.nu.9.Belloc.cit.num.188. Ad idquè faciunt tradita per Iulium Clarum lib. 5. §. sodomia nu. 2. & per Finellum de cas.reser. casu 9. nu. 1. appelantes propriè sodomiam peccatum patientis.

9 Quartò, hac reseruatione ligari eum, qui etiam semel tantùm peccatum hoc commiserit. Et ratio est, quia de illo verum est dicere, quòd sodomiam commiserit. Ad hocquè facit, quod docet Sanchez in sum.lib.2. cap. 10.nu.10.vbi ait, censuram latam contra receptatores hæreticorum incurri per vnicam receptionem: quod idem docet Azor.lib.8. instit. moral. cap.25. Toletus in summa, in Bulla Cœnæ, casu 1. nu. 21. licèt attenta vi vocis, multiplicata receptio videatur necessaria ad hoc vt quis dicatur receptator. Ad idemque facit quod docuimus in cap. 5. nu. 3. vbi diximus, incendiarium dici eum, qui etiam semel tantùm incendat: & sic incidere in reseruationem latam contra incendiarios.

10 Secus verò, si reseruatio esset lata in hæc verba, qui sodomiam exercuerint, qualis est ea, quam explicat Graff cit. tunc enim, cum verbum ipsum exercere, significet frequentiam; necessarium etiam esset ad hanc reseruationem incurrendam, vt quasi ex vsu continuo, & pessimo habitu huic nefando vitio esset quis deditus: proindeque non sufficeret si semel, bis, ter, aut etiam quater illud committeret. Vide eundem Graffium lib. 1. cap. 11.nu.11.& 27.Belloch. cit. nu. 204.& quæ dicemus inferiùs de Clerico exercente vitium sodomiæ.

11 Quintò, existimant aliqui, pueros, qui ante pubertatem, idest, ante decimum quartum annum se ipsos sodomiticè cognoscant; etiamsi constet eos consummasse actum in vase præpostero: adhuc tamen non ligari reseruatione. Quorum ratio est, quia reseruatio est de ijs, quæ procedunt regulariter, & non de ijs, quæ raró accidunt, de quibus non est curandum, l.nam ad ea, ff. de legib. Zabar. in c.1. n.2. de delict. puer. Tum quia sicut minor ætas in foro exteriori excusat à pœna ordinaria, ita & in Animæ iuditio. Ita Graff in praxi loco cit.n. 29. & to. 1. Consiliorum lib. 5. de Adul. cons.3.nu.13.& seq.vbi concludit pueros succubos, & muliebria patientes ante annos pubertatis non includi sub reseruatione: post verò sic. Idemquè docet Belloch. de cas. reseru. par. 2. quæst.1. nu.203.

12 Ego tamen contrarium puto verius quoties contingat, vt malitiâ ætatem supplente impubes sit aptus ad seminandum. Et ratio est, quia litera reseruationis absolutè loquitur; Ergo absolutè est intelligenda. Hinc est, vt in Diœcesi Consentina, teste Graffio, Ordinarius intendens excludere ab hac reseruatione impuberes expresserit ætatem quindecim annorum. Tum quia impubes blasphemans Deum, aut sanctissimam eius Matrem, incideret in casum; ergo etiam sodomiam, aut incestum committens. Demum quia

reseruatio non est pœna, qualis est censura, quæ afficiat delinquentem: quomodo impuberem non posse licitè excommunicari excõmunicatione lata ab homine, docent Suarez de censur. disput. 5. sect. 1. nu. 19. Coninchus disp. 13. dub. 6. nu. 44. Filliucius tract. 21. cap. 5. q. 4. nu. 131. Alterius lib. 3. disput. 1. cap. 3. ad finem, Bonacina de censur. disp. 1. q. 1. pun. 4. nu. 9. Adduntque Sayrus de censuris lib. 1. ca. 8. nu. 4. Vgolinus tabula 1. cap. 17. §. 3. & alij, neque validè posse excommunicari: sed est negatio iurisdictionis, quæ Confessarium potius afficit, quàm Pœnitentem: sic enim in disput. 1. quæst. 2. difficult. 5. diximus ignorantiam reseruationis nihil prodesse; Ergo impubertas non obstabit pro incurrenda reseruatione; incurri enim reseruationem nihil est aliud, quam peccatum tale esse, vt ab illo absoluendi facultas nõ competat cuilibet Confessario, sed soli Superiori sit reseruata. Vide, quæ dixi in cap. 4. nu. 35. loquens de incestu.

Neque valet, si dicas cum Lupo de cas. reser. par. 1. dist. 4. nu. 6. impuberes ligari quidem reseruationibus adnexis ijs peccatis, quæ non sunt carnalia, qualia sunt homicidium, blasphemia &c. ijs verò, quæ sunt adnexę peccatis carnalibus, non ligari, cùm regulariter loquendo actum non compleant. Primò enim nos locuti sumus de impuberibus, qui malitiâ ætatem supplente sint apti ad generationẽ. Tum quia patiens sodomiam, incidit in casum, vt concedit idem Lupus cit. cùm tamen ad actum hunc non requiratur seminatio. Ergo ab hac reseruatione non ideo excusatur impubes, quia non possit actum complere. Ita Homobonus de cas. reser. par. 1. c. 3. fol. 60. vbi sic habet, Peccata impuberum, vt masculorum ante 14. annum, reseruationibus Episcoporum subduntur, nisi aliud eorum statutis caueatur. Lazarius tract. de blasphemia quæst. 9. num. 42. Floronus par. 2. de cas. res. casu 7. num. 8.

Ad rationes Aduersariorum respondeo, eas potius valere pro foro fori, quam pro foro conscientiæ.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusentur ab hac reseruatione.

13 *Non incidit in casum qui peccatum nefandum incboat in vase, sed illud consummat extra vas.*

14 *Vtrùm peccet maritus præpostero actu inchoans copulam, sed illam complens in vase naturali.*

15 *Non incidit masculus cognoscens fœminam in vase præpostero.*

16 *Aliqui existimant actum hunc esse propriè sodomiam.*

17 *Author negat.*

18 *Excusatur à reseruatione qui cum brutis coeat.*

19 *Item, qui cum Dæmone.*

20 *Demum excusantur masculi qui per turpes amplexus se inuicem polluũt.*

Diximus in superiore quæstione, ad hunc casum incurrendum, duas hasce conditiones requiri; vt copula sit consummata intra vas præposterum: alteram verò, vt ea sit inter personas eiusdem sexus. Ex hac autem regula assignata facillimum est, intelligere, quinam ab hac reseruatione excusentur.

13 Non incidit igitur primò, qui peccatum nefandum inchoauerit quidem in vase, sed extra vas illud consumauerit. Et ratio est, quia reseruatio

semper

semper intelligitur de actu perfecto, & consummato. Hinc est vt Maritum ideo plerique excusent à reseruatione, quando volens vxori suę legitimè coniungi, ad venerem excitandam, vel maiorem voluptatem captandam, in vase illo infamissimo copulā inchoat, animo tamen non nisi intra concessum vas actum consummandi. Ita Bellochius de cas.res.par.2.quæst.1.nu. 196.

14 Vtrùm verò maritus præpostero actu incipiens cognoscere vxorem, sed postea in vase naturali actum complens, mortaliter peccet. Respondet negatiuè Nauar.lib.5.consil. de pœnit. & remiss. consil. 7. dicens in actu hoc reperiri solùm peccatum tactus cuiusdam illiciti. Et in summa cap. 27. versic.quintò, Angelus v. debitum coniugale num.25.quo loco ait, Deum concessisse coniugatis, vt possint delectari circa corpus coniugis, citra pollutionem, vel eius periculum, & hoc ad vitandam fornicationem.

Verùm hæc sententia non placet Sanchez lib. 9. de debito coniugali disp. 27. nu. 5. qui tacito nomine citat viros doctissimos à se consultos, nec nostro Bonacinæ quæst. 4. de matrim. pun. 11. nu. 12. quorum ratio est, quia tactus iste neq; ex se, neq; ex tangentis intentione potest ordinari ad actum coniugalem, cùm sit medium improportionatum, & alterius ordinis luxuriç. Tum quia actus iste inchoatur in vase indebito, & illegitimo, a quo ipsa natura abhorret. Demum quia alio modo minus turpi possunt coniuges excitare se ad venerem. Hinc est, vt Doctores non pœnitendi doceant iustam diuortij causam à viro præberi tentante vxorem suam sodomiticè cognoscere, Innoc. c. 1. num. 1. de adul. Menoch. de arbitrarijs lib. 2. centura 3. casu 286. num. 14. Couar. 4. decret. 2.par.c.7.§.1.num.6. Anton. Cucus lib. 5.instit. maior. tit. 12.& alij. Quod tamen intelligendum esse ait Henriq. lib.11.de matrim.cap.17. num.7. Si vir corrigi nolit. Ac licèt vir corrigi nollet; non tamen id esset causa perpetui diuortij, sed tantùm ad tempus, quandiù, videlicet, vir non vult resipiscere: non enim qualitas ipsa criminis præberet iustam causam diuertendi; cùm ita vir non diuidat carnem suam in alium: sed inductio ipsa ad peccatum; proindeq; tandiù tantùm durare posset diuortium, quandiù duraret inductio.

Quidquid tamen sit de hac Doctorum diuersitate, illud conuenit inter omnes, Confessarij munus esse detestari deuiationes omnes à naturali copula, maximèq; hanc adeo turpem, adeo abhominabilem, vt eam in venerem omnem prona animantia non agnoscant: solus homo præpostera libidine fœdissimè conspurcetur.

Addam hoc loco pro praxi; licèt in reseruationem non incidat is, qui vsq; ad consummationem peccatum hoc peregerit in vase præpostero, quam præuidens, fraudolenter membrum extraxerit, & extra vas semen effuderit; ad Superiorem tamen esse remittendum, ne illi sua fraus patrocinetur. Quinimo hunc sub casu comprehendi existimant Graff. in praxi lib. 1. cap. 11.num.25. citans Iulium Clarum in §. sodomia, Bellochius de cas. reser. par. 2.q.1.nu.184.

15 Secundò, excusatur ab hac reseruatione masculus cognoscens fœminam in vase prępostero. Et ratio est, quia copula hæc non est propriè sodomia.

16 Scio contrarijs sententijs pugnare inter se Doctores plures: cùm alij asserant actum hunc esse verè sodomi-

domiticum. Ita Couar. in 3. par. de matrim.cap.7.§. 5. nu.7. Emmanuel Sà in Aphorismis, verb. luxuria, num. 5. Prosp.de August.in Addit.ad Quarant. in sum. Bullar. v. sodomia. Gambar. de cas. reser.casu 2.n 3. Iulius Clarus lib.5. §.sodomia nu.2.Bellochius in sua Praxi par. 2. q. 1. num. 187. Et Sanchez lib.9. de matrim. disp. 18. num.4. existimat maritum præpostere cognoscentem vxorem suam grauiùs peccare, quàm peccarent solutus, & soluta turpissimo hoc peccato se inquinantes. Et rationem subdit, quia peccatum hoc abusus vxoris extra vas legitimum vltra malitiam sodomię, includit etiam culpam adulterij, cum abusus iste sit contra fidem matrimonij, ex eo quòd neuter coniux seruet alteri suum corpus castè, quod ad bonum fidei pertinet. Quod si dicas, coniugem habere potestatem in corpus alterius: respondet, non habere potestatem ad quemcunquè actum etiam inordinatum, & præposterum, sed ad naturalem tantùm. Pariter si subdas, copulam hanc non futuram saltem adulterinam quando maritus vxorem suam consentientem præpostere cognosceret: respondet idem Sanch. consensum hunc non tollere malitiam adulterij; quomodo eandem non tolleret, si de consensu vxoris maritus cognosceret carnaliter solutam: cuius rei ratio ea est, quia bono fidei, ad quod per matrimonium coniuges obligantur, cedere nequeunt. Vnde est, vt num. sequente inferat, futurum vt maritus non satisfaceret, si in confessione diceret se peccatum sodomiæ commisisse: sed vlteriùs teneri aperire, se tale peccatum cum altero coniuge commisisse. Vnde in sententia Sanchez copula hęc est sodomitica.

17 Ego tamen respondeo iuxta dicta superiùs, copulam hanc, masculi videlicet cum fœmina in vase præpostero non esse, propriè sodomiam. Et ratio est, quia in sodomia propriè peccatur non solùm contra vas, sed etiam contra sexum: masculus autem præpostere cognoscens fœminam, licèt non seruet vas, seruat tamen sexum. Ita Graff. cit. num. 10. vbi ait actum hunc non sodomiam esse, sed peccatum non nominandum, & contra naturam. Azor. tom. 3. lib. 3. cap. 20. in principio, Floronus de cas.reser.par.2. casu 7. num. 6. Bonac. quæst. 4. de matrim. pun. 11. num. 4. Lupus de cas. reser. par. 2. casu 10. num. 3. Et alij, qui citant D.Th.2.2.quæst.154 art.11.Caietanum ibidem art.2.

Dices, Eminentissimum Cardinalem Federicum Borromæum huius reseruationis latorem interrogatum semel de hoc casu respondisse, eum, qui cum fœmina præpostera libidine vtetur, incidere in casum.

Respondeo, testata verè vbiquè terrarum tanti Viri studia esse pietatis, ac doctrinæ: proindeq; responsionē hanc plurimi esse faciendam; de ea tamen nobis non satis constare. Tum quia dicere possumus de casu hoc consultum Cardinalem affirmasse quidem, sed tanquam priuatum Doctorem, non verò vti Principem reseruantem.

18 Tertiò, non incidit in casum, qui cum brutis coeat, & in eorum vase actum consummet. Et ratio est, quia actus iste non est sodomia, cùm non sit inter personas eiusdem sexus: quarè ille non innaturalis est sed bestialis, & habet malitiam bestialitatis. Tum quia alias in nostris Synodis Diœcesanis reseruatum erat peccatum bestialitatis seorsim, & distinctè à peccato sodomiæ; quæ reseruatio non amplius exprimitur; Ergo signum est in sodomia non comprehendi bestialitatem. Ita

Bonac.

Bonac. quæst.4. de matrim. pun. 12. de bestialitate num.5.

19 Quartò, excusatur ab hac reseruatione, qui cum Dæmone ipso nefariè coeat. Et ratio est allata, quia cùm actus iste non sit inter personas eiusdem sexus, non sodomiticus est, sed bestialis; bestialitas enim à Doctoribus communiter definitur, quòd sit coniunctio carnalis cum re alterius speciei, puta, cum bruto, vel cum Dæmone. Peccatum tamen hoc præter malitiam bestialitatis includeret aliam superstitionis propter societatem cum Dęmone: quę circumstantia, cùm speciem mutet, esset aperienda in confessione, vt communiter docent DD.

20 Quintò demum excusantur masculi ij, qui per amplexus, aliosq; libidinosos actus se inuicem polluunt. Et ratio est, quia actus hic non sodomia est, sed mollicies.

DIFFICVLTAS I.

An in peccato sodomiæ Pœnitens teneatur exprimere vtrum fuerit agens, an patiens: & an gradus cognationis sit explicandus.

21 *Sodomita non tenetur in confessione exprimere vtrùm fuerit agens, an patiens.*

22 *An gradus cognationis sit explicandus in sodomia. Aliqui affirmant.*

23 *Author negat.*

24 *An sit explicanda circumstantia persona vtrùm sit mas, vel fœmina.*

25 *Vtrùm etiam sit explicanda circumstantia quando sodomia committitur cum persona coniuncta cognatione spirituali.*

21 AD primum negatiuè respondet Alphonsus de Leone de offic. & potest. Confess. par. 1. Recollect. 9. num. 216. & 218. vbi sic habet; Ego dicerem, saluo meliore iudicio, non esse necessariò exprimendum an fuerit agens, vel patiens, quia tale peccatum est eiusdem speciei, & ideo quia magis graue est peccatum agentis, quā patientis, ideoquè maiori pœna punitur, non sequitur esse diuersæ speciei, quia magis, & minus non variant speciem. Et hanc eandem sententiam Alphonso citato sequitur Diana par. 3. tract. 4. de Sacramentis, resolut. 159. vbi ait, si quempiam rubor impediret quominus exprimere posset se fuisse patientem, satisfacere si dicat, toties sodomiam commisi.

Quòd si dicas, committens sodomiam, seminat; patiens verò, non seminat; Ergo tenetur manifestare, vtrùm fuerit agens, vel patiens. Contra est quia circumstantia hæc ex parte patientis esset minuens: circumstantiæ autem minuentes intra eandem speciem non sunt confitendæ, vt docuimus suo loco cum Bonauent. d.17. art. 5.q.vlt. Nauarro cap.6. num.6. Suarez de pœnitent. disput. 22. sect.3 num.16. & alijs: cùm eę potiùs excusationes, quàm accusationes sint.

22 Quoad secundum, respondet Bonacina quæst.4. de matrim. pun. 11. nu.7. & 8. vbi habet, si copula sodomitica habeatur cum affine; aut consanguineo in linea transuersali, explicandam esse circumstantiam affinitatis, consanguinitatis, & gradus vsquè ad secundum inclusiuè: si verò ea sit habita cum consanguineo in linea recta, in quocunquè gradu ille sit, aperiendam esse circumstantiam: redditq; rationem, quia actus iste valde repugnat reuerentiæ debitæ consanguineis, & cognatis. Atq; hanc eandem sententiam priùs docuerat Azor. par. 3. lib. 3. cap.18.

cap. 18. quæst. 5. Graff. de Arbitr. confess. lib. 2. cap. 34. num. 3.

23 Ego verò respondeo iuxta dicta in cap. 4. num. 47. teneri quidem Pœnitentem in confessione dicere se commisisse sodomiam cum consanguineo, aut affine, non tamen teneri ad explicationem gradus, vt hoc idem in probabili sententia diximus agentes de incestu commisso cum consanguinea, aut affine. Vide Doctores pro hac sententia relatos in c. 4. nu. 28. Quinimo, sicuti committens incestum cum consanguinea, aut affine, non teneretur in confessione aperire circumstantiam consanguinitatis, aut affinitatis, sed satisfaceret dicendo se commisisse incestum: ita committens sodomiam cum consanguinea, aut affine, satisfaceret, si in confessione diceret, se sodomiam commisisse cum persona sibi vinculo cognationis coniuncta.

24 Addit idem Bonacina explicandam esse personam, cum qua habita sit sodomia: vtrùm, videlicet, sit mas, an fœmina. Ego verò arbitror id non esse necessarium; licèt enim cōcubitus iste cum fœmina non sit propriè sodomia, tamen ad sodomiam reducitur: vnde satisfaceret dicendo, peccaui contra naturam; nisi verò circumstantiam fœminæ vellet aperire propter reseruationem, ne videretur incidisse in casum.

25 Pariter, si quis peccatum hoc committeret cum persona coniuncta cognatione spirituali, non teneretur circumstantiam personæ aperire. Et ratio est, quia præter legem naturalē, aut etiam positiuam generaliter prohibentem nefarium concubitum, non adest lex specialis, quę specialiter prohibeat actum hunc. Ita Azor. cit. Bonac. versic. Si verò commissa &c. Idēquè multò magis dicendum si actus iste fuisset commissus cum filio adoptato, aut adoptata: aut si cum puella virgine: circumstantiæ enim hæ nihil addunt peccato.

DIFFICVLTAS II.

De Praxi seruanda à Confessario cum Clerico sodomiam exercente.

26 *Constitutio Pij V. contra Clericos exercentes sodomiam.*

27 *Vtrùm incidat in pœnas, si bis, aut ter tantùm hoc peccatum committat.*

28 *Refertur sententia affirmans.*

29 *Non afficitur his pœnis Clericus habens rem cum muliere in vase præpostero.*

30 *Non incidit item quando solitus est consummare extra vas.*

31 *Incidit verò quando sodomiam exercet, siue sit agens siue patiens.*

32 *An obliget hæc constitutio ante sententiam declaratoriam criminis.*

33 *Non incidit in pœnas huius constitutionis exercēdo vitium bestialitatis.*

34 *Vtrùm incidit in suspensionem occultè exercens vitium sodomiæ.*

35 *Vtrùm Clericus sodomita publicus sit irregularis.*

36 *An Bulla hæc in foro conscientiæ sit vsu recepta.*

37 *Vtrùm Clerico sodomitæ impendi possit absolutio retento beneficio, officio, & dignitate.*

26 ADuertendum, Pium V. in extrauaganti, quę incipit, Horrendum illud scelus, varias quasdam inflixisse pœnas Clericis sodomiam exercentibus: videlicet, vt Clerici omnes, tam Seculares, quàm Regulares, cuiuscunquè gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio

gio

glo Clericali, omni officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico priuentur; ac per Iudicem Ecclesiasticum degradati, Potestati statim Seculari tradantur. Vide Nauar. cap. 27. num. 249. Quarantam v. sodomia, constitutionem hanc referentem. Hac data occasione dubia pleraq; consurgunt, pro quorum solutione.

27 Respondeo primò, Clericum non incurrere has pęnas, si bis tantùm, aut ter hoc peccatum perpetrarit: sed vlterius requiri, vt frequenter, & quasi ex consuetudine tale peccatum committat. Et ratio est, quia eæ sancitæ sunt contra Clericos sodomiam exercentes; ipsum autem verbum, exercere, importat frequentiam ex diuersis actibus, & temporibus, & exercitores dicuntur, non qui semel, aut bis; sed qui quasi ex vsu continuo dediti huic vitio pessimo, ex praua consuetudine illud perpetrant. Sicut non dicitur artifex, seu mercator, qui semel, aut iterum eam artem exercet, sed qui toties exercet, vt opinione vulgi habeatur pro tali. Ita Azor. par. 3. lib. 3. cap. 19. num. 2. Nauar. in Manuali cap. 27. nu. 250. Filliuc. tom. 1. tract. 17. cap. 7. nu. 127. Suar. de cens. disp. 31. sect. 4. num. 22. Quaranta, verbo, sodomia, Garzias de beneficijs par. 11. cap. 10. §. 2. num. 198. Sayrus de censur. lib. 7. cap. 12. num 23. Graff. par. 1. decis. aur. lib. 2. cap. 90. num. 12. & in praxi lib. 1. cap. 11. num. 27. Bellochius de cas. reseru. par. 2. quæst. 1. num. 217. Coriolanus de cas. reser. p. 2. cas. 9. nu. 25. Bonacina quæst. 4. pun. 11. num. 2. Et alij plures.

28 Non desunt tamen qui contrariam sententiam sustineant, asserentes vnicum actum sufficere ad has pœnas incurrendas: ea ratione nixi, quia Pius V. in prima Bulla, quam de hac re ediderat, non vtitur verbo, exercere, sed perpetrare, quod etiam de vnica vice verificatur. Ita Ioan. de Vela, de pœnis delict. cap. 33. Ignatius de Salzedo apud Diaz cap. 86. Versic. Verum tamen, Alterius tom. 2. disp. 15. cap. 3. sub finem. Eandemq; sententiam probabilem vocat Ledesma in sum. p. 2. tract. 27. c. 15. concl. 4. Zauallos quæst. 228 num. 4.

Sed ad rationem Aduersariorum, facillimè respondetur, primò, dicendo, Pium V. in secunda Bulla vsum fuisse verbo, exercentes, ad ostendendum quo modo esset intelligenda prima illa, quam anno primo sui Pontificatus de hac eadem re ediderat. Secundò, primam constitutionem afficere quidem perpetrantes: secundam verò, in qua grauiores pœnæ infliguntur, afficere tantùm exercentes. Ita Manuel, Rodriq. quos citat Garzias, num 200.

29 Secundò, Clericum habentem rem cùm muliere in vase præpostero non affici pœnis huius extrauagantis. Et ratio ea est, quam superiùs toties attulimus, quòd videlicet, actus iste, seu concubitus, non est verè, & propriè sodomia. Idq; in terminis docet Azor. par. 3. lib. 3. cap. 19. q. 3. Floronus de cas. reser. par. 2. casu 7. §. 1. nu. 9. Belloch. cit. nu. 219. Idemquè sustinere tenentur Doctores à me relati, alijq; omnes asserentes copulam à masculo habitam cum muliere in vase præpostero non esse veram, & propriam sodomiam.

30 Tertiò, Clericum effugere pœnas huius extrauagantis, qui solitus sit actum non consummare, aut effundere semen extra vas. Et ratio ea est, quam attulimus pro reseruatione, quod, videlicet, talis actus non sit sodomia completa, & consummata; lex autem prohibens aliquod delictum, intelli-

telligitur de delicto perfecto, & consummato, non verò solùm attentato. Et ita in terminis huius Bullæ docent Suarez de censur. disp. 31. sect. 4. num. 21. Quaranta ver. sodomia, Belloch. cit. num. 220. Sayrus de censur. l. cit. Bonacina loco cit. Azor. cit. q 4. Coriolan. de cas. reser. p. 2. cas. 9. nu. 25. in fine. Et alij.

31 Quartò, his pœnis affici Clericum, siue agens sit, siue patiens: Et ratio est, quia dicitur sodomiam exercere si frequenter eam committat, vel agendo, vel patiendo, vt diximus superiùs nu. 7. Ita Bonac. cit. versic. Aduertendum est secundò. Coriolanus de cas. reser. p. 2. cas. 9. §. 10. num. 30. & alij.

32 Quintò, propter hanc Pij V. constitutionem Clericum sodomiam exercentem non teneri in foro conscientiæ cedere beneficio, officio, & dignitati, aut restituere fructus ante Iudicis sententiam, licèt in dicta extrauagante dicatur, Præsentis Canonis auctoritate priuamus. Et ratio est, quia constitutio hęc est lex pęnalis, ad cuius executionem requiritur actio Iudicis, vt patet ex ijs, quæ communiter docent DD. in tractatu de legibus. Tū quia Bulla hæc non nisi hoc modo est recepta. Tum quia, si obligaret ante sententiā declaratoriam criminis, esset nimis acerba; cogeret enim homines ad se prodendum, & ad exequendum in se durissimam pœnam: ad quod lex humana obligare non potest, cùm ea debeat esse tolerabilis, & humanæ imbecillitati accommodata. Ita Bonacina cit. versic. Aduertendum est tertiò, apud quem alij. Ita Doctores plures apud Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 22. num. 7. quo loco docet hæreticos, & alios, quorum bona, ipso iure publicantur, non teneri ante Iudicis sentētiam dicta bona restituere Fisco. Quod verum esse docet idem Sanchez nu. 20. etiamsi pœna imponatur ipso iure, vel ipso facto, cum additione, vt nulla opus sit declaratione: adhuc .n. ad pœnam hanc incurrendam desideraretur actus Iudicis, declaratoria, scilicet, eius criminis sententia; atquè ita verba ea, absq; vlla alia declaratione, essent intelligenda de declaratione pœnæ. Sed de hoc agemus fusiùs suo loco: cùm, videlicet, quæremus an cęteræ pęnæ præter excommunicationem in Tridentino indictæ contra cōmittentes duella, permittentes, concedentes locum, socios, & Patrinos, desiderent aliquam Iudicis sententiam ad hoc vt incurrantur: vbi enim videro, Lector amicissime, te meos hosce labores æqui boniq; consulere, earum censurarum explicationem, quæ in Concilijs nostris Prouincialibus sunt latæ, quam primum per tempus licebit, daturum me tibi polliceor.

33 Sextò Clericus non incidit in pęnas huius Bullæ exercendo vitium bestialitatis. Et ratio est, quia bestialitas specie distinguitur à sodomia: & contra hoc peccatum edita fuit Bulla, non contra illud: nec identitas rationis sufficit ad extendendum casum in lege pœnali, præsertim in foro conscientiæ, quoties casus ille non fuerit expressus, vt bene Sanchez lib. 10. de matrim. disput. 4. num. 3. quo loco ex Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 7. documento 3. pulchram reddit rationem, quare identitas rationis alias leges extendat, non sic verò legem pęnalem. Et ita in terminis huius Bullæ docet Garzias de beneficijs par. 11. cap. 10. §. 2. num. 206.

34 Septimò, Clericus occultè exercens hoc vitium sodomiæ non incurrit ob criminis atrocitatem censuram suspensionis, itaut si postmodum celebret

incidat in irregularitatem. Et ratio, est, quia nullibi constat de hac censura: suspensio autem, & irregularitas nunquam incurruntur, nisi in iure sint expressæ. Tum quia nullum crimen, secluso homicidio, quantumuis enorme, inducit irregularitatem, si non sit notorium, vt patet ex cap. fin. de tempor. ordinat. vbi habetur, quod propter grauissima crimina, vt adulterium, periurium &c. excepto homicidio, non debet quis post pœnitentiam ab vsu, vel susceptione Ordinum impediri, nisi iudicio comprobata, vel alias notoria Ita Nauar. cap. 27. num. 249. Rodriq. 2. par. cap. 210. nu. 1. Henriq. lib. 3. cap. 36. nu. 1. in Glossa littera M. Bonacina cit. num. 3.

35 Vtrùm verò Clericus sodomita publicus sit irregularis, hoc pendet ex ijs quæ tradunt DD. de irregularitate proueniente ex infamia: vtrùm, videlicet, crimen quod facti infamiam habet adnexam, inducat irregularitatem si sit publicum. Affirmant aliqui. Alij negant. Sententia affirmans communior est. Negantem verò sustinent Doctores non pœnitendi. Consule lector tuum Bonacinam disp. 7. de censuris quæst. 3. pun. 1. nu. 5. mi fortè malis doctissimum Toletum lib. 1. cap. 69.

36 Addam vltimo, quosdam eius esse sententiæ, vt putent, Bullam hanc Pij V. contra Clericos sodomitas non esse in foro conscientiæ vsu receptam; sed tantùm ad forum exterius pertinere, ita Henriq in sum. lib. 13. de excom. c. 36 in fin. Auila de censur. disp. 4. dub. 7. conclus. 7. in fine, Bellochius de cas. reser. 1. cit. nu. 221. Graff. par. 1. decis. aur. cap. 90. nu. 4. & sequentibus, qui varias rationes ad hoc probandum affert.

37 Ex quibus inferre possunt Confessarij, Clerico sodomitæ accedenti ad confessionem cum vero proposito, & dolore, absolutionem omnino impendendam esse, retento etiam beneficio, officio, & dignitate. Tum quia hæ pœnæ non incurruntur antequam Iudex ferat sententiam declaratoriam criminis. Tum quia valde probabilis est sententia, quæ docet Bullam hanc in foro conscientiæ non esse vsu receptam.

De grauitate huius peccati.

RESpondeo grauissimum hoc peccatum esse: proindeque nefandum dici, ex eo quòd eius etiam mentionem horreant aures. Vnde est, vt cũ grauiora crimina ex Concilio Tridentino reseruanda sint, peccatum hoc meritò ab omnibus Ordinarijs reseruetur, quod sciam. Tum verò huius peccati grauitas colligi potest ex pœnis, quas dedisse aliquando sodomitas legimus in sacra scriptura. Certè hoc scio testari Vgonem Cardinalem, Diabolum aliquando quidem incubum sub specie viri legi repertum: & succubum sub specie fœminæ: nunquã tamen succubum sub specie viri; vt dicere debeamus, tanti peccati grauitatem Diabolo etiam ipsi, licèt nequissimo, horrori esse.

DISCE LECTOR.

Nequissimo Dæmone nequiorem esse sodomitam.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM

Qui Virginem deflorauerint.

1 *Quid sit Virginitas.*
2 *An sit virtus distincta à castitate.*
3 *Quibus modis amittatur virginitas vt est status naturæ.*
4 *Quibus modis amittatur virginitas, vt est virtus, recuperabiliter.*
5 *An puella per vim corrupta possit accipere velum consecrationis.*
6 *Quibus modis amittatur virtus virginitatis irrecuperabiliter.*

AD huius vltimi casus clariorem intelligentiam prǽmittenda duo sunt: quid sit virginitas: & quot modis ea amittatur.

1 Quoad primum Virginitas, quæ à virore est dicta, ex eo quòd importet immunitatem à concupiscentiæ adustione; sicuti arbor dicitur viridis, quæ à calore non fuit desiccata in folijs: vel quia Virgo sit quasi vir agens, idest, repellens, vt non permittat se carnaliter cognosci, dupliciter accipi potest. Primò pro carnis integritate, & inexperientia actus, per quem fiat seminis resolutio. Secundò pro proposito illius integritatis, & puritatis seruandæ ab omni libidinosa contagione, siuè perpetuò, siue ad tempus. Ac si primo modo sumatur, ea non virtus, sed quid naturale est, cum quo nascimur, quod etiam absquè peccato amitti potest, & inuoluntariè. Si verò secundo modo; tunc virtus est, & sic potest definiri, quòd sit virtus immunitatem à contagione libidinis, & carnis integritatem perpetuò tueri intendens, & proponens. Quæ definitio sumpta est ex D. Augustino lib. de S. Virginitate, vbi sic ait, Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Et ex alijs Doctoribus communiter.

Dicitur primò, quòd sit virtus. Et ratio est, quia licèt virginitas ex ea parte, qua dicit solam carnis integritatem, sit quid naturale, vt diximus, quod absquè peccato amitti potest, vt in consummatione matrimonij, vel in violenta fœminæ oppressione, tamen ex ea parte, qua integritas illa subest nostræ potestati, laudabile quiddam est; res enim honesta est, non inquinari, cùm tamen possis inquinari: sicut laude dignum censetur, non transgredi, cùm tamen possis transgredi.

Dicitur, immunitatem à contagione libidinis, & carnis integritatem &c. Et ratio est, quia virginitas supponit hanc conditionem in subiecto, in quo est, eamquè consignificat: hoc enim est illud connotatum, ratione cuius virginitas differt à castitate: quia etiam castitas hoc habet pro munere, vt libidinis contagionem vitet, & in posterum seruet subiectum immune ab hac macula; sed virginitas vlteriùs connotat subiectum nunquam fuisse contaminatum, quod cōnotatum non inuoluitur in ratione castitatis.

2 Ex quo patet, virginitatem non esse virtutem distinctam a castitate, sed ab ea differre per solum connotatum: cùm virginitas sit ipsa virtus castitatis, sed in subiecto incorrupto.

Dicitur, intendens, & proponens. Et ratio est, quia ratio virtutis formaliter sita est in hac voluntate, & proposito.

Dicitur, perpetuò. Et ratio est, quia si propositum illud sit tantùm ad tempus, puta, coniugij, non est propriè virtus virginitatis, cùm simul concurrat propositum illius violandæ tempore coniugij, cum quo virginitas stare

non

non potest: sed est status quidã castitatis. Vide Lessium lib.4. cap.2. dubit.14.

Quoad secundum, quibus modis amittatur virginitas. Diximus virgininitatem dupliciter posse considerari: videlicet, vt est status naturæ, atq; vt est virtus.

3 Virginitas ergo considerata vt est status naturę, multipliciter amitti potest. Primò per voluntariam admissionem viri habentis copulam: & hoc est certissimum. Secundò etiam per inuoluntariam copulam, vt si fęmina per vim opprimatur, verè enim tunc frangitur signaculum claustri virginalis. Tertiò per voluntariam, siue inuoluntariam admissionem instrumenti virilis turpitudinem aliquam exercentis, licèt non sequatur seminatio: modò talis sit, vt pollutionem excitare possit in natura sana, quamuis non excitet ob debilitatem, vel morbum. Non tamen per sodomiam passiuam, cũ claustrum virginale integrum maneat: multòq;. minùs per alias turpitudines in alijs corporis partibus exercitas. In viro autem, cùm non detur virginale claustrum, si non adsit voluntaria seminatio non amittitur corporis integritas. Vnde impubes non habens potestatem seminandi per nullam turpitudinem, vel passiuè, vel actiuè, cum eo exercitam amittit corporis virginitatem, etiamsi in actu illo venereo delectationem aliquam percipiat. Ita Filliucius tract.30.in 6.præcept. Decalogi cap.1.nu.21.

Virginitas verò considerata vt est virtus, dupliciter amitti potest, recuperabiliter, & irrecuperabiliter.

4 Recuperabiliter amittitur virginitas primò per desideria turpia. Secundo per voluntatem nubendi: cùm virtus virgintatis consistat in proposito abstinendi perpetuò à quacunquè venerea voluptate, etiam licita. Tertiò per morosam delectationem. Quartò per quemlibet actum voluntarium turpem, actiuè, vel passiuè exercitum, qui non sit coniunctus cum seminatione.

Dixi, per quemlibet actum voluntarium; si enim voluntarius non sit, per eum non amittitur virginitas, vt est virtus; licèt amitti possit virginitas, quæ est status naturæ, vt iam diximus: vt si puella per vim compressa carnaliter cognosceretur. Hinc est, vt D. Th. in supplem. 3.par. q.96. art.5. ad 4. doceat, puellæ per vim corruptę deberi propriam laureolam virginitatis. Quinimò sic violenter corruptę duplicatum iri coronam fertur dixisse S. Lucia Paschasio, si inuitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam.

5 Addo, puellam per vim corruptam posse accipere velum consecrationis, quoties certò sciat se delectationi venereæ nullo modo consensisse, & res occulta sit. Ita Lessius lib.4. c.2. dubit.16 ex D. Th. 2.2. quæst. 152. art.1. ad 3. vbi sic habet, si contingat præter animi propositum aliquo casu mẽbri integritatem corrumpi, non magis præiudicat virginitati, quàm si manus, vel pes corrumpatur.

6 Dices, si puella per vim oppressa conciperet, & pareret, dicendum foret illius prolis matrem esse virginem. Respondeo hoc non esse absurdum; non enim absurdum est posse masculum esse patrem, & fœminam matrem non amissa virginitate, nec amissa laureola, quæ virginitati debetur: vt patet ex exemplo, quod refert Comitolus lib.4. respons. moral. quæst.18. puta, si Dæmon è viro virgine somno cõsopito semen acciperet, illudquè in matricem puellæ virginis deferret, itaut conciperet: porro proles, quæ nasce-

retur patrem, & matrem haberet virginem; ac licèt puella carnis integritatem amisisset, proindequè non esset amplius virgo statu,& naturaliter; moraliter tamen, & in genere moris adhuc esset virgo. Sic de Merlino refert D. Antoninus 3. par. tit.2. cap.1. §. 10. in Chronica Martiniana legi, eum fuisse filium Diaboli, Moniali prognatum à Dæmone, succubi priùs, postea incubi partibus susceptis: eo quòd viro priùs succubuerit, cui semen subtraxerit: deinde Moniali incubuerit, in cuius matricem semen virile coniecerit. Sed hoc non est dicere Merlinum fuisse filium Diaboli, quandoquidem potiùs dicendus est esse filius eius, è cuius semine fuit procreatus.

6 Irrecuperabiliter verò amittitur virginitas vt virtus est. Primò per voluntariam violationem integritatis, vel puritatis carnis. Ita communiter Doctores ex Lessio loco cit. num. 116. qui hanc affert rationem, quia sicut innocentia connotat animam nunquam fuisse inquinatam culpa mortali; ita etiam virginitas connotat carnem nūquam voluntaria libidine fuisse pollutam: & sicut vnum peccatum solum irrecuperabiliter innocentiam tollit; ita vnicus actus libidinis tollit irrecuperabiliter virginitatem. Semel ergo amissa negatio experientiæ voluntariæ libidinis, quam essentialiter includit virginitas, facit vt virginitas ipsa recuperari non possit, quia negatio ipsa restitui non potest, cùm ad tollendum actum præteritum non sit potentia. Verum tamen est, quòd sicut omnes virtutes, quæ cum innocentia erāt, & quidquid in ea est positiuæ perfectionis potest recuperari, licèt recuperari non possit adequatè ipsa innocentia, puta, quoad negationem peccati actualis; ita quidquid positiuæ perfectionis virginitati inest recuperabile est: non tamen dicetur virginitas, quia nomen hoc dicit negationem experientiæ voluntariæ libidinis, quę semel ablata restitui amplius non potest.

Secundò, irrecuperabiliter amittitur virginitas per voluntariam pollutionem, etiamsi fiat absquè copula. Ita D. Tho. art. 1. ad 4. & art. 3. ad 3. Lessius cit. num. 119. Quod verum est, etiam in somno ea contigisset, dummodo in vigilia fuisset procurata: vt si quis ad finem pollutionis certo genere cibi, aut potionis fuisset vsus. Secus verò si ea præter intentionem, & absq; culpa, saltem mortalis, accidisset: etiāsi causa fuisset mala, puta ebrietas, vel nimia crapula; tunc enim non amitteretur virginitas, vt concedunt DD. omnes.

Dices, quid si in vigilia placeat pollutio secuta in somno, per eam complacentiam amittitur ne virginitas? Respondeo negatiuè; quia illa approbatio superueniens non facit actum præteritum fuisse voluntarium.

Vnde patet, quando nam virginitas possit per pœnitentiam resarciri, & quando non.

QVÆSTIO PRIMA
Quinam incidant in hanc reseruationem.

7 *Quid sit deflorare virginem.*
8 *Conditiones requisitæ ad incurrendam hanc reseruationem.*
9 *Incidit in casum qui virginem etiam consentientem defloret.*
10 *Multo magis incidit qui defloret virginem inuitam.*
11 *Incidit item qui rem habet cum puella licèt ea ante copulam instrumento aliquo sibi claustrum virginale perfregerit.*

12 Licèt

11 *Licèt talis puella nõn sit virgo virtute, adhuc tamen potest velari.*
13 *Incidit in hunc casum sponsus de futuro congrediens cum sponsa virgine.*
14 *Præter hanc reseruationem incidit in aliam.*
15 *Ligatur hac reseruatione deflorans virginem, licèt ea non sit viri potens.*
16 *Incidit item qui deflorauerit virginem etiam antequam casus iste reseruaretur, si post reseruationem petat absolutionem.*
17 *Incidit in casum habens copulam cum puella, de qua dubitetur an sit virgo.*

PRæsens reseruatio eos omnes comprehendit, qui Virginem deflorãt: ad illius ergo intelligentiam præmittẽdum est, quid sit deflorare Virginem.

7 Deflorare Virginem nihil aliud est, quàm illam in actu venereo illicitè violare, corrumpere per membrum naturale viri tollendo ei signaculum virginitatis, vt notat Graff. in conf. 23. de senten. excommu. num. 4. & 32. vsq; ad 35. Ita Bellochius de cas. reser. par. 2. quæst. 12. num. 50.

8 Antequam autem ad casuum decisionem veniam, regulam generalem statuo, ad incurrendum in hunc casum tria hæc copulatiuè requiri, copulam perfectam, virginitatem naturalem, & sexum fœmineum: quæ regula clarescet ex decisionibus sequentibus.

9 Incidit igitur primò in casum, qui virginem etiam consentientem, & spontè se offerentem deflorat. Et ratio est, quia casus absolutè loquitur de quocunquè virginis defloratore; Ergò etiam absolutè est intelligendus: vbi enim lex non distinguit, nequè nos distinguere debemus. Vnde hoc pacto dicere debemus in casum incidere diuitem eum, vel nobilem, à quo puella virgo sperans matrimonium, vel dotem, se illi deflorandam obtulit: defloratio enim virginis tunc stat, quoties ita cognoscitur virgo, vt per actum eũ desinat esse virgo. Ita Bellochius cit. num. 57. Secus verò esset, si reseruatum esset stuprum; tunc enim iuxta ea, quæ dicemus in prima difficultate, qui rem haberet cum puella consentiente non incideret in casum. Et ratio est, quia ad hoc vt stuprum contineat specialem deformitatem supra simplicem fornicationem, debet esse coniunctum cum violẽtia, quæ virginitati seu claustro virginali inferatur, vt benè Lessius lib. 2. cap. 10. dubit. 1. num. 6. alijquè DD. inferiùs citandi num. 36.

10 Secundò, in casum multò magis incidit is, qui virginem inuitam defloret, & per vim carnaliter cognoscat. Et ratio est allata, quia casus absolutè loquitur: Ergo intelligendus est de quacunquè defloratione; siue ea secuta sit virgine consentiente, siue inuita. Tum quia copula hæc esset verè stuprum. Ita Belloch cit. nu 63. Chapeauilla de cas. reser. casu 11. quæst. 1. Addo, si cum hac violenta virginis defloratione intercedat abductio de loco ad locum, adesse etiam raptum, proindequè incurri duplicem reseruationem: alteram, quia virginem rapuerit, de qua locuti sumus in cap. 1. alteram, quia eandem deflorauerit: & præterea excommunicationem contentam in Cõcil. Trident. sess. 24 cap. 6. quia mulierem rapuerit, quoties raptus sit ad finem matrimonij iuxta dicta in cap. 1 num. 14. In eo autem differt raptus a stupro, quòd raptus vim includit, qua puella abducitur à domo sua, vel paterna, & locum habere potest in corrupta: stuprum autem tantùm in integra, & potest fieri sine omni raptu; sicut, & raptus potest fieri sine violatione.

 11 Ter-

11 Tertiò, ligatur hac reseruatione, qui cum virgine rem habet, quæ se ipsam polluendo, proprijs manibus, vel alio instrumento pudoris claustrũ sibi priùs disruperit. Et ratio est, quia licèt se ipsam polluendo virtutem virginitatis amiserit; necdum tamen dicitur deflorata, cùm defloratio propriè fiat per membrum naturale viri, vt diximus cum Graffio cit. quo loco benè monet, si puella aliqua se cani, aut alteri animali supponendo pollutionem pateretur; etiamsi inde fractio claustri sequeretur, non tamen eam dici stupratam, corruptam, defloratam: sed tunc solùm quando à viro cognoscitur.

Dices, habens copulam cum puella, quæ proprijs manibus sibi claustrũ priùs perfregerit, & præterea se ipsam polluerit, non dicitur habere copulam cum Virgine; Ergo non incidit in casum. Respondeo negando antecedens; licèt enim ea non esset virgo virtute; idest, licèt ea non haberet virginitatem quatenus est virtus, & moralem: esset tamen virgo statu; idest, haberet virginitatem quatenus est status naturæ, seu naturalem, quam diximus tolli tantùm per membrum naturale viri.

Hinc est, vt ij ipsi Doctores, qui asserunt puellam etiam consentientem in copulam teneri ad exprimendam circumstantiam virginitatis, de quo nos agemus inferiùs in difficult. 1. dicant, circumstantiam hanc non esse exprimendam, quando virgo sola polluitur absq; copula viri, quia licèt per hanc pollutionem amittatur virginitas prout est virtus; non tamen prout dicit integritatem signaculi, quo tantùm modo volunt copulam cum virgine consentiente esse speciale peccatum. Vide Filliucium tract. 30. cap. 3. num. 73. & 74.

Hinc etiam est, vt homines non ideo existiment puellam hanc esse defloratam, & stupratam, neq; infamiæ tribuant, si illam in matrimonium ducant, quam sciant sibi proprijs manibus virginale claustrum perfregisse, & pollutionem voluntariam passam fuisse: vt intelligere possis, hanc, licèt coram Deo non sit virgo, nec habitura sit laureolam virginitatis, tamen coram hominibus virginem reputari, ratione integritatis claustri.

12 Addo puellam hanc, quæ per pollutionem, accedente etiam contactu externo, amisit virginitatem, si carnis integritatem retineat, posse velari, vt benè docet Caietanus in summa, v. virginum consecratio, Syluester, quos citat, & sequitur Less. lib. 4 cap. 2. dubit. 16. num. 120.

13 Quartò, incidit in casum sponsus de futuro, qui ante contractum matrimonium cùm sponsa virgine congrediatur. Et ratio est, quia verè spõsus ille dicitur deflorator virginis: licèt enim in cap. 12. num. 86. concessimus licere sponsis de futuro habere inuicem amplexus, oscula, tactus etiã, dummodò ij non sint impudici, nequè vllum adsit periculum pollutionis, vel consensus in illam: tamen tactus impudicos, idest partium verendarum, vel vicinarum verendis diximus omnino lethales esse, & multò magis copulam inter illos habitam. Ita Graff. d. consil. 23. de sentent. excommu. nu. 25. Chapeauilla cit. q. 2. Bellochius nu. 68.

14 Addo, sponsum de futuro habentem copulam cum puella sibi sponsata, præter hanc reseruationem, incidere etiam in aliam, de qua locuti sumus in cap. 12. itaut si quis haberet facultatem absoluẽdi defloratorem Virginis, vi huius facultatis absoluere non posset sponsum de futuro, qui ante matrimo-

trimonium cum puella sibi sponsata, quæ tamen esset virgo; coiuisset.

15 Quintò, hac reseruatione innodatur, qui Virginem deflorauerit, etiamsi illa necdum sit viri potens. Et ratio est, quia ad casum hunc incurrendum sufficit, quòd puella virgo defloretur. Tum quia deflorare Virginem nihil aliud est, quàm per Viri concubitum frangere pudenda Virginis: quoties ergo per concubitum Viri cõtingat hæc fractio, semper aderit defloratio: cùm tam dicatur virgo ea, quæ maturæ est ætatis, quàm quæ est immaturæ. Ita Graff. cit. num. 32. Vnde, siue ea infidelis sit, vt iudæa, pagana: siue fidelis: siue consanguinea, siue affinis, semper hæc reseruatio incurritur. Addo, si in primo, vel secundo gradu ea affinis sit, aut consanguinea: vel certè sit coniuncta cognatione spirituali, duplicem reseruationem incurri, vt patet ex dictis suo loco.

16 Sextò, incidit in hanc reseruationem, qui antequam casus reseruaretur Virginem deflorauerit, & post reseruationem petat absolui. Et ratio est, quia per ipsam reseruationem fuit Cõfessarijs adempta facultas ab eo peccato absoluendi; vt proindè nihil intersit, quòd illud ante reseruationem sit commissum, vel post.

Dices, si hodie ferretur excommunicatio in homicidas, is qui heri commisisset homicidium immunis esset ab hac censura; Ergo si hodie feratur reseruatio deflorationis Virginis, is qui heri Virginem deflorauerit liber erit ab hac reseruatione.

Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, qualis non reperitur in eo, qui ante censuram latam commisit delictum. Ad incurrendam verò reseruationem nulla requiritur contumacia; sed satis est Pœnitẽtem pro eo tempore, quo ad confessionem accedit reum esse illius delicti, quod fuit reseruatum. Vnde est vt reseruatio afficiat etiam ignorantes; neque ignorantia reseruationis prosit, vt absolutio obtenta ab inferiore sit valida: quo modo ignorantia nõ prodest, vt teneat absolutio, quę à simplici Sacerdote fuit collata. Intellige iuxta ea, quæ diximus in disp. 1 quęst. 2. difficult. 5. & quæ docet Lupus de cas. reser. par. 1 dist. 3. difficult. 2. quo loco, præmissa distinctione, quòd quædam peccata sint intrinsecè mala; quædam verò mala tantùm, quia prohibita: ait, ignorantiam excusare quidem à reseruatione peccatorum secundi generis, non item primi: cui doctrinæ inhęrens cap. 13. num. 45. ignarum constitutionis de rebus incertis ad capsam deferendis excusaui ab omni reseruatione. Quod verum est, etiamsi mortaliter peccasset detinendo res incertas, quas ipse putaret pauperibus deberi; Et ratio est, quia licèt peccasset contra prę-ceptum naturale detinendo quod alteri debetur; propter ignorantiam tamen non peccasset contra præceptum humanum, & positiuum de incertis ad capsam deferendis, cui soli est adnexa reseruatio. Ita in simili, cap. 14. nu. 14.

17 Septimò, incidit in casum, qui copulam habeat cum puella, de qua dubitetur, an sit Virgo. Et ratio est, quia in dubio præsumitur Virgo, vt ex communi DD. sententia docet Graff. cit. num. 23. Quod verum est, etiamsi deflorator adstrueret facilitatem coitus. Et ratio est, quia licèt facilitas coitus arguere fortè possit puellam aliquã non habere virginitatem virtuosam, nõ tamen arguit eam esse defloratam; fieri enim potest, vt puella virginale

claustrum propriis manibus, vel instrumento aliquo sibi perfregerit, quam tamen si quispiam carnaliter cognoscat, diximus num. 11. incidere in reseruationem. Tum quia, vt benè probat Fragosus in sua chirurgia vniuersali, tractatu 2. de las declarationes, tit. para conoçer la virginidad en la muger, signa ea, quæ communiter traduntur ad cognoscendam virginitatem maximè fallacia sunt: quòd videlicet, in collo matricis aliqui dicant appositam esse quandam telam obstantem ne digitus immissus penetrare intro possit, eamquè in primo coitu disrumpi, idq; cognosci, cùm immissus digitus facilè introrsùm fertur: præterea, quòd asserant aliqui, corruptas fœminas habere collum matricis latius, atq; apertius; contra verò, quæ sunt Virgines, arctius, atq; compressius. Signa, inquam, hęc esse valde fallacia docet idem Fragosus, quòd eam telam vix vna ex millibus habeat. Vnde Realdus lib. 11. anotomiæ, cap. 13. solum in duabus Virginibus se eam inuenisse affirmat. Tum quia sunt plurima medicamenta, quibus fœminæ vtuntur, vt collum matricis contrahatur, atquè corrugetur. Demum ait neq; lac esse signum corruptionis: quia, vt docet Hippocrates in suis aphorismis lib. 5. aphorismo 39. lac aliquando contigit in fęmina, quæ neq; est grauida, nequè peperit, ob id solùm quia menstrua defecerint. Quinimo Aristoteles lib. 4 historiæ animalium, cap. 20. docet tantam lactis copiam in mammillis viri aliquando repertam, vt sugi posset. Et Venetijs se id vidisse testatur Cardanus lib. 12. de subtilitate.

QVÆSTIO SECVNDA
Qui nam excusentur ab hac reseruatione.

18 *Prouocans Virginem ad pollutionem per solos tactus impudicos non incidit in casum.*

19 *Excusatur qui puerum sodomiticè cognoscit.*

20 *Item excusatur is, qui aliter quam per membrum naturale defloret Virginē.*

21 *Item qui Virginem conatus est sępius deflorare, sed tamen nunquam deflorauit.*

22 *Item qui se prope vas puellæ polluerit, etiamsi matrix semen attraxerit, & facta sit grauida.*

23 *Item qui intra vas copulam non consummet.*

24 *Pariter qui congreditur cum puella, cui virgindle claustrum priùs alter perfregerit membro naturali, nullo licèt semine emisso.*

25 *Quare non incidat is qui intra vas non consummat copulam, cùm tamen dicatur deflorare virginem.*

26 *Excusatur etiam à reseruatione qui congreditur cum puella, quæ ab omnibus reputabatur virgo, sed re vera erat corrupta.*

27 *Non incidit puella patiens se deflorari.*

28 *Non incidit in casum sponsus de præsenti, qui ante transactum bimestre per vim cognoscat carnaliter suam sponsam.*

29 *Demum non incidit mulier, quæ adolescentem puberem factum ad copulam prouocet.*

Attenta regula à nobis superiore quæstione citata facillimum est intelligere, qui nam ab hac reseruatione excusentur: quoties videlicet, vel copula non sit perfecta: vel persona, cum qua fuit habita copula non sit virgo: vel demum non sit fęmina; nomine enim, virginis, hoc loco non venit masculus, sed fęmina.

18 Hinc inferas primò non afficī

ha c

hac reseruatione eum, qui polluat se super Virginem, vel illam ad pollutionem prouocet per tactus impudicos. Et ratio est, quia licèt per pollutionem tollatur virginitas, quatenus est virtus, & virgo sic polluta amittat laureolam; tamen non amittit signaculum virginitatis, in quo diximus consistere rationem deflorationis. Ita Bellochius de cas. reser. par. 2. quæst. 12. num. 77. Graff. lib. 5. de senten. excommunicat. consil. 23. num. 2.

19 Secundò excusari eum, qui puerum sodomiticè cognoscat. Et ratio est, quia casus hic intelligitur de puella virgine; deflorare enim propriè est dictum de feminis. Vnde diximus deflorare Virginem nihil aliud esse, quam in actu venereo per membrum naturale Viri tollere alicui puellæ signaculum virginitatis. Ita Chapeauil. casu 11. explicans casum stupri, Belloch cit. num. 52. Graff. num. 6.

20 Tertiò non incidere eum, qui aliter, quam per membrum naturale viri defloráuerit virginem: vt si digitis, vel alio instrumento claustrum virginale illi perfregerit. Et ratio est, quia Virginis defloratio in propria significatione fit præcedente concubitu viri. Ita Graff. num. 8. explicans excommunicationem Synodalem Neapolitanã in eos latam, qui per vim Virginem deflorent, vbi hunc immunem facit à censura.

21 Quartò non incidere eum, qui Virginem sępius conatus est deflorare, sed illam nunquam potuit deflorare. Et ratio est, quia hic adest tantùm defloratio mentalis, quæ non subiacet reseruationi. Ita Chapeauil. cit. Bellochius loco cit. num. 75.

22 Quintò non incidere eum, qui se propè vas naturale Virginis polluerit, ita tamen vt matrix semen attraxerit, vnde puella effecta sit grauida. Et ratio est, quia licèt per tactus eos impudicos amiserit virginitatem vt est virtus, necdum tamen dicitur deflorata, cùm defloratio, vt sępius diximus, consistat in fractione signaculi virginei per membrum naturale viri. Ita Belloch. num. 76.

23 Sextò, cum non incidere in casum, qui intra vas Virginis copulam quidem inchoauerit, sed illam non cõsummauerit. Et ratio est, quia in delictis nemo pœnam incurrit nisi actus sit consummatus: & casus reseruati intelliguntur de actibus exterioribus perfectis, & consummatis. Ita in simili de sodomia, incestu, & alibi. In praxi tamen ad libidinem coercendam contrarium suaderem.

24 Septimò, non incidere eum, qui cum puella congrediatur, cui virginale claustrum membro naturali alter prior perfregerit nullo semine emisso. Et ratio est, quia per fractionem illam claustri virginalis puella ea dicitur amisisse vtramq; virginitatem; puta, & virginitatem, quæ virtus est, cùm verum sit dicere illius corpus fuisse contaminatum: & virginitatem, quæ est status naturæ, cùm verum sit dicere puellam eam amisisse integritatem claustri virginalis; Ergo ad illam accedens non incidit in casum, cùm non dicatur habere copulam cum Virgine. Tum quia illam cognoscens, etiam per vim, non diceretur stuprum committere; Ergo nec dicitur deflorator. Quod non dicatur stuprum committere, probatur, quia ratio stupri, quatenus est species luxuriæ distincta, consistit in iniustitia commissa auferendo violenter à virgine claustrum virginale, vt patebit ex dicendis in difficultate sequenti. Sed illam etiam per vim cognoscens non diceretur auferre

violenter claustrum virginale, vt pote quod iam per actum priorem fuerit amissum; Ergo nec diceretur stuprum committere. Si ergo copula habita cùm ea renuente non est stuprum: neque copula habita cum ea consentiente erit defloratio.

Addo id verum esse, etiamsi per vim claustrum virginale fuerit illi perfractum; licèt enim violentia non tollat illi virginitatem, quæ virtus est, iuxta dicta superiùs: eam tamen tollit quæ est status naturæ: vnde posterior cum illa congrediens non dicitur cum virgine coire.

Dices primò, si secundus non incidit in casum, qui habet copulã cum puella, cui priùs fuit fractum claustrum virginale per membrum naturale viri, nulla tamen secuta seminatione, maximè quia puella iam dicitur deflorata; Ergo si dicitur deflorata, prior ille, qui claustrum virginale perfregit, etiamsi in vase non seminauerit dicendus est incurrisse in reseruationem, quia verè de illo dicitur, quòd Virginem deflorauerit.

Respondeo, reseruationem hanc nõ incurri ob quamcunq; deflorationem; sed ob perfectam deflorationem, qualis ea sola est quæ est coniuncta cum copula: licèt ergo ille dicatur deflorator, cum membro naturali claustrum virginale perfregerit; non tamen incidit in casum, quia illam delforauit actu inefficaci ad reseruationem. Casus similis est de Patre, Matre, Marito, qui consentiant vt filia, aut vxor se prostituat; ij enim si consentiant, verè dicuntur consensisse: si tamen ita consentiant, vt prostitutio non sequatur, ex eo quòd filia, aut vxor nolit se prostitui, diximus consensum illum esse inefficacem ad reseruationem, quia hæc non nisi intelligitur de actibus exterioribus, perfectis, & consummatis.

25 Dices secundò in genere deflorationis actum esse perfectum, & consummatum, cùm ad deflorationem nihil desit, etiamsi non sequatur seminatio. Sed contra, quia defloratio dupliciter potest considerari. 1. vt dicit solam fractionem claustri virginalis. 2. quatenus fractio hæc est per actum venereum: Non primo modo sumenda ea est in præsenti casu, sed secundo: vnde diximus deflorare virginem nihil aliud esse, quàm in actu venereo illam violare tollendo ei signaculum virginale per membrum naturale viri; nisi autem ad sit seminatio, actus venereus imperfectus est. Patet hoc à simili, quia in nostra Diœcesi reseruatus est casus procurationis abortus, vt patet ex dictis in c.3. atq; vt sub litera reseruationis comprehenderetur quæcunq; procuratio, Superior addidit eam particulam, etiam non secuto effectu; quia videlicet, si aliud non exprimatur, reseruatio intelligenda tantùm est de actibus exterioribus, perfectis, & consummatis. Vnde est, vt in cap. cit nu. 27. dixerimus futurum vt, nisi verba ea Synodi 32. obstarent, etiam non secuto effectu, non comprehenderetur sub casu fœmina, quæ potionem sumpsisset ad abortum, sed ille non fuisset secutus; Ergo cùm in reseruatione deflorationis nihil aliud exprimatur, intelligenda ea erit de defloratione, quæ fiat per copulam perfectam, & consummatam.

Ex quibus patet, nec primum, nec secundum incidere in casum. Non primum, quia licèt per immissionem membri naturalis virginale claustrum perfregerit, & puellæ ademerit virginitatem naturalem, non tamen dicitur illam deflorasse actu efficaci ad reseruationem. Neque secundum, quia

non

non dicitur habuisse copulam cùm puella virgine, vt pote quæ per primum concubitum, licèt imperfectum, amiserit vtramq; virginitatem, naturæ, & virtutis.

26 Octauò non incidere eum, qui copulam habuit cum puella, quæ ab omnibus reputabatur virgo, re tamen vera non erat virgo, sed corrupta. Et ratio est, quia casus comprehendit tantùm defloratores Virginis. Quòd verò forum externum illum puniret tanquam Virginis defloratorem, quoties probari non posset eam esse corruptam, nihil refert: forum enim externum nititur aliquando falsa præsumptione; nos vero loquimur in foro conscientiæ, in quo soli veritati est locus.

27 Nonò, non incidere puellam, quæ patiatur se deflorari. Et ratio est, quia pręsens reseruatio comprehendit tantùm ipsos defloratores, non verò puellas defloratas. Ita Graff. lib. 2 cap. 41. nu. 19. quem sequitur Bellochius par. 2 quæst. 12. nu. 79.

Dices, per nos tam agens, quàm patiens sodomiam incidit in casum; Ergo à pari tam masculus deflorans, quam puella patiens deflorationem incidet in reseruationem. Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia in casu de sodomia, tam agens, quam patiens verè dicitur committere peccatum sodomiæ, vterque enim peccat peccato sodomiæ; vnde est, vt vterquè incidat in casum. At verò in casu de defloratione, vterquè non dicitur deflorare, sed tantùm masculus, puella enim dicitur deflorari; Ergo cùm sit reseruata tantùm defloratio actiua, non passiua, vt patet ex verbis reseruationis, qui virginem deflorauerint, solus masculus incidet non puella. Quòd si reseruatum esset stuprum; in sententia, quam puto probabilem (licèt contrariam existimem probabiliorem, & in praxi tutissimam, vt mox videbimus) quòd copula habita cum virgine consentiente sit stuprum, tam masculus, quàm puella incideret in reseruationem, quia vterq; diceretur peccasse peccato stupri.

28 Decimò, non incurrere in reseruationem sponsum de præsenti, qui ante transactum bimestre, in quo liberum est sponsæ ad Religionem transire, per vim illam cognosceret. Et ratio est, quia accessus ille non esset ad alienam, sed ad suam: & consequenter non esset fornicarius: reseruatio autem intelligitur de copula fornicaria. Vnde iste non peccaret peccato carnis, sed tantùm iniustitiæ.

29 Vndecimò non incidere in casum mulierem illam, quæ adolescentem puberem factum, & virginem ad copulam prouocaret. Et ratio est, allata, quia defloratio propriè dicitur de fœminis: vnde diximus, deflorare Virginem nihil aliud esse, quàm per membrum naturale virginale claustrum perfringere.

DIFFICVLTAS I.

An defloratio Virginis consentientis sit species luxuriæ distincta à fornicatione.

30 *Proponitur casus in præsenti difficultate controuersus.*

31 *In quo consistat claustrum virginale, & quid illud sit.*

32 *Prima sententia asserit esse speciem luxuriæ distinctam à fornicatione ob iniustitiam commissam contra finem naturæ.*

33 *Secunda sententia idem asserit, sed alio fundamento, ob iniustitiam, videlicet,*

delicet, commissam contra Parentes.
34 *Author negat esse speciem distinctam.*
35 *Comparatur castitas liberalitati, & Virginitas magnificentiæ.*
36 *Ratio stupri consistit in violentia illata Virgini.*
37 *Si nulla vis inferatur puellæ circumstantia virginitatis non est explicanda in confessione.*
38 *Si puella consentiens cognoscatur, etiamsi vis parentibus inferatur, copula tamen hæc non est stuprum.*
39 *Si virgo ignorans cognoscatur, copula hæc reducitur ad stuprum.*
40 *Virgo patiens pollutionem voluntariam non tenetur circumstantiam virginitatis aperire.*
41 *Vtrùm in sententia aduersariorum, si puella simplicis desiderij actum fateatur, circumstantia virginitatis sit confitenda.*
42 *Aliqui negant.*
43 *Author ea sententia retenta putat circumstantiam eam omnino esse exprimendam.*
44 *Praxis pro ijs, qui sententiam illam sequuntur.*
45 *Dari quidem potest casus in quo Masculus teneatur circumstantiam virginitatis puellæ in confessione aperire: non tamen è contra.*
46 *An qui deflorat Virginem per vim, satisfaciat si dicat, commisi simplicem fornicationem per violentiam. Aliqui affirmant.*
47 *Contrariũ Author putat esse verius.*

30 CAsus in hac difficultate controuersus est, an si quis habeat copulam cum virgine consentiente satisfaciat in confessione si dicat, fornicatus sum: an verò copula hæc contineat specialem malitiam, vel iniuriam supra simplicem fornicationem. Sed quoniam, & in quæstionibus superioribus, & in præsenti difficultate, signaculi seu claustri virginei sæpissimè fit mentio; ideo illius notitiam pro fundamento præmittam.

31 Vesalius ergo lib. 5. de fabrica corporis humani, ait hoc signaculum virgineum esse membranam carneam Virginibus peculiarem, quæ virili coitu lacerata aboletur. Sed verius alijs videtur id quod habet Fragosus in sua chirurgia vniuersali lib. de anatomia cap. 19. videlicet, claustrum hoc, seu signaculum virginale non esse membranam quandam carneam, sed quandam quasi complicationem partium ipsius orificij vasis fœminei, quæ per viri accessum dilatantur, & sic aperitur, & patefit vas.

Rursus ad clariorem huius difficultatis intelligentiam præmitto: ad hoc vt dicamus copulam cum virgine consentiente esse speciem luxuriæ distinctam à simplici fornicatione, necessarium esse, vt specialem etiam deformitatem includat, quam non includat fornicatio. Hoc autem dupliciter contingere potest. Primò extra luxuriã: vt si opponatur alteri virtuti, quàm castitati, cui virtuti non opponatur simplex fornicatio: quo modo sacrilegium in materia carnis opponitur castitati, & Religioni; adulterium, & raptus opponuntur castitati, & iustitiæ; incestus castitati, & pietati. Secundò intra luxuriã: vt si careat aliqua conditione à natura necessariò requisita; quo modo peccatum contra naturam includit specialem deformitatem, ex eo quòd concubitus ille careat sua speciali conditione à natura requisita, quæ est, vt fit inter personas diuersi sexus: intra vas naturale aptum ad generationẽ. Cum ergo copula cùm virgine consentiente fit concubitus modo naturali: porro si specialem deformitatem includit, quam

quam non includat simplex fornicatio, ea est petenda extra speciem luxuriæ: ita vt dicendum sit, copulam hanc opponi primò virtuti castitatis, cui etiam opponitur fornicatio; tum verò alteri virtuti, ad hoc vt verum sit, ratione huius oppositionis distingui à fornicatione. Cùm autem virtus hæc nulla alia esse possit, quàm iustitia: ideo quæstio hæc illud petit, vtrùm in copula habita cum Virgine consentiente non solùm inuoluatur ratio luxuriæ, qualis inuoluitur in fornicatione: sed etiam ratio iniustitiæ, vi cuius constituat diuersam speciem luxuriæ à simplici fornicatione distinctam.

32 Triplex in hac re adest sententia. Prima est, quæ asserit, deflorationem Virginis consentientis continere distinctam speciem luxuriæ à fornicatione; proindeque circumstantiam virginitatis esse explicandam. Eo autem fundamento nititur, quòd in tali copula præter malitiam luxuriæ reperiatur iniustitia, non quidem contra Virginem (scienti enim, & volenti non fit iniuria) sed contra finem naturę, in ordine ad quem concessit claustrum virginale, & cui puella non potest cedere, cùm illius non sit domina, sed custos: eo modo quo, si altero coniuge consentiente alter fornicaretur, actus ille adhuc haberet malitiam adulterij, quia esset contra bonum fidei, cui nullus coniugum cedere potest. Ita Emmanuel Sa in sum. v. luxuria nu. 3. Nauar. in sum. cap. 6. num. 8. Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 6. nu. 3. litera T. Caietanus in sum. v. stuprum. Graffius 1. par. decis. lib. 1. cap. 20. num. 32. Toletus lib. 3. summæ cap. 18. num. 2. Ac demùm alij plures, quos videre est apud Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 14. nu. 3.

33 Altera sententia est, quæ asserit copulam cum Virgine consentiente tunc tantùm à simplici fornicatione distingui, quando ea sub parentum custodia constituta defloratur. Quæ sententia in eo conuenit cum prima, quòd in defloratione Virginis consentientis aliquando concedit reperiri duplicem malitiam, alteram, videlicet, incontinentiæ oppositam castitati, & alteram iniustitiæ: in eo verò differt, quòd iniustitiam hanc non asserit esse commissam contra finem naturæ, in ordine ad quem virginale claustrum concessit; puta, vt puella habilior sit matrimonio; atquè vt ab actibus venereis faciliùs contineatur: sed contra parentes, ex eo quòd per eam deflorationem parentes puellæ maximè lædantur in honore, cùm actus ille sit ijs maximè iniuriosus. Ita Syluester v. luxuria, quæst. 1. Tabiena v. stuprum num. 1. Graff. 1. par. decis. aur. lib. 2. cap. 79. nu. 1. vbi stuprum definiens, ita ait, stuprum propriè Virginum est illicita defloratio sub parentum cura existentium; licèt generaliùs loquatur l. superiùs cit. vbi ait peccata mētalia carnalia variari iuxta varias circumstantias personarum; itaut desideria, quæ sunt erga coniugatas, sint adulteria: quæ circa cognatas, incestus: quæ circa virgines, stuprum, nulla facta mentione Parentum, aut Tutorum, sub quorum custodia sit constituta. Pedraza in summa, præcep. 6. §. 2. Armilla v. luxuria num. 4. & v. stuprum num. 1. cum alij.

34 Ego verò respondeo cum tertia sententia asserente deflorationem virginis spontè consentientis non differre specie à simplici fornicatione. Ita Lessius lib. 2. cap. 10. dubit. 1. num. 5. Coninch. de Sacram. disput. 7. dub. 4. nu. 19. Sanchez cit. num. 5. Vasquez opusc. de restit. cap. 3. §. 1. dub. 1. num. 6. Antonin. Diana 1. par. tractatu de

cir-

circumstantijs aggrauantibus resolut. 11. Et quando puella non est sub potestate parentum, vel tutorum: vel si illis consentientibus patiatur se violari, id docent Sotus in 4.d. 18.q.2.art. 4 post septimam conclusionem Et Petrus Nauarra lib. 2. de restitut. cap. 3. nu. 433. Et alij plures. Probatur, quia si copula hæc specialem includit deformitatem, quam non includat simplex forniatio, maximè quia non solum opponitur castitati, sed etiam iustitiæ, cui non opponitur fornicatio. Sed hæc malitia iniustitiæ non reperitur in violatione Virginis consentientis; Ergo &c. Minor probatur, quia virgo licèt non sit domina sui corporis, est tamen domina vsus sui corporis: & tam habet dominium vsus claustri virginalis, quàm habet dominium vsus oculorum, vel pedum; Ergo si virgo consentiat, nulla adest iniustitia.

Dices primò fieri iniustitiam naturę, quæ claustrum virginale eo ordinauit, vt puella habilior sit matrimonio incundo. Sed contra, quia puella potest nuptias recusare, & permanere innupta absquè vlla læsione iustitiæ, aut iniuria naturæ irrogata; Ergo ex iustitia non tenetur seruare claustrum virginale, vt habilior sit matrimonio. Tum quia, si ex alia causa, quàm per viri accessum pateretur claustri fractionem, nullam irrogaret iniuriam naturæ; Ergo neque eandem irrogabit si hanc fractionem patiatur per viri congressum. Demum, licèt natura concesserit virilia propter generationem: tamen nullus dicet peccare eum contra iustitiam, qui illa sibi amputet; Ergo pari modo licèt natura claustrũ hoc concesserit ad finem matrimonij, nulla tamen erit iniustitia si puella cõsentiens patiatur illius ruptionem extra matrimonium. Quæ ratio probat non esse petendam aliquam peculiarem deformitatem ex ipsa ruptione, & scissione claustri, cui nec Parentes, nec puella consentire possint, sicuti nullus potest consentire vt sibi abscindatur manus, vt vult Caietanus 2. 2. q. 154. art. 6. Tum quia verius est nullam fieri rupturam, vt peritissimi Medici docent. Tum quia, etiamsi daretur hæc ruptura, & scissio, adhuc tamen puella consentiente nulla committitur iniustitia: nam vel claustrum consideratur materialiter, puta secundùm suam entitatem, quatenus est pars corporis puellæ; & sic est paruæ entitatis: vnde ob materiæ paruitatem non potest in eius fractione dari culpa mortalis: vt si mulier permitteret sibi abscindi modicam partem carnis ex alia parte corporis. Vel illud consideratur formaliter, quatenus est dos naturalis ad matrimonium: & sic virgo est sui iuris quoad hoc, itaut sine vlla iniustitia possit huius dotis amissionem permittere; sicut enim potest non nubere, ita cedere potest illo iure, quod habet ad hanc dotem naturalem.

Dices secundò fieri iniuriam Parentibus, aut Tutoribus, sub quorum potestate puella est constituta. Sed contra obstant, quæ hucusquè diximus: nam si claustri fractionem patiatur sine Viri congressu, nulla infertur iniuria Parentibus; Ergo nequè eadem infertur, si illam patiatur per cõgressum viri. Tum quia Parentes, vel Tutores non habent maius dominium supra filiam virginem, quàm supra filiam corruptam: Sed copula habita cum filia corrupta consentiente, atquè sub Patris potestate existente non includit malitiam specie distinctam à fornicatione; Ergo nequè eandem includet copula habita cum Virgine exigente sub Patris potestate: non enim est maior

ior

ior ratio, cur mulier corrupta existens sub potestate Patris sit ita domina sui corporis, vt absq; vlla iniustitia possit illo abuti extra matrimonium peccãdo tantùm contra castitatem;& virgo non sit similiter domina vsus sui corporis, itaut liberè absquè vlla iniustitia non possit consentire in sui deflorationem. Tum quia in veriore sententia violator virginis consentientis nihil tenetur restituere Parentibus quorum potestati subest, vt videbimus in difficultate sequenti; Ergo nulla iniustitia inde consurgit contra ius paternum.

Obijcies primò, si copula cum virgine non habet malitiam distinctam à fornicatione, quando puella consentit, nequè adulterium distingueretur à simplici fornicatione, quando maritus & vxor consentirent. Consequens nullo modo est admittendum; Ergo neq; antecedens.

Respondeo negando sequelam. Et ratio est, quia licet copula habita cum vxore alterius, marito consentiente, non contineat culpam iniustitiæ contra ipsum maritum, quia consentienti nulla fit iniuria; adhuc tamen continet malitiam adulterij, quatenus opponitur bono matrimonij,& fidelitati, quam exigit coniugium, cui neuter coniux potest renuntiare, vt benè Lessius cit.num. 4. Sic si quis occideret volentem, & renuntiantem iuri suo circa vitam non esset iniurius occiso: esset tamen eius filijs, aut saltem Reipublicæ, quæ habet ius ad vitam ciuium,cui nullus potest renunciare. Consentit in simili Vulpianus l.1. §. de iniurijs,& famosis libellis, vbi habet,si volentem filium quis vendiderit, Patri competere suo quidem nomine actionem iniuriarum: filij verò nomine non competere, quia nulla fit iniuria volenti. Et Glossa ad reg. iur. 27. vbi habet, si Clericus permittat se percuti hanc percussionem non esse quidem iniuriosam Clerico, sed statui Clericali: vt mirum non sit copulam habitam cum vxore alterius,marito ipso consentiente, adhuc continere culpam iniustitiæ, quatenus per eam violatur indissolubile vinculum, quo naturæ auctor alterum alteri obstrinxit, quòdquè Sacramenti sanctitas confirmauit, quod non est in mariti potestate, itaut illi cedere possit.

Obijcies secundò, concubitus cum Virgine consentiente opponitur speciali virtuti virginitatis, cui non opponitur fornicatio, hæc enim opponitur virtuti castitatis;Ergo si speciali virtuti opponitur,debet includere specialem deformitatem, quam non includat fornicatio.

Pro responsione aduertendum, virginitatem duo includere, alterum pro materiali, alterum verò pro formali. Pro materiali includit integritatem claustri. Pro formali verò abstinentiam ab omni actu venereo, etiam licito, seu coniugali. Quare ad argumentum.

Respondeo,& distinguo antecedens, concubitus cum virgine consentiente opponitur virginitati, quæ, quoad formale, est specialis virtus distincta à castitate, nego antecedens: opponitur virginitati quoad materiale, concedo antecedens. Ad consequentiam; Ergo si speciali virtuti opponitur, debet etiam includere specialem deformitatem: distinguo consequens;si speciali virtuti opponitur quoad formale, debet etiam includere specialem malitiam, concedo consequentiam; si speciali virtuti opponitur quoad materiale tantùm, nego consequentiam: illud enim dicitur vitium speciale,

quod

quod specialiter opponitur formalitati alicuius virtutis.

35 Ad hoc autem clariùs intelligendum duo inseruire possunt. Primò similitudo, quam affert D. Th. 2. 2. q. 152. art 3 Secundò casus.

Similitudo autem peti maximè potest ex virtute liberalitatis, & magnificentiæ, quæ dicuntur quidem speciales virtutes, ita tamen, vt quoad formale inter se non differant: liberalitas enim versatur circa moderatos sûptus: magnificentia verò circa magnos. Ita porro castitas, & virginitas speciales virtutes dicuntur, non tamen si illarum formale obiectum spectemus: Nam castitas, quæ assimilatur liberalitati est voluntas abstinendi ab omni actu illicito venereo; virginitas verò, quæ assimilatur magnificentiæ, est voluntas abstinendi ab omni actu venereo tam licito, quàm illicito: vnde differunt tantùm secundùm magis, & minus, quod non variat speciem.

Casus verò peti potest ex primo cõcubitu viri: omnes enim ferè Doctores docent primum illius concubitum, primamuè pollutionem carere circumstantia necessariò confitenda, vt videre est apud Azorium 3. par. lib. 3. cap. 11. q 2. Filliucium to. 1. tract. 29. cap. 3. nu. 71. Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 8. nu. 2. Suar. in 3. par. disput. 22. sect. 4. in circumstantia, Quid, & alios communiter: & tamen etiam ille opponitur virtuti virginitatis; Ergo licèt copula habita cum virgine cõsentiente opponatur virtuti virginitatis, non ideo tamen includit specialẽ deformitatẽ: hoc ergo ideo est, quia licèt virginitati opponatur, eidem tamen opponitur quatenus coincidit cum castitate, non verò quatenus est specialis virtus: sicuti auaritia opponitur magnificentiæ, non quatenus est specialis virtus à liberalitate distincta, sed vt coincidit cum liberalitate.

36 Ex quibus inferas primò, rationem stupri, quatenus est species luxuriæ distincta à fornicatione, consistere in iniustitia admissa auferendo violenter à Virgine claustrum virginale: differre autem à raptu, primò, quia raptus importat abductionem de loco ad locum, quàm non importat stuprum. Secundo, quia raptus importat violentiam nulla habita ratione status fœminæ: tam enim raptus est, si abducatur corrupta, quàm si abducatur Virgo: at vero stuprum dicit violentiam illatam Virgini. Vnde si quis Virginem raperet, & illam per vim cognosceret, duplicem malitiam specie distinctam peccatum hoc contineret; alteram stupri, quatenus violenter cognouisset Virginem; alteram verò raptus, quatenus illam abduxisset, quę vtraque malitia esset necessariò confitenda.

37 Secundò, quoties nulla vis inferatur virgini, circumstantiam virginitatis non esse necessariò exprimendam in confessione. Vnde iuuenis, qui morosè delectatur de virgine sine voluntate inferendi violentiam, satisfacit si dicat se habuisse delectationem circa fœminam solutam. Pariter si cum virgine consentiente copulam habeat, satisfacit dicendo se toties cum fœmina soluta copulam habuisse; concubitus enim ille non differt à simplici fornicatione: verum tamen est, quòd ratione reseruationis contingere posset casus, vt teneretur circumstantiam virginitatis aperire, vt si confessio fieret inferiori Confessario nõ habenti facultatem à reseruatis absoluendi, iuxta ea, quæ diximus in cap. 4. nu 29.

38 Tertiò inferas, si puella consentiens carnaliter cognoscatur, licèt vis,

vis inferatur Parentibus, aut Tutoribus, sub quorum potestate sit constituta, atq; ab eorum domo per vim Parētibus ipsis illatam abducatur; copulam tamen hanc non esse stuprum, sed simplicem fornicationem. Et ratio est, quia nulla intercedit violentia respectu virginis, cùm ipsa voluntariè consentiat in deflorationem; vnde est, vt non sit stuprum, cùm ad rationem stupri requiratur violenta virginitatis ablatio. Adesset tamen raptus respectu Parentum, à quibus per vim fuisset abducta puella, illequè necessariò esset exprimendus in confessione.

39 Quartò, si virgo ignorans, puta in ebrietate, defloretur, peccatum hoc reduci ad stuprum. Et ratio est, quia adest iniustitia, cùm ea præter voluntatem cognoscatur. Ita Sanchez disput. 14. cit. num. 9. & disp. 12 num. 33. Affirmat hoc idem de virgine, quę precibus importunis fuerit cognita, cùm eæ æquiualeant violentiæ: contrariū tamen verius puto iuxta dicta in cap. 1. num. 30. cum preces importunæ nullam includant violentiam; vnde culpa hæc esset solius fornicationis.

40 Quintò deducitur, virginem, quæ absq; viri congressu primò passa est pollutionem, non teneri exprimere hanc circūstantiam virginitatis: peccatum enim hoc est solius mollitici. Quinimo ex Doctoribus cōtrariæ sententiæ, qui videlicet putant copulam cum Virgine etiam consentiente distingui à simplici fornicatione, nonnulli docent in peccato hoc circumstantiam non esse confitendam, ea ratione nixi, quia licèt per hanc pollutionem amittat puella virginitatem, quatenus est virtus, non tamen prout dicit integritatem signaculi. Ita Filliucius to. 2. tract. 30. cap 3. num. 74. & alij.

41 Potior difficultas est, vtrùm in sentētia aduersariorum, quòd circumstantia virginitatis sit confitenda tanquam mutans speciem, teneretur Confessarius puellam, aut Monialem confitentem actum desiderij interrogare, num sit virgo.

42 Respondent aliqui negatiuè, quorum ratio est, quia Confessarius præsumit huiusmodi puellas esse virgines, cum communiter tales sint: vnde in mente Confessarij actus habet malitiam stupri. Quòd si puella non sit virgo, eam ipsam non teneri ad circumstantiam hanc manifestandam, docent ea ratione, quia non tenetur Pœnitens fateri circumstantias minuētes, ita Henriquez lib. 5. de pœnit. c. 4. num. 2. in fine, & cap. 8. num. 2. Azcozer in sum. cap. 20. §. la circumstantia, nu. 73. Angles Floribus, 1 par. quæst. 3. de confessione, art. 4. difficult. 7. & alij, quos non loqui consequenter ait Suarez disput. 22 de pœnit. sect. 4. vers. quibus omnibus spectatis, Sanchez cit. num. 15. Et bene: nam alioqui Clericus necdum in sacris constitutus, grandæuæ ætatis, & sexagenarius, qui ab omnibus reputaretur Sacerdos, etiam à Confessario ipso, confitens peccatum carnis non teneretur declarare se non esse Sacris initiatum. Pariter qui sciret Confessarium existimare illum esse cōiugatum, confitens peccatum carnis non teneretur detegere hanc circumstantiam peccati, quòd sit solutus. Itē, qui occidisset hominem Clericum nesciens esse Clericum, non teneretur in confessione aperire ignorantiam Clericatus, & bene confiteretur, si diceret, occidi Clericum: quia hæ omnes circumstantiæ apud Confessarium minuunt peccatum.

43 Respondeo ergo cum Suarez, & Sanchez citatis retentâ eâ sententiâ, & puellam teneri declarare se non esse

esse virginem, & Confessarium ipsum teneri interrogare, vtrùm puella sit virgo. Idque patet ex ijs, quæ satis fusè docuimus, cùm ageremus de Pœnitentia in tractatu de circumstantijs minuentibus, quas diximus esse duplicis generis, alias minuentes variando speciem, alias verò minuentes intra eandem speciem: & minuentes variando speciem diximus esse certò confitendas cum alijs Doctoribus communiter: in præsenti autem casu circumstantia virginitatis minueret variando speciem; Ergo ea esset confitenda: & consequenter Confessarius teneretur de ea interrogare. Ratio verò est, quia grauiter decipitur Confessarius, si circumstantia hæc non detegatur, existimat enim peccatum confessum esse stuprum, cùm tamen sit simplex fornicatio. Et in casu de Clerico, existimat peccatum confessum esse sacrilegium, cum tamen sit simplex pollutio, verbi gratia. Et sic in cæteris casibus. Quòd si dicas, Pœnitentem ipsum non decipere, sed permittere vt Confessarius decipiatur. Respondeo Pœnitentem ipsum dare legitimam causam huius deceptionis, & consequenter peccare non manifestando clarè, & distinctè peccatum, sicut illud commisit: sicut daret iustam causam deceptionis, si diceret furatus sum in Ecclesia calicem, quem tamen fuisset furatus aurifici in Ecclesia existenti; illico enim Confessarius intelligeret de calice cultui diuino destinato, & de calice, qui esset ipsius Ecclesiæ.

Hinc est, vt in cap. superiore num. 21. quærentes vtrùm patiens sodomiam teneatur explicare an fuerit patiens, an agens responderimus negatiuè, etiamsi Confessarius sit intellecturus de sodomia actiua, quia circumstantia hæc non minuit variando speciem, ita ut tollat ab actu nouam speciem peccati mortalis: sed minuit intra eandem speciem: quo modo fœmina habens copulam cum consanguineo, quæ tamen non seminasset, non teneretur in confessione manifestare se non seminasse, quia circumstantia hæc minueret intra eandem speciem: sed ritè confiteretur dicendo se incestum commisisse, etiamsi Confessarius esset intellecturus de incestu cum seminatione.

44 Vnum tamen eos monuerim, qui hanc sententiam sequuntur, consultiùs facturum Confessarium, si puellam, aut Monialem confitentem actū internum desiderij, potius interroget de consuetudine sic peccandi, vel an aliàs talia peccata commiserit; quàm si interroget, vtrùm sit virgo: id enim periculosum maximè esset, ne puella in hac materia mentiretur. Addo, si facta hac interrogatione Confessarius præuideret periculum mentiendi, & ea esset in bona fide constituta, posse non interrogare, ne laqueum, & offendiculum opponeret. Ita in simili docuimus, cùm de matrimonio, vbi diximus Confessarium, qui certò scit aliquem ex ignorantia inuincibili iuris, aut facti inualidè contraxisse matrimonium, vel illud esse contracturum, non teneri monere, quinimò teneri tacere, quando probabiliter credat monitionem nihil esse profuturam. Idemq; docuimus de quocunquè alio peccato, à quo Pęnitens propter ignorantiam inuincibilem excusetur: vt si quis exerceret vsuras inuincibiliter ignorans iniustitiam contractus: vel si quis bona fide possideret primogenituram, quam Confessarius sciret iniustè possideri; in his enim, alijsq; similibus casibus in quibus solius tertij pręiuditium immineret, nullumq; malum

boni

boni communis, teneretur tacere, quãdo probabiliter crederet monitionem suam nihil esse profuturam. Vide Sanchez lib. 2. tota disput. 38. & in terminis casum propositum apud eundem Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 14. num. 15.

Sed satius est nobiscum sentire, cùm incommoda hæc omnia euitentur.

45 Sextò infertur, dari quidem posse casum, in quo masculus deflorans teneatur circumstantiam virginitatis manifestare; vt si per vim defloret Virginem: nullum verò casum dari, in quo puella deflorata teneatur hanc circũstantiam aperire; vel enim ea defloratur consentiens, & tunc circumstantia hæc non est manifestanda, vt patet ex dictis; vel defloratur per vim, aut metum: & tunc si per vim defloretur non peccat, cùm vis tollat voluntarium: si verò per metum, adhuc non tenetur circumstantiam virginitatis aperire; quia si ad eam in confessione aperiendam non tenetur quando defloratur sponte, multò minus tenetur quando defloratur per metum, cùm metus extenuando voluntarium, extenuet etiã culpam.

Dices, masculus per metum grauem deflorans puellam peccat peccato stupri; Ergo puella consentiens, etiamsi per metum assentiatur, cooperatur stupro; Ergo tenetur circumstantiam virginitatis manifestare. Respondeo concesso antecedente, negandam esse consequentiam. Et ratio est, quia ratio stupri consistit in violentia deflorationе; virgo verò non dicitur deflorare, sed pati deflorationem: & quia deflorationem hanc patitur per metum, inde est vt non dicatur cooperari; non enim censetur cooperatio quando timor cogit; sicuti qui per metum detinet scalas furi non dicitur cooperari furto, neq; tenetur ad restitutionem.

46 Septimò demum infertur, an is, qui per vim deflorat Virginem, satisfaciat in cõfessione si dicat, se commisisse simplicem fornicationem per violentiam. Quòd enim satisfaciat, videtur inde probari, quia tota malitia stupri supra simplicem fornicationem consistit in violentia illata puellæ; Ergo si Virginem consentientem carnaliter cognoscens, satisfacit si dicat fornicatus sum: eam per vim cognoscens satisfaciet dicendo, fornicationem per violentiam commisi: aut certe, per vim carnaliter cognoui fœminam solutam. Et ita sensisse nonnullos Patres doctissimæ Societatis Iesu, aliosq; à se consultos, ait Sancius in selectis disp. 29. in fine numeri 8. in eandemq; sententiam videtur inclinare Antonin. Diana 1. par. tract. 7. de circumstantijs aggrauantibus, resolut. 11.

47 Contrarium tamen puto dicendum cum eodem Sancio. Et ratio est, quia in stupro intercedit duplex violentia, & iniustitia: altera illata puellæ per vim illam carnaliter cognoscẽdo, & hæc reperitur etiam in copula habita per vim cum soluta: altera illata eidem puellæ auferendo ei signaculum virginale ad cuius conseruationem habet ius: & hanc non exprimit Pœnitens dicendo se per vim habuisse rem cum soluta.

DIFFICVLTAS II.

Ad quid teneatur is, qui Virginem deflorauit sine promissione matrimonij.

48 *Si puella consentiat deflorator ad nihil tenetur.*

49 *Si puella per vim defloretur corruptor tenetur*

tenetur vel illam in matrimonium ducere, vel dotare.

50 *Si ex defloratione nullum damnum patiatur puella deflorator, ad nihil tenetur.*

51 *Etiamsi deflorator precibus importunis obtinuerit copulam adhuc tamen ad nihil tenetur.*

52 *Multò magis ad nihil tenetur si promissis, aut muneribus vsum corporis impetrauerit...*

53 *Si puella per vim deflorata nolit acceptare matrimonium tenetur deflorator reparare damnum pecunia.*

54 *Si modo ea exigat matrimonium, deflorator non tenetur, sed sufficienter satisfacit si damnum illatum reparet pecunia.*

PRæsens difficultas instituitur præscindendo à promissione coniugij, quam deflorator puellæ faciat ad faciliùs impetrandam corporis vsuram: quid enim sit dicendum in casu quo deflorator promiserit matrimonium, siue verè, siue fictè illud promiserit, patebit ex difficultate sequente. Pro clariore autem solutione aduertendum, vtrùm defloratio sit secuta puella consentiente, an vero ea inuita.

48 Respondeo primò, si puella liberè consensit in deflorationem, defloratorem ad nihil teneri, nec puellæ, nec Parentibus. Quod puellæ non teneatur aliquid restituere, probatur, quia volenti, & consentienti non fit iniuria. Quod item Parentibus nihil sit restituendum, probatur, quia nulla illis irrogatur iniuria, cùm puella sit domina sui corporis. Tum quia si puella ipsa haberet pecunias, quibus posset Parentibus satisfacere, ad nihil teneretur: & tamen ea consentiens in sui corporis deflorationem est causa magis principalis, quàm sit deflorator; Ergo nec tenetur deflorator. Ita Sotus lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 1. ad 2. Lessius lib. 2. cap. 10. dubit. 2. Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 14. nu. 11. apud quem alij plures.

49 Respondeo secundò, si puella per vim, aut fraudem fuerit deflorata, tenetur corruptor illam in matrimonium ducere, vel damnum illatum reparare, Et ratio est, quia verè fuit caussa iniusta damni; Ergo tenetur illud reparare: hoc autem fit vel matrimonio, vel damni æstimatione. Ita D. Antonin. 2. par. tit. 5. cap. 6. §. 1. Nauar. cap. 16. num. 18. Sylueſt. v. luxuria quæsito 5. quos citat, & sequitur Lessius cit. num. 10. Petrus Nauarra lib. 2. de restit. cap. 3. num 440. Et alij plures.

50 Ex quibus inferas primò, si ex defloratione nullum damnum passa sit puella, ex eo quòd ad æquè commodas nuptias transierit, ac transisset si non fuisset deflorata, defloratorem ad nihil teneri. Ita Petrus Nauar. cit. nu. 450. citans Cordubam, Nauarrus cap. 16. nu. 17. & 19. Lessius cit. num. 15. & alij recentiores. Probatur, quia si tenetur aliquid restituere; vel ratione deflorationis; vel ratione damni Non primum, quia damnum pudicitiæ, vitæ, & alia damna corporalia, cùm irreparabilia sint non æstimantur pecunia, & sic non exigunt de rigore iustitiæ pecuniariam restitutionem, sed tantùm iniuriæ illatæ satisfactionem. Non secundum, quia nullum damnum est secutum; Ergo &c.

Dices, verè deflorator coniecit puellam in periculum non habendi commodas nuptias, quod periculum est pretio æstimabile; Ergo ratione huius periculi tenetur illi aliquid restituere.

Respondeo concesso antecedente negandam esse consequentiam, quia obli-

obligatio restitutionis non oritur ex periculo damni secuturi, sed ex damno dato, & secuto; licèt ergo deflorator coniecerit puellam in periculum grauis detrimenti, non tamen illico tenetur ad restitutionem, si de facto tale detrimentum, & damnum non sequatur. Hoc tamen verum est, quòd ratione illius periculi potuisset puella aliquid pacisci antequam in illud se coniiceret, quod posset exigere, etiamsi nullum damnum de facto fuisset secutum: sicuti ego antequam vitæ periculo me exponam, possum pacisci aliquid, quod mihi ratione pacti debebitur, etiamsi omne periculum subterfugero. Cęterùm secluso pacto deflorator ad nihil tenetur, quoties nullum damnum sit secutum.

51 Secundò infertur, etiamsi deflorator precibus importunis impetrauerit à Virgine copulam, adhuc tamen ad nihil teneri. Et ratio est, quia precibus, quantumuis importunis, nulla subest vis, aut fraus: neq; eæ tollunt voluntarium: alioqui, vt bene Petrus Nauarra num. 444. qui assiduis precibus, ac muneribus officium, aut quid simile obtineret, iniustitiam committeret; quinimo, teste D.Thom.2.2.quæst. 8. preces ac suasiones potius augent, quàm minuunt voluntarium.

52 Tertiò deducitur, multò magis ad nihil teneri defloratorem eum, qui promissis, aut muneribus vsum corporis à Virgine impetrauerit. Et ratio est, quia hæc non afferunt vim, sed blandè alliciunt.

53 Quartò deducitur, si puella per vim, aut fraudem deflorata nolit acceptare matrimonium, corruptorem teneri ad reparandum damnum pecunia; non enim debet puella cogi ad illi nubendum. Ita Lessius cit. num.12.

54 Quintò demum infertur, si puella per vim, aut fraudem deflorata (diceretur autem per fraudem corrupta, quoties adolescens finxisset se diuitem, aut nobilem, vt illam deciperet) exigat matrimonium, defloratorem non teneri, sed sufficienter obligationi suæ satisfacere si damnum illatum reparet, siue matrimonio, siue pecuniaria compensatione. Ita Lessius n.13.

DIFFICVLTAS III.

Ad quid teneatur qui Virginem, deflorauit, si illam decepit promissione coniugij.

55 *Proponitur casus in hac difficultate, controuersus.*

56 *Tenetur ad illam ducendam etiamsi promissio fuerit ficta.*

57 *Excipiuntur nonnulli casus. Primus est, si deflorator notabiliter conditione excedat puellam: siue huius excessus puella fuerit conscia, siue ignara.*

58 *Secundus casus est, si legitimum aliquod impedimentum superueniat.*

59 *Tertius, si Pater nollet illam dare in matrimonium.*

60 *Quartus, si post promissionem puella cum alio fornicaretur.*

61 *Quintus, si puellam aßerentem se esse virginem deflorator comprehendat eße corruptam.*

55 CAsus, de quo quæritur in præsenti difficultate hic est. Titius vt extorqueret copulam à Ceia Virgine, illi promisit matrimonium: illa verò sub spe matrimonij concessit vsum corporis. Quæritur an dictus Titius teneatur ad illam ducendam: an verò satisfaciat si illam dotet.

56 Respondeo teneri ad illam ducendam, etiamsi promissio fuerit ficta.

Ita cōmuniter Doctores ex Lessio lib. 2. cap. 10. dub. 3. num. 20. Si promissio sit vera, certius id est, Titium teneri ad contrahendum; promissio enim acceptata obligat, & quidem ex iustitia. Quòd promissio ficta sit, adhuc probatur dictum Titium teneri ad matrimonium contrahendum, nec satisfacere si illam dotet, aut damnum resarciat: quia promissio hæc facta fuit per modum cōtractus; cùm ergo puella ex parte sua illum impleuerit, tenebitur etiam deflorator illum implere. Vide quæ de casu hoc diximus in cap. 12. à nu 34. per totam difficultatem.

57 Excipiuntur tamen nonnulli casus, primus est, si fictus promissor notabiliter conditione excederet puellam, eò quòd is esset longe nobilior, & opulentior; siue huius excessus puella fuisset conscia, siue ignara. Vide quæ diximus in cap. cit. nu. 36. licèt contrarium sentiant Petrus Nauarra lib. 2. de restit. cap. 3. nu. 442. Lessius cit. nu. 22. & alij, quando puella inuincibiliter ignoraslet excessum. Quæ sententia est valde probabilis. Quinimo addo, quādo ea fuisset conscia huius notabilis excessus: vel certè aliūdè potuisset colligere, adolescentem fictè loqui, & promittere (vt si ambiguè, inconstanter fuisset locutus, nimijs promissionibus, & exaggerationibus fuisset vsus) neque teneri ad reparandum damnum illi secutum, ita Doctores à me relati in cap. 12 cit. nu. 37. quibus addo Lessium num. 25.

58 Secundus est, si legitimum aliquod impedimentum superueniat: vt si fiat puellæ affinis: si aliam ducat per verba de præsenti: si sacros Ordines sumat; si notabile aliquod damnum, aut scandalum immineat ex tali matrimonio; in his enim casibus, alijsq; similibus satisfaceret obligationi resarciendo damnum.

59 Tertius est, si Pater nollet illam dare. Quinimo in hoc casu neque teneretur damnum resarcire. Et ratio est, quia Titius ex vi contractus tenetur puellam ducere; abundè igitur satisfacit, si sit paratus. Quod confirmatur ex alijs contractibus. Si enim fictè promittam tibi mutuum, eoquè nomine tu emas merces; teneor implere promissionem, & si non impleam teneor ad damna; si tamen ego sim paratus ad tradendum mutuum, tu verò nolis acceptare, mihi non est imputandum damnum secutum; Ergo à pari idem dicendum in nostro casu.

60 Quartus, si post promissionem puella cum alio fornicetur. Et ratio est, quia hæc est notabilis mutatio, quæ sponsalia ipsa legitima, & valida dissoluit. Vnde præcisa quacunque alia conuentione, nec teneretur aliter satisfacere. Ita Sanchez lib. 1. disput. 10. nu. 13 Less. cit. num. 28.

61 Quintus, si deflorator promiserit matrimonium puellæ asserenti se esse Virginem, & postmodum deprehendisset non esse virginem. Quinimo nec teneretur damnum compensare, quia ab illa fuisset deceptus. Ita Sanchez nu. 11. quo loco addit id verum esse, etiamsi puella ipsa non deciperet, sed fictus promissor existimans eam esse virginem sua tantùm opinione fuisset deceptus. Cuius ratio satis firma est, quia in sponsalibus veris, si puella deprehendatur corrupta sponsus habet iustam causam ab ijs resiliendi; ergo multò magis in fictis. Quæ sententia probatur Lessio cit. num. 30. Quia tamen puella non fuisset causa deceptionis, aliquid illi ratione copulæ esset restituendum, vt ex Corduba in quæstionar. lib. 1. quæst. 13. dicto 3. docet Sanchez.

De

De grauitate huius peccati.

GRauissimum hoc peccatum est, eoquè grauius, si per vim puella defloretur; vnde est, vt nonnulli Ordinarij stuprum tantùm consueuerint reseruare. Munus ergo Confessarij erit Pœnitenti ostendere huius criminis grauitatem, quod puellas sua virginitate spoliat, quæ est incomparabilis thesaurus, Ecclesiast. 26. quæ semel amissa irrecuperabilis est, iuxta illud.

Nulla reparabilis arte,
Læsa pudicitia, deperit illa semel.

Adde, semel corruptas puellas in venerem esse procliuiores, teste Aristotele l.7.de histor.Animal.cap.1.vbi ait, fœminas eas, quæ admodum puellæ concumbunt libidi nosiores per totam ætatē euadere: vnde est, vt defloratori fortè imputet Deus insequentes fornicationes, sicuti clausuram vineæ frangenti imputantur damna, quæ illius occasione sequuntur. Vellem ego, vt improbissimi Virginum corruptores legerent aliquando Ludou. Viues de Christiana fœmina l.1. vbi ait, raptas plerumq; fœminas dimissas esse ab insolentissimis militibus, tantùm respectu virginalis nominis: quòd, videlicet, se virgines esse affirmassent: nefas enim existimabant propter breuissimam, & momentaneam delectationis vmbram tantum bonum imminuere: malebatquè vnusquisuè tanti facinoris auctorem quemuis potius esse, quàm se.

DISCE LECTOR.

Si castitatem libido, pudorem impudentia vincat,
Nihil sancti, nihil integri, nihil boni
nobis superesse.

APPENDIX AD TRACTATVM DE CASIBVS RESERVATIS.

De Excommunicatione lata contra detinentes infantem in lecto, anno ætatis non impleto, sine præscripta cautione Cunarum.

1 *In Concilio Prouinciali IV. lata fuit hæc excommunicatio, quæ mulieres tantùm comprehendebat. Sed in Concilio Prouinciali 6. ea fuit ampliata.*

2 *Decreto huic de cautione adhibenda potest satisfieri si cistella ex virgulis cōficiatur, vt patet ex Synodo XI.*

CAsum hunc variè sibi reseruarunt locorum Ordinarij: sed cùm verborum ordine vario; tum etiã sensu. Alij enim suffocationem reseruarunt. Alij oppresionem tantùm propriæ sobolis. Alij etiam alienæ: Alij etiam detentionem in lecto. In nostra verò Diœcesi, & Prouincia lata est excommunicatio contra detinentes in lecto infantes ante annum expletum sine præscripta cautione cunarum.

1 Pro cuius censuræ clariore intelligentia, aduertendum primò in Concilio Prouinciali quarto, tit. de ijs, quæ pertinent ad Sacramentum Baptismi, latam fuisse excommunicationem, quę mulieres tantùm comprehendebat secum in lecto detinentes infantem anno natu minorem non adhibita cautione, cuius verba hæc sunt. [Itaq; quęcunq; mulier infantem anno ætatis non impleto secum in lecto iacentem non ea cautione tenuerit, quàm ab Episcopo præscriptam Parochus vnusquisque ei sigillatim demonstrarit, excommunicationis pęnam ipso facto subeat.] Verùm in Concilio Prouinciali 6. tit. eodem, censura hæc fuit extensa ad alias plures personas, puta, Matrem, Nutricem, Maritum etiam, & alios quoscūquè cogentes ad hanc detentionem, vel impediẽtes ne debita cautio adhibeatur: & quidem his verbis, [Quòd si quis, quicunq; sit, etiam præter Nutricem, & Matrem, non adhibita illa cautione, neque dispensatione impetrata, infantem contra præscriptum in lecto tenuerit, aut Matrem, Nutricemuè id facere coegerit, aut impedierit quominus eo decreto præscripta cautio adhiberetur is eadem pœna irretitus sit, quæ illo Decreto mulieri in eo genere delinquenti constituta est] quæ verba ideo retuli, vt clariùs ea deducantur, vel deduci appareat, quæ in huius censuræ progressu sunt dicenda. Præscripta verò cautio est, vt infantes, qui necdum primum ętatis annum explcuerunt in paruulis cunis detinea-

tur ad formam, & mensuram in Conciliis nostris præscriptam.

Ex verbis igitur Concilij Prouincialis 6. patet, tria genera personarum sub hac excommunicatione comprehendi.

Primò, detinentes infantes in lecto, quicunq; ij sint, siue Pater, siue Mater, siue Nutrix, siue Ancilla, siue alius quilibet.

Secundò, cogentes Matrem, aut Nutricem ad hanc detentionem sine debita cautione, quicunq; ille sit, qui cogat, siue Maritus, siue alius quilibet.

Tertiò eos, qui impediunt Matrem, aut Nutricem ne cautionem adhibeāt. Nomine autem Matris, vel Nutricis in hac prohibitione veniunt eæ personæ omnes, quæ curam infantum habent.

2 Aduertendum secundò, quòd ex Synodo XI. habetur, tit. Monita executionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent, pag. mihi 407. Decreto huic de cautione adhibenda satisfieri, si cistella ex virgulis conficiatur; non enim materia, sed forma fuit præscripta: idq; maximè fuit decretum vt consuleretur egestati eorum, qui in locis montuosis degentes habere aliquando non possunt cunas ex asseribus confectas.

QVÆSTIO PRIMA.

Qui nam incidant in hanc censuram.

3 *Quid significet verbum, detinere. Quid item veniat nomine infantis.*

4 *Incidunt in censuram omnes detinentes infantem in lecto anno non expleto sine præscripta cautione, & dispensatione non impetrata.*

5 *Etiam Maritus, dummodo in eodem lecto dormiat, & communi consilio id agat.*

6 *Quid si in eodem lecto dormirent filij, & Nepotes.*

7 *Quid si nullum adsit periculum suffocationis.*

8 *Affertur sententia docens in tali casu non incurri censuram.*

9 *Sententia Authoris.*

10 *Lex nitens præsumptioni facti quod, videlicet, in singulis euentibus, & semper ita contingat, cessat cessante præsumptione.*

11 *Si vero nitatur præsumptioni solius periculi, non ideo cessat lex quia in casu particulari cesset præsumptio.*

12 *Vnde nam colligi possit, quod lex nitatur præsumptioni facti, vel periculi.*

13 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ.*

14 *Detinens infantem in lecto cum periculo suffocationis, & absq; dispensatione, duplex peccatum committit.*

15 *Si Mater, aut Nutrix eo etiam tempore, quo dormire non potest diutius detineat in lecto infantem sine præscripta cautione, & absq; dispensatione, incidit in censuram.*

16 *An incidat mulier ea, quæ alias experta se somno corripi dum infantem extrahit è cunis vt placet, nec adhibens debitam diligentiam pro detentione impedienda, illum per imprudentiam diutius detinet.*

17 *Quid si annus sit bissextus, & annus spiret die 28. Februarij, vtrùm detinens infantem in lecto die bissexto ligetur censura.*

18 *Incidunt in censuram omnes cogentes ad hanc detentionem.*

19 *Quænam coactio requiratur ad incurrendam hanc censuram. Aliqui respondent sufficere quamcunq; coactionem etiam per metum leuem.*

20 *Author exigit metum grauem.*

21 *Sic ad incurrendam censuram latam contra cogentes quamcunq; fœminam*

ad ingressum Monasterij, susceptionem habitus, vel emissionem Professionis, requiritur metus grauis.

22 *Sic etiam cogentes ad contrahendum Matrimonium non incidunt in censuram nisi metu graui cogant.*

23 *Vtrùm incideret in censuram maritus qui vxori nolenti detinere infantem in lecto absquè cautione præscripta nollet debitum reddere.*

24 *An ad coactionem necessarius sit metus, qui sit grauis absolutè, an sufficiat metus grauis respectiuè.*

25 *An cogens incidat in censuram, etiãsi effectus coactionis non sequatur.*

26 *An in cogente necessaria sit voluntas, quod in contemptum Ecclesiæ cogat: vel directa intentio suffocationis.*

27 *Impedientes, ne debita cautio adhibeatur incidunt in censuram.*

28 *An detinens, cogens, & impediens incidat in triplicem censuram, an vero in vnam tantùm.*

29 *Proponitur casus huic similis de inuadente, destruente, occupante loca subiecta Ecclesiæ.*

30 *Sententia Authoris.*

CVm triplex actio prohibita sit in hac censura; de singulis seorsim agemus.

3 *Prima*, detinere infantem in lecto sine præscripta cautione ante annum impletum.

Quid significet verbum, detinere, patet. Quid item hoc loco veniat nomine infantis, constat, venit enim paruulus tenellus nondum annum impletum duodecim mensium habens: quod clarè significant verba illa, anno ætatis non impleto Annus verò est spatium temporis, quo Sol ab vno puncto Zodiaci exiens ad idem reuertitur, & constat duodecim mensibus.

4 Respondeo, ob detentionem in hanc censuram incidere quemcunq; puta, Maritum, Matrem, Nutricem, Auiam, & alios omnes, qui infantes anno non expleto in lecto detineant non adhibita præscripta cautione, & dispensatione non impetrata. Patet hoc ex verbis ipsius Concilij, ibi enim dicitur [quòd si quis, quicunque sit] quæ particula nullum excipit.

Dixi primò, non adhibita præscripta cautione; vnde etiamsi Mater, aut Nutrix alia cautione vteretur, interpositis, videlicet, inter infantem, & nutricem pannis, alioue simili impedimento suffocationem prohibente; adhuc tamen incideret in censuram, determinata enim cautio fuit præscripta, vt patet ex ijs verbis Concilij Prouincialis primi, [non ea cautione tenuerit, quam ab Episcopo præscriptam &c.] Et verbis Concilij Prou. 6. [Contra præscriptum in lecto tenuerit &c.] Et Synodo XI. citata, vbi habetur, decreto illi de præscripta cautione adhibenda satisfieri, si cistella ex virgulis conficiatur.

5 Dixi secundò, etiam Maritum: intellige tamen, dummodo in eodem lecto dormiat, & communi consilio id agat. Ratio est, quia si in eodem lecto non dormiat non dicitur detinere infantem in lecto, sed ad summum consentire detentioni: consentientes autem hac censura non ligantur, cùm non exprimantur in textu. Pariter non incidit si communi consilio id non agat, & ratio est, quia non dicitur detinere. Tùm quia cùm non sit particeps culpæ, neq; debet esse pœnæ particeps.

6 Quæres primo, vtrùm si in eodem lecto præter Patrem, & Matrem dormirent etiam alij, puta filij, nepotes, ij inciderent in censuram.

Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia

quia ij tantùm incidunt, qui infantem in lecto ita detinent, vt vel ad eos pertineat cura infantis; vel ex speciali commissione illis fuerit demandata cura: nam si ad aliquem nihil pertineat de infante non dicitur illum in lecto detinere, etiamsi in eodem lecto dormiat. Quo modo licèt prohibitum sit cum excommunicato communicare, non tamen est prohibitum in eadē domo habitare ea ratione vt quisquè suis intendat negotijs: in eodem cubiculo, lecto etiam dormire non per modum societatis, sed vt quisquè suam quietem capiat, vt docet Suarez disp. 15. de censuris sect. 2. & alij. Tum quia fratres, sorores, nepotes non possunt talem cautionem adhibere contra voluntatem Patris.

7 Quæres secundò, an incidat in hanc censuram mater, quæ infantem ita detineat in lecto, vt nullum adsit periculum suffocationis.

Bellochius de casibus reseruatis par. 2. quæst. 1. num. 408. explicans nonum casum reseruatum Tabellæ Anconitanæ, qui talis est, qui infantes ante completum annum in lecto detinuerint, excusat à reseruatione eum, qui sine peccato mortali, hoc est, absquè probabili periculo suffocandi puerum, illum in lecto detineret, vt si cubile esset amplum, & puerulus a longè esset positus; si mater, aut nutrix non soleret locum mutare, sed in quo loco se ad dormiendum collocasset, in eodem esset solita persistere. Et hæc sententia est vera dato quòd reseruationi non sit adnexa specialis prohibitio. Et ratio est, quia reseruatio intelligenda tantùm est de actione culpabili, & quidem lethali; detentio verò infantis in lecto absquè periculo suffocationis non est culpabilis; Ergo non est sufficiens ad reseruationem. Sic etiam non incideret in casum Mater, aut Nutrix, quæ cùm dormire non posset puerum in lecto per multum etiam tempus detineret. Et ratio eadem est, quia nullum adesset periculum suffocationis. At verò si reseruationi sit addita prohibitio, qualis est addita in nostro casu, qui adnexam habet excommunicationem, aliter videtur omnino sentiendum; tūc enim detentio ea, quæ non erat peccaminosa cessāte periculo suffocationis, culpabilis est vi prohibitionis, etiamsi nullum adsit periculum. Vnde est, vt idem Bellochius cit. nu. 409. sic dicat, [Secus autem dicendum est in Tabella Sancti Seuerini; ibi enim incidit in casum reseruatum detinens in lecto infantes anno minores absquè licentia Episcopi, & debita cautione adhibita.] Ex quibus verbis apertè colligitur ex sententia Bellochij, si pro detentione infantis in lecto absq; præscripta cautione velit Superior impetrandam esse licentiam, & dispensationem, eā non obtenta reseruationem incurri, etiamsi nullum adsit periculum suffocationis; idq; propter prohibitionem.

8 His tamen non obstantibus respondet Gambar. de cas. reser. cap. 14. pag. 180. vbi de hoc casu loquens sic ait, [Crederem ego excusari ab hac censura, qui sine peccato mortali, hoc est, sine verosimili periculo suffocandi infantem in eodem lecto secum retinet nondum expleto anno, vt si cubile est amplum, & ponit infantem longè a se, neq; dormiens solet locum mutare; imo vbi semel se collocat ibidem persistere solet.] Idemquè docet inferiùs, casu 23. in fine pag. 245. vbi ait, licèt lex loquatur de cunis, legislatoris tamen mentem esse, vt arceantur suffocationes, proindequè hanc potius esse attēdendam, quam corticem verborū.

Scio pro hac sententia à nonnullis citari

citari Graffium in praxi lib. 2. cap. 38. num. 33. vbi sic ait, [Nec is videtur includi sub casu, quando cum aliquibus debitis circumstãtijs puer in lecto collocatur, puta, quia lectus est extensus, & paruulus non est propè se, & nutrix, seu mater semper consueuit inueniri in eodem loco, & situ, quo se incipiendo dormire posuit.] Verum, pace eorum dixerim, non bene illos aduertisse ad casum, de quo loquitur Graffius; ille enim non explicat reseruationem, aut censuram aliquam latam contra detinentes infantes in lecto: sed explicat casum suffocationis paruulorum in lecto; vt proinde benè inferat non ligari ea reseruatione detinentem infantem in lecto, quoties adhibeat tales circũstantias, quibus adhibitis non possit probabiliter timeri periculum suffocationis: quia circumstantijs ijs concurrentibus, etiamsi suffocatio sequatur, ea tamen non est culpabilis, & consequenter non subest reseruationi. At verò nostri casus dispar est ratio, cùm sub pęna excõmunicationis ipso facto incurrendæ prohibita sit detentio ipsa.

9 Respondeo ergo, Matres, Nutrices, vel alios quoscunquè àd quos spectet cura infantis, vel ea specialiter fuerit çommissa, quoties illum detineant in lecto sine cunis, nec adhibita ea cautione, quę à Concilijs nostris fuit pręscripta, incidere in excommunicationem, etiamsi nullum adesset periculũ suffocationis. Probatur, quia excommunicatio non est lata contra suffocantes, sed contra detinentes infantes in lecto sine præscripta cautione; Ergo qui sic detinet infantem in lecto est inobediens, & contumax; Ergo incidit in censuram.

Dices, cautio hæc cunarum ex præcepto Ecclesiæ adhibenda est, ne suffocatio infantis sequatur; Ergo vbi nullum adsit periculum suffocationis, pręceptum, seu lex non obligabit: & sic non incurretur censura. Sic non desunt Doctores plures asserentes, quando lex fundatur in præsumptione, eam non obligare in conscientia, si veritas non concordet præsumptioni. Ita Syluester, ver. lex. quæst. 9. casu 2. Nauar. in sum. cap. 17. num. 284. Couar. in cap. cum esses, de testam. num. 9. Richard. in 4. dist. 28. art. 1. quæst. 3. & 4. & alij. Atqui lex de cunis adhibendis est præsumptiua (præsumit enim adesse periculum suffocationis infantis) Ergo cessante præsumptione cessabit lex. Hinc est, vt licèt extet lex præcipiens, vt hæres, qui adit hæreditatem non confecto inuentario, soluat debita vltra vires hæreditatis: quia tamen ea fundatur in præsumptione fraudis; cessante fraude eam non obligare in conscientia doceat communior sententia Bartoli, Baldi, & aliorum, quos refert, & sequitur Iason in rubrica ff. de acquiren. hæredit. à num. 13. Tum quia cessante fine legis cessat lex. Sed finis legis fuit, vt impediretur suffocatio; Ergo si nullum adsit illius periculum, lex non obligabit.

10 Respondeo, concesso antecedente negandam esse consequentiam. Pro cuius rei intelligentia aduertendum, dupliciter posse Superiorem cõdere legem, ita vt ad illam seruandam obliget. Primò ex pręsumptione, quam habet, tale malum, quod nititur impedire, in singulis, & omnibus euentibus euenire. Secundò ex præsumptione, quod malum illud non in singulis euentibus, sed vt plurimum tantùm sequatur. Primi generis præsumptionem vocare possumus præsumptionem facti. Secundi verò generis vocare possumus præsumptionem periculi moralis.

Si

Si ergo ex prima præsumptione moueatur Superior ad legem ferendam; tunc verum est, quòd cessante præsumptione, & cessante fine legis etiam in particulari, cessat lex. Huius generis esset lex, quæ præciperet obedire sententiæ, quam præsumeret iustam: & tunc si constaret sententiam aliquam non esse iustam; ad illi obediendum non obligaret ea lex, quia fundaretur in præsumptione talis facti in indiuiduo, scilicet, quòd talis sententia iusta foret.

11 Si verò ex secunda præsumptione Superior moueatur ad ferendam legem; tunc, etiamsi in aliquo particulari casu malum illud non timeatur, ad quod impediendum fuit lata lex, ea tamen adhuc obligat. Et ratio est, quia ea non fertur ob casum singularem; sed ad vitandum malum, quod frequenter euenit: &, vt inquit D.Th.2.2.q.88.art.9 leges humanę attendant ea, quę frequentius accidunt, idq, satis est, vt obligent.

Huius generis est lex prohibens fieri professionem ante decimum sextum annum expletum, quæ habet effectum irritandi quamcunquè professionem antea factam, licèt ea facta esset à puero optimi iudicij: & tamen fundatur in præsumptione imperfecti consensu, & defectus iudicij.

Sic lex prohibens deferre arma noctu propter incommoda rixarum, aut iniuriarum, quæ inde sequi solent, obligat omnes, etiam virum pacatissimum, a quo mali nihil timeri vllo modo posit.

Sic lex prohibens habere plura officia Reipub. ad vitandum damnum indebitæ administrationis, obligat etiam eum, à quo tale incommodum timeri non possit; quia, videlicet, aptissimus fit ad plura munia perfectissimè obeunda.

Sic si Superior præcepisset Religiosis ne adirent locum vbi operarij laborant, ex præsumptione, quòd loquelis, ac sermonibus essent illos ab operis impedituri: adhuc præceptum hoc obligaret Religiosum eum, qui omnino tacere intendisset, vouissetquè silentium.

Sic Religiosorum præcepta prohibentia in virtute obedientię ingressum in cellas alienas, ad vitanda quædam incommoda, obligare etiam in casu, in quo aliquis certò sciret non adesse tale periculum, ratione cuius fuit impositum præceptum, docent Basilius Pontius de matrim. lib.5.cap.5. nu.11. Castrus Palaus tom.1. tract.3. disput.1. pun.14.nu.13. ea sola ratione nixi, quia præsumptio hæc non facti est, itaut in quocunq; casu malum illud timeatur, sed solius periculi, quod licèt non adsit in illo casu, adest tamen generaliter, & vt plurimum, & hoc sufficit, quia hæc fuit causa imponendi pręceptum.

Sic extat lex, quæ præscribit ad testamenti validitatem tot testes esse adhibendos, idquè statuit legislator ex præsumptione fraudis, quæ timeri maximè potest in testamentis clandestinis: quia tamen præsumptio hæc non facti est, sed periculi; inde est, vt eâ etiam cessante in casu particulari non cesset lex.

Sic Clericum Mediolanensem adhuc ligatum iri censura, etiam citra scandalum arma deferret, docet noster Bonac.disp.1. de legibus, quæst.1. pun.vltimo §.2. num.2. ea ratione nixus, quia scandalum cessaret tantùm respectu particularis personæ; lex autem non ideo cessat, quia finis legis cesset in particulari. Addo ego futurum, vt statutum illud, vi cuius sub pęna excommunicationis prohibitum est Clericis in Diœcesi Mediolanensi deferre arma,

adhuc

adhuc obligaret,etiamsi scandalum in totum,& in vniuersum cessaret: Et ratio est,quia finis huius legis non solùm fuit,vt vitaretur scandalum,sed etiam, vt honestati, & decentiæ status Clericalis consuleretur, qui finis nunquam cessat. Hinc est, vt statutum hoc inter alia plura in Synodo Diœcesana 32. connumeretur, sub titulo, De vita, & honestate Clericorum, contenta. Sic licèt ieiunium indictum sit ad carnis concupiscentiam macerandam, in eo tamen,qui carnem perfectè edomuerit non ideo cessat lex hæc; quia, videlicet,carnis maceratio non est sola causa finalis, sed alia concurrit, puta, meritum, quod nunquam cessat. Pariquè modo licet in viro docto cesset periculum peruersionis, si libros hæresim cõtinentes perlegat, non ideo tamen immunis est à censura (retenta etiam sententia, quòd cessante fine legis in particulari cesset lex in particulari) quia periculum illud non est sola causa finalis illius legis, sed alia concurrit,puta,detestatio peccati hæresis, atq; hæreticorum: qui finis nunquam cessat.

A pari ergo, cùm cautio hæc fuerit à Concilijs nostris præscripta ex præsumptione periculi suffocationis, quæ probabiliter timeri potest, quoties infans detineatur in lecto sine præscripta cautione; inde est, vt licet in casu particulari cesset præsumptio, non ideo tamen pro eo casu cesset lex, vt patet ex casibus allatis. Atquè ob hanc rationem alias docui, cessante fine legis in particulari non cessare obligationem legis.

12 Ad discernendum autem, quãdo nam lex fundetur in præsumptione facti, quod ita in reipsa supponatur: & quando in præsumptione solius periculi, seu in eo quod frequentiùs accidit, nullam certam regulam assignant Doctores: sed id ex materia, & verbis legis, adiuncto vsu,& interprætatione Doctorum putant esse colligendum.

13 Ex quibus patet primò ad fundamentum contrariæ sententiæ. Ad exemplum de hærede non faciente inuentarium, respondeo mihi satis probari sententiam asserentem, quòd hæres,etiam non confecto inuentario, non teneatur in conscientia soluere debita defuncti in ea quantitate, quæ superat vires hæreditatis: quam sententiam aliàs docui in materia voti, vbi sustinui hæredem teneri in conscientia ad ea tantùm vota defuncti, ad quæ sufficiunt vires hæreditatis: siue confecerit inuentarium, siue non; non obstante l. fin. C. de iure delib. decernente hæredem, qui non confecerit inuentarium, teneri vltra vires hæreditatis: quia lex hæc, vel est pœnalis, & consequenter non obligat ante iudicis sententiam: vel certè non fundatur in præsumptione periculi, sed facti, præsumens, videlicet, hæredem non alio animo neglexisse inuentarium, quàm vsurpandi pinguem hæreditatem, nec integrè soluendi debita defuncti; & sic præsumptione cessante legem non obligare.

14 Secundò, si Mater, Nutrix,aut quicunquè alius cum periculo suffocationis detineat infantem in lecto sine hac cautione, & absquè dispensatione duplex peccatum cõmittere; alterum contra ius naturale; alterum verò contra Ecclesiam: quòd si nullum adsit periculum, vnum tantùm est peccatum, puta inobedientiæ contra Ecclesiam; hocquè illud est, pro quo fuit lata excommunicatio. E contra verò, si quis post obtentam dispensationem, infantem in lecto detineat sine hac cautione, peccabit mortaliter si infanti immineat

mineat periculum suffocationis, non tamen incidet in censuram, quia non erit contumax contra Ecclesiam.

15 Tertiò, si Mater, aut Nutrix eo etiam tempore, quo somnum capere non potest diutiùs detineat infantem in lecto sine debita, & præscripta cautione, incidere in censuram. Et ratio est allata, quia detinendo est inobediens, & contumax erga Ecclesiam.

16 Quæres tertiò, an incidat in censuram mulier ea, quæ aliàs experta, se dum infantem è cunis extrahit vt placet, sæpissimè somno corripi, cito illum non restituit: vnde somno correpta, diutiùs illum detinet in lecto. Respondeo incidere, quoties periculum longæ detentionis aduertens illi non occurrat. Et ratio est, quia adesset negligentia grauis, & culpabilis, quæ à censuris non excusat. Vnde ea teneretur ita è lecto assurgere, vt somnum impediret.

17 Quæres quartò, vtrùm si annus spiraret die vltima, vigesima, videlicet, octaua Februarij, & dies bissextus contingat in eo mense, eo die detinens infantem sine præscripta cautione incidat in censuram. Ratio difficultatis est, quia illos duos dies computandos esse pro vno deciditur, c. quæsiuit de verb. signif. in fine, & l. cum bissextus, ff. eod. tit. & l. 3. §. minorê, ff. de minor.

Respondeo tamen non incidere. Et ratio est, quia licèt duo illi dies in rebus fauorabilibus pro vno cedant: secus tamen est in odiosis, vt bene glos. c. quæsiuit cit. verb. quasi. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 24 nu. 18. quo loco docet, suspensum per mensem, si incipiat mensis Februarius bissextilis, posse celebrari vltima die Februarij: materia autem censurarum non fauorabilis est, sed odiosa.

18 *Secunda* actio est cogere Matrem, aut Nutricem ad hanc detentionem sine debita cautione.

Respondeo, ob coactionem ligari hac censura quemcunq;, qui Matrem, Nutricem, aut alium quemlibet cogat ad detinendum infantem in lecto sine debita cautione. Ac licèt in textu fiat tantùm mentio de coactione adhibita Matri, vel Nutrici; extendendus tamen ille est ad quamcunq; aliam personam, quæ cùm susceperit curam infantis, cogatur illum detinere in lecto sine debita cautione, si enim exprimitur tãtùm Mater, aut Nutrix, hoc ideo est, quia regulariter eæ tantùm personæ suscipiunt curam infantis.

19 Quæres primò, quæ nam coactio requiratur ad incurrendam hanc censuram. Respondet Gambar. de cas. reser. casu 23. pag 444 quamcunq; coactionem sufficere ad hanc censuram incurrendam, quæ tamen fuerit causa sine qua non; etiamsi ea coniuncta foret cum metu leui, nec cadente in virum constantem, siue fœminam; sic enim ait, [satis autem dicitur coactè facere, qui metu, minis, vel terroribus inducitur ad sic faciendum; in foro enim conscientiæ sufficit, quòd coactio sit talis, quæ fuerit causa sine qua non, etiamsi non esset metus cadens in constantem virum, siue fœminam.]

20 Ego verò respondeo, cogentem per metum leuem non incidere in hanc censuram. Et ratio est, quia versamur in materia odiosa, Ergo ea strictè est interpretanda. Tum quia in iure gesta per metum leuem non reputantur gesta per metum, & sic metus leuis in iure non reputatur metus; Ergo neq; in nostro casu reputanda est esse coactio, quæ fit per metum leuem.

21 Sic licèt in Tridentino sess. 25. de Regularibus cap. 18. sit lata excommunicatio contra quomodocunq; cogentes

gentes quamcunq; fœminam, præterquam in casibus iure expressis, ad ingressum Monasterij, vel ad susceptionem habitus cuiuscunquè Religionis, vel ad emissionem Professionis: tamen non obstante ea particula, quomodocunquè, censuram eam esse intelligendam de coactione per metum grauem cadentem in virum constantem, docet Sanchez in sum. lib. 4 cap. 4. n. 4. & alij.

22 Sic licèt Concilium Triden. sess. 24. de matrim. cap. 9. rigidioribus verbis excommunicet cogentes ad matrimonium, cùm ijs verbis vtatur, siue directè, siue indirectè cogant; eam tamen censuram intelligendam esse de metu graui docet Henriq. lib. 11. de matrim. cap 6. num. 5.

23 Quæres secundò, vtrùm in censuram incideret maritus ille, qui vxori nolenti detinere infantē in lecto absq; cautione nollet debitum reddere.

Respondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia vt habet Suarez disput. 23 de censuris, sect. 7. nu. 6. explicans censuram latam contra cogentes ad matrimonium, coactio propriè est quando interuenit violentia, aut iniuria aliqua: ex quo infert, Magnates differentes soluere stipendia iusta donec aliquis inducatur ad contrahendum matrimonium cum hac, vel illa fœmina, ligari ea censura, quia censet hanc esse saltem indirectam coactionem, & textus ille excommunicat cogentes directè, vel indirectè. Quinimo addit Sanchez in sum. loco cit. nu 6 esse coactionem directam, siquis neget aliquid alicui, quod illi dare ex iustitia teneatur; & ita eum, qui sic cogat mulierem ad ingressum, vel professionem, incidere in censuram latam à Tridentino: Si ergo negatio eius, quod alteri debetur, est coactio, vt etiam latiùs docet Sanch. de matrim. disput. 5. à nu. 20. vsquè ad 28. talis etiam erit negatio debiti ab vxore petiti. Addo futuram etiam coactionem, longam abstinentiam a petitione debiti ad finem inducendi vxorem, vt detineat in lecto infantem sine præscripta cautione. Et ratio est, quia longior hæc abstinentia esset illi maximè iniuriosa, & grauis. Et hoc verius est, si vxorem nolentem ita detinere infantem terreret dicendo, se ad alias fœminas accessurum; mariti enim accessum ad alias fœminas pro graui malo reputant vxores.

24 Quæres tertiò, an ad coactionem necessarius sit metus, qui sit grauis absolutè, ità vt respectu omnium sit talis, an verò sufficiat metus grauis respectiuè.

Respondeo sufficere metum grauem respectiuè; proindequè metum eum, qui respectu viri constantis esset leuis, respectu fœminæ, quæ suapte natura est imbecillis, posse esse grauem, ac sufficientem ad hoc vt illa dicatur coacta. Ita in simili Sanchez lib. 4 de matrimonio disput. 3. explicans metum, per quem annullatur matrimonium &c.

25 Quæres quartò, an maritus cogens vxorem, aut nutricem ad ita detinendum infantem in lecto, incidat in censuram, etiamsi effectus coactionis, puta, detentio ipsa non sequatur.

Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia nemo dicitur cogere alterum ad aliquid faciendum, si effectus non sequatur, sed tantùm dicitur conans cogere: Concilium autem non excommunicat conantes cogere, sed cogentes ad detentionem. Ita in simili Sanchez in sum. lib 4. cap. 4. nu. 19. explicans censuram contra cogentes quamcunquè fœminam, præterquam in casibus iure expressis ad ingressum Monasterij, susceptionem habitus, vel

pro-

professionem: vbi ait ita cogentem non incurrere in censuram nisi effectus coactionis sequatur. Sic etiam excusaretur à censura ille, qui postquam conatus fuisset cogere Matrem, aut Nutricem ad detentionem infantis in lecto sine ea cautione, cessante metu ea quidem detineret, sed ex alia causa. Et ratio est, quia detentio hæc non esset effectus illius coactionis.

26 Quæres quintò, an ad censuram hanc incurrendam necessaria sit in coactore voluntas, quòd in contemptum censurę cogat; vel certè necessaria illi sit directa intentio suffocationis: an verò satis sit, si sciens Ecclesiæ prohibitionem, cogat.

Respondeo hoc postremum satis esse; ad censuram enim incurrendam sufficit si fiat actio, quæ sub censura fuit prohibita, qualis in præsenti casu est detinere, cogere ad detinendum, aut vsum cunarum impedire.

27 *Tertia actio* est impedire matrem, aut nutricem, ne debitam cautionem adhibeat.

Respondeo ob hanc actionem incidere in censuram eos omnes, qui per metum grauem, vt verbera intentata, vel aliud simile malum (quod debet esse ita graue vt metum viri constantis inducat, iuxta dicta nu. 20.) impediunt, ne Mater vel Nutrix, vel quiuis alius, qui curam infantis gerit, debitam cautionem adhibeat: vel certè si cunas abijciant, & illas nullo modo velit adhiberi: vel demum si rigoroso præcepto vetet vsum cunarum, ita vt matri, aut nutrici integrum non sit debitam cautionem adhibere; his enim omnibus modis, alijsq; similibus dicitur vsus cunarum impediri.

28 Quæres vtrùm maritus detinens infantem sine hac cautione, cogens etiam vxorem vt ita detineat, pariterq; impediens ne cunæ adhibeantur, incidat in vnicam censuram, an verò in triplicem.

29 Casum huic persimilem proponit Vgolinus p. 2. c. 20 §. 2. num. 4. quem sequitur Filliucius tract. 16. cap. 3. q. 9. num. 67. explicans censuram latam contra terras, & loca subiecta Ecclesiæ inuadentes, destruentes, occupantes, supremam iurisdictionem in illas de facto vsurpantes, perturbantes, detinentes, vexantes, &c. quo loco subdit, ab inuadente, destruente, occupante, detinente, probabile esse quòd plures excommunicationes incurrantur, quia vnaquæq; earum actionum principaliter est prohibita, & sufficiens est ad censuram. Qua sententia retenta videtur idem dicendum in nostro casu.

30 Respondeo tamen vnicam censuram incurrere. Et ratio est, quia ita detinendo infantem in lecto, cogendo ad detentionem, impediendo pariter vsum cunarum, si simul, & semel has omnes actiones faciat, vnum peccatum committit; Ergo etiam in vnam tantùm censuram incidit. Vnde hoc loco valet regula ea generalis, quam in materia censurarum tradunt Doctores communiter; videlicet, tot esse censuras, quot sunt moraliter, & formaliter actus contra præceptum, seu quot sunt formaliter, & moraliter transgressiones; cùm autem in nostro casu formaliter moraliter sit vna trãsgressio; inde est vt vnica sit censura: quo modo qui successiuè, & sine interruptione percutit eundem Clericum, vnam tantùm censuram incurrit, quia est vna tantùm moraliter actio, vna percussio, vna transgressio, vnum delictum. Secus verò esset si actiones hę, puta, dętinere, cogere, impedire, essent moraliter interruptæ; tunc enim

quia plures transgressiones, & plura numero peccata forent, plures etiam essent censuræ, quæ incurrerentur. Ita in simili Alterius, Duardus, quos citat,& sequitur noster Bonac. disput.1. de censuris in Bulla Cœnæ contentis, quæst.21. pun.1.in fine.

QVÆSTIO SECVNDA

Quinam excusentur ab hac censura.

31 *Excusatur ad hac censura, qui ad breue tempus infantem sine cautione præscripta detinet vel qui detinendo mortaliter non peccet.*

Quod nam sit dicendum breue tempus in ordine ad hanc detentionem, ibidē.

32 *Excusatur item nutrix, quæ per inaduertentiam illum diutius ita detineat.*

33 *Item, si ignoret excommunicationem.*

34 *Item, si propter paupertatem non possit ea cautione vti.*

35 *Item, si morbo oppressa ad infantem lactandum, illum è cunis extrahat, eoquè vberibus admoto somnum capiat.*

An incidat in censuram mater, aut nutrix quæ infantem diutius detineat in lecto ne illum plorantem ad aures audiat; aut ne ipsa frigeat ad cunas assurgendo, ibidem.

36 *Excusatur mulier, quæ per metum grauem cogatur infantem detinere in lecto sine cautione debita.*

Quid si metus fuisset incussus in contemptum Ecclesiæ, ibidem.

37 *Quid faciendum Parocho sit, qui certò sciat aliquem ex Parochianis in hanc censuram incidisse.*

38 *Quinam absoluere possint ab hac censura.*

31 Respondeo primò excusari eū, qui peccatum mortale non committat; ad incurrendam enim grauem censuram necessarium etiam est peccatum, quod sit graue. Quare excusatur mater, aut nutrix, quæ infantem vt placet, illum è cunis extrahit, & ad breue tempus in lecto detinet. Quod nam autem tempus dici possit breue in ordine ad hanc detentionem, prudentis arbitrio id relinquo: cæterùm si particulare iudicium sit ferendum, dico tale esse octauam horæ partem, Vnde in cap.14.nu.23 de hoc eodem casu agens dixi immunem futurum ab hac excommunicatione, qui absquè hac cautione detineret in lecto infantem per id tempus, quo bis, aut ter repeti posset Psalmus, Miserere.

32 Secundò excusari matrem, aut nutricem, quæ infantem vt calefaciat è cunis recipit, sed postmodum somno oppressa illum cunis non restituit, cùm tamen animum restituendi haberet; detentio enim hæc est inuoluntaria, & præter intentionem.

33 Tertiò excusatur mulier ita detinens infantem in lecto, sed cum ignorantia excommunicationis. Et ratio est, quia si adsit ignorantia inculpabilis cessat inobedientia, & contumacia: & vulgare id est in materiā cēsurarum, vt ad illas incurrendas requiratur scientia præcepti facti sub comminatione censuræ. Addo hoc verum esse, etiamsi talis mulier sciret ab Ecclesia præceptum fuisse, vt cunæ adhiberentur, sed tamen ignoraret comminationem censuræ; non enim subiacere pœnæ debet is, qui illam nescit fuisse comminatam.

34 Quartò immunis est ab hac cēsura mulier, quæ propter paupertatem non possit præscripta hac cautione cunarum vti: vel si cunas habeat, pannis tamen

tamen caret; quibus ab infante frigus depellat: vnde, vt infanti prouideat, cogitur illum ad pectus admotum detinere, ne ipsa frigoris asperitate pereat: priuilegia enim paupertatis multa sunt. Ita Gambar. de casi. reser. cap. 14. pag. 180. Bellochius de cas. reseru. par. 2. quæst. 1. num. 411. vbi ita detinentem infantem in lecto eximit à reseruatione.) Teneretur tamen eam diligentiam quam posset adhibere pro suffocatione impedienda.

35 Quintò excusatur ab hac censura mater, aut nutrix, quæ graui morbo oppressa, vt infantem lactet, illum è cunis extrahit, eoq; vberibus admoto ita obdormit, vt inter dormiendum illum suffocet. Et ratio est, quia suffocatio hæc est omnino inuoluntaria, neq; vt filium lactaret tenebatur è lecto assurgere propter necessitatem infirmitatis. Ita Comitolus in suis respons. moral. lib. 4. quæst. 12. quo loco mulierem ita detinentem infantem in lecto excusat à reseruatione, Bellochius cit. num 413.

Secus verò si hoc faceret ne infans ploraret ad aures, cùm tamen Mater, aut Nutrix bene valeat: aut ne ipsa frigeret ad cunas assurgendo; hęc enim non est causa sufficiens, vt possit infantem in lecto detinere sine cunis.

Dices, quid si is esset infans, vt placari nullo modo posset, vel ad somnum incitari nisi lac sugendo: teneretur ne Mater, aut Nutrix è lecto surgere, ac propè cunas tandiu se detinere, vt somnum caperet?

Respondeo in tali casu posse infantem è cunis extrahi, vberibusq; admotis ad somnum incitari; incitatum verò illico esse cunis restituendum; intolerabile enim hoc præceptum esset, si frigida præsertim tempestate esset cogenda mulier, vt singulis penè mentis è lecto assurgeret: maximè autem in hac re indulgendum esse rusticis, ac pauperibus reor, qui si dormire non possint, inepti sunt ad eas operas, quibus sibi victum in dies quærere coguntur. Et hoc verius esset, si hæc infantis implacabilitas ab aliqua infirmitate manaret.

36 Sextò excusatur mulier, quæ per metum cadentem in virum constantem cogatur infantem in lecto detinere absq; hac cautione: receptissima enim hæc sententia est apud Doctores, metum grauem excusare ab incurrendis censuris, cùm credibile non sit Ecclesiam velle obligare cum tanto rigore. Quid verò dicendum sit, si metus fuisset incussus in contemptum Ecclesiæ, patet ex dictis in c. 14 nu. 14.

37 Quæres primò, quid faciendum Parocho sit, qui certò sciat aliquem ex Parochianis in hanc censurã incidisse.

Respondeo patere hoc ex verbis Synodi XI. superius citatæ, vbi sic habetur. [Quoties Parocho ex certa duorum, triumuè testificatione etiam extra iudicium constat, aliquem eo nomine, quòd præscriptam cautionem ad infantem anniculum in lecto tenẽdum non adhibuerit; ad se pręsentibus iisdem testibus illum accersat: quibus, aliisuè pręsentibus, si illius decreti cautionis violationem confiteatur, illum coram eisdem testibus scripto moneat, vt dierum quindecim spatio se ab ea culpa, & excommunicatione absolutum ostendat, intereaq; Ecclesiæ ingressu, & Sacramentorum communione abstineat, pęna declarandæ excommunicationis proposita. Eo autẽ quindecim dierum spatio confecto illum excommunicatum decernat, declaret, ac denuntiet, ex facultate, quæ huius decreti facultate conceditur; si modo Vicarius Foraneus, aut Visitator id

temporis non prorogarit, ita tamen vt prorogatio non diuturnior ſit octo diebus.]

38 Quæres ſecundò, quinam abſoluere poſſint ab hac cenſura.

Reſpondeo primò eos omnes poſſe abſoluere, quibus fuerit à Superiore conceſſa facultas à cenſuris abſoluendi; licèt enim de iure communi à cenſuris non reſeruatis quilibet Sacerdos poſſit abſoluere, iure tamen particulari cenſuræ omnes in noſtra Diœceſi ſunt reſeruatæ, vt patet ex dictis in exordio diſputationis ſecundæ.

Reſpondeo ſecundò, conceſſam hanc facultatem eſſe proprijs Parochis, vt ſemel in ſingulis partubus abſoluere poſſint ſuos Parochianos, etiamſi pluries deliquerint, ideſt, etiãſi pluries detinuerint in lecto infantem ſine præſcripta cautione, & diſpenſatione. Ita in Synodo 32. Cap. 9. de ijs, quæ pertinent ad Baptiſmum.

DE EXCOMMVNICATIONE LATA CONTRA CONFESSARIOS ABSOLVENTES SOCIOS CRIMINIS.

An Confeſſarius tempore Iubilei poſſit vi facultatis abſoluendi ab omnibus cenſuris, & caſibus reſeruatis abſoluere culpæ ſocium.

1 *In Synodo 11. lata eſt excommmunicatio contra Confeſſarios, qui culpæ ſocios abſoluunt.*

2 *In Concilio item Prouinciali 7. fuit addita pœna ſuſpenſionis.*

1 ADuertendum latam eſſe excommunicationem contra Confeſſarios, qui culpæ ſocios abſoluunt, vt videre eſt Actorum par. 2. Synodo 11. tit. Monita executionis decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent pag. mihi 409. Cuius cenſuræ verba integrè referam, vt ex eorum lectione clareſcat nobis difficultatis huiuſce diſcurſus; ea ergo huiuſmodi ſunt [Confeſſario, qui cuiuſcunquè criminis, etiam minimi ſocius, particepsuè fuit munere interdictum ſit confeſſionis eorum audiendæ, quos illius ſocios habuit. Idem de illis item abſoluendis ſancitum ſit; ſi quam verò auctoritatem, iuriſdictionemue habet, eà ne abutatur illum priuamus quoad hanc cauſam, culpa mquè attinet: nec verò abſolutio, ſi quam impartierit vllius roboris ſit, ſed irrita planè, ac reſciſſa, nullaq; omnino, tanquam ab eo impartita, qui iuriſdictionis, & facultatis expers eſt. Et verò ſi quis Confeſſarius culpæ ſocius, particepsue aliquid contra auſus fuerit excommunicationis ſententiam ſtatim ſubeat, cuius vinculo irretitus ab alio Sacerdote niſi à nobis abſolui non poſſit] hæc ex Synodo 11.

2 In Concilio verò prouinciali 7. renouatum hoc idem decretum fuit, illiquè addita pœna ſuſpenſionis, his verbis. [Qui criminis alicuius, culpæue mortalis ſocius, aut quoquo modo particeps fuerit, ſciat ſibi interdictum munere audiendi confeſſiones illorum, quos ſocios eius criminis, culpæuè habuerit, quod decretum ad quoſcunquè Confeſſores etiam Regulares volumus pertinere.]

Ex quibus verbis, tam Synodi 11. quàm Concilij prouincialis 7. ſex clara ſunt.

Primò impoſitam ſuſpenſionem cuilibet Confeſſario eſſe, qui complicem, & ſocium in crimine aliquo abſoluat.

Secundò ſi abſoluat, abſolutionem eam declarari irritam, & inualidam.

Tertiò, excommunicationis pœnam ipso facto impositam esse Confessario absoluenti.

Quartò, excommunicationem tantùm extendi ad Confessarios nostræ Diœcesis, cùm ea sit lata in Synodo Diœcesana.

Quintò, vi Concilij prouincialis 7. pœnam suspensionis extendi ad Confessarios totius prouinciæ.

Sextò, hanc eandem pœnam suspensionis incurri etiam à Confessoribus Regularibus.

Hæc ergo ex ipsis verbis satis dilucidè patent: quædam verò ad clariorem huiusce censuræ intelligentiam in dubitationem veniunt. Proinde sit.

§. I.

An censura hæc intelligenda tantùm sit de complice in peccato carnis; an verò etiam in alijs peccatis, ita vt vi huius censuræ Confessarius non possit absoluere socium in peccato detractionis; aut alterius speciei quàm luxuriæ.

3 *Refertur sententia, quæ docet censuram hanc esse intelligendam de quocunquè complice.*

4 *Refertur sententia restringens hanc censuram ad omnia peccata carnis, & ad alia peccata grauiora, quæ videlicet merentur appellari crimina. Sententiam hanc Author putat esse probabilem. ibidem.*

5 *Censura hæc non extenditur ad absolutionem complicis in peccato veniali.*

3 Respondent Syl. verb. Confessarius 3. nu. 9. Bonac. de Sacramen. pœnit. disp. 5. quæst. 7. pun. 5. §. 5. nu. 11. intelligendam esse de quocunq; complice, siue in peccato carnis, siue homicidij, siue furti, siue detractionis, siue alterius cuiuscunquè. Ratio illorum est, quia litera simpliciter loquitur de quauis culpa: vbi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Tum quia si finem Superioris spectemus, ex eo satis colligere possumus, intelligendam censuram esse de absoluente socium in quocunquè crimine: finis enim illius fuit, vt occurreret malo imminenti ex quorundam audacia, qui vbi turpe aliquod peccatum commiserant, Confessarium culpæ socium adire poterant, cui illud sine pudore vllo ac verecundia aperirent, ita vt inualidè confiterentur. Sed incommodum hoc tam imminet in socio peccati carnalis, quàm aliorum peccatorum; ergo &c. Cauendum igitur in hac sententia Confessario est, ne quempiam absoluat, cui in peccato confesso socius fuerit cooperando, suadendo, vel fauorem præstando; maximequè Confessarijs ijs, & Parochis est cauendum, qui præ nimia familiaritate cum Pœnitentibus suis, & Parochianis aliquando de tertia persona detrahunt, vel contumelias in illam iaciunt. Si enim detractiones eæ, & contumeliæ ad mortalem culpam pertingant, eorum confessiones excipere non possunt, cum in crimine illo dicantur socij, & complices.

4 Verùm his non obstantibus respondent alij, intelligentiam hanc videri nimis rigorosam, cùm facilè, & sæpè contingat, maximè in paruis Oppidis, Parochum cum suis Parochianis conuersari, & cum illis incidere in aliquam detractionem, de qua sæpè dubitatur an sit mortalis; vnde sæpissimè cogerentur huiusmodi Pœnitêtes alienum

Overiall. de mission. pg. 462.

num Pastorem pro fructu absolutionis adire. Ita Bosſ. de iub. sect. 1. cas. 12. num. 10. quo loco existimat prohibitionem hanc intelligendam quidem esse de omnibus peccatis luxuriæ: quoad alia verò peccata intelligendam tantùm esse de grauioribus, quæ verè merentur appellari crimina, & quæ non contingit ità facilè perpetrari, tum seorsim, tum cum socio, seu complice, qualia sunt homicidia, furta, proditiones, & similia, quam sententiam puto probabilem.

5 Ex quibus patet censuram hanc non extendi ad absolutionem complicis in peccato veniali, & hoc manifestè docent verba ipsa Concilij Prouincialis 7. à nobis cit. [qui criminis aliculus, culpæuè mortalis socius &c.] Tum quia si ad omnia mortalia non extenditur, multo minus extenditur ad venialia. Tum quia peccata venialia, cùm non sint materia necessaria confessionis, sicut possunt à Pœnitente omitti, ita Confessarius potest ab vno tantùm velle absoluere, non ab alio, validitati Sacramenti nihil detrahendo; ergo cùm hæc censura tollat facultatem audiendi confessionem illius, cuius in peccato Confessarius sit complex ac socius, dicere debemus censuram hanc de peccato mortali esse intelligendam; de reliquo hæc posset à Confessario eludi, dicendo Pœnitenti, vt cętera omnia confiteretur eo tantùm omisso, cuius esset complex, & socius. Ita Bonac. loco superiùs cit. n. 12.

Dices obstare verba Synodi 11. superiùs relata. [Qui cuiuscunquè criminis, etiam minimi socius, particeps uè vllo modo fuit &c.] ex quibus patet nequè minimi criminis absolutionem posse impendi ab eo Confessario qui sit complex; minima autem crimina venialia sunt.

Respondeo verba illa Synodi 11. intelligenda esse de peccato etiam minimo, non absolutè, sed respectiuè, quod videlicet minimum sit habita ratione aliorum grauiorum, dummodò tamen contineatur intra latitudinem eorum peccatorum, de quibus diximus intelligi debere hanc prohibitionem.

§. II.

An per hanc censuram arceatur Confessarius ab absolutione omnium peccatorum complicis, an verò tantùm ab absolutione eorum peccatorum, quorum verè sit particeps & socius.

6 *Prohibitio hæc directè tollit Confessario iurisdictionem supra peccatum, cuius est socius, indirectè verò supra alia omnia, quæ habet Pænitens in conscientia.*

7 *Confessarius nullo modo potest audire Pænitentem, cui in crimine aliquo sit socius.*

8 *Si Pęnitens alteri Confeßario peccatum complicitatis confiteatur cęteris inculpabiliter omissis, ab his poterit per suum Confeßarium absolui.*

9 *Si Confessario suo confiteatur inculpabiliter oblitus peccati complicitatis, confessio est valida.*

10 *Ceia coniugata habuit copulam cum proprio Parocho: Maritus de tali crimine suspicans vult illam confiteri suo Parocho, & sic communicare: et si renuat, tanquam certissimum delicti argumentum id ipsum habens est paratus illam occidere: vtrùm in tali casu poßet absolui.*

11 *Respondent aliqui negatiuè.*

12 *Sententia Authoris.*

13 *Confirmatur hæc sententia ex casu simili de abortu.*

14 *Affertur pro praxi quidnam licitè præstari possit in hoc casu.*

CAsus hic est. Titius habet decem peccata, & quidem inter ea enumeratur homicidium, quod simul cum suo Confessario patrauit. Quæritur an vi huius censuræ prohibitum sit Confessario absoluere Pœnitentem ab omnibus decem peccatis, an verò tantùm ab homicidio.

6 Respondeo censuram hanc directè tantùm tollere Confessario iurisdictionem supra peccatum, cuius est socius, & particeps; indirectè verò tollere iurisdictionem supra omnia peccata, hocq; ex eo contingit, quia, vt diximus in tractatu de Pœnitentia, non potest vnum peccatum mortale sine alio remitti, peccata enim mortalia per gratiam expelluntur, quæ ita pugnat cum vno peccato, vt cum omnibus pugnet. Quare ergo ex hoc facillimum est intelligere, ex eo quòd per se primò, & directè Confessario est adempta facultas ab vno absoluendi, consequenter etiam, & indirectè esse eidem ademptam facultatem ab alijs absoluendi. Verùm prohibitio hæc non prouenit ex ipsa censura, sed ex ipsa peccatorum mortalium natura, quorum vnum non possumus confiteri, quin omnia confiteamur, & à quorum vno non possumus absolui, quin ab omnibus absoluamur. Et pariter ex ipsa natura Sacramenti, quod integrū, & validum stare non potest, nisi omnium peccatorum mortalium contineat confessionem, & absolutionem. De reliquo si eius generis essent peccata mortalia, cuius sunt venialia, ita vt possemus vnum tantùm confiteri, altero omisso; in hoc casu posset Pœnitens ea tantùm confiteri, quorum non esset socius, & particeps Confessarius, & ab ijs absolui, eo tantùm omisso, cuius idem esset socius.

7 Ex quibus inferas primò, omnino à Confessario arcendum esse Pœnitentem, cum, cui in crimine aliquo fuerit socius; illius enim criminis complicitas Confessario iurisdictionem omnē tollit, quousquè Pœnitens non fuerit ab eo absolutus.

8 Secundò, si Pœnitens Confessario cuipiam cōfiteatur peccatum illud complicitatis, & inculpabiliter alia peccata mortalia obliuiscatur, posse postmodùm ab ijs per Confessarium suum absolui. Et ratio est, quia in his peccatis non dicitur complex.

9 Tertiò, si Pœnitens Confessario suo cōfiteatur, quo cum peccatum aliquod habet complicitatis, & inculpabiliter obliuiscatur illius peccati, confessionem esse validam. Et ratio est, quia Confessarius à nullo peccato dicitur absoluisse, cuius fuerit socius, ac particeps, vt proinde nullus adsit defectus ex parte Confessarij habentis intentionem, & iurisdictionem: nequè item ex parte Pœnitentis habentis debitam dispositionem, & confitentis peccata sua integrè, si non integritate materiali, saltem formali. Verum tamen est, quòd si aduerteret Confessarius obliuionem Pœnitentis, sacrilegus esset absoluendo. Vtrùm verò aduertente Confessario, valida foret absolutio, respondeo iuxta dicta superiùs de reseruatione.

10 Quartò quid dicendum ad casum hunc. Titius coniugatus suspicans de sua Vxore, quòd habuerit copulam cum proprio Parocho, vult illam confiteri suo Parocho, & sic communicare: & si renuat, tanquam certissimum delicti argumentum hoc ipsum habēs, est paratus illam occidere. Quæritur

qui

quid possit illi consulere Parochus, & vtrùm valeat illam absoluere.

11 Scio casum hunc propositum in hac vrbe nostra fuisse occasione menstruæ Congregationis, quæ inter certos Parochos habebatur, discutiendum: nec defuisse viros doctos, qui cōstanter assererent nullo modo fœminā illam potuisse à Parocho absolui, proindequè illi consulendum à Parocho fuisse, vt actu contritionis elicito ad Eucharistiam accederet. Ea autem ratione nitebantur, quia prohibitum sub pęna excommunicationis cuilibet Confessario est socium criminis absoluere: atqui illa fœmina verè est socia criminis, puta adulterij commissi, nec alias confessi. Ergo nullo modo potest absolui.

12 His tamen non obstantibus respondeo, fœminam illam posse omisso peccato complicitatis alia peccata cōfiteri, & sic ab illis directè absolui, indirectè verò à peccato complicitatis. Et ratio est, quia adest iusta causa sic absoluendi, puta periculum mortis, quod sibi Pœnitens probabiliter timet. Tum quia adest sufficiens iurisdictio, & materia debita; item intentio, & forma Sacramenti Pœnitentiæ; ergo si Parochus absoluat, validè absoluit. Antecedens probatur, quia licèt non habeat iurisdictionem in peccatum complicitatis, habet tamen iurisdictionem in alia peccata confessa, proindeq; si non totalē habet iurisdictionem, habet saltem partialem, quā sufficere ad validitatem Sacramēti Pęnitentiæ diximus superiùs, vt patet de confessione reseruatorum, & non reseruatorum facta Cōfessario non habenti facultatem absoluendi à reseruatis; ergo adest sufficiens iurisdictio. Et confirmatur, quia si Pœnitens inculpabiliter obliuisceretur peccati complicitatis, & alia peccata confiteretur, teneret confessio, vt potè quæ nullum haberet obicem; ergo verè Confessarius habet iurisdictionem in alia peccata; Ergo habet sufficientem iurisdictionem. Quòd item adsit sufficiens materia, probatur, quia Pœnitens subdit alia peccata, vel mortalia, vel venialia, à quibus Parochus potest absoluere. Quòd verò adsit debita forma, & intentio, hoc suppono; Ergo concurrente iusta causa poterit absoluere. Tum quia tam prohibita est inferiori Cōfessario absolutio à reseruatis, quàm prohibita est Confessario absolutio à peccato complicitatis: vtraquè enim est prohibita sub pœna excommunicationis. Atqui inferior Confessarius in casu hoc potest à reseruatis absoluere indirectè, directè verò a non reseruatis, etiamsi casui reseruato esset adnexa excommunicatio, vt patet ex dictis in questione superiore difficultate 16. Ergo etiam à peccato complicitatis, cum hoc tantùm discrimine, quòd si inferiori Cōfessario confiteretur reseruata, & non reseruata, teneretur omnia confiteri iuxta dicta in superiore quæstione difficultate 17. Si verò Confessario criminis socio confiteretur, peccatum ipsum complicitatis non teneretur confiteri.

13 Vide casum huic persimilem, quem proponit Chapeauil. de cas. reser. c. 9. de procuratione abortus q. 1. diff. 3. in hæc verba. Quid faciet adolescentula, quæ procurauit abortum, Parentesquè hoc suspicantes volunt illam suo Parocho confiteri, & communicare: & si hoc renuat, tanquam certissimum delicti inditium hoc habentes illam perimere decreuerunt, poterit ne per illum absolui, & permitti vt cōmunicet, vt ipsius vita salue-tur? Cui difficultati respondet posse absolui

solui directè ab alijs peccatis, indirectè verò ab ipsa procuratione abortus. De quo eodem casu nos ipsi inferiùs disputabimus cap. 3. quæst. 3. difficul. 2.

14 Pro praxi respondeo, Parochū posse Pœnitenti primò consulere, vt omisso peccato complicitatis alia peccata confiteatur, monendo illam de onere, quod habet præsentandi se Superiori quamprimùm cōmodè poterit. Secundò posse consulere, vt actu cōtritionis elicito communicet, ac si non haberet commoditatem Confessarij, juxta ea, quæ diximus in quæstione superiore difficultate 16. Priorem tamen modum approbarem cum Conin. disp. 8. de Ministro Sacram. Pœnit. dub. 13. num. 106. ex eo quòd non ita facilè habeatur contritio, maximè mulieribus ignorantibus modum eliciendi contritionem, quo loco infert, eum, qui sibi alicuius peccati mortalis conscius sine confessione communicat ferè exponere se periculo sacrilegij, quòd maximè verum est de mulieribus.

§. III.

An si Pœnitens peccata sua confiteatur, eo inculpabiliter omisso, cuius Confessarius ipse esset socius, ita tamen, vt obliuionem hanc Confessarius aduerteret, & sciret ab eo peccato alia via non fuisse absolutum, dicendus esset affici hac censura Pœnitentem huiusmodi absoluendo.

15 *Proponitur ratio dubitandi.*
16 *Responsio est negatiua.*

15 Ratio dubitandi inde oritur quia ab hoc peccato complicitatis si non directè absoluit, saltem indirectè; & quidem scienter, & aduertenter hoc facit.

16 Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia absolutio indirecta non est absolutio Sacramentalis, quod inde patet, cùm sic absolutus, si illius recordetur, teneatur illud confiteri, vt Sacramentaliter absoluatur; tandiu enim manet obligatio peccata confitendi, quandiu ea non fuerint semel legitimè subiecta clauibus Ecclesiæ. Cùm ergo absolutio hæc Sacramentalis non sit, dicere debemus ita absoluentem nullā censuram incurrere: ea enim lata tantùm est in Confessarios eos, qui culpæ socios audiunt, & absoluere præsumūt. Sed in casu hoc non diceretur Confessarius culpæ socium audire, vel absoluere, quandoquidem nullum peccatum Pęnitens confiteretur cuius Confessarius ipse esset socius ac particeps. Ex quibus patet ad rationem dubitandi.

§. IV.

Pęnitens per alium Confessarium obtinuit beneficium absolutionis, ita tamen vt inculpabiliter fuerit oblitus peccati complicitatis. Quæritur, vtrùm peccatum hoc oblitum possit Confessario illi, qui in eo peccato socius est aperire, & ab eo absolui.

17 *Proponitur ratio dubitandi.*
18 *Responsio est negatiua.*
19 *Respondetur rationi dubitandi.*

17 Ratio dubitandi inde oritur, quia hoc peccatum vnà cum alijs fuit deletum, cùm ab eo fuerit indirectè

directè absolutus per confessionem iam factam, & si moreretur antequàm posset illud confiteri, saluaretur.

18 Respondeo non posse absolui. Et ratio est, quia in illud peccatū nullam habet iurisdictionem. De reliquo dicendum nobis esset à pari, si quis haberet quatuor peccata mortalia, & tria tantùm confiteretur, inculpabiliter oblitus quarti, quòd ab hoc per simplicem Sacerdotem absolui posset: Confessarius enim respectu peccati complicitatis se habet eodem modo, quoad iurisdictionem, ac se habet simplex Sacerdos respectu peccatorum mortalium: Sed simplex Sacerdos non potest absoluere à peccato mortali, etiam aliàs indirectè remisso; ergo nequè Confessarius culpæ socius absoluere poterit à peccato complicitatis, licèt per aliam confessionem sit indirectè ablatum. Tum quia hoc modo dicere possemus, etiam Pœnitentem hunc posse absolui, dato quòd ante confessionem actum contritionis eliciuisset; quod enim peccato alicui facit indirecta absolutio, facit etiam actus contrititionis.

19 Ad rationem dubitandi respondeo, culpam illam esse quidem ablatam, sed tamen adhuc esse materiam necessariam confessionis: & sicuti supra peccata non ideo acquisiuit iurisdictionem simplex Sacerdos, quia illa sint aliquando indirectè remissa, ex eo quòd adhuc remaneant materia necessaria; ita porro dicendum nobis idem est in nostro casu, videlicet quandiu adsit necessitas talis peccati confitendi, tandiu iurisdictionem Confessario esse sublatam.

§. V.

An si quis haberet facultatem absoluendi à reseruatis, vi huius facultatis absoluere posset à peccato, cuius esset socius.

20 *Sententia Authoris est negatiua.*

20 Respondeo negatiuè, quia peccatum complicitatis non numeratur inter reseruata, quorum absolutio, seu absoluendi facultas tantùm penes Superiorem est; ab hoc autem peccato absoluendi facultas penes quemlibet Confessorem est, & tantùm complici ipsi est adempta: vnde est vt hæc prohibitio non inferat necessitatem præsentandi se Superiori, quam infert reseruatio. Tum quia reseruatio præcipuè fertur, & imponi solet in pœnam peccati Pœnitentis; in nostro autem casu prohibitio hæc non solùm est imposita in pœnam Pœnitentis, sed etiam directè, & per se in pœnam ipsius Confessario, qui cum Pœnitente crimen commisit.

§. VI.

Vtrùm in confessione generali possit Confessarius culpæ socium audire.

21 *Responsio est in confessione generali necessaria non posse absoluere, in voluntaria verò posse.*

21 Respondeo confessionem generalem duplicis esse generis, alteram voluntariam, alteram necessariam; necessaria illa est, quando quis priora peccata fuit inualidè confessus, vnde tenetur omnia sua peccata generaliter iterum confiteri; voluntaria illa est, quando quis peccata

ta sua semel validè fuit confessus, & à legitimo superiore habuit Sacramentalem absolutionem, sed nunc iterum ea vult confiteri ad maiorem animæ suæ securitatem. Quare ergo in confessione generali necessaria non potest Confessarius absoluere culpæ socium. Et ratio est, quia peccatum illud complicitatis adhuc perseuerat, & est materia necessaria confessionis, & si ab illo peccato nunc posset absoluere, potuisset etiam prius. Quòd si confessio generalis sit spontanea, tunc potest absoluere. Et ratio est, quia peccatum illud non est amplius materia necessaria, sed tantùm sufficiens, ac sicuti in peccatis venialibus potest illum audire, multò magis in mortalibus alias legitimè confessis, quandoquidem omnis illorum culpa est ablata. In praxi tamen consulerem Pœnitenti, vt alium Confessarium adiret: & Confessario, vt illum ad alium remitteret.

§. VII.

An extra tempus iubilei Confessarius audiens criminis socium, & illum absoluens, validè absoluat, licèt grauiter peccet.

22 *Si ex parte Pœnitentis adsit mala fides, absolutio est nulla.*

23 *Si bona fide confiteatur, absolutio tenet, etiamsi nullum aliud peccatum aperiat, quàm peccatum complicitatis.*

22 Respondeo primò, si Pœnitens mala fide confiteatur, vt potè conscius prohibitionis, illum inualidè absolui. Primò quia Confessarius caret iurisdictione. Secundò quia Pœnitens ipse ponit obicem absolutioni ob sacrilegium, quod committit accedendo ad Confessarium, quem scit carere iurisdictione.

23 Respondeo secundò, si Pœnitens ignoret prohibitionem, & aliàs benè dispositus sit, etiamsi nullum habeat peccatum, quàm peccatum complicitatis, adhuc tamen absolutio tenet, quoties tale crimen sit occultum. Et ratio est, quia tunc concurrit error communis, & titulus coloratus, quibus concurrentibus Ecclesia supplet iurisdictionem ex l. Barbar. ff. de offic. Prætor. siue tamen absolutio teneret, siue non, Confessarius semper mortaliter peccaret absoluendo, & incurreret in excommunicationem; non tamen incurreret in excommunicationem, quā Clemens VIII. tulit contra præsumentes absoluere sine debita facultate à casibus reseruatis, quia peccatum cōplicis, vt diximus in §. 5. non numeratur inter reseruata, & prohibitio hæc non continet propriè reseruationem casus, sed est tantùm limitatio approbationis respectu eiusdem socij, quæ solùm Confessarium complicem afficit, non verò alios; cùm tamen reseruatio Cōfessarios omnes cōprehendat.

§. VIII.

An tempore iubilei posset Confessarius absoluere culpæ socium.

24 *Refertur sententia affirmans.*

25 *Sententia Authoris negat.*

24 Respondet Boss. de iub. sect. 1. casu 12 num. 20. satis probabile esse, quòd remoto scandalo, & peri-

periculo excitationis ad peccatum tẽpore iubilei posſit Confeſsarius validè, & licitè abſoluere culpæ ſocium. Cuius ratio eſt hæc, quia valdè probabile eſt Confeſsarium limitatè approbatum, maximè nõ ob defectum ſcientiæ, poſse ab omnibus eligi tempore iubilei, & ſic fœminam poſse tempore iubilei eligere Cõfeſsarium, qui ob immaturam ætatem, vel iuuenilem aſpectum approbatus tantùm fuerit ad cõfeſsiones virorum audiendas: & multo magis Clericum poſſe in iubileo eligere Confeſsarium aliàs non habentem facultatem audiendi confeſsiones Clericorum. Quàm ſententiam tuentur Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 6. nu. 8. & lib. 7. cap. 12. num. 4. qui citat Angel. & Medin. in comment. lit. Q. Sanch. de matrim. lib. 8. diſput. 34. num. 16. Conin. diſp. 8. de pęnit. dub. 7. num. 57. Cordub. in ſum. quæſt. 10. Auguſt. Barboſ. de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 25. num. 17. Eandemq; probabilem eſse putat Bonac. diſp. 5. de Sacram. quæſt. 7. pun. 4. §. 1. num. 22. ergo cum Confeſsarius culpæ ſocius ſit tantùm reprobatus quod peccatum complicitatis, quoad cętera verò ſit approbatus, poterit tempore iubilei ab ipſo Pęnitente etiam complice in Confeſsarium eligi. Nequè obſtat, quòd Confeſsario complicem abſoluenti ſit impoſita pęna excommunicationis, quia intelligere poſsumus decretum hoc ceſsare tẽpore iubilei, ſicut ceſsat decretum, quo ſub excommunicatione præcipitur ne quis à caſibus reſeruatis Ordinario loci abſoluat.

25 His tamen non obſtantibus reſpondeo negatiuè cum Bonac. cit. pun. 5. §. 5. num. 10. & probatur, quia, vt patet ex locis à nobis ſuperiùs citatis, expreſsè prohibetur ſub pœna excommunicationis ne Confeſſarius audiat ſocium criminis, & ſicut exiſtente ſtatuto Synodali, quòd Confeſſarius, qui ſolicitauerit in confeſſione, vel extra filiam ſuam ſpiritualem ad turpia, ſit ipſo facto à munere audiendarum confeſſionum reprobatus, non poteſt ille tempore iubilei aſſumi; ita exiſtente ſtatuto, vt Confeſſarius non poſsit culpę ſocium abſoluere, non poterit illum tempore iubilei abſoluere. Tum quia iubileum concedit tantùm auctoritatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, peccatum autem complicitatis, vt patet ex dictis ſuperiùs, non numeratur inter peccata reſeruata. Tum quia licèt ſuſtineam, Confeſſorem limitatè, & quoad certas perſonas tantùm approbatum poſſe ab omnibus eligi tempore iubilei; tamen ex verbis ipſis Synodi 11. ſatis videtur colligi culpæ ſocium nullo modo poſſe, nequè in iubileo à Confeſſore abſolui: Eo enim loco Ordinarius Confeſſario cuilibet primò tollit iuriſdictionem circa culpæ ſocium ijs verbis [Confeſſario, qui cuiuſcunq; criminis, etiam minimi ſocius &c.] tum verò ſubdit [ſi quam verò auctoritatem, iuriſdictionemuè habet, ea ne abutatur; illum priuamus quoad hanc cauſam, culpamquè attinet] Sed hæc verba videntur verificari de ijs potiſsimum, qui auctoritatem habent a Papa, qualis habetur, vel ex priuilegio, vel ex iubileo. Ergo ſi Ordinarius nullam intendit eſſe auctoritatem eam, quæ vel ex priuilegio, vel ex iubileo concedatur, quoad hoc crimen attinet, porrò ſequitur non poſſe Confeſſarium tempore iubilei complicem abſoluere. Quod autem hæc verba de ijs potiſſimum verificentur, qui auctoritatem habent à Papa, probatur, quia per verba ſuperiora iam omnibus ademerat facultatem; tum verò ſubdit [ſi

quam auctoritatem, iurisdictionemuè habet &c.] à quo autem alio iurisdictionem hâc habere potest quispiam, quàm à Papa? ergo si intendit hanc iurisdictionem tollere, intendit etiam, quoad hanc culpam attinet, nullo modo Confessarium posse absoluere culpæ socium.

Dices non posse Ordinarium derogare iurisdictioni per Summum Ponticem concessæ.

Respondeo hoc non esse derogare iurisdictioni, & facultati à Summo Pótifice concessæ, sed explicare tantùm, facultatem eam, quæ à Papa conceditur ad hunc casum non extendi.

§. IX.

An saltem in mortis articulo possit Confessarius absoluere complicem.

26 *Responsio est affirmatiua.*
27 *Vtrùm possit absoluere præsente Sacerdote simplici.*

26 Respondeo affirmatiuè, quoties non adsit copia alterius Confessarij. Et hoc patet ex dictis in superiore quæstione de articulo mortis. Ita Boss. superiùs cit. num. 21.

Potior difficultas est in hoc casu, an præsente Sacerdote simplici, nec approbato ad confessiones excipiendas, adhuc possit audire; an verò cedere debeat simplici Sacerdoti.

27 Respondeo non posse. Et ratio est, quia caret iurisdictione, & illi sub pęna excommunicationis prohibitum est ministrare Sacramentum Pęnitentiæ socio criminis. Ita Bonac. in superiore §. cit. num. 15. Retenta tamen ea sententia, quæ asserit quemlibet Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere, etiam præsente approbato, quam superiùs diximus non esse improbabilem, tunc Confessarius posset absoluere complicem criminis in tali articulo constitutum etiam præsente alio Sacerdote.

§. X.

An Confessarius ex ignorantia inculpabili culpę socium absoluens incidat in hanc excommunicationem.

28 *Afferuntur quædam ignorantiæ diuisiones.*
29 *Diuisionem illam ignorantiæ in affectatam, & crassam, seu supinam alij damnant, Author approbat.*
30 *Ignorantia probabilis iuris, facti, & pœnæ excusat ab incurrẽda censura.*
31 *Quid si ignorans dabat operam rei illicitæ.*
32 *Quid si ignorantia fuerit comitans.*
33 *Vtrùm ignorantia irregularitatis ex delicto prouenientis excuset ab ea incurrenda.*
34 *Resolutio difficultatis propositæ.*
35 *Ab excommunicatione lata contra eos, qui scienter contrahunt Matrimonium in gradibus prohibitis: aut qui scienter retinent, legunt, imprimunt, aut defendunt libros hæreticorum excusat ignorantia quantumuis crassa.*
36 *Vtrùm ignorantia affectata excuset Confessarium culpæ socium absoluentem.*
37 *Corolarium doctrinæ præcedentis.*

28 Supponendum primò ignorantiam aliam esse iuris, aliam facti, aliam pœnæ. Ignorantia iuris est

quando

quando ignoratur lex vel prohibitio; vt si Clericus arma deferat ignorans prohibitionem. Ignorantia facti quando constat de lege, seù prohibitione, sed ignoratur factum, vt si quis sciat esse prohibitam percussionem Clerici, sed ignoret hunc esse Clericum. Ignorantia pœnæ quando ignoratur pœna lata contra delinquentem, vt si quis sciat prohibitam quidem fuisse armorum delationem, sed ignoret eam fuisse prohibitam sub censura.

Rursus ignorantiam siue iuris, siue facti aliam esse probabilem, quæ dicitur inculpabilis, & inuincibilis, quæ videlicet vinci non potuit; aliam esse improbabilem, quæ culpabilis, & vincibilis dicitur, quæ videlicet vinci potuit, sed ignorans non adhibuit sufficientem diligentiam, & qualem negotij qualitas exigebat ad ignorantiam illam vincendam. Quare qui nihil vnquam audisset de censura; vel nunquā dubitasset; vel si dubitasset, debitam adhibuisset diligentiam pro rei veritate assequenda, & ea non comperta dubietatem omnem deposuisset, diceretur laborare ignorantia probabili, & inuincibili. Qui verò dubitans omisisset adhibere debitam diligentiam, diceretur laborare ignorantia vincibili, & improbabili.

29 Demum verò ignorantiam vincibilem alij diuidunt in affectatam, & supinam, seù crassam. Ignorantia vincibilis affectata ea dicitur quando quis data opera ignorare vult præceptum, vt liberius peccet: hac autem ignorantia laborare diceretur Clericus ille qui data opera eligeret nolle scire censuram latam contra gestantes arma, vt liberiùs posset illa deferre. Ignorantia vincibilis crassa, & supina ea dicitur, quæ procedit ex lata culpa ignorātis vt si nullam, aut valdè modicam adhibuerit diligentiam ad sciendum id, quod scire tenebatur. Diuisionem hanc negat Suarez de censuris disp. 4. sect. 10. nu. 10. vbi dicit omnem ignorantiam mortaliter culpabilem esse crassam, & supinam. Et Corduba ipse in quæstion. lib. 2. quæst. 1. videtur huic sententiæ fauere dum ait vincibilem ignorantiam crassam dici quasi ex desidia oriatur sumpta metaphora ab hominibus crassis, & obesis qui desides esse solent; supinam verò ob modicam curam pro ignorantia vincenda, sumpta metaphora ab ijs, qui de rebus suis nihil soliciti sunt, & supinè in lecto iacent.

Verùm diuisio hæc mihi satis probatur, sicuti eadem probatur Henriq. lib. 13. cap. 23. num. 2. Sanch. lib. 9 de matrim. disp. 32. nu. 32. & 33. & in sum. lib. 1. cap. 16. nu. 7. Soto dist. 28. quæst. vnica art. 2. Bonacinæ disp. 1. de censuris quæst. 2. pun. 1. nu 4. & alijs: licèt enim omnis ignorantia crassa, & supina sit vincibilis, nō tamen omnis ignorantia vincibilis est crassa, seu supina: nam ad hoc vt aliqua ignorantia sit crassa, & supina requiritur summa negligentia; ad hoc verò vt ea sit vincibilis, & mortaliter culpabilis, satis est si non adhibeatur ea moralis diligentia quæ pro negotij qualitate est necessaria. Vnde est vt omnis ignorantia crassa, & supina sit quidem vincibilis, non tamen omnis ignorantia vincibilis sit crassa, & supina. Et hanc ignorantiæ diuisionem præter Auctores citatos agnoscunt Doctores plures, qui in materia confessionis censent eam esse validam tacito etiam peccato, aut sufficienti examine non præmisso ex negligentia, aut ignorantia mortali, dummodò ea non sit nimis crassa, vel supina. Vt Canus relect. de pœnit. p. 5. vbi de confess. informi, in voluminibus paruis

paruis fol. 129 pag. 2 vers. Dico 2. Henriq. lib. 5 de pęnit. cap. 11. num. 1. & alij plures.

30 Supponendum secundò ex dictis alibi cùm de censuris ageremus, ignorantiam probabilem iuris, facti, & pęnæ, excusare ab incurrenda censura. Quòd enim ignorantia iuris excuset patet ex cap. 2. de constitut. in 6. tum verò ea maximè ratione probatur, quia excommunicatio fertur solùm ob contumaciam, & inobedientiam præcepto Ecclesiæ, vt colligitur ex illo Matth. 18. vbi excommunicandi potestas concessa est [Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.] At ignarus præcepti Ecclesiastici non potest dici contumax, & inobediens Ecclesiæ; ergo non ligatur vinculo excommunicationis. Addo hoc verum esse etiamsi delinquens sciret delictum quod committit esse prohibitum iure Naturæ, aut Diuino, sed nesciret illud esse prohibitum ab Ecclesia, quoties enim ius positiuum Ecclesiæ ignoret, non dicitur contra illud delinquere, sed tantùm contra ius naturale, aut Diuinum. Vt benè Sylu. v. excommunicat. 2. notab. 3. §. 6. & excommunic. vltimò q. 3. § 4. & v. ignorantia q. 8. Nauar. in sum cap. 27. num. 16. Henriq. lib. 13 de excommunic. cap. 23. num. 2. Petrus de Ledesma de matrim q. 55. art. 6. dub. 5. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 9. Graffius 1. par. decis. lib. 4 cap. 9. nu 21. Vega 1. tomo summæ cap. 85. casu 73. Suarez 5. tomo in 3. par. disp. 4. sect. 8. num. 2. Azor lib. 1. instit. moral cap. 5. quæst. 3. noster Bonac disp 1. de censur. quęst. 2. puncto 1. num. 7. Quidquid in contrarium sentiant Doctores nonnulli.

Quòd item ignorantia facti, aut qualitatis facti ob quam imponitur censura, excuset ab ea incurrenda, res est certa, vt patet cap. Si verò 2. de senten. excommunic. vbi ab excommunicatione excusatur occidens Clericum, quem ignorabat esse Clericum, vt benè aduertit Molina tomo 4. disp. 53. num. 1. & 3. Ratio verò est eadem cum superiore, quia videlicet interueniente ignorantia facti, aut qualitatis facti nō adest contumacia contra Ecclesiam. Ita Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. Salas de legibus d. 15. sect. 9. num. 110. Vasq. tract. de excommunic. dub. 14. num. 2. & 7. Reginal. in praxi lib. 9. nu. 199. Sanch. l. cit. num 23. Bonac. cit. num. 8. apud quos alij plures.

31 Limitant aliqui primò, dummodò ignorans non det operam rei illicitæ; tunc enim dicunt non excusatum iri à censura. Vnde inferunt volentem percutere Caium laicum, si errore ductus percutiat Titium Clericum ligatum iri excōmunicatione. Et hanc sententiam tutiorem esse existimat Glossa Cap. Si verò 2. de sentent. excommunic. verbo, ignorauerit. Sed contrarium manifestè patet ex eodem cap. ibi enim deciditur percutientem Clericum excusari ab excommunicatione quoties sit ignarus clericatus, cùm tamen percutiendo det operam rei illicitæ. Ita Graff. 1. par. decis. aurear. lib. 4. cap. 9. num. 42. Sanchez citatus num. 24.

32 Limitant alij secundò, dummodò ignorantia non sit cōcomitans: duplex enim est ignorantia, altera antecedens, altera concomitans: antecedens est, quando quis Clericum percutit omnino credens esse laicum, non percussurus si Clericum esse cognouisset: concomitans est, quando ignorat quidem esse Clericum, sed tamen eo animo est affectus, vt cognito Clericatu adhuc percuteret. Putant ergo aliqui ignorantiam comitantem

non eximere ab excommunicatione, aut alijs pœnis. Ita Vgolinus de censuris tabula 1. cap. 9. §. 8. in fine Graff. 1. par. decis. l.cit.

Ego tamen contrariam sententiam veriorem esse existimo asserentem ignorantiam comitantem semper excusare operantem ab excommunicatione, irregularitate, atquè etiam ab obligatione restituendi, licèt adsit prauus affectus circa id, quod ignoratur. Et ratio est, quia excommunicatio, irregularitas, & restituendi obligatio, quæ ex iniusta damnificatione oriatur, supponunt opus exterius, quod sit peccatum (de excõmunicatione enim, & irregularitate ex delicto orta res est omnino certa, cùm Ecclesia non possit ligare ob actus omnino internos: de obligatione item restitutionis ex delicto orta, patet, cùm illius radix sit delictum externum, non praua voluntas quæ nocere nequit.) Sed quando quis peccat cum ignorantia comitante solo affectu peccat; opus enim externum est omnino inuoluntarium, cum ab ignorantia inuincibili proficiscatur, nequè ab vlla praua voluntate procedat: vt patet in eo qui Clericum occidat intendens occidere laicum: vel hominem occidat putans esse feram; licèt enim affectus sit malus, tamen iactus ille sagittæ, seu opus exterius homicidij non procedit ab illo affectu occidendi Clericum, sed ex voluntate occidendi laicum, quæ re vera putat esse laicum. Similiter licèt cum voluntate occidendi feram adsit voluntas occidendi hominem, si talem esse illum cognosceret; tamen iactus ipse sagittæ procedit tantùm ex voluntate occidendi feram, & sic opus ipsum externum est voluntarium quatenus occisio feræ, non quatenus homicidium, cùm voluntas non sit causa operis externi nisi media cognitione. Ergo operans cum ignorantia comitante excusatur ab excommunicatione, irregularitate, restitutionis obligatione, & alijs pœnis. Ita Vasquez 1.2. disp. 125. cap. 2. & 3. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 26. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 10. in comment. littera. A. Ludouicus Lopez 2. par. instruct. cap. 13. de excommunicat. Ex quo benè aduertit Sanch. citatus sententiam hanc esse intelligendam, nisi fortè ille dubitaret an is, in quem sagittam iacit esset laicus, an Clericus, fera, an aduersarius, & sagittam vellet iacere licèt aduersarius esset, aut Clericus. Et ratio est, quia in tali casu non solus affectus, sed etiam opus ipsum externum esset voluntarium, prauum, atq; iniustum.

Ex quibus patet quo modo intelligendus sit D. Thomas 1. 2. quæst. 75. art. 1. ad 3. dum ait ignorantiam comitantem non excusare à peccato; sensus enim illius est, non omnino excusare, quia manet peccatum praui affectus. Vt benè Vasq. citatus.

Quod demum ignorantia pœnæ excuset ab incurrenda censura, patet iisdem rationibus, quibus probauimus ignorantiam iuris, & facti excusare. Tum quia cap. 2. de Constit. in 6. deciditur vt ignorantes non ligentur sententijs, & hoc ad cauenda pericula Animarum: quod decretum cum Animabus sit fauorabile, latè est interpretandum, vt accipiatur non solùm de ignorantia iuris, sed etiam ipsius pœnæ. Ita Suar. 5. tomo in 3. par. disp. 4. sect. 9. nu. 19. Graff. 1. par. decis. lib. 4. cap. 9. num. 17. & 18. Henriq. lib. 13. de excomm. cap. 21. num. 1. & cap. 23. nu. 2. Filliuc. tract. 11. cap. 8. quæsito 11. num. 257. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 32. nu. 13. Bonac. l. superiùs cit. num. 13. Et alij apud ipsos.

33 Quin-

33 Quinimò non desunt Doctores qui probabiliter putent ignorantiã hanc excusare etiam ab incurrenda irregularitate ex delicto proueniente. Ita Sanch. Bonac. citati. Et hanc doctrinam extendit Nauarrus cap. 27. nu. 274 ad quascunquè alias pœnas exorbitantes, & extraordinarias.

Dixi ab irregularitate ex delicto proueniente, irregularitas enim quæ ex delicto non prouenit, sed ex defectu, incurritur etiam ex ignorantia, ex eo quòd nullam præexigat culpam, nequè imposita sit tanquã pęna.

Præsens modò difficultas in eo est, vtrùm quælibet ignorantia vincibilis, & culpabilis sufficiat ad incurrendam censuram latam contra Confessarios culpæ socios absoluentes: an verò dato quòd non excuset ignorantia crassa, & affectata, excuset saltem vincibilis.

34 Respondeo primò ignorantiam omnem vincibilem quantumcunquè crassam non solùm facti, sed etiam iuris, excusare Confessarium, ab hac censura incurrenda. Et ratio est, quia quando Canon expresse aut tacitè petit dolum, non sufficit crassa ignorantia, & lata culpa, vt latè probat Sanch. de matrim. loco superiùs cit. num. 36. Sed quando Canon exigit cum audacia aliquid fieri, dolum manifestè petit; audacia enim temeritatem importat. Ergo quando Canon exigit cum audacia aliquid fieri, non sufficit ignorantia crassa, & multò minus vincibilis. Quod autem in casu præsenti Canon exigat audaciam patet ex verbis censuræ [Et verò si quis Confessarius culpæ socius, particeps uè aliquid contra ausus fuerit, excommunicationis sententiam statim subeat] Doctrinam hanc tradit Sanchez à num. 36. citato vsquè ad 40. inclusiuè, quo loco docet ignorantiam quantumcunq; crassam (nisi fortè esset adeo crassa vt esset ingens temeritas) & latam culpam excusare à pœna imposita scienter aliquid facienti, aut illi qui ausus fuerit, vel certè facere præsumpserit. Hoc idem docet Suarez de censuris disput. 4. sect. 3. quo loco ait, ad videndum an per aliquam actionem contracta sit censura, perpendenda esse verba legis: ac si legis verba absolutè prohibeant delictum aliquod, puta furtum, aut homicidium, censuram incurri ob quodcunquè furtum, aut homicidium, quod ad lethalem culpam pertingat, quocunquè modo sit voluntarium. Quòd si verba legis non absolutè prohibeant delictum aliquod, sed perfectum voluntarium exigant; vt si dicant, qui scienter, qui temerè occiderit: qui ausus fuerit, qui præsumpserit occidere, excommunicationis pœnam subeat, non illico censuram hanc incurri ob homicidium quouis modo voluntarium, sed directum, ac perfectum requiri: & sic ab ea ignorantiam vincibilem, licèt crassam excusare.

35 Hinc est vt disp. 23. sect. 5. explicans censuram latam contra eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis, & affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus matrimonium contrahunt, doceat ab ea incurrenda excusare ignorantiam etiam culpabilem, non solùm facti, quod omnes concedunt, sed etiam iuris; ea ratione nixus, quòd ignorantia licèt vincibilis, & culpabilis excludat dolum. Et Sanchez in summa lib. 2. cap. 10. num. 38. explicans censuram latam contra eos, qui scienter legunt, tenent, imprimunt, vel defendunt libros hæreticorum, doceat excusari ab hac

hac censura eum, qui ignorantia quantumuis crassa, & lata culpa quidquid horum fecerit atq; hoc idem extendat, licèt ignorantia esset affectata; cuius tamen contrarium docuit lib 9. de matrim. disp. 32. num 40 vbi habet, ignorantiam affectatam, qua videlicet ignorans eligit nescire, vt liberiùs peccet, nullo modo excusare ab ijs pœnis quæ scientiam, aut præsumptionem requirunt, quia tantum abest vt ignorantia hæc tollat voluntarium, & culpam minuat, vt potius illud, & culpam augeat.

36 Respondeo secundò ignorantiam etiam affectatam excusare ab hac censura incurrenda, dummodò non adsit ingens temeritas, qualis intercedit cùm quis vehementem habet suspicionem delicti prohibiti. Et probatur quia Confessarius cum hac ignorantia absoluendo verè, & propriè non dicitur audire, absoluere. Tum quia quæ ignorantia excusat à pœna imposita scienter aliquid facienti, eadem excusat à pœna imposita audenti aliquid facere, vt patet ex dictis. Atqui ignorantia etiam affectata in sententia Sanchez exusat a pœna imposita scienter aliquid facienti. Ergo &c. Hinc est vt Bonac. disp. 2. de excommunicat. in particulari extra Bullam Cœnæ q. 2. pun. 8. nu. 17. explicans censuram latam contra contrahentes matrimonium in casibus prohibitis in Clement. vnica de consang. dicat probabiliter sustineri posse, ignorantiam etiam affectatam excusare ab ea incurrenda, cuius ratio est, quia habens ignorantiam affectatam non dicitur re ipsa sciehter contrahere. Idemquè docet inferiùs, puncto videlicet 19. in explicatione censuræ latæ contra præsumentes violare libertatem Ecclesiasticam circa electiones, vbi ait ignorantiam etiam affectatam excusare ab hac censura incurrenda, cùm in textu dicatur (grauare præsumunt.) Idemquè habet alibi passim.

Dixi in responsione, dummodò non adsit ingens temeritas: tunc enim ignorantia nullo modo excusaret, licèt pœna fuisset imposita contra scienter aliquid facientes, seu contra præsumètes, vel certè audentes facere. Et ratio est, quia ignorantia hæc importaret latissimam culpam, & dolo æquipararetur. Vt benè Sanch de matrim. l. cit. nu. 39.

37 Ex quibus patet Confessarium eum qui culpæ socium absoluat, inualidè semper absoluere à peccato complicitatis, nisi fortè iurisdictio aliunde suppleatur, vt à titulo colorato, atquè errore communi. Et hoc patet ex ijs verbis Synodi [Nec verò absolutio, si quam impartierit, vllius roboris sit, sed irrita planè ac rescissa, nullaquè omnino, tanquam ob eo impartita, qui iurisdictionis, & facultatis expers est.] Et hoc verum est siue Confessarius sciat extare hanc constitutionem, siue nesciar, priuata enim Confessarij ignorantia nullam illi confert iurisdictionem: cęterùm ratione huius ignorantiæ licèt culpabilis, & crassæ, seu etiam affectatę (modo tamen explicato) eximi à censura: Et ratio est, allata, quia videlicet censura nō fuit imposita cuicunq; Confessario culpæ socium absoluenti, sed illi qui culpæ socium absoluere audeat, vt patet ex verbis Synodi, quæ verba cùm temeritatem importent, exigunt in absoluente aliquid supra latam culpam, puta dolum, & audaciam, ad quę non se extendit ignorantia quantumcunquè culpabilis.

LAVS DEO, B. Mariæ Virgini, ac SS. Ambrosio, & Carolo.

INDEX
NOTABILIVM
Quæ in hoc volumine continentur.

Litera, d. disputationem, q. quæstionem, c. caput, n. numerum significat.

A

C.

CAPELLANVS ET CAPELLANIA.

CASVS ET CENSVRÆ.

CIRCVMSTANTIA.

An

D

E

à casi-

EXCOMMVNICATVS, ET EXCOMMVNICATIO.

HOROLOGIVM.

I

IEIVNIVM.

IGNORANTIA.

INCENDIARII.

INCERTA.

IVDEX ET IVDICIVM.

L

LEGATVM.

Quid

Sortilegio 440 —

FINIS.

ADDITIO DE PECCATO BESTIALITATIS IN SYNODO DIÆCESANA MEDIOLANENSI XXXV.

Ab Eminentiss., ac Reuerendiss.

D. D. ALPHONSO LITTA

Huius Sanctæ Ecclesiæ Ambrosianæ

VIGILANTISSIMO ARCHIEPISCOPO

MERITO SIBI RESERVATO.

PRESBYTERO OCTAVIO FONTANA

Mezzanæ Præposito nominatæ Ecclesiæ

subdito Auctore.

MEDIOLANI ANNO M.DC.LXVIII.

Apud Impressores Archiepiscopales.

Librum hunc cui titulus de Peccato Bestialitatis Iussu Reuerendiss. Patris Iulij Mercorij Mediol. Inquisitoris Generalis perlegi nihilque in eo occurrit orthodoxæ Fidei vel bonis moribus repugnans Quare Typis mandari posse censeo si ita Reuerendiss. præfato videbitur. Dat. Mediolani anno 1668. die 3. Iulij.

D. Mauritius Vicecomes Cler. Reg.

Die 4. Iulij 1668.

Imprimatur.

Fr. Ludouicus Augustinus Castellus Ord. Præd. S. Theol. Magist., & Commiss. S. Offic. Mediol.

Carolus Ghioldus Theol. Sancti Nazarij, pro Eminentiss., & Reuerendiss. D. D. Card. Litta Archiepiscopo &c.

F. Arbona pro Excellentiss. Senatu.

CAPVT PRIMVM.

1 *Quid sit peccatum bestialitatis.*
2 *Quotuplex sit.*
3 *Quid nomine bruti veniat.*
4 *An pro diuersitate brutorum specie differat.*
5 *Quot congressus cùm Demone ab homine fieri possint.*

1 PEccatum bestialitatis est coniunctio carnalis hominis cum re alterius speciei, siue quod idem est cùm re animata sentiente non eiusdem speciei cùm homine, siue tandem, vt mihi magis placet, commercium carnale hominis cùm bruto, vel cùm Dæmone. Sic Anto. De escobar. in summa Theol. moral. fol. mihi 112. num.77., Oli Mazuc. de cas. reser. disp. 2. fol mihi 651. in secund. editione, prob. 1., quia non videtur aliter esse posse, ergo, 2., quia homines nomine peccati bestialitatis communiter commercium carnale hominis cùm bruto, vel cùm Dæmone intelligunt, 3., vox ipsa, bestialitas, id satis indicat, tandem cuncti Doctores, quos ego legerim, ita expresse docent, hoc enim peccatum dicitur etiam contra naturam, quæ in materia luxuriæ communiter quatuor assignantur videlicet mollities, inordinatus concubitus, sodomia, ac denique peccatum bestialitatis sicut inter alios Eminen.? Franc. Toletus in instruc. Sacerd. lib. 5. de pecc. contra naturam cap. XIII. docet, nec enim debet viuere homo, qui cùm sit homo, non viuit vt homo, de tribus prioris ego non ago. Sed tantùm de quarto, quod Eminentiss. noster sibi anno 1658. in synodo XXXV. reseruauit, vtrùm hæc nominata inter se comparata differant specie nonnulli affirmant, nonnulli verò negant, sed nos hac de re Dei fauore alibi sufficientem sermonem, sicuti legetis, habebimus.

2 Dupplex est, ni de nomine disputare velimus, vna, quæ cùm animali bruto committitur, alia cùm Dæmone, quod idem est cùm bestia infernali, ideoquè commercium carnale hominis cùm Dæmone saltem reductiuè peccatum bestialitatis est. Id enim ex nostra iam data definitione satis colligitur, ex quo nos scire possumus hoc scelus varijs modis committi posse, aliquando tantum mentaliter, idest per desiderium carnale se se cùm animali bruto, vel cùm Dæmone copulandi, sicut meo tempore cuidam fæminæ contigit, aliquando per ipsum actuale commercium saltem incompletè, quando videlicet actus exterior intra vas ad euitandam reseruationem, siue ob alios fines non completur, aliquando completè sicut quando reseruatio contrahitur, denique etiam aliter, non enim id repugnat saltem reductiuè loquendo, hiquè sic agendo velut irrationabilia pecora se habent, vt Sanctus Petrus Apostolus in sua secunda Epistola cap. 2. optimè docet, cuius nominata Epistola à personis carnalibus frequenter legi deberet.

3 Nomine bruti, ni fallor, omne animal irrationale venit. prob. quia aliter non videtur posse esse, 2. sic auctores docent, inter quos defendens

Quadrius de casib. reser. disp.3.cas.sex. num.669. ex quo omnia animalia terrestria, ac pisces, atque tandem aues intelligi deducitur, quæ doctrina vera est, etiamsi bruta ipsa non solùm specie, sed etiam genere inter se se differant, sicuti etiam nomine Dæmonis omnis spiritus improbus in ratione substantiæ completus intelligitur, quamuis inter hos differentiam specificam admittere cùm nonnullis volimus, neque contrà nos dicendum est fic, cùm omni animali bruto, vt notum est, hoc scelus committi non potest, ergo nomine bruti non venit omne animal irrationale, ergo aliter dicere cogimur, sed contra: id enim ex natura rei non contingit, sed per accidens, siue aliter, ergo adhuc stat nomine bruti in casu præsenti omne animal irrationale venire, insuper nec contra nos hoc modo dicendum est, Dæmon corpore caret, ergo hoc scelus ab homine cùm Dæmone committi non poterit, sed contrà, dico enim hoc pecc. ab homine cùm Dæmone posse committi saltem quando aliquo corpore afficitur licet ego merum spiritum esse libenter admittam.

4 Bestialitas pro diuersitate brutorum non differt specie, sic Noster Bona. de matr. quæst. 4. punc. x11. nu. 4. in secund. edit., Thomas Tamb. in Met. exp. conf. fol. mihi 189. num. 78. prob. quia tantùm eadem deformitas in specie morali reperitur, trahitquè tantùm differentiam materialem, ergo bestialitas pro diuersitate brutorum non differt specie morali, de hac enim loquimur, sicquè satis est pænitenti in Confessione Sacramentali dicere se peccauisse peccato bestialitatis non explicando genus animalis, siue sit equus, siue equa, siue ouis, siue vacca, siue gallina, siue aliud animal, ad summum enim in vno casu, non verò in alio grauius peccatum committetur, sed tamen intra Latitudinem huiusmodi speciei, siue generis delictorum, secùs verò dicendum est quando peccatum bestialitatis cùm bestia infernali committitur, vt infrà satis videbimus.

5 Plures congressus ab homine cùm Dæmone fieri possunt prob. quia homo potest cùm Dæmone comparente in forma bruti peccare, id enim non repugnat, sicque peccatum bestialitatis resultat, vel in forma masculi incubi, vel succubi, ac sic sodomia, mollities dabuntur, vel in forma fæminæ sicquè adulterium, fornicatio, incestus committentur, vel etiam in forma monialis sicquè sacrilegium, ac denique aliter quæ quidem peccata non solum numero, sed etiam specie vt videre potestis, specie differunt ratione videlicet affectus venerei in homine ad Dæmonem sub tali forma, siue specie, siue sub tali statu aliquo corpore ad coitum apto affectum, quæ quidem peccata prout fuerunt, in confessione manifestanda sunt, sicquè confessarij de his interrogare debent pænitentes non tamen de diuersitate brutorum per se loquendo, vt iam diximus, non enim hæc specificam differentiam necessario admittit.

CAP. SECVNDVM.

6 Quam malitiam habeat peccatum bestialitatis cùm Dæmone cōmissum.
7 An bestialitas nunc apud nos casus reseruatus sit.
8 An bestialitas in rigore sodomia sit.
9 An Clericus peccatum bestialitatis exercens contrahat pœnas Bullæ Pij Quinti.
10 An tenentes bruta in lecto, siue domi sine venereo semper absolui possint.

6 PEccatum beſtialitatis cùm Dæmone commiſſum aliam malitiam ſpecie diuerſam ab ipſo peccato beſtialitatis diſtinctam habet, prob. quia non ſolùm caſtitati opponitur, ſed etiam ipſi religioni à caſtitate ſpecie morali contradiſtinctæ ergo præter malitiam beſtialitatis ſimul alia malitia contra diſtincta, vt dixi, dabitur, quatenus includit ſocietatem cùm Dæmone Dei noſtrùmque omniùm nequiſſimo inimico, quod peccatum ſuperſtitio dicitur, atquè ab aljs irreligioſitas, ideoque pænitenti non ſatis eſt dicere in confeſſione ſe peccauiſſe peccato beſtialitatis, ſed inſuper id explicare debet videlicet ſe ſe habuiſſe rem veneream cùm Dæmone ſiue cùm ſpiritu improbo, vt ſuæ obligatione ſatisfaciat

7 Beſtialitas nunc apud nos caſus reſeruatus eſt, ratio enim eſt, quia hoc tempore in tabella, ſiue in folio caſuum noſtrorum reſeruatorum, alibiquè reperitur, ergo ſignum eſt caſum reſeruatum eſſe. Dixi nunc, quia olim pro aliquo tempore intermedio non fuit reſeruata, vt optimè Bonac. de matr. quæſt.4. punc.11. de beſtialitate num.5., Oliu. Mazuch de reſeru. diſp. 2.cap.22. quæſt.2. num.18. aduertunt, hinc enim infertur non eſſe audiendos aliquos doctores admittentes quidem beſtialitatem caſum reſeruatum eſſe non tamen per noſtrum fundamentum quòd videlicet ſuperior legitimus hanc ſibi actualiter reſeruauerit, ſed per alia fundamenta ab his excogitata, id enim profectò falſum eſt, quia caſuum reſeruatio nonnullis concurrentibus à legitimo ſuperiore pendet, non aliunde, vt iſti falsò putant.

8 Beſtialitas in rigore ſodomia non eſt, prob. quia beſtialitas eſt commercium carnale hominis cùm bruto, vel cùm Dæmone, at ſodomia eſt coitus carnalis duarum perſonarum eiuſdem ſexus intra vas præpoſterum effectiuè, vel ſaltem affectiuè, ſi de mentali loqui volumus, vt ſcelus duarum perſonarum verbi gratia duorum maſculorum, ſiue etiam duarum fæminarum in vaſe tamen præpoſtero, non tamen in vaſe generationis, vt nonnulli falsò putant. Data hac noſtra definitione ſecùs ſi non ita definire hoc ſcelus volumus, ergo beſtialitas in rigore ſodomia non eſt prob. etiam aliter, quia peccatum beſtialitatis apud nos in caſu nono exprimitur, nephandum verò in ſeptimo, vt in folio noſtrorum caſuum reſeruatorum videre eſt, quod in audiendis confeſſionibus quilibet confeſſarius apud ſe habere deberet, vt tutiùs hoc Sacramentum adminiſtrare poſſet quo tamen multi carent, nonnulli ex negligentia, nonnulli ne ſe nummis paucis priuent, nonnulli fortaſſe ex ignorantia, ſiue ex obliuione, alij tandem ex alijs finibus Deo notis, ergo ſignum eſt beſtialitatem in rigore ſodomiam non eſſe, tandem, vt breui ſermone dicam Vicarij Foranei hoc tempore aliter ſe habent in ordine ad abſolutionem beſtialitatis, ac in ordine ad abſolutionem ſodomiæ vt ex eorum facultatibus id apertè colligitur ergo ſignum optimum eſt vnum non eſſe à parte rei aliud, ſed omnino realiter inter ſe contradiſtincta eſſe, quamuis ego libentiſſimè admittam in eodem caſu vtrumque delictum interuenire poſſe, vt ſi Dæmon ſub ſpecie humana in forma maſculi rem veneream cùm aliquo maſculo in vaſe præpoſtero haberet, id tamen contra nos minimè eſſet, ſi hoc diligenter à vobis conſideratur, me tamen remitto.

9 Clericus peccatum beſtialitatis exercens non contrahit pænas Bullæ

habere videtur, quam contra rationem, ergo huiusmodi est, hoc est ex numero circumstantiarum, merè aggrauantium, hinc enim optimè deducitur non esse manifestandum animal in ordine ad propriam pollutionem, vt si quis verbi gratia tactu linguæ, siue aliter se polluisset, satis enim pænitenti dicere esset se peccauisse peccato simplicis pollutionis, nisi ex alio capite iste teneretur aliter suum peccatum explicare, vt si esset verbi gratia Sacerdos, siue secus, brutum enim in casu isto se habet, vt quoddam instrumentum inanimatum nihil specie differens huic peccato addens, secus dicendum est, quando coitus externus, siue mentalis concurrit ita Quad. de reser. disp 3. cas. 6. fol. mihi 414. num. 693.

12 Pollutio à Fæmina, vel à viro cùm bruto, vel etiam cùm Dæmone admissa causa diuortij non est ita Trullenth in praxi Sacram. de sac. matr. lib. 7. cap. x i i. dub. 1. num. 5. Bonade matr. quæst 4. punc. 5. num. 5. alijquè plures, ratio est quia simplex pollutio non infret diuisionem carnis à carne, ergo non est causa diuortij, nam vt causa diuortij sit, diuisionem carnis à carne importare debet, quod in casu nostro non contingit, quæ Doctrina etiam huic præsenti casui applicari potest, videlicet illi personæ, quæ carnalem rem habet, siue habere cupit cùm bestia mortua, vel cùm statua, vel cùm fæmina mortua, ratio est, quia tantùm his in casibus pollutiones simplices concurrunt non tamen inductiuæ diuisionis carnis à carne, vel ad summùm alia peccata non tamen apta ad causam diuortij causandam, vt id melius ex infrà dicendis colligetur.

13 Fæminæ verò, vel viri coitus carnalis cùm bruto, vel cùm Dæmone diuortij causa est ita Quad. num. 691. Bonac. num. 4. Trullench num. 5. supra citati, ratio est, quia per huiusmodi coitum harum personarum caro propriè diuiditur cùm carne bestiæ irrationalis, siue infernalis ergo causa diuortij est, coniuges enim vna caro fieri, vel esse debent, vt habetur Gen. 2., & erunt duo in carne vna, quod omnino aufertur, quando huiusmodi personæ se cùm pecoribus, &c. coeunt, hiquè sic operando directè agunt contra Leuit. cap. x v i i i. cùm omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo, mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei, quia scelus est ex his colligere facile est coitum ab homine habitum cùm bestia mortua causam diuortij non esse, quia hic non interuenit peccatum bestialitatis effectiuum, ac sufficienter aptum ad hunc effectum, de quo nunc loquimur ad summùm affectiuum non tamen causæ diuortij inductiuum, animal mortuum non est amplius tale, sed cadauer, siue vnum quid anima mortali priuatum, sicuti homo mortuus non est amplius homo ex recessu animæ immortalis vnione media substantiali destructa, sed quidem cadauer si in rigore loqui volumus.

14 Ad casum hunc respondet Granado in p. 2. contr. 6. tract. 4. disp. 7. num. 3. dicendo non esse peccatum mortale, ratio huius est, quia neutrum istorum multùm prouocat ad luxuriam sic etiam Petrus à S. Ioseph in sum. casuum fol. mihi 265. cap. 4. de pecc. contra naturam, nisi, inquit ipse, inde turpis delectatio exurgat sic etiam alij inter quos Noster Bonacina de matr. fol. mihi 244. num. 14. his verbis loquendo. Non existimo tamen ordinarie loquendo esse peccatum mortale aspicere coitum brutorum, vel eo-

rum partes turpiter commotas modò aſpiciens indè non capiat notabilem delectationem ſenſualem, vel non ſit periculum capiendi dictam delectationem; ego verò horum pace, atque aliorum quamuis in hoc me me omnino remittam, exiſtimo eſſe peccatum mortale aſpicere coitum brutorum, vel eorum partes turpiter commotas reſpectu tamen aliquorum brutorum non autem omnium, quando huiuſmodi aſpectus dedita opera ſine cauſa legitima admittitur, nullum auctorem habet, tamen id à me his rationibus prob., quia huiuſmodi aſpectus, de quo loquimur rectæ rationi repugnare videtur, eſt enim actus nimis obſcænus, atque ex intentione videntis, ne aliter dicam, inhoneſtus ad libidinem noſtra fragilitate attenta valdè diſponens reſpectu tamen aliquorum, vt id experientia nos ſatis docet, 2. videtur eſſe contra illud Oracul. Eccl. 3. qui amat periculum in illo peribit, 3. plures perſonæ de iſtis aſpectibus in confeſſione ſe accuſant, ergo ex eo quòd credunt culpam mortalem interuenire, niſi dicere velimus has ſe accuſare tantùm de culpa veniali, ſiue ſubdubio, cùm de hac aliquando in confeſſione à nonnullis fieri ſoleat, quod valdè probabile eſt, dixi reſpectu aliquorum, non autem omnium, cùm non eodem modo nos mouere ad luxuriam ipſa experientia in hoc teſte, ſoleant. Dixi etiam dedita opera, quia ſi aliter contingit, ſicuti in pluribus caſibus euenit præſertim apud ruſticos, atque alias perſonas nos oppoſitum dicere cogimur videlicet in aſpiciente non adeſſe peccatum mortale, fortaſſe aliquando nec veniale, tandem dixi ſine cauſa legitima, quia hac concurrente culpa non admittetur his ita dictis, dices plures non ſe ſe accuſant de huiuſmodi aſpectu ergo ſignum eſt culpam mortalem ſaltem non includere, ſed ad id ſic reſp. dicendo has perſonas non ſe accuſare, quia vel ſequuntur contrariam opinionem, quam valdè probabilem exiſtimo, vel quia in his non contingit aſpectus, de quo loquimur, ſiue aliter, id enim non repugnat, denique dices ſi id verum eſſet multi mortaliter peccarent quod tamen non ita ſtatim dicendum eſt, prob. quia plures ruſtici ſolent verenda beſtiarum inſpicere, ſic etiam nobiles plures in curijs principum, atquè alibi ergo. Ad hæc enim reſp. ſic dicendo has perſonas non peccare, vel quia non concurrit huiuſmodi aſpectus, de quo loquimur in his enim vt plurimum cauſa legitima concurrit, vel dedita opera non admittitur, vel ex ignorantia inuincibili, quæ in his in huiuſmodi circumſtantijs adeſſe poteſt.

15 Peccatum mortale eſt confricare pudenda brutorum ex curioſitate, ſiue ex intentione ſeminis inſpiciendi ſic Bonac. de matr. fol. mihi vt ſupra, 244. num. 15. Petrus à S. Ioſeph illis verbis puto à mortali excuſari vix poſſe quicquid dicant aliqui id enim dicit fol. mihi 265., vt ſupra, prob. quia hic actus nimis obſcænus eſt rectæ rationi valdè repugnans. 2. nos multum ad Luxuriam prouocare ſolet. 3. confeſſarij cuncti, ni fallor id pro certo ſupponunt. 4. pænitentes id committentes ſe accuſant. 5. huiuſmodi perſonæ id coram hominibus facere non ſolent, ergo ſignum eſt, quòd putent in huiuſmodi actu culpam grauem interuenire hunc caſum propoſui, ac reſoluere volui, quia in praxi contingere poteſt ſicuti olim Mediolani in quadam perſona contigit quamuis Doctiſſimus Sanchez oppoſitum doceat diſp. 46. num. 15., quem Bonacina

citat

citat hic num. 15. fol. mihi 244., sed mea quidem opinione hic auctor in casu præsenti audiendus minimè est, ac quidem ob dictas rationes.

CAP. QVARTVM.

16 *Peccatum mortale est ob alios malos fines partes inhonestas brutorum confricare.*

17 *An Peccatum Bestialitatis ab alijs nominatis in materia Luxuriæ specie morali differat.*

18 *An hoc scelus in eadem materia omnium aliorum grauissimum sit.*

19 *Quasnam pœnas contra se latas hoc scelus habeat.*

20 *Tandem vndenam hoc delictum ordinarie loquendo procedere soleat.*

16 PEccatum mortale est inhonestas partes brutorum ob alios malos fines confricare prob. id ex rationibus nostris immediatè productis, secus dicendum est, quando fines mali saltem mortales non concurrunt vt liquet, suppono enim in huiusmodi personis fines prauos interuenire rationi rectæ repugnantes, ac diuinæ voluntati contrarios sicuti olim in hac nostra Ciuitate Mediolani contigit ergo mirum non est si sic operando mortalem culpam contrahunt curando verbi gratia, vt bruta suis proprijs manibus pollutionem exiernam admitant vt ab huiusmodi brutis amari possint, siue ob alium turpem finem quis enim hunc ita turpiter pollutioni bruti cooperantem à culpa mortali excusabit, n isi omnino stultus esset.

17 Peccatum bestialitatis specie diffret à supra nominatis, hoc est à concubitu inordinatu, è mollitie, ac denique à sodomia ita Anto. de Escobar in sum. fol. mihi 110. nu. 77. illis verbis, sed in has distingui probabilius assero, sed ante huius probationem suppono me posse loqui de hac re ex auctoritate Summi Pontificis Alexandri Septimi cùm aduersariorum opinionem impugnare intendam quo posito prius me nonnulli sic probare intendunt, sed non sufficienter meo quidem iudicio, per peccatum bestialitatis magis offenditur castitas, ac consequenter Deus, quam per alia nominata ergo per hoc specie diffret à nominatis, sed id mihi non satisfacit, quia hic discursus fieri potest de sodomia respectu aliorum duorum, neque tamen dicunt hi sodomiam specie differre à dictis duobus per hoc caput præcisè, rursum respondere possumus hoc amplius, vel minus contineri intra latitudinem huius speciei delictorum, tandem Deus magis offenditur per furtum mille aureorum, quam per furtum centum, neque tamen in plurium sententia hæc specie per hoc caput præcisè differunt, ergo à primo ad vltimum iste discursus non mihi satisfacit, sed aliter id probare cogimur secundo dicunt, peccatum bestialitatis magis opponitur rectæ rationi, quàm alia nominata, ergo saltem per hoc caput inter hæc distinctio specifica dabitur, sed contra id enim non satisfacit, ex hoc solùm deducitur ad summum vnum alio grauius esse, dicunt tertiò hoc scelus omnium aliorum grauissimum est in hac re loquendo, vt videbimus, ergo per hoc saltem ab alijs spécie distinguetur, sed contra, id enim admittendum non est, quia furtum viginti nummorum aureorum est grauissimum furti quatuor nummorum aureorum decem, ac tandem quindecim neque tamen per hoc nascitur inter nominata peccata distincta species, siue distinctio specifica

cùm omnia eidem virtuti nempe iustitiæ opponantur; dicunt 4 bestialitas apud nos nunc casus reseruatus est, non verò alia, ergo per hoc caput dabitur distinctio specifica sed contra, id ad summùm verificaretur respectu duorum videlicet inordinati concubitus, ac pollutionis, non verò sodomiæ, quæ apud nos casus reseruatus est, ergo adhuc videndum restat per quid hæc delicta inter se specie differant. Rursùm id dico esse per accidens non verò ex natura rei demus enim hæc delicta reseruata non esse, sicquè videndum restabit per quid morali specie differant. 5. dicere possunt hoc modo, quia peccatum bestialitatis nascitur ex specie diuersa ab humana, non verò alia ergo per hoc caput ab alijs distinguetur, sed contra, non enim id satisfacere videtur, quia id ex ipsa rei essentia procedit, tandem dicere possunt, quòd ita plures doctores asserant, ergo saltem propter horum auctoritatem dicendum est peccatum bestialitatis à nominatis diuersum esse, sed contra, id enim mirum è satisfacit quoties sine rationibus intrinsecis sermonem habeant; ego quidem Mediolani, atquè alibi plures viros doctos in ordine ad decisionem huius consului, sed mihi mea quidem opinione non satisfecerunt, ratio enim difficultatis in hoc casu hæc est, quia hæc peccata videtur, quòd tantùm castitati opponantur, non verò alij virtuti à castitate specie distinctæ, ergo erunt eiusdem speciei, ac quidem infimæ ergo non erunt diuersæ speciei, ergo satis erit pænitenti dicere se peccauisse peccato pollutionis, siue ad summùm se peccauisse contra naturam in materia carnis, absque eo quod dicat se peccauisse peccato pollutionis, siue sodomiæ, siue bestialitatis, quod tamen est contra mentem, atque auctoritatem Summi Pontificis iam dicti post enim hæc scripta peruenit ad manus meas folium casuum damnatorum ab Alexandro Septimo etiam Mediolani editum in quo præter alia habetur mollitiem, sodomiam, ac bestialitatem non esse eiusdem speciei infimæ ideoquè non esse satis dicere se procurasse pollutionem contra aliquos oppositum dicentes quibus stantibus sic dico ex Auctoritate Summi Pontificis iam nominati, mollities, sodomia, ac bestialitas non sunt eiusdem speciei infimæ ergo sunt diuersæ speciei, ergo dicta peccata specie inter se distinguuntur, non enim res aliter esse potest, nisi velimus excogitare inter dicta aliquid medium, neque valet dicere contra nos hoc modo, non potest assignari id per quod dicta peccata inter se specie differant præcisa Summi Pontificis auctoritate, ergo non est id asserendum, nisi velimus loqui sine rationibus intrinsecis, quod quidem faciendum non est. Sed ad id sic respondemus dicendo primò non implicare, quòd inter se specie differant licet id à nobis minimè cognoscatur Deo ita permittente sicut contingit in pluribus casibus etiam moralibus, qui à nobis in hac vita mortali non satis percipiuntur, quemadmodum accidit in quantitate furti ad constituendum certò peccatum mortale, in quantitate cibi ad frangendum ieiunium, rursùm esse potest, quòd peccatum bestialitatis in hac materia Luxuriæ omnium aliorum pessimum non solùm castitati, sed etiam alij virtuti à castitate specie distinctæ opponatur, id enim non videtur repugnare, insuper non videtur repugnare, quòd hoc scelus ob propriam grauitatem opponatur castitati specie diuersæ ab illa, cui alia opposita sint,

rursùm

rursùm quòd diuersa sint hæc delicta, ac quidem morali specie per alia fundamenta cùm certum non sit apud Doctores, quòd differentia specifica peccatorum desumenda sit ex oppositione virtutùm sicuti colligi potest ex Cardinali Delugo de sac. pæn. fol. mihi 348. num. 43., ac Tamb. supra citato fol. mihi 185. num. 73. dicentibus in sodomia peccatum agentis specie differre à peccato patientis, neque tamen ibi cognoscentibus duas virtutes, nisi ego fallor, specie diuersas, quibus vtriusque delictum oppositum sit, quamuis horum opinionem in huiusmodi casu saltem pro nunc ego non admittam, hoc tamen verum est, quòd dicta peccata ex auctoritatu Summi Pontificis, atque etiam ex rationibus nostris non sint eiusdem speciei infimç sicquè pænitenti non est satis dicere in confessione se peccauisse peccato contra naturam, siue pollutionis peccato, sed quidem dicere debet se peccauisse peccato in ordinati concubitus, siue pollutionis, siue sodomiæ, siue tandem bestialitatis, vt suæ obligationi satisfaciat, vt ex iam dictis colligere facile est.

18 Hoc scelus aliorum peccatorum in materia Luxuriæ dictorum grauissimum est ita An. de Escobar, Toletus, quad. alijquè, hi tamen ad id probandum nullam rationem afferunt, hanc tamen ego esse existimo, quia homo peccans in alijs peccatis carnalibus non se transfret extra propriam speciem, atquì hoc scelus committens bruto, vel Dæmoni committendo extra propriam speciem se transfret, quod quidem magis rectæ rationi opponitur, ac consequentur grauius Deū offendit, ergo saltem ex hoc capite aliorum omnium vt suprà grauissimum est, nec humana nequitia vltra alcendere videtur, ideoquè hoc delictum ob propriam naturam locum infamissimum obtinet.

19 Scelus hoc contra se pænas graues habet sic dicti Doctores alijque plures, ideoque teste Eminentiss. Toleto adsunt pænæ mortis iure ciuili statutæ, nota insuper genus mortis ipsum ignem esse, immò propter huius flagitij immanitatem etiam bestia, quæ tamen culpa caret, interficienda est, quia, vt ait diuus Augustinus relatus in cap. mulier 15. tali flagitio contaminata indignam refricat facti memoriam, denique Sacra Scriptura huius sceleris grauitatem pluribus in locis demonstrat, præsertim verò Exodi cap. XXII., ac Leuit. cap XVIII. videte vos Sacrarum Litterarum loca ad melius huius facinoris grauitatem, ac turpitudinem intelligendum, vt id, cunctaquè alia carnalia Dei fauore detestari sine supernaturali semper possitis.

20 Delictum hoc ordinariè loquendo ex multiplici capite procedere solet, aliquando enim ex occasione proxima peccandi mortaliter etiam in præsenti materia id in multis experientia demonstrante. 2. ex vitiosa natura, ac peruersa consuetudine, quamuis verò semper voluntate liberè consentiente, secus peccatum non admitteretur, tandem ex priuatione meretricum, siue fæminarum, sicut ad hunc modum loquitur Doctissimus Augustinus de peccato nephando. Hoc facit meretrix in mundo, quod sentina in mari, vel cloaca in palatio, tolle cloacam, & replebis fætore palatium, & similiter de sentina, tolle meretrices de mundo, & replebis ipsum sodomia, qui hic de sodomia fol. mihi 420. ex Moral. Theol. ad sensum Diui Thomæ à Doctor. Franc. Ghetio

Ordinis almi Prædicatorum affertur cuius tanti Doctoris videlicet Diui Augustini Doctrina huic nostro casui facilè applicari potest ergo id scelus ex multiplici capite procedere solet. Restat modo, vt in sequentibus casus reseruatos, ac minimè reseruatos in præsenti materia proponamus, ac decidamus.

CAP. QVINTVM.

21 *Subditus in hoc huic Synodo Bestialitatem committens hac reseruatione afficitur.*

22 *Sic hanc reseruationem contrahit qui cùm bestia fæmina coitum carnalem habet.*

23 *Ita cùm bruto commercium habens hac item reseruatione afficitur.*

24 *Sic fæmina carnaliter ab aliquo bruto cognita ab hac reseruatione minimè excusatur.*

21 Videndum nunc restat, quandonam in præsenti materia reseruatio contrahatur, quod per tria capita vobis satis ostendetur, subditus igitur in hoc huic Synodo Peccatum Bestialitatis committens hac reseruatione afficitur, ratio enim est, quia id expressè ex littera colligitur, quæ est hæc, Peccatum Bestialitatis, secus, vt infrà melius videbitur, si in hoc subditus non esset, ergo mirum non est, si hac reseruatione afficitur ad hanc tamen reseruationem incurrendam sicuti etiam in alijs, nisi aliqua exceptio adsit, siue nisi aliter dicere cogamur ex prudenti superioris legitimi intentione, id enim non repugnat, requiritur necessariò effectus totalis peccati hoc est exterius, ac sufficienter completus in ratione reseruationis, vt Doctores ritè intelligentes apertè docent interquos I. Delugo de Pænit. disp. xx. sec. 2. num. 5., Trullench. in praxi sac. lib. 4. de sac. Pænit. cap. x. num. 6., Iacobus Mancinus in prac. 111. vt ipse loquitur dub. 61., atque alij plures ratio inter alias hæc est quia in pænalibus ad quæ reseruatio reduci potest verba propriè, ac non impropriè accipienda sunt quandoquidem pænalia restringenda, ac non amplianda, seu impropriaanda sunt, ideoquè dum verbi gratia reseruatur Bestialitas debet reseruatio intelligi de propria Bestialitate hoc est de peccato carnis cùm bruto, vel cùm Dæmone non extra, sed quidem intra vos consummato, quod semper verum est, nisi ex aliquo sufficienti fundamento aliter necessario dicere cogamur, sicuti nunc apud nos dicere debemus de procuratione abortus quamuis effectus non sequatur, vt colligitur ex Synodo xxxii. Diæcesana Mediolanensi de sac. pæn. cap. x. fol. mihi 45. his formalibus verbis. Nos tamen firmam esse volumus, &c. etiam non secuto effectu complectitur.

22 Sic eandem contrahit habens carnale commercium cùm bestia fæmina ratio est, quia id satis colligitur ex littera, verum enim est verbi gratia fulgentium coitum habuisse, cùm oue v. g., ergo etiam Peccatum Bestialitatis commisisse, ergo tandem verificatur hanc reseruationem contraxisse ex quo colligitur habentem coitum cùm aliqua vacca, equa, gallina, oue, asella, atquè alijs consimilibus non solùm in vase generationis inter ipsa bruta apto, sed etiam in præpostero cùm id etiam grauius sit, in hanc reseruationem incidere quia ad hunc effectum Peccatum Bestialitatis cùm suis omnibus conditionibus, siue circumstantijs vt suppono, interuenit.

23 Ha-

23 Habens item coitum sufficientem cùm bruto masculo hanc reseruationem contrahit sic Quadr. disp. 3. cas. 6. nn. 672. concl. 2. ratio est, quia v. g. de fulgentio verificatur, ac prædicatur Peccatum Bestialitatis ergo mirum non est si præsenti reseruatione afficitur, 2. in casu immediatè dicto hæc reseruatio contrahitur, ergo multò magis in hoc casu cùm hic maius, grauiusque delictum concurrat, 3. littera absolutè loquitur ergo etiam de hoc casu intelligenda est, secus absolutè non intelligeretur, id enim sic commissum veram rationem Peccati Bestialitatis importat, ac sibi identificat ergo etiam reseruationis certò productiuum erit non enim aliquid in oppositum assignari potest.

24 Sic fæmina ab hac reseruatione non excusatur quoties est carnaliter cognita ab aliquo bruto quia verum est dicere ab hac fæmina v. g. Berta bestialitatem fuisse commissam, ergo etiam verum est dicere hanc reseruationem fuisse contractam; 2 nulla est ratio in littera potius ab hac reseruatione excludendi fæminam, quàm masculum ergo quoties aliqua Fæmina hoc delictum committet præsenti reseruatione afficietur. Hoc enim Fæmina committere potest, audi quæso exemplum narratum à Rolaterrano in Philologia l.b. 32. cap. 5. ad finem ad hunc modum. Puellamquamdam in Hetruria sub Pio III. canem impudicè adamasse ex eoquè semicanempepperisse hoc est manibus, & pedibus, auriculis caninis, cætera verò hominis præter alia plura exempla, quæ legeue potestis apud Auctores de hac re optimè agentes.

CAP. SEXTVM.

25 *Tam Masculus quam Fæmina commercium habendo cum Dæmone in reseruationem incidunt.*

26 *Hæc item reseruatio contrahitur ab hermaphroditis.*

27 *Incurritur cùm quocunque animali bruto, quoties sufficiens coitus habetur.*

28 *Item etiamsi hoc scelus commissum sit ante huius reseruationem in Synodo factam, sed nondum in confessione per se remissum.*

25 TAM Masculus, quàm Fæmina cùm Dæmone carnale commercium habendo præsentem reseruationem contrahunt, prob. quia in isto casu Peccatum Bestialitatis interuenit, ergo ab istis reseruatio contrahetur, secus si littera adesset hoc modo, cùm brutis coeuntes, vt in nonnullis Diæcesibus reperitur, ratio enim est, quia non interueniret commercium carnale hominis cùm bruto; vel cùm brutis, sed quidem cùm Dæmone, quod non sufficit, putarem tamen etiam in illis Diæcesibus hanc reseruationem contrahi, quoties Dæmon per assumptionem corporis bestiæ cùm homine coitum haberet, tunc enim de isto homine hoc, quod est cùm bruto, vel cùm brutis coeuntes omnino, vel saltem sufficienter in hac morali materia verificaretur, ac consequenter huius reseruationis necessariò inductiuum.

26 Item hermaphroditi in hanc incidunt, quoties cùm animali bruto, siue cùm Dæmone coitum habent modò actum satis compleant. prob. 1. ex rationibus nostris nuper dictis; 2. non repugnat, si id ritè consideratur;

3. nullum absurdum sequitur id afferendo; 4 littera nullum excludit, ergo dicendum est has personas reseruationem contrahere, quoties hunc actum peccaminosum ad hunc effectum sufficienter perficiunt; hermaphroditi enim creaturæ rationales quoad essentialia sunt sicuti nos; solent enim homines aliquando rem veneream habere non solùm cùm personis eiusdem speciei, sed etiam cùm animali bruto, immo interdum cùm ipso, Dæmone, vt suos fines pessimos consequi possint, audi quæso inter alia exemplum narratum à Quadrio disp. 3. cas. 6. de reser. fol. mihi 412. de commercio hominis cùm canibus, tempore Leonis Papæ x. contigit in quodam loco, vbi quidam repertus fuit patiens canibus agentibus, ob quam causam publicè combustus fuit, itemquè huic quasi consimile ego vidi videlicet de puella, quæ patiebatur carnaliter se cognosci à quodam cane, nisi ego tunc in videndo errauissem. Item cùm Dæmonibus colligitur ex Epistola decretali Innocentij Papæ Octaui aduersus maleficas mulieres his formalibus verbis. Non sine ingenti molestia ad nostrum peruenit auditum complures vtriusque sexus personas propriæ salutis immemores, & à catholica fide deuiantes Dæmonibus incubis, & succubis abuti, considera enim in primis illa verba complures vtriusque sexus personas videlicet Fæminas, ac Masculos, denique ea, Dæmonibus incubis, & succubis, quæ quidem ad rem nostram maxime vim faciunt vt id optimè considerare Dei fauore possitis.

27 Contrahitur reseruatio hæc, quoties sufficiens coitus cùm quocunque animali bruto committitur prob. 1. ex dictis; 2. cùm quocunque animali irrationali per se loquendo committi potest, ergo quoties sufficienter committetur præsens reseruatio incurretur quòd si per accidens, siue aliter non committetur, nec ista incurretur non tamen per hoc aliquid contra nos dabitur, bruti enim nomine omnia animalia irrationalia venire supradiximus; Alberti Magni tempore nonnulli aiunt contigisse, vt in quadam villa vacca quædam vitulum semi hominem ederet, pagani concursu facto pastorem tanti sceleris conscium in iudium rapuerunt mox cùm vacca comburendum quamuis Doctus Albertus id alij causæ tribui libenter voluerit.

28 Item contrahitur reseruatio dũ peccatum huius generis commissum fuit ante huius reseruationem in Synodo factam, sed quidem in confessione Sacramentali non per se remissum casus iste est. Antonius v.g. commisit Peccatum Bestialitatis tempore, quo nondum reseruatum erat, atquè in terim Noster Superior sibi Bestialitatem reseruat sicut fecit in Synodo xxxv. anno 1658. in hac maxima Ciuitate Mediolani habita quæritur nunc an possit à priori confessario carente iurisdictione in ordine ad casus reseruatos perse absolui, sicuti prius ab eodem absolui poterat, quia nondum casus reseruatus erat, sed vt ita dicam, simplex hoc est sine reseruatione, quod idem inuestigari potest quoties aliquis legitimus superior de recenti in aliqua Synodo, siuè etiam aliter sibi aliquem casum reseruat, huius casus decisionem nondum apud Doctores inuenire potui, quamuis plures ego quidem legerim, tamen pro vtraque parte ego plures rationes intrinsecas inuestigare volui, vt huius casus decisio sufficiens in hac re morali meo quidem iudicio daretur. Prima igitur facie videtur

quòd

quòd sic: ratio enim est quia hoc scelus per reseruationem à Superiore in Synodo factam mutatum non est, ergo cùm adhuc omnino remaneat dicendum est remitti posse per se à nominato confessario sicuti prius per se remitti poterat; 2. prudenter existimare debemus intentionem Superioris non complecti hoc, sed quidem tantùm futura delicta huius generis, siue speciei, si aliter, si id esse potest in quibus hoc non inuoluitur, ergo dicendum est illud remitti posse per se à communi confessario sine noua iurisdictione hæc enim adhuc effectum minimè necessaria est; 3. id colligi videtur ex benigna Superioris voluntate hoc scelus tali tempore commissum inter reseruata minime inolui volentis, secus onus graue videtur pænitentibus imponi, tandem, ne alia plura adducam, materia reseruatorum tantùm casus certos complecti videtur, in quorum numero non est hic, dequo loquimur, ergo dicendum est hunc sine reseruatione manere, ergo à priori confessario, vt suprà, absolui potest. Dico tamen, saluo semper meliori iudicio, huiusmodi pænitentem à dicto confessario, prout explicatum fuit, per se absolui non posse prob. 1. quia hoc scelus factum est in Synodo à Superiore reseruatum, ac consequenter extrinsecè mutatum, ideoque idem omnino non est, ergo dicendum est non esse amplius casum simplicem hoc est sine reseruatione, sed quidem in numero reseruatorum, ergo non est mirum si non potest per se absolui respectu huius à nominato confessario; 2. Superior sibi bestialitatem reseruando videtur sibi reseruare bestialitatem, quæ sit materia necessaria Sacramenti Pænitentiæ secus se se explicauisset, sed id facere non potest quin etiam illud inuoluatur, quod fuit commissum ante Synodum, ac nondum per se remissum, ergo dicendum est huiusmodi pænitentem à dicto confessare per se minimè absolui posse, non enim ille distinguit, ergo nec etiam nos distinguere debemus non enim distinguendi fundamentum habemus; 3 Pænitens iste absolui per se potest à peccato deflorationis ante Synodum commisso, quamuis tunc reseruatum esset, ni fallor, ex eo quòd existimandum sit prudenter superiorem abstulisse à dicto peccato reseruationem non solùm respectu futurorum, siue etiam præsentium si id dici potest, sed quoque respectu præteritorum ergo cùm respectu huius commissi ante Synodum commodum sentiat, quatenus à priori suo confessario per absolui potest sicuti ante, ita in commodum sentire debeat, vt à superiore, & non à priori absolui debeat, hoc enim sibi imputare debet non verò Superiori, siue alij causæ sicuti id in alijs casibus pluribus in diuersis materijs fit potest: tandem vt breui sermone dicam confessarij cuncti, ni fallor statim intelligendo in confessione aliquod peccatum exterius, ac satis consummatum prout requiritur necessario ad reseruationis incursum sine alijs interrogationibus ex defectu iurisdictionis in ordine ad hoc huiusmodi pænitẽtes per se absoluere non solent ergo ex eo, quòd credunt reseruatum esse ergo impertinens est, quòd ante, vel in ipsa, vel post Synodum factum fuerit, satis enim est confessario hic, ac nunc, dum Sacramentum pænit. administrat, intelligere materiam necessariam esse, vt suprà dictum est. Per accidens tamen causa legitima concurrente absolui poterit à dicto confessario, siue etiam ex alio capite per se, sed id contra nos non est; hic tamen notandum est Parochos

rochos huius Ecclesiæ Ambrosianæ posse per se suos subditos absoluere à casibus reseruatis, etiamquè à censuris dum graui morbo impliciti in lecto decumbunt, vt ex Synodo xxxII, fol. mihi 44. de Sac. pæn. cap.x.apertè colligitur per hæc verba; reseruationem casuum, & censurarum nostræ iurisdictionis ordinariæ remittimus, & relaxamus, &c. quæ quidem notatu digna sunt, vt huiusmodi Parochi suis pænitentibus sibi tamen in Parochia subiectis suo tempore auxiliari possint. Ideoquè ad hunc effectum omnes conditiones necessarias diligenter considerare debent, quod verum etiam esse existimo de Viceparochis, cùm personam Parochorum sustineant, ac tandem in hoc se se habeant sicuti proprij Parochi, quamuis in hoc re remittam, cùm id ego nondum decisum viderim, puto tamen id verum non esse in confessario plebis saltem in hac nostra Diæcesi, quia verè non sustinet personam Parochi. 2. notandum etiam est Parochos, de quibus loquimur, teneri dictos pænitentes admonere, vt quamprimum sanitate recuperata se Superiori præsentent quando absoluti fuerunt à censuris reseruatis non tamen, vt iterum absoluantur, sed quidem ad alium sanctum finem ab Ecclesia intentum, secus eisdem censuris afficiuntur sicut prius, id tamen non admittitur in casibus merè reseruatis, hoc est non habentibus vt ita dicam censuras sibi vnitas, inter quos est hoc scelus de quo nunc loquimur sicuti id ex nominata Synodo colligitur, quam vnusquisque Parochus huic Sanctæ Ecclesię habere deberet, atque diligenter legere sicuti etiam aliam xxxv. dictam, in quibus multa ad Parochos spectania habentur, ac sine quibus plures errores etiam à doctis facilè committi possunt, vt id experientia ipsa quotidiana nobis indicat, sine enim Librorum Lectione studioquè errare facile est, quod præsertim de personis non studentibus verificatur.

CAP. SEPTIMVM.

29 *Reseruatio contrahitur etiamsi semel hoc delictum solùm admittatur.*

30 *Item etiamsi peccans sit impubes modo tamen actum compleat.*

31 *Itemquè quamuis in pænitente adsit ignorantia inuincibilis reseruationis ipsius peccati.*

32 *Tandem etiamsi pænitens firmiter crederet non amplius esse casum reseruatum.*

29 Contrahitur reseruatio, quamuis hoc scelus tantùm semel admittatur prob. quia Superior non requirit ex necessitate ad huius reseruationis incursum, vt, qui hâ delictum committit, bis, vel pluries, vel quasi ex vsu id agat, sed, vt hoc scelus committat, quod de vnica vice tantùm verificatur, concedo tamen in nonnullis casibus aliquando requiri frequentiam, vel quasi frequentiam actuum, vt nonnullæ pœnæ, siue reseruationes, siue alio nomine vocentur incurrantur, non tamen in casu nostro, cùm nullum fundamentum ita asserendi habeamus, rursùm si actuum frequentia necessaria esset ad hanc incurrendam id etiam dici deberet de alijs, cùm ratio disparitatis per se loquendo assignari non possit, sed hoc est falsum de alijs loquendo ergo etiam de hac, de qua sermonem habemus.

30 Item reseruatio contrahitur, quando impubes hoc delictum committit, modò tamen actum satis compleat. prob. quia littera absolutè loquitur,

quitur, ergo absolutè intelligenda est, ergo etiam de præsenti casu, secus litera absolutè non intelligeretur. 2. si id verum non esset superior se se explicasset, sed non se explicauit ergo, nonnulli enim ordinarij huiusmodi personas, non solùm in casu isto, sed etiam huic similibus, atquè alter excepherunt. Quòd tamen à nostro ordinario non factum est, quod sciam. 3. hi impuberes in hoc foro sacramentali subditi sunt ipsi superiori hoc scelus sibi reseruanti, ergo mirum non est, si hac, huicquè consimilibus, siue aliter afficiuntur dum delicta sufficienter committunt ad hunc finem à superiore intentum. Rationes verò aduersariorum, quæ contra nos adducuntur potius pro foro externo faciunt, quàm pro foro conscientiæ, siue pro rei veritate de hac hic maximè curandum est, præterquam quòd inefficaces sunt de quibus multùm curare non debemus quòd si actum sufficienter ad hoc non complent exquocunque tamen capite id nascatur, nobis dicendum est reseruationem minimè incurri, non tamen id contrà nos, vt videtis, erit.

31 Præsens reseruatio incurritur, atquè etiam huic consimiles, licet huius huicquè consimilium in ipso pænitente ignorantia inuincibilis adsit. prob. quia ignorantia, de qua loquimur ipsi reseruationi extrinseca est. Non enim ipsius essentiam constituit, ergo contrahitur etiam stante in pænitente hac ignorantia. 2. reseruatio hæc, de qua loquimur, pæna non est, vt aliqui falsò putant, sed quidem ablatio iurisdictionis inferiori confessario facta dignis de causis respectu culparum mortalium, vt ex Conc. Trid. hac de re agente habemus, à legitimo superiore procedens, ergo absurdum non est dicere in hac circumstantia hanc reseruationem contrahi. 3. praxis omnium confessariorum, ni fallor, ita est, ergo est impertinens in ordine ad hunc effectum, quòd interueniat cognitio, siue dicta ignorantia reseruationis de qua sermonem habemus, non enim ab hoc, neque à similibus auctoritas legitimi superioris dependere debet. 4. cuncti confessarij, quando in sac. pæn. intelligunt aliquem pænitentem aliquo peccato reseruato esse affectum non solent absoluere ex defectu iurisdictionis in se ipsis sine vlla alia interrogatione, ergo signum est, quòd ignorantia, siue cognitio nil faciat in ordine ad reseruationem incurrendam, vel non incurrendam, solent enim facultatem petere, siue aliter se se gerere, ergo signum optimum est ignorantiam inuincibilem reseruationis in ordine adhunc finem non esse à doctis considerandam licet nonnulli id libenter admittere nolint, sed audiendi non sunt saltem in hac nostra Ecclesia hoc tempore cùm fundamentis probabilibus omnino careant, sed tantùm aliquorum verbis nitantur, vt id melius ex casu immediatè sequenti à nobis aperietur, tandem, vt plurimùm in cursus harum reseruationum cessaret, cùm paucissimi sint illi, qui huius huicque consimilium cognitionem habeant.

33 Hæc item reseruatio contrahitur ab eo, qui firmiter credit non amplius durare, siue à superiore fuisse ablatam id pluribus asserentibus, quoties à parte rei datur, ratio enim est, quia reseruatio in suis essentialibus vt ita loquar, ab his fundamentis extrinsecis minimè dependet, sed quidem aliunde, vt suprà dictum est, non enim hæc dictā essentiam reseruationis necessariò constituunt, concedo tamen superiorem aliter posse sibi casus reseruare videlicet dependenter à subdito-

rum

rum cognitione in ordine ad contrahendam actualem reseruationem, siue alio modo, non enim id repugnat, sed id nondum factum esse saltem à nostro ego existimo. Possunt tamen contra nos nonnulli ita insurgere dicendo. Mediolani in sacra pænitentiaria oppositum valdè probabile fuisse decisum ergo. Sed ad id sic pro nunc respondemus dicendo huiusmodi decisionem nobis satis non constare. 2. nonnulli ad hunc modum dicunt, praxis plurium confessariorum ita se habet, ergo. Sed ad id sic respondemus dicendo id omnino esse falsum, cùm ego optimè sciam huiusmodi confessarios solere petere facultatem ab illis, qui ad hunc finem determinati sunt, hoc est vel à Vicarijs Foraneis in Diæcesi, siue ab alijs. 3. dicunt plures Doctores ita docent ergo, sed contra hi enim audiendi non sunt quoties sine intrinsecis rationibus loquuntur, quod si aliquando rationes adducunt, tunc ni fallor, intelligendi sunt de reseruationibus illis, quæ rationem pænarum habent, siue aliter, in his enim eorum doctrinam admittere possumus cùm pluribus Doctoribus, non tamen de hac, siue huic consimilibus ob rationes iam à nobis narratas. Vltimo ne alia plura adducam dicere possunt Parochis huius Ecclesiæ præcipi in Calendario prima Dominica in capite Quadragesimæ, vt casus reseruatos nostro Eminentissimo suis ouibus publicent, ergo signum est necessariò requiri in pænitente cognitionem reseruationis, vt incurratur, non enim alius finis præter hunc assignari potest. Ergo concurrente ignorantia inuincibili, vt diximus, reseruatio à parte rei non dabitur, præterea id etiam colligi videtur ex benigna voluntate Superioris, sed ad hæc sic respondemus dicendo Parochis non præcipi sub pæna peccati mortalis, vt in Calendario videre est. Plures enim iam dictos casus publicare non solent præsertim Mediolani vbi manet Eminentiss. neque puniuntur, neque per id se peccare mortaliter existimant ad summùm sub pæna culpæ venialis, vel etiam dici potest de consilio esse, vel saltem in vsu non esse saltem apud plures, tandem etiam his pro nunc admissis prout volunt aduersarij non tamen per hoc concluditur cognitionem in pænitente necessariò requiri, vt reseruationem contrahat, sufficit enim cognitionem in dicto in ordine ad peccandum cùm alijs necessarijs non autem ad reseruationis incursum. Loquendo postea de fine Superioris nos enim certò scire non possumus. Varius enim esse potest. Ego, ni fallor, puto Superioris in hoc consistere finem, vt cognita grauitate Peccatorum reseruatorum, etiamquè simul difficultate directam absolutionem obtinendi possint pænitentes non ita facilè, siue frequenter hæc committere. tandem dico nil colligi posse ex benigna voluntate Superioris, non enim fundamentum habemus saltem hoc tempore, ergo dicendum semper est confessarios hos de quibus loquimur, non debere pænitentes ex hoc capite præcisè absoluere à reseruatis vt satis ex rationibus nostris iam dictis clarè colligitur, neque debent hominibus in doctis, cæcisquè credere, ne leues omnino sint. Idquè nascitur ex defectu iurisdictionis ita superiore dignis de causis, ob bonum publicum volente præterquam quòd hi se se exponerent periculo administrandi Sacramentũ Pænit. non solùm quoad effectum, sed etiam quoad essentiam inualidum ex defectu iurisdictionis, essentia enim iurisdictionis Sacramentum Pæniten-

tiæ necessario, essentialiterquè constituit.

CAP. OCTAVVM.

33 *Non incidit in hanc reseruationem committens quodcunque peccatum in materia luxuriæ contra naturam dictum.*

34 *Liber est ab hac reseruatione, qui penetrare, siue ingredi vas attentat, sed non penetrat.*

35 *Item non labitur, qui quidem incipit, sed per concursum hominum, siue aliter actum intra vas non perficit.*

36 *Item non incidit, qui curat, vt aliqua bestia externam pollutionem admittat.*

33 Restat modò, vt videamus quandonam iste casus minimè incurratur, ideoquè non incidit in reseruationem committens quodcunque peccatum in materia luxuriæ contra naturam dictum, secus per peccata pollutionis, inordinati concubitus, ac sodomiæ hæc reseruatio contrahi deberet, quod tamen falsum est, nominata enim huiusmodi sunt, vt supra dictum est. Hic enim tantùm peccatum bestialitatis reseruatum est, non verò sodomia, sed quidem in casu septimo, vt videre est saltē hoc nostro tempore.

34 Item liber est à reseruatione, qui solùm penetrare, siue ingredi vas attentat, ratio est, quia de isto tantùm prædicatur, quòd penetrare voluerit, immò id verum est etiamsi per membrum virile penetrauisset, quia hic tantùm actus imperfectus est minimè aptus ad huius reseruationis productionē.

35 Itemquè non labitur, qui hunc actum bestialem inceæpit, sed per hominum concursum, siue ex alio capite actum non satis compleuit prout necessariò requiritur ad huius incursum; ratio est quasi eadem cùm ea, quam suprà immediatè produximus, ergo mirum non est, si reseruatio non incurritur, quæ actum completum supponere debet, quod omnino verum est etiāsi ab initio intentionem actum consummandi, ac perficiendi efficaciter habuisset, non enim est satis internus affectus, sed effectus totalis necessariò ad hunc finem requiritur.

36 Item reseruatio non contrahitur ab eo, qui curat, vt aliqua bestia externam pollutionem admittat, vt si manu, siue aliter membrum bruti tenens ad effusionem seminis animal prouocaret ita etiam Quadrius de reser. num. 699. iam à me citatus suprà ratio mea est, quia non dicitur committere peccatum bestialitatis prout requiritur ad hanc reseruationem incurrendam, sed tantùm cooperari pollutioni bruti, quod non sufficit, immo id verum esse existimo etiamsi iste procurasset, vt hæc bestia cùm aliqua persona commercium carnale habuisset, non enim per hoc includeretur sub casu. Quia de isto sufficiens peccatum reseruationis causatiuum minimè verificaretur, sed tantùm affectiuè siue per cooperationem, quod satis non est, alium tamen reuera crederem in hanc lapsum fuisse, quia verum esset dicere hunc de quo loquimur in præsenti, actum satis compleuisse.

CAP. NONVM.

37 *Non incidit in casum Fæmina illa, quæ caudam animalis irrationalis etiam cùm pollutione in vas generationis immitteret.*

38 *Sic ab hac excusatur, qui huic Sanctæ Synodo in hoc scelere subditus non est.*

39 *Item liber est à reseruatione, qui rem carnalem habet cùm Dæmone comparente sub forma Fæminæ suam vxorem esse existimando.*

40 *Sic non incidit, qui etiam cùm propria pollutione intra nares bestiæ, vel intra os ipsius penetraret.*

37 NON incidit in reseruationem fæmina illa, quæ caudam animalis irrationalis etiam cùm propria pollutione intra vas proprium generationis immitteret, ratio est, quia hic non interuenit propriè coitus, qui per membrum genitale fit, ergo non est ab surdum si reseruatio minimè incurritur.

38 Non subditus in hoc scelere huic Synodo non afficitur casu isto, licet ad hunc finem bestialitatem committat, vt affici possit, ratio enim est, quia auctoritas, siue intentio superioris tantùm homines sibi subiectos complectitur, neque ad hunc effectum auctoritatem à non sibi subiectis recipere potest. Tandem aduertere debes hoc tempore hunc casum apud nos Synodalem esse, quemadmodum ex dictis colligi potest.

39 Sic à reseruatione excusatur ille, qui coitum habet cùm Dæmone comparente sub forma fæminæ propriam vxorem esse existimando, ratio in promptu est, quia concurrente ignorantia inuincibili non peccat mortaliter ergo non incidit in reseruationem, quæ necessariò peccatum mortale supponere debet.

40 Itemquè non labitur in casum, qui etiam cum propria pollutione intra nares bestiæ, vel intra os ipsius penetrat, ratio enim est, Quia hæc actio ad summùm dicenda est pollutio ex parte hominis, non verò sufficiens coitus, sed ex mera pollutione non nascitur reseruatio, ergo neque ex hac nominata actione.

CAP. DECIMVM.

41 *Non incidit in casum, qui manu, vel digito, siue aliter vas bestiæ penetrat sicque ab animali semen emitti efficit.*

42 *Item non incidunt propria virga perfricantes naturam bruti licet pollutio extra tamen vas contingat.*

43 *Sic à reseruatione liber est, qui coitum habet cùm bestia, sed bestia tantùm se corrumpit.*

44 *Item tandem excusatur à casu isto, quoties aliquis bestialem actum non complet etiamsi id dedita opera faciat.*

41 NON incidit in casum, qui instrumento aliquo, vel manu, vel digito, siue aliter vas bestiæ penetrat, ac sic à bruto animali semen emitti efficit, ratio est, quia hic non interuenit coitus reseruationis illatiuus ergo, sed pollutio tantùm ex parte bruti dicenda est, quæ ex se præcisè reseruationem non parit.

42 Sic à reseruatione excusantur perfricantes propria virga naturam bruti, quamuis inde pollutio extra tamen vas contingat. prob. enim, quia hic non interuenit actus perfectus vt ex dictis colligere facille est, ergo non contrahitur reseruatio; nonnulli tamen sic contra nos dicunt. Hic turpitudo contingit, ergo est satis, vt reseruatio incurratur etiamsi extra vas contingat, quia dicunt hi aduersarij, nullus coitus naturalis cùm bestijs datur. Ergo in isto casu concurrente quacunque pollutione dabitur reseruatio; sed nos ad hæc sic respondemus dicendo quidquid sit de coitu naturali ab homine

mine cùm bestijs habito, id enim, nisi fallor, potius est de nomine, quam de re. Loquendo postea de pollutione concedimus reseruationem contrahi, quando intra vas sufficienter contingit, negamus tamen, ac consequenter si extra contingit.

43 Sic à reseruatione liber est, qui cùm bestia commercium carnale habet, sed bestia tantùm se corrumpit non tamen ipso agente sic id idem dico etiam quando fœmina carnaliter à Dæmone cognoscitur, sed ipsa tantùm externam pollutionem admittit, ratio enim est, quia hic tantùm actus imperfectus concurrit, ergo non est aptus ad causandam reseruationem; sed dices hoc modo contra nos. Quando agens seminat intra vas actus est completus in ordine ad hunc effectum sicquè statim reseruatio incurritur licet patiens eo ipso, quod patiens est, pollutionem non admittat ergo id idem etiam in casu nostro dicendum est, cùm disparitatis ratio in oppositum assignari minimè possit, secus assignetur, sed ad hæc sic respondemus dicendo breui sermone id nasci, quia complementum peccati semper attenditur ex parte agentis vti quod nobilius est, non verò ex parte patientis sicquè fundamentum aduersariorum omnino destruitur.

44 Sic liber est à reseruatione præsenti, qui actum bestialem non complet etiamsi id dedita opera exquocunquè fine faciat, hoc enim est contra plures Auctores, ac quidem graues, in rigore rei loquor, prob igitur. 1 tunc non contrahitur reseruatio, quando actus completus non interuenit, sed hic non interuenit actus completus, ergo non contrahitur reseruatio, quòd hic non interueniat actus completus probatur, quia non seminatur intra vas, sed quidem extra, vt in casu isto supponitur ergo non interuenit actus completus, ergo nec incurritur reseruatio, quæ actum completum necessariò supponere debet, id enim ex parte agentis necessarium interuenire debet nisi aliquod fundamentum, ac quidam verum aliter dicendi habeamus, quod hic, ac nunc minimè reperitur. 2. ni tamen fallor, omnes confessarij, quando in Sac. Pæn. sciunt à pænitentibus actum non sufficienter fuisse completum, sine alijs interrogationibus ex hoc tamen capite huiusmodi pænitentes absoluere per se solent, ergo ex eo quòd prudenter, ac doctè existimant, non fuisse contractam reseruationem, idquè nasci ex defectu actus sufficienter perfecti, secus non absoluerent. 3. si actus imperfectus malitiosè ad euitandam reseruationem admissus sufficeret ad incursum casus reseruati, id explicatum fuisset à superiore, sicut dictum est de procuratione abortus, atqui id explicatum non fuit saltem hoc nostro tempore, ergo signum est huiusmodi actum vti imperfectum non esse aptum ad incursum casus reseruati, 4. si actus iste vim haberet reseruationem causandi ex eo quòd à pænitente malitiosè, siue aliter fuerit admissus, id etiam esset admittendum in alijs casibus reseruatis, cùm ratio disparitatis in oppositum assignari minimè possit, sed id in alijs casibus non admittitur, ergo neque in isto, de quo nunc loquimur. Iste enim quamuis mortaliter peccet hoc delictum bestialitatis committendo vtitur tamen, vt ita dicam, iure suo; Sed contra nos sic aduersarij possunt insurgere dicendo. 1 Sequeretur, quòd hæc doctrina in alijs casibus reseruatis admitti posset, sed id falsum est ergo. Sed ad id sic resp. dicendo hanc doctrinam etiam in alijs casibus admitti posse; neque tamen id absurdum est.

2. di-

2. dicere possunt contra nos sic, per hoc daretur occasio magna peccatoribus facilius, ac frequentius peccandi mortaliter, sed id admittendum non est ergo, sed ad hoc sic resp. dicendo non dari peccatoribus occasionem mortaliter peccandi facilius, ac frequentius, sed tantùm rei veritatem hic à nobis explicari, quamuis aliquid per accidens, ac præter nostram voluntatem ex eorum mala voluntate euenire soleat. 3 etiam dicere hoc modo contra nos possunt. Si superior in casu præsenti interrogaretur affirmatiuè responderet ergo, sed ad id sic resp. dicendo hoc incertum esse, casus enim reseruati in incertitudine non consistunt. Possunt etiam sic 4. contra nos dicere. Quando actus malitiosè non completur ad euitandam reseruationem, siue aliquam pœnam, siue aliter videtur omnino fieri in fraudem legis, siue esse contra mentem legitimi superioris huc, aliaquè sibi reseruantis, vel pœnitentem sic peccantem saltem dignum esse, vt statim reseruatione pœnisquè, siue tandem aliter, afficiatur. Sed ad hæc pro nunc sic resp. dicendo superdicta potius in foro externo aliquam veritatem habere, quam in foro conscientiæ, vbi rei veritas ex natura rei hic, & nunc à me considerari solet. 5. possunt etiam contra nos aduersarij sic dicere. Plures confessarij huiusmodi pœnitentes aliquando, vel etiam fortasse semper absoluere per se nolunt ergo signum est in huiusmodi circumstantia reseruationem contrahi, non enim isti putant se peccare, sed optimè operari. Sed ad hæc sic nunc resp. dicendo id in primis nobis non constare. 2. non ex hoc capite, de quo loquimur, sed quidem ex defectu doloris sufficientis, vel propositi futuræ Dei gratia emendationis, vel etiam ex ignorantia inuincibili, qua huiusmodi laborare possunt, non enim id repugnare videtur, vel tandem ne alia plura dicam, ex alia causa, quam iustam esse putant. 6. possunt sic dicere. Rarò, vel quasi nunquam reseruationes à parte rei contingerent, sed id dicendum non est. Ergo. Sed ad hoc sic resp. dicendo non tamen ex hoc capite absurdum nasci. Tandem dici posset contra nos ab aduersarijs ad hunc modum sequeretur, quòd confessarij iniuriam grauem facerent pœnitentibus non per se absoluendo in huiusmodi casibus à nobis narratis quia hoc modo operando faciunt contra ius, quod habent pœnitentes ad recipiendum Sac. Pœnitentiæ ad quod etiam suppono huiusmodi pœnitentes debitas, ac necessarias conditiones habere. Tandem enim istis personis imponitur onus graue iterum sua peccata in confessione aperiendi ad quod Christus Dominus non videtur sic nos obligauisse. Insuper enim suppono in huiusmodi confessarijs iurisdictionem interuenire ex eo quòd ablata non fuerit à superiore actu imperfecto concurrente; ad hæc enim sic resp. dicendo iniuriam grauem fieri istis pœnitentibus, tùm quia fit contra ius proximum, quod habent in ordine ad recipiendum Sac. Pœn., tùm quia onus grauissimum imponitur ad iterum sua delicta narranda, non enim Christus ad hoc nos sic obligat, cùm ex sacris litteris, neque aliunde colligere possimus, tandem in Dei Ecclesia non reperitur vniuersale præceptum, ideoquè confessarij in hac materia prudenter, ac doctè operari debent, ni Deum, ac proximum grauiter offendant, nisi causam iustam haberent negandi Sac. Pœn. quam saltem aliquando adesse puto, hæc dixi in rigore rei loquendo,

quid-

quidquid sit postea de praxi, siue de fine Sancto aliquo, qui in mente superioris, siue confessarij reperiri potest præcipuè libero consensu pænitentis concurrente hic aduertere debes non solùm reseruationem hanc contrahi quando adest peccatum bestialitatis in agente, sed etiam in patiente, vt quando Masculus, vel Fæmina v.g. à Dæmone, vel à bruto animali carnaliter, ac sufficienter, cognoscuntur prout sepius à nobis suprà explicatum fuit, ratio enim est, quia de vtriusque agentis, ac patientis delicto, siue delictis verba litteræ, quæ sunt hoc tempore apud nos hæc inquam. Peccatum Bestialitatis. Satis, atquè optimè verificantur, quamuis nonnulli id admittere nolint in peccato sodomiæ respectu patientis dicendo peccatum agentis affici reseruatione non vero reseruatione affici in sodomia patientis peccatum inter quos est Bordonus in conf. Regul. ref. 48. qu. 5. num. 2., quem Diana in summa de sodomia citat. fol. mihi 818. num. 5., rationes possunt esse istæ quia verba apud nos verificantur tantum, quamuis in hoc me remittam, de peccato agentis, non verò de peccato patientis ergo tantùm agentis delictum reseruatione afficietur. Verba enim apud nos hoc tempore sunt hæc in numero septimo, qui sodomiam commiserit. Secus dicendum esset si hæc etiam adessent; vel passus fuerit, sicuti etiam si adessent aliter satis peccatum patientis explicantia, vt Parisijs quæ sunt hæc. Sodomiticum peccatum vt docet D. Petrus a Sancto Ioseph in summula casuum par. 11. fol. mihi 281. num. 17. de casibus Archiepiscopo Parisiensi reseruatis agendo 2. quia minor pæna in vtroque foro patienti vt plurimum dari solet. 3. quia est valdè probabile peccatum agentis specie differre à peccato patientis sicuti Lugo, ac Tamburinus viri doctissimi admittunt, ergo etiam est valdè probabile peccatum agentis vti grauius patientis delicto, ac tandem differentiam specificam inuoluens se ipsum tantùm reseruatione affici, ac consequitur ind gere confessario habente iurisdictionem in ordine ad casus reseruatos, vt per se absoluatur. Non verò patientis delictum si hanc opinionem vti probabilem sequi volumus. Possumus etiam id dicere quia materia reseruationis vel pænalis saltem reductiuè vt vuult Mancinus citatus, strictè accipienda est nempe prout verba sonant, quæ sunt, qui sodomiam commiserit, atqui strictè non videtur accipi, sed latè si velimus efficere reseruatione peccatum patientis, tandem ex alijs fundamentis, quæ tamen hic à mè nunc minimè considerantur quamuis in praxi saltem apud nos sententiam oppositam iam dictæ obseruari existimem, quam item ego hic, ac nunc libenter sequor, atque hæc de præsenti materia ad Dei gloriam sint dicta. Hic tamen ò mi Lector oro te, vt me de erroribus admissis admoneas, si qui erunt mea culpa aliterque in isto breui tractatu, vt ego corrigere valeam, id enim mihi gratum erit, errare enim humanum est, non enim Deus ego sum, sed merus homo de muliere natus breui viuens tempore multisquè tandem miserijs repletus. xxxxIIII.

FINIS.

INDEX CASVVM.

Quid sit Peccatum Bestialitatis.

Quotuplex sit.

Quid nomine bruti veniat.

An pro diuersitate brutorum specie differat.

Quot congressus ab homine cùm Dæmone fieri possint.

Videre poteris caput primum per casus iam decisos.

Quam malitiam habeat peccatum bestialitatis cùm Dæmone commissum.

An Bestialitas nunc apud nos casus reseruatus sit.

An Bestialitas in rigore sodomia sit.

An Clericus Peccatum Bestialitatis exercens contrahat pænas Bullæ Pij Quinti.

An tenentes bruta domi, siue in lecto, siue alibi sine vereneo semper absolui possint.

Tu enim dictos casus clarè decisos in capite secundo vide.

An Polluens se adminiculo alicuius bruti sine coitu tamen id necessario explicare teneatur.

An Pollutio admissa à Fæmina, vel à viro cùm bruto, vel cùm Dæmone diuortij causa sit.

An saltem Fæminæ, vel viri coitus carnalis cùm bruto, vel cùm Dæmone diuortij causa sit.

An Peccatum Mortale sit coitum brutorum, vel eorum partes turpiter commotas aspicere.

An culpa mortalis sit confricare pudenda brutorum ex curiositate, siue ex intentione seminis inspiciendi.

Videre poteris caput tertium, in quo cuncti decisi fuerunt.

An Peccatum mortale sit ob alios malos fines partes inhonestas brutorum confricare.

An Peccatum Bestialitatis ab alijs in hac materia specie differat.

An hoc scelus aliorum iam dictorum grauissum sit.

Quasnam pænas contra se latas hoc delictum habeat tandem vndenam hoc peccatum procedere soleat.

Videre diligenter poteris caput quartum in quo hi decisi manent.

Loquendo postea de casibus reseruatis in præsenti re alia tria capita immediate sequentia legere potes, in quibus non solum rationibus extrinsecis, sed etiam intrinsecis nominatos satis explicatos habebis. Tandem in alijs vltimis casus minimè reseruatos facili labore percipies, ex quibus omnibus optime à te intellectis alios casus plures non solùm ad Peccatum Bestialitatis spectantes, sed etiam alios ad diuersas materias resoluere per te ipsum poteris.

FINIS.